NOUUM RATIONALE DIUINORUM OFFICIORUM. IUXTA BREUIARII, MISSALIS, ET...

Giovanni Battista Rossi

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
12 K
1
ROMA

NOVVM RATIONALE DIVINORVM OFFICIORVM,

IVXTA BREVIARII, MISSALIS, ET CÆREMONIALIS ROMANI recognitam editionem.

OPVS TVM CLERICIS, TVM SACERDOTIBVS VNIVERSIS perutile ac necessarium.

AVCTORE

R. P. D. IOANNE BAPTISTA DE RVBEIS Genuense, Clerico Reg. Congreg. Somaschæ.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

Collegij ll. [illegible] et Carol. Romæ.

VENETIIS, MDCXXVIII.

Apud Ioannem Guerilium.

SACRÆ PONTIFICIÆQVE MAIESTATI SANCTISS. D. D. PP. VRBANI VIII.

VANTI *Interſit communi omnium ſaluti conſulere, his verbis expreſſit Apoſt.* 1. Corint. 10. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. *Et de ſeipſo loquens, paucis interiectis.* Non quæro, *inquit*, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis. *His excitatus documentis B. P. duo quæ mihi minuta a Deo conceſſa ſunt in Domini Gazophilatium vna cum laudata paupercula mittere cupiens, quæcunque ad diuina pertinent officia collegi, in vnumque adduxi: opus ſane tum legentibus, tum præſertim Sacerdotibus cunctis fructuoſum, immo neceſſarium. Idipſum autem inornatum licet, & impolitum, tibi tamen B. P. (quia ad Pontifices ſpectat, & pontificia pontificibus ſunt offerenda) non ingratum, aut iniucundum futurum exiſtimaui. Debebatur tibi Principi non tam hominum, quam literarum: Deus autem Optimus Max. Sanctitatem tuam diutiſſime ſeruet incolumem, actioneſque tuas omnes, cogitationeſque ſanctiſſimas ſemper fortunet.*

S. M. T.

Minimus Seru.

Io. Baptiſta Rubeus. C. R. S.

D. MAVRITIVS DE DOMIS
PRÆPOSITVS GENERALIS
Cler. Reg. Congreg. Somaschæ, & Doctrinæ Christianæ in Gallia.

R. P. D. IO. BAPTISTÆ DE RVBEIS SACERDOTI Professo nostræ Congregationis.

SALVTEM IN DOMINO.

Opus à Reuer. tua compositum, cui titulus est. Nouum Rationale Diuinorum officiorum, &c. cū sicut accepimus à viris doctis qui illud recognouerunt, dignum sit quod imprimatur, tenore præsentium facultatem tibi facimus illud imprimendi seruatis seruandis &c.

Datum Mediolani die 22. Nouembris 1624.

D. Mauritius de Domis Præpositus Generalis.

CLERICIS OMNIBVS PIISQVE
LECTORIBVS VNIVERSIS.



TSI intellectus vires ad cæremoniarum mysteria explicanda (omnibus sanè clericis necessaria scitu) sint imbecilles, & infirme: attamen animaduertens quantum hodie in obliuionem veniant, visum est mihi in vnum earum explicationes colligere, vt pluribus libris non adeò intentus lector sitim suam paucioribus explere possit: præcipueque cum *Ego non venerim in sublimitate sermonis; aut sapientiæ annuncians vobis ea, quæ sunt Christi*. 1. *Cor*. 2. Quapropter (cognita operis necessitate) mihi liceat illud vsurpare verbum. *Iosu*. 1. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt custodias, & facias omnia quæcunque scripta sunt in eo*. Et si quid boni ibidem inuentum fuerit (dimissis condonatisque multis ex absentia nostra defectibus, inscitia compositorum, propria percipere Chyrographa non valentium) ipsi Christo laus attribuatur, qui sic ore affatus est proprio. *Matth*. 11. *Confiteor tibi pater domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti e paruulis* ego sum: qui vna cum propheta cantabo, *Psal*. 25. *Benedicam dominum, qui tribuit mihi intellectum* nunquam tamen. S. R. E. contrarium, incudini cuius in omnibus me semper, & in æternum submittam.

Valete.

INDEX CAPITVLORVM OMNIVM.

LIBRI PRIMI CAPITA.

De

LIBRI SECVNDI CAPITA.

LIBRI TERTII CAPITA.

Index Capitulorum omnium Finis.

ERRATA EX ABSENTIA AVCTORIS;

puncta, & virgulæ, & alia errata, relinquuntur iudicio lectoris.

Numerus Primus significat fol. Secundus columnam, Tertius lineam.

29 41. Quod pulchri sunt, lege Quam pulchri sunt. 41.1.25. incitio lege intinctio. 45.1.12. Delectu lege delectum 49.1.33. Istorum autem effectum, lege effectuum. 52.1.45. Quod cum vel, lege, quod cum exorcizantur vel &c. 2.18. Quia sacramenta, lege quin sacramenta. 55. 2.21. Seu vita, lege seu vitta. 56 2.13. Suscipiens ordine, lege suscipiens ordinem. 60 1.1. In signum vnius, lege, in signum cuius. 71.2 43 Pecies, lege species. 10. Medic, lege medico. 76.1.8. Conseruataram, lege consecratum. 80.1.15. Castello lege castello. 22. Redemptæ, lege redempti. 83. 2.20. Ingredierent, lege ingrederentur. 87.2.1. Idest, lege ... de pœnis, & remiss. 4. Factum lege facta. 89.1.2 Creatæ, lege Cretæ. 2.6. Filius, lege filium 95.1.1 Saltum, lege saltum. 98.1.14. Ad Heber, lege ab Heber. 101 5 Thesaurus, lege Thesaurarius. 2 31. Stephanus, idest lege Stephanus. 139. vilissimi, lege vilissimus. 108.2.46. Viuant, lege viuunt. 1 25. Et psalmus, lege & psalmos. 134 2. vt mulierem, lege, vt mulieri, & non vel muliere 141.2 47. Nicaronem, lege Nicanorem. 160.1.26. Suenti, lege mutilati. 173.1.14. Episcopis, lege episcopus. 174 2 8 Deest sobrium. 175.2.34. Epistola idest, lege epistola, I. 188.1.3 Missum, lege missam 2.26. Ad illis, lege ad illos 190 2.32. Ipsas, lege ipsos. 194.2.34. Predat, lege perdat. 195 2.28. Galeris, lege galerus. 196.1.25. Significabat, lege significat. 28. Archiepiscopos, lege Archiepiscopus. 197.1.21. Primatas, lege primatus. 205.1.29. Deditas, lege deditæ. 206.2.20. Romanos, lege Romanus 211 2.23. Habeans, lege Trabeant. 220 1 25. Illicito, lege licito. 225.2.29. Pirupisti, lege Dirupisti. 227.1.36. Mysticam, lege mystica. 230 2.22. Venientes, lege venient. 231.1.37 Vites, lege mites. 232.2.43. Planetum lege planetam. 238.2.23. Cedaris, lege cidaris. 251 1 14. Armis, lege annis. 2.24. Enthechen, lege Eutichen. 252.1.6. Patrum lege patrum testimonia. 259.1.26. Ab, lege ad. 265. 2.26. Significationem, lege significationum. 266.1.26. Secunda, lege secundo. 273.2.11. Egebat, lege agebat. 32. Aliquas, lege aliquos. 274 1.26. Rigidancos, lege rigidissimos. 276.2.25. Celotipie, lege Zelotipiæ. 299 1.36. Pro lege per. 42. Dæmonum, lege dæmonem. 281.1.16. Plaltis, lege mappis. 2.6. Dominus, lege domini 285 2 18. Anima, lege animam. 296.2.28. Nostra, lege terra. 298 29. Christi vox, lege Christo natiuo ... 298 1.21. Requiem, lege requiescit. 305.1.24. Euangelij, lege euangelio. 306.2.35. Suas, lege suo. 309 2 4 Iob. lege Tob. 324.1.44. Internus, lege infernus. 338.1.18. Duab. lege duob. 2.8 Significat, lege signat. 343 2. vlt. Condicto, lege condicto. 347.1.41. Sensum, lege sensu, 27. Aquam? lege aqua? 407.1.11 Mensa, lege immensa, 424.1. vlt. Mensibus, lege mersibus. 428 1.4. Vinum, lege vinum. 431.1 47. Negationum, lege rogationum. 441.1.14. Et præcibus, lege vt præcibus. 2.1. Facit, lege fecit 443.1. penult. Orationem saltam, lege orationem facta. 445.2.33. Textura, lege textum. 450.1.28. Dicitur vinum, lege Dicit vinum. 2.37. Consumendi, lege sumendi. 452. 1 26 mundi, lege mundis. 455 2.40 Non, lege non 462. 1.23 Tectum, lege testum. 454 1.36. Saluum, lege saltem. 478.1.31. Cessantis, lege cessantibus. 484 2.4 Ipsemet, lege ipsimet. 486.2.21. In Missa, lege immissa. 494.1 20. Puram & sanctam, lege pura, & Sancta. 496.2 40 Rel quæ, lege requie 33. Cornu, lege cornu, dextrum. 499.2.18. Videtur, lege noster. 502. 1.6. Ex inuento, lege ex inuncto. 25. Publici, lege publice 509 1.14. Io. Andreas, lege Andream. 504. cap. De officij partione, lege partitione. 507.2.1. Petra lege Petro. 508 2.5 Tempus obscurum, lege tempus fuit obscurum. 509.2. vlt. Damassus, lege Damasus. 510.1.4. Damasij, lege Damasci. 512.1 44 Præmium, lege præmium. 513. 1.38. Responder, lege respondent. 514.1. Quod vnatantum, lege quod vna tantum sint. 519.1.26. Deus, lege Decs, 2.38. Demorandum, lege denotandum. 521.1.30. Pro vespertini, lege & vespertini. 2.4. publicari, lege publicani. 24. Et stat, lege extat. 524.1. vlt. Senatus, lege senarius. 525.33. Sanctorum, lege Sanctarum. 529. 1.27 Quarta, lege quare. 35.2.15. His vlus, lege Is vlus. 539.1. 10. Docte, lege, necte. 31. Ratione, lege oratio. 2.47. Proficiunt, lege perficiunt. 545.1 46. Implens, lege implem. 546.2.19. Christianus, lege christianos 548.2.14. Missus, lege missas. 549. 1.3. Vnum, lege vnus. 551.1.20. Illas lege illos. 558.2.28. Iudæas, lege Iudæos. 559 1.37. Noctens, lege nectem. 563.2.9. Domi, lege domi. 566.1.36. Perfectum, lege profectum. 600.1.2. Sauet, lege sanet. 16. Cantent, lege cantant. 35. Quirque, lege quandoque. 2.35. alios, lege alias. 605.2.43 Canti, lege Capi. 608.2.51. Attentatione, lege attentione. 610. 1.19. Illi lege illic. 612.2.35. Quiquam, lege quicquam. 614.2.42. Propter, lege propterea. 2.4. Releuandus, lege releuandos. 15. Vide, lege vidi.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

B

C

Cho-

Com-

Cru-

 quid

Mani-

N

O

Sacer-

Semi-

Thu-

FINIS INDEX RERVM NOTABILIVM.

NOVVM RATIONALE DIVINORVM OFFICIORVM,

Auctore

D. IO. BAPTISTA RVBEO GENVENSE Congregationis Somaschæ.

DE ECCLESIA. Cap. I.

Ecclesiarum alia est corporalis, alia spiritualis. Corporalis est illa, in qua celebrantur diuina, de qua Felix IV. epistola 1. cap. 1. ita ait. De Ecclesiarum consecratione, & de missarum celebrationibus non alicubi, quam sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debet. Sanctus verò Clemens Martyr epistol. 3. dicit. Hic ergo, hoc est in presenti vita positos, oportet vos agnoscere voluntatem Dei, vbi, & agendi, & sacrificandi est locus: quoniã in alijs locis sacrificare, & missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius iusserit. Hæc Apostoli a Domino acceperunt, & nobis tradiderũt. Felix idem IV. ibidem loco citato, inquit: non in alijs locis, quam in domibus sacratis ab Episcopis, missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus. Et hoc non in domibus, quia in sacris Canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt: sed in Tabernaculis, diuinis precibus à Pontificibus dicatis; & in mensis Domino sacratis, & sacra vntione a Pontificibus delibutis. Vnde malè agunt secundum Chrysost. sententiam, qui in domibus suis celebrare faciunt; nam ait ipse in homil. de Sancto Philogonio: Christus de cęlo in terrã venit vt nos visitaret: hodie mulierculæ nolunt facere quattuor passus ad ecclesiam vt videant Creatorem, & Redemptorem suum: quam escusationem habebunt? exciperem ego tamen hac auctoritate prelatos, quorum domus tota debet esse orationis locus: & Reges, ac Principes vt facilius possint pauperibus audientiam præbere, quod est religionis officium: denique orare melius est in publico cũ alijs hominibus in Ecclesia, quam in priuato loco 41. dist. parsimoniam. Et sicut non alij, quam sacrati Do-

mino sacerdotes debent missas cantare, & sacrificia super altare offerre: sic nec in alijs quam in præfatis locis missas cantare, aut sacrificia offerre licebit. Hoc idem confirmarũt Cõcilia. Vnde Concil. Maguntinen. 2. ait cap. 9. Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Hi omnes loquuntur de ecclesia materiali. Nec est recens Ecclesiarum vsus, sed ab Apostolis introductus, nam & Apostolus apud Cor. dicit Ecclesiã fuisse dicatam, in qua omnes conuenire, & manducare Dominicam Cęnã poterant, in Antiochia Sanctus Petrus ędificauit Ecclesiam illam domum quam dedit illi Theophilus, vt ait Clemens lib. 10. recognitionum. Et Nicepho. lib. 2. cap. 35. item Sanctus Andreas apud Constantinop. ædificauit & ipse Ecclesiam; vt refert idẽ Niceph. ibidem cap. 39. Thomas in India vt idem, ibidem cap. 40. & S. Fillipus, & Sanctus Bartolomęus in Syria, ibidem cap. 41. Item & alij hoc fecerunt, vt refert Abdias lib. 6. Histor. Apostolicæ: vt de Sanct. Simone, & Iuda autumnat. In hac autem Ecclesia orandum est, quia ad hoc est inuenta, vnde Psalm. 28. In Ecclesijs benedicite Domino de fontibus Israel: & alibi. Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psal. 94. alioquin frustra tanto studio, tantoque dispendio templum Domini fieret nisi gratiùs in eo adorari acceptaret. Vnde Salomon in templo constructo & dedicato orauit ad Dominum, vt quicunque illud ascenderet pro peccatis suis, vel pro quacunque tribulatione, clamans ad Dominum, in his, quę iustè postularet, exaudiretur, quam orationis formam sequitur Ecclesia in oratione quam recitat in dedicationẽ Ecclesię. Adsistunt enim Angeli ibi adorantibus, vt deuotas eorum orationes Dominum offerãt, secundùm illud Psal. 135 In cõspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum ad confitendum nomini tuo Domine. Requiescunt etiam ibi sanctorum reliquiæ, quæ nobis deuotè Deum adorantibus suis assequuntur precibus, quod nos meritis nostris non valemus: immo ad adorandum Deũ fuit necessarium Ecclesias inuenire, capiẽdo tamen necessarium (vt ait Nider in præceptorio suo cap. 13.) pro congruo. i. congruum fuit ad Deum adorandum Ecclesias inuenire, & hoc propter tria. Primò; si non esset aliquis locus deputatus orationi, tũc nesciretur vtrum homines orarent, vel non, & multi orare omitterent; & licet, orationes (vt diximus, & amplius dicetur) possint fieri in omni loco, nihilominus fructuosiùs in Ecclesia effundũtur. Secundò; quia vadens ad locum orandi plus laborando amplius meretur; Tertiò; vt orationis locus ad orandum excitet & moueat tam orantem, quàm videntes orare: sicut locus comedendi excitat appetitum cibi, & mensale ad idem, & comedentes incitant alios ad comedendum, similiter dicẽdum est de orantibus in Ecclesijs. Hæc ille. exemplum tibi sint loca montuosa vbi Ecclesiæ non reperiuntur, atqui homines rarò, vel nunquam in domibus suis orant, nec missas, nisi fortè semel in Paschate (vt ego vidi, & audiui) intersunt, in Plateis verò, & in publico more Pharisæorum orare, a Domino prohibemur. Quod autem Apost. 1. Tim. 2. ait: volo vos orare in omni loco, leuantes puras manus, sine ira, & disceptatione, ad internam pertinet orationem, & non ad externam quæ fit in Templo.

Notatione hic dignũ est quod hęc Templa,

Templa, seu loca sanctorum possunt aliquando transmutari vt patet de consec. distint. 1. quod quando fit, hoc contingit quatuor de causis; prima cùm necessitas persequutorum loca eorum grauauerint. Secunda, cùm difficultas locorum fuerit, vt pro aeris intemperie 74. distint. quorundam malorum. Tertia, cùm malorum societate grauātur: nam propter malitiam populi transfertur sedes. 25. q. 2. Ita nos, propter malitiā enim populi Episcopus renuntiat dignitati. Extra. de renunt. nisi vers. propter malitiā plebis. Quarta causa est, scilicet causa meliorationis 16. q. 7. cap. 41. si quis vult.

Hæc autē Ecclesia materialis pluribus nominibus decoratur. Quandoque dicitur Tabernaculū, de consec. distint. 4. cap. nequaquam: vt etiam supra dixit Felix Papa 4. Quādoque dicitur templum, quasi tectū amplum, in quo Regi Deo sacrificia offeruntur. 26. quæst. 9. sed illud. Quandoque Basilica, Latinè Regia, quia ibi regi Deo seruimus. Et quandoque oratorium, quia ibi orare debemus. Oratorium autem non consecratur, quia non ad celebrandum, sed ad orandum ædificatur. de consec. distin. 1. Vnicuique fidelium, ibi non licet ministrare sacramenta, nisi de consensu Episcopi. ead. dist. clericos. Secus faciens debet deponi. Tamen quilibet locus orationi dicatus Oratorium dici potest. Nonnulli etiam dicūt, quod vocatur etiam cęnobium, sed hoc potius spectat ad loca religiosorum vbi vita communis ducitur. Cinos Græcæ, Latinè cōmunis, & vios, vita. Si verò dicatur sacellum, est, quia est locus paruus Deo sacratus.

Forma autem Ecclesiæ debet esse oblunga, & Orientem versus: ita Clemens lib. 2. constitut. Apostolic. cap. 507. ita Sancti Apostoli qui nutu spiritus Sancti, Ecclesiastica ordine disponebant. Oblongas esse debere Ecclesias atque amplissimas innuit D. Bernar. in Apologet. suo ad Abbatem Cluniacensem. Dum verò in modum nauis iubentur extrui, monemur nos in mundo versari tanquam in mari, quod vi ventorum agitari atque turbari solet, nec aliter quam in naui Ecclesiæ tuto traijci potest. Ea vero in altum sæculi ita natat, ait Ambros. serm. 11. de mirabilibus, vt pereunte mundo omnes quos suscipit seruet illæsos. Ecclesiā nauem appellant S. Clemens epist. 1. Iacobum fratrem Domini, & Anacletus. Epist. 1. de oppressione Episcoporum.

Fuit autē traditum ab Apostolis eodē Clemente auctore, ædes sacras cōstrui Orientē versus. A quibus itē precandi ad Orientem traditionem acceptam testantur Iustinus martyr. Athanasius, Basilius, Augustinus, Damasus & alij complures. Sanctus Athanasius de plurimis & necessarijs quæstionibus quæst. 14. quærit: cur Christiani adorent ad mundi plagā Orientalem, Iudæi vero Austrum versus: tandem respondet, ideo fideles adorare ad Orientem quia spiritus sanctus per Dauidē prophetā pręcepit Psal. 131. Adoremus ad locū vbi steterūt pedes Domini. Quod si Iudæus obijciat, vbi steterunt pedes Domini? Zach. propheta cap. 14. ita docet cùm ait: In Oriente pedes Domini stabunt in monte oliuarum è regione Ierusalem. Et paulo post: Non ideo adoramus Dominum ad Orientem quod in ea parte mundi Deus aliquo modo circumscriptus habitet, sed quia Deus lux est vera &c. Et ad finem responsionis: Audiant verò fideles, & discant quod Sancti Apostoli Christianorum Ecclesias ideo iusserunt, Orientem versus suas fundere preces, vt ad paradisum,

difum, vnde cecideramus respicientes, suppliciter a Deo petamus, & a nostro Domino, vt in antiquam nos patriam & locum vnde cecidimus restituere velit.

Vnde nonnulli conijciunt in Ecclesijs Christi Crucifixi imaginem, quę super trabem ponitur, Occidentem respicere, vt cùm primum in ędes sacras accedimus, oculis nostris oppositam Crucifixi effigiem, proni facie ad ipsam conuersa, Christum Orientem versus adoremus. Vnde Pacatus in panegirico, ait: In eam cæli plagam conuertimus, a qua lucis exordium est. Quòd vero templũ Domini non erat Orientem versus, Dominus ita pręcepit ad arcendam idololatriam, quia gentes solē Orientem adorabant, ait D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 3. ad 5. Vnde Anastasius Nicenus quæst. 8. in Scripturam: conuersum inquit, erat templum Salomonis non ad Orientem, ne precantes solem orientem adorarent, se Dominum solis: tum quia tabernaculum ordinabatur ad significandum mortem Christi, quæ per occasum indicatur. Vnde Ps. 67. qui ascendit super occasum, Dominus nomē illi.

Idē S. Clem. li. 2. ibid. c. 57. ait laici sedeāt in Ecclesia cum omni quiete & ordine. Mulieres quoque separatim sedeant. Idem S. August. 3. de Ciu. ca. 28. Rursus inter mulieres in ecclesia, virgines separentur a corruptis. S. Clem. dicto cap. Hoc fit Genuæ. Virgines. n. fine matribus adire Basylicas martyrum & ecclesias prohibet. S. Hieron. epistola ad Letam de institutione Filiæ.

Spiritualis autem Ecclesia est fidelium collectio. de consecration. distinction. 1. de qua dicitur Numer. 20. Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, &c. & 3. Reg. 8. omnis autem ecclesia Israel stabat. & Ps. 21. In medio ecclesiæ laudabo te. & Matt. 16. & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ibidem. Si te non audierit dic Ecclesiæ. Num forsan lapidibus? nequaquam, sed prælatis. Et ad Rom. 16. salutāt vos omnes Ecclesiæ Asiæ. Et 1. Pet. 5. salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta. Sicut enim corporalis ex congregatis lapidibus construitur: sic & spiritualis ex diuersis congregatur hominibus.

Ecclesia vox Gręca est, Latinè multitudinem, cætum aut conuentum significat: multitudinem dico non omnem sed conuenientem & conciliatam in vnam aliquam societatem. Et licet variæ sint formę humanarũ societatum, & varia item illorum nomina: vbi tamen homines inter se conueniunt ad finem supernaturalem assequendum & habendum in fide & cultu Dei, ac religionis, & spe salutis inde adipiscendę, eiusmodi hominum societas apud scriptores ecclesiasticos Ecclesia solet appellari. Ergo Ecclesia est communitas, siue collectio Christi fidelium ordinata ad finem supernaturalem. Sic ait Torquemada lib. 1. de Ecclesia c. 1. Hæc etiam Ecclesia spiritualis varijs modis dici solet: vel pro vniuersitate Christianorum, vel pro vniuersitate vnius nationis, aut Prouinciæ, vt patet ex locis citatis: vel pro Episcopis, aut Præsidentibus Ecclesiæ: vel pro Clericis, & Ecclesiasticis Viris; & interdum dicitur Ecclesia impiorum, & malignantium, & Ecclesiæ Sathanæ, iuxta illud Psal. 25. Odiui Ecclesiā malignantium. Nos tamen de hac non habebimus sermonem.

Hanc autem Ecclesiam nostram spiritualem (ut iuxta Nicenam professionem credimus) vnam esse, sanctam, & Catholicam, & Apostolicā firmiter asserimus. Vna est, iuxta id Cant. 6. Vna, est Columba mea, perfe-

perfecta mea, vna est matris suæ. Et sicut Agar & Ismael figurarunt carnales ueteri testamenti; sic Cetura & filij eius hæreticos, qui se dicuntur ad nouum pertinere: sed Ecclesia, quę per Saram designatur vna remanet tanquam vxor & sponsa, patris nostri Abrahæ idest Christi: & aliæ nominantur concubinæ.

Hæc eadem Ecclesia cõstat ex omnibus fidelibus, non solum presentibus, verum etiam præteritis, & futuris: alioqui tot fingeremus Ecclesias, quot secula extiterunt, & erunt. Vnitas autem Ecclesiæ consistit in multis vnitate capitis, fidei, sacramentorum, spei, caritatis, spiritus viuificantis, beatitudinis, & Rectoris ac Pontificis præsidentis. Quorum pleraque complectitur Apostolus in epistola ad Ephes. 1. dicens. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestrę. Vnus Dominus, una fides, vnum Baptisma. Hæc quidem via est certissima, qua Ecclesia Catholica discernitur ab Hæreticorum conuenticulis: eadem enim vnica est & in vnitate consistit. Sectas vero Hæreticorum varias, & dispersas, & sibi semper constat esse contrarias, ait Chrys. 12. 1. ad Corinth.

Sãcta dicitur Ecclesia, quia a Spiritu sancto santificata: quia munda a corruptione: quia firmata lege diuina: quia Christi sanguine respersa: quia cultui veri Dei dedicata: quia sancta est in votis, in sacrificijs, in ministerijs, in cærimonijs, & obseruationibus: quia virtutibus, gratijs, & spiritualibus bonis, ditis, & fæcũda est: quia optimis, iustissimis, & santissimis legibus gubernatur, & regitur, quia scientia sanctorum habet, & notitiam diuinitatis: quia sacramenta habet, quibus homines sanctificantur. Demum sancta dicitur, & rectè, quia est columna, & firmamentum veritatis, & corpus Christi, qui caput eius est, Ephes. 1. & 1. Timot. 3. Torq. ibidem.

Catholica idest vniuersalis dicitur ecclesia, quia a nullo certo loco, nulla regione, aut Patria, aut gente, natione, aut populo, nullo denique tẽpore conclusa, aut circumscripta est: sed generaliter extendens palmites suos in Orbẽ vniuersum, in tempora quælibet præterita, prę sentia, & futura, secundùm seriem successionis nascentiũ, & descendentiũ cõtinuata, sub vno Duce inuisibili Deo, in vnitate fidei, & religionis: est ergo Catholica, quia toto Orbe diffusa: quia vsque in finem seculi permanebit: quia ex omni gente, natione & populo; quia ex omni sexu, & cõditione constat: quia generalem doctrinam habet uisibilium & inuisibilium, cęlestium, & terrestrium; quia habet precepta vniuersalia: vltimò quia omnia peccata relaxat, Isid. lib. 1. de offic. Eccl. cap. 1. Michael Medina lib. 5. de recta in Deũ intentionem cap. 13.

Apostolica quoque dicitur Ecclesia, multis de causis. Primo, quia in Apostolis initium habuit, secundùm tempus gratię reuelatę. Ad hoc quia superædificata est ab Apostolis, dicente Paulo Ephes. 2. superædificati estis super fundamẽtum Apostolorũ; Deinde quia Apostolorum fidem, prædicationem, documenta, & auctoritatem retinet, & obseruat. Prætereà quia religionis ritus, & institutiones, obseruationes, atque traditiones Apostolicas habet, atque custodit. Post hæc Apostolica dicitur, quia ad exemplum cælestis Ierusalem effigiata, & ordinata est. Demum Apostolica rectè nominatur, quia Cathedram habet Apostolicam, quam Deus esse voluit in Ecclesia, quæ ab Apostolis Petro, & Paulo glorioso martirio consecrata est.

ta est. Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ art. 63. in fi. & Torq. lib. 1. capit. 18. ibid.

Incepit autem Ecclesia à primis illis parentibus humani generis, qui post diuini præcepti præuaricationẽ a Deo spem veniæ acceperunt in sanguine mediatoris Christi Iesu, mediatoris Dei, & hominum, pro salute humani generis offerendi: in qua fide qui conuenerunt, ad hanc Ecclesiam pertinuisse dicuntur. Et hæc nostra Catholica, & Apostolica Christi Ecclesia: nec alia est ab illa veteri, sed & hæc, & illa veluti quędam ciuitas magna fundata est super Christum, quem Patres expectarunt, Prophetæ prædixerunt, & Apostoli aduenisse prędicarunt; Ioannes verò demõstrauit pręsentem, Aug. lib. 10. de ciuit. cap. 25. Hæc est ergo illa vniuersalis Ecclesia mater Christianorum verissima; extra quã nullus homo potest saluari. Vnde Cyprianus tractatu de simplicitate Prelatorũ verè atque eleganter scripsit. Quisquis ab ecclesia segregatur adulterę iũgitur, a promissis Ecclesię separatur, nec pertinet ad Christi præmia. Qui relinquit ecclesiã Christi alienus est, profanus est, hostis est; habere iam non potest Deum patrem, qui ecclesiam nõ habet matrem. Sicut non potuit euadere mortem, qui extra arcam Noe fuit, sic qui extra Ecclesiam fuerit foris, non euadet mortem eternam. Quam sententiam Tertullianus quoque docuit de oratione, & Aug. ac reliqui Catholici omnes idipsum vno ore consentiunt: vt Epiphanius, & Chrys. sermone de Pentec. Nota secundum Aug. in lib. de fide Christiana, quod tria sunt quibus hæc Ecclesia per orbem diffusa regitur, & subsistit, scilicet, Scripturæ noui, & veteris testamenti, & traditio Patrum, & vniuersalis, & particularis institutio, vel consuetudo. Primis duobus modis vniuersaliter tota regitur Ecclesia: particulari verò institutione, vel consuetudine non tota, sed pro locorum varietate regitur, & gubernatur, prout vnicuique visum est, quia quælibet prouincia abundat in suo sensu, 76. dist. vtinam & extra de sepulturis cap. certificari. Romana autem Ecclesia obtinuit a Cõstantino hoc priuilegium, vt obtineret Principatum inter omnes Ecclesias, in quo priuilegio possessiones, & insignia dignitatis ei concessit, & hoc fecit eo tempore quo ipse ad partes Orientales se transtulit, cùm in eodem loco duo Pontifices non benè morarentur. Et statuit vt nullus cõtra hoc priuilegium veniret, & penam minatur contrafacientibus. distin. 50. cap. 14.

Hæreticorum Ecclesia nunquid est vna? nequaquam; est enim pluribus hęresibus scissa: Nunquid sancta? minimè. Quid enim sancti esse potest hæreticis violata fide? nũquid catholica? tantumdem. Quia vniuersalis non est: non tempore, non loco, non populo. Nunquid Apostolica? nec hoc quidem. Nam quid Apostolicum quęso habet? non cathedram, non successionem, non doctrinam, non traditionem vllam Apostolorum. Est ergo Lutheranorũ, & hæreticorum omnium Ecclesia, non sanctorum, sed malignantium: non vna, sed varia, & multiplex; nõ sancta, & pia, sed impia: non catholica, non apostolica, sed Sathanica, & apostatica. Vbi (animi gratia) nota quod hæreses ex multis causis nascuntur: & prima omnium hæresum causa est, immodicus amor sui. 2. Timot. 3. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes &c. Secũda, est gloriæ cupiditas: ita Greg. super 6. Iob, & Aug. in lib. de vtil. cred. ibi

ibi ex qua ficuti oritur pertinacia, ita & iudicij etiam fallaciam, Isa. 6 excę cauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde. & ad Ephes. 4. obscuratum est insipiens cor eorum, dicētes etiam se sapiētes stulti facti sunt. Tertia causa est, peculiaris alicuius vitij: inest enim singulis hominibus a natura pronitas quædam ad aliquod vitium, etsi non omnibus ad idem: nam, alius ambitione, alius auaritia, alius luxuria detinetur, vnde in eo ad quod procliuis est, facile labitur, vnde Cherintus, qui carnis delitias sperans, dixit habituras in illa promissa beatitudine. Quarta causa est assidua in libris Gentilium & Prophanorum hominum lectio, & hoc maximè si illis ab infantia, sine illa rerum discretione imbutus est, vnde Iere. 13. dicitur: si mutare potest Æthiops pellem suam, & Pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum. Tam enim efficax est consuetudo, vt transeat in naturam. Vnde ad Colos. 1. ait Apost. Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam. Et Tert. de præscri. hæret. ibi. ipsæ denique hæreses a Philosophia subordinantur; nō sunt tamen omnino tollendi libri Gentilium, quoniam in multis nos docere possumus, quorum cognitio, est admodum necessaria ad sacrorum librorum intelligentiam. Diffinitiones, & diuisiones habemus a Logica & Metaphisica, rerum causas, origines, & proprietates, ostendit Phisicus, ex quarum cognitione multa in scripturis abscondita nobis reuelantur. De Moise dicitur quod doctus fuerit in omni sapientia Ægyptiorū, Act. 7. August. libr. 2. doctr. Christiana cap. 28. Quinta causa hęresū est zelus, sed non secundùm Iustitiā, secundùm quam lapsus est Io. Hus: & Martinus Luther, qui zelo, & odio malæ vitæ Clericorum, & quorundam monacorum cæperunt debacchari in Clerum, in Pontificem Romanum, in Ecclesiasticos ordines, & in Monachos omnes, cui morbo aliter obuiandum erat, admonendus enim erat Clęrus atque corripiēdus, non tamen tollendus, malè quidem medetur, qui infirmum iugulat, etiā si de salute desperet: de quibus dicit Apost. ad Rom. 10. Testimonium. n. perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundùm scientiam; ignorantes enim Iustitiam Dei, & suam volentes statuere, Iustitiæ Dei non sunt subiecti: veri autem catholici zelū habent multo certè ardentiorem, tamen secundùm scientiam, quia cognoscentes Iustitiam Dei, & suam nequaquam quærentes statuere, iustitiæ Dei subijciūtur, quæ non permittit minus malum per quoddam aliud maius tolli. Sexta causa est, Pręlatorum negligentia: munus enim Prælatorum est vigilare super gregem sibi commissum, ne scilicet aliquid superueniat, quod gregi possit nocere: vnde cùm Christus verus, & bonus omnium Pastor nascitur (dicit Lucas 2. cap.) quod Pastores erant in regione eadem vigilātes &c. Et Paulus Act. 20. ait: attendite vobis & gregi vestro, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei: vnde Mat. 13. dicitur: Dum dormirent homines inimicus homo superseminauit zizania in medio Tritici. Septima causa est defectus prædicationis verbi Dei, quod enim populus careat prædicatione verbi Dei, culpa est Prælatorū, quibus dicit Mat. vlt. prędicate Euangeliū omni creaturæ. Et 1. Pet. 5. Pascite qui in vobis est gregem. Vnde Tren. 4. dicitur Paruuli petierunt panem, & nō erat qui frangeret eis. Octaua causa est,

sacrarum scripturarum in linguam maternam seu vulgarem translatio, vnde euenit, vt ab hominibus sine vllo personarum discrimine legantur: hæreses enim nunquam ex sacris litteris, sed ex illarum peruersa intelligentia oritur. Vnde 2. Pet. 3. loquens de epistolis Pauli dixit: in quibus sunt quædam difficilia quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem: & de his loquēs Paulus. 1. Tim. 1. dicit, eos non intelligere, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant; qualiter autem vulgus sciet cognoscere parabolas? Qualiter aptabit similitudines? qualiter distinguet figuras locutionis? qualiter rerum proprietates cōsiderabit? quo pacto sciet conferre præcedētia sequētibus, & media vtriusque? Nona causa hæresis est indiferens prædicatio verbi Dei per quoscunque sine vllo discrimine, & sine vlla examinatione: nam cum duo sint maxime necessaria ad prædicandum, bonitas scilicet, & doctrina, multi sunt prædicatores quibus horum alterum deest, multi quibus deest vtrunque: est enim valde necessaria in Prædicatore doctrina, cùm ad hoc tendere debeat; nempe docere populū. Nec sat est quod sit doctus, sed requiritur etiam quod sit bonus, cum sępè, sint potentiora exempla, quam verba. Saluator enim prius cæpit facere, deinde docere. Act. 1. & Dauid Psal. 50. petijt prius dari sibi, spiritum rectum, sanctum, & principalem, postea ait. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Nam vt Greg. ait: cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio cōtemnatur. Decima hæresum causa est multorum Episcoporum, & aliorum sacerdotum indignitas, vt etiā suarum animarum curam non habeant: nam Eccles. 14. Qui sibi nequam est, cui vnquam bonus erit? vnde Paulus ad Tit. 1. Oportet Episcopum sine crimine esse; & Mat. 15. si cæcus cæco ducatum præstat ambo in foueam cadunt. Et Ierem. 10. quia stultè egerunt Pastores, & Dominū non quæsierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est. Et Eccles. 10. Rex insipiens, perdet populum suum. Vndecima, & vltima causa, ex qua oritur hæresis est superbia, auaritia, & luxuria. De superbis dicitur Rom. 1. obscuratum est cor insipiens eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. De auaritia dicitur 1. Tim. 6. qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & nociua quæ mergunt hominem in interitū, & perditionem. Radix enim omniū malorum est cupiditas, quam quidam appetētes errauerūt a fide, &c. De luxuria dicitur Eccles. 19. vinū, & mulieres appostatare faciunt sapientes. Abeant ergo post adinuentiones suas isti praui seductores. Hoc ergo nomen Ecclesia, magis conuenit spirituali quam materiali; quia homines & non lapides conuocantur, vt nomen importat in hoc loco.

Decoratur etiam & hæc Ecclesia spiritualis pluribus nominibus. Quādoque dicitur sponsa, quam Christus sibi in fide desponsauit. Vocatur autem sponsa Christi & nō vxor, quia adhuc per delictum potest separari ab ipso (non tota sed in partibus) sicut sponsa à sponso ante consumatum matrimonium, sed in futuro sæculo dicetur vxor, quæ modo sponsa dicitur 7. q. 1. sicut vir. Et Christus dicitur sponsus quia quotidie vocat bonos, & malos ad nuptias suas per Baptismum, & Pęnitentiam. Item aliquando comparat se Ecclesia sponso, propter Prælatos, & Viros perfectos: sponsæ verò propter

pter proficientes, & subditos. Hæc ecclesia est illa, de qua dicitur, Astitit regina a dextris tuis. i. ante Christum: & stat a dextris non à sinistris, vt sinagoga, quæ ad temporalia respiciebat signata per sinistram. Sed ecclesia in spiritualibus precipuè se exercet, quæ significatur per dexterã. A dextris stat superna contemplans relinquens terrena. Quãdoque dicitur Sió: eo quod ab hac peregrinatione longè posita promissionem rerum Cælestium speculatur, & ideo Sion, idest, speculatio nomen accepit. Pro futura verò patria Ierusalem interpretatur: nam Ierusalem interpretatur visio pacis. Quandoque dicitur Vidua, vel nigra, quia propter pressuras nigrescit, & vt Rachel non consolatur; vel dicitur vidua ratione absentibilitatis sui spõsi, quia Christo sponso suo mortuo in Cruce, demum etsi ressurrexerit, tamen in cælum ascendit, & permanet præsentia corporali. Aliquando dicitur Virgo ratione integritatis fidei, & sanctæ conuersationis, quia in nullo vitio corrupta. Quandoque figuratur meretrix propter ecclesiam de gentibus congregatam, & quia nulli claudit gremium reddeunti ad se; vel dicitur meretrix dum vitijs seruit: beneficijs Dei abutens, ostendendo turpitudinem suam idest vitia. Quandoq; ciuitas propter communionem sanctorum ciuium, murata propter munitionem scripturarum, quibus arcentur hæretici. Demum dicitur mater, quia quotidie in Baptismo spirituales Deo filios parit; 9. qu. 1 2. qui abstulerit, & quicquid Synagoga accepit per legem, hoc nunc accepit a Christo sponso, Ecclesia. Quandoque vocatur vinea, in qua sunt palmites profferẽtes vuas, & qui producunt labruscas. Matt. 21. vocatur area, in qua sicut est Triticum, ita sunt & Paleæ. Aptè figuratur vinea multiplici de causa secundùm Vg. Card. super Psal. & prima est propter ligni absciſſi inutilitatem, non enim est vtile lignum vitis abscissum nisi ad combustionem. Sic homo ab ecclesia separatus numero, vel merito. Vnde Christus Io. 15. ego sum vitis, si quis in me non manserit .s. vnitus per charitatem, per quam quis merito est in vinea ecclesiæ, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & in ignem mittetur, & ardet. Secunda ratio est propter fructus suauitatem, sola enim vinea vinum habet, quod lætificat cor hominis, & confortat. Sic sola ecclesia habet vinum doctrinæ salutaris animam lætificantis & confortantis. Tertia ratio est, quia sicut pinguedine debilitatur vinum & luxuriatur vinea, idest superfluos producit palmites: sic in ecclesia ex abundantia temporalium, nascitur luxuria in palmitibus, idest clericis & laicis, & ex hoc insipidatur, & insipidum fit vinum, idest doctrina ecclesiæ, vt de eo dici valeat illud Isaię 1. vinum tuum mixtum est acqua, idest, carnali voluptate insipidum factum. Et propter hoc Dominus visitat ipsam vineam sæpè abscindendo palmites, idest, superfluitates temporalium per varias afflictiones vt magis fructificet. Vinea etiam radicata inter prata, & in eminẽti loco in radio solis melius facit vinum. Sic illi de ecclesia qui sunt fundati, & radicati in duritia penitẽtiæ, in eminentia vitæ contemplatiuę, in feruore dilectionis, & beneuolentiæ melius docent, & operantur. Vocatur ager in quo cum tritico crescũt & zizania. Est & sagena, in qua congregantur boni & mali pisces: Matt. 13. comparatur gregi, in quo sunt hædi, & oues, & arietes, & hirci. 1. Pet. 5. comparatur domui, in qua sunt vasa aurea, & argentea, similiter & lignea, ac fictilia, quędam in honorem, quædam vero in cõtumeliam. 2. Tim. 2. comparatur decem virginibus, quarum quinque sunt fatuę, quinque verò prudentes. Matt. 25. quod verò ecclesia gaudeat priuilegio illo, vt ad il-

Iam confugientes non possint capi à satellitibus criminalibus, puto sumptum ex illo loco, quod Christus noluit capi a militibus in loco, vbi fecerat cœnam agni, quem ipsum iam cõsecrarat celebrando illam primã missam, ac ibidem instituisse Eucharistiæ Sacramentum. Hoc potest deduci ex Origene super Matt. cap. 26. vbi ait. Non enim conueniebat vt ibi caperetur, vbi cum discipulis manducauerat pascha. Similiter nec voluit capi in templo, ne pollueretur, sed transiens per medium illorum ibat. vel propter immunitatem ecclesię matris nostræ, quæ secundùm Apostolum libera est. Galat. 4.

Potest hic quæri cur reconcilietur ecclesia aut cæmiterium? Resp. Reconciliatur ecclesia aut cæmiterium ob seminis effusionem peccandi libidine factã. Itidem ob enormem sanguinis effusionem, dedita opera violẽter, & ingiuriosè commissam, ac ab alijs quibusdam de causis; qui mos, ex Leuitico cap. 14. in suam originem trahit. Fit autem hæc reconciliatio, non quod templum re vera polluatur. Ecclesia enim cùm sancta sit, coinquinari non potest, imò ipsius loci sanctitas infamiam loci aborret; sed cum Templum locus sit, vbi delictorum venia postulatur, vbi salutaris Hostia pro peccatis immolatur, vbi Deo laudes exoluuntur, vbi tutela refugij esse debet, fit, vt scandalum, horror, atq; abominatio turpitudinis, & peccati ibi commissi, propositum quoque, & voũtas letaliter delinquentis in causa sint, vt sacer locus reconcilietur, idque ad exemplum, & terrorem, vt videntes locum sacrum, seu inanimatum templum nullo peccato obnoxiũ lauari, & purificari delicti horrore, concutiantur, & recogitent quantum pro expiatione delictorum diuo Dei templo sit elaborandum. Sic Christus ementes, & vendentes è templo eiecit, flagello facto de funiculis, ipsosac cerrimè corripiens, ac dicens: Domus mea, Domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Aliud quidem agens, aliud vero innuens. Non tamen omnis pollutio hanc reconciliationem requirit, sed tantum publica, vel per rei euidentiam, vel sanctam per famam. Et gratis debet fieri hæc reconciliatio, & tãtùm itineris sumptus indigentium.

Verum quia mentionem fecimus de immunitate ecclesię, dicamus, ꝙ immunitas ecclesiastica vetustissima res est, iure pariter diuino ac humano introducta, quæ in duobus potissimũ sita est. Primum vt Clerici, illorumq; possessiones, & bona a vectigalibus, & tributis, alijsque muneribus laicis libera sint. Nam (vt de libertate Leuitarum sileamus) non temerè refert Scriptura, Pharaonem totam terram Egypti sibi tributariam fecisse, præter terram sacerdotũ, & possessiones quæ a Rege traditæ fuerant eis, quas vendere non sunt compulsi. Quin potius ipsis etiam statuta cibaria ex horreis publicis prębebantur vt legimus. Genes. 47. Secundum, ne rei criminis ad ecclesias confugientes, inde violenter extrahantur, exceptis publicis latronibus, qui per industriam proximum occiderint; ac nocturnis depopulatoribus agrorum, qui itinera obsident aggressionum insidijs. Denique his qui sub immunitatis spe in ecclesijs ac cæmiterijs delinquunt, quod si a confugientibus ad ecclesias paria crimina, his commissa sint crimina, quæ Reipublicæ referant puniri, tantisper saltem debet sęcularis potestas a manuum iniectione abstinere, donec ecclesiasticos consulet officiales, ne deuenire necesse sit ad cessationes à diuinis, & interdicta, quę visum est sanctis nostris patribus ob violationem eiusce modi immunitatis, editis constitutionibus promulgare; ceterum obseruandum est diligenter, votiuum esse ecclesias exuui, nisi prius episco-

pùs orationem fecerit, & uenerabilē fixerit crucem Iustin. nouel. 5.§.1.67. §.123.§.reliquum. Concil. Aurelian. can.nemo. de consecr.distin.1.De his autem quæ sunt in ecclesia separatim dicamus.

De Choro. Cap. 2.

CHoros Moyses post transitũ maris rubri (ait Isidor. de ecclés. offic. lib. 1, cap. 3.) primum instituit, & vtrorumque seruum distinctis classibus se ac sororem pertingere Deo in choris carmē triumphale per docuit. Deinde paucis interiectis, subdit: chorus enim propriè multitudo canentium est, quique apud Iudæos nō minus a decem constat canētibus, apud nos autem incerto numero a paucioribus plurimisve sine vllo discrimine constat. Hæc autem spectant ad chorum spirituale. De choro vero materiali dicitur quod. Pars principalis ecclesiæ materialis est chorus clericorum; chorus græcè latine concordia dicitur. Chorus autē vocatur a chorea vel corona, olim enim in modum coronæ circa aras stabant, & ita psalmos concorditer continuebant. Sed Flauianus, & Teodotus alternatim psallere cōstituerunt, edocti ab Ignatio, qui super hoc diuinitus edoctus fuit. Duo ergo Chori psallentium designant Angelos & Spiritus iustorum quasi reciproca voluntate laudantiũ, & se ad bonam operationem inuicem exhortantium. Cum vnus cantat non dicitur chorus sed monodia, si duo cantant appellatur bicinium, cum vero multi, dicitur Chorus. chorus ait Isidor. lib. 6. cap. de diuin. offic. est multitudo canentium. Aug. vero in psal. 149. ait: chorus est consensio cantantium, Cum ergo dicatur à chorea vel corona, hinc est quod omnes chori (vt plurimum) in modum mediæ formantur coronæ. vnde eccle. 50. scribit stantem sacerdotem ante aram, & in circuitu eius coronam fratrum. Postea in ecclesia adsunt Altaria. In concil. 6. general. Constantinopol. præcipitur in Can. 69. ne laicus ingrediatur chorum excepto Cesare, dicens: nulli omnium qui sit in laicorum numero, liceat inter sacrum altare ingredi. Ab eo tamen nequaquam prohibita potestate, & authoritate regia, quando quidem voluerit creatori dona offerre ex antiquissima traditione. Iste locus clericorum appellatur præsbyterium in can. sacerdotum de consec. dist. 2. presbyterium ibi non potest referri ad sacrarium seu altare. Nam ibi expresse agitur de loco in quo sacerdotes & reliqui clerici consistunt. In quo choro extant etiam sedilia, seu subsellia, quod S. Clemens indicat, dum presbyteros ex vtraque parte vel latere episcopi sedere scripsit ergo est mos Antiquiss. sedilium &c.

De Altari & cur fiat, &c. Cap. 3.

SEcundum principale in ecclesia siue Templo materiali est Altare. Dicitur Altare ab altitudine: nam antiqui in ædificijs a terra eleuatis sacra faciebant Dijs superis, in terra Dijs terrestribus, in effossa Dijs infernalibus. Altare superis tantum consecratum erat. Ara tam superis, quam inferis. Antequam autem vlterius procedamus notatione dignum est, quod in sacramento Altaris sicut in alijs sacramentis, sunt quædam substantialia & quædam accidentalia. Substantialia sunt quattuor, scilicet ordo ministri, & intentio ex parte consecrantis, materia panis, & vini, & forma verborum, ex parte consecrati quorũ si aliquid omittatur remouetur sacramentum & irritum est omnino. Sed de his inferius. Accidentalia, scilicet, quia non sunt de essentia sacramenti, sed pertinentia ad decorem & solemnitatem ipsius, quorum si aliquid omittatur, nihilominus est consecratũ

facramentum, tamen grauiter peccat qui omittit scienter & aliter facit, est degradandus. D. Thom. 4 distin. 13. art. 2. sunt autem ad decorem item quatuor, scilicet Altare, corporale lineum album sine aliqua mixtura, calix, & Patena de triplici metallo, scilicet auro, argento, & stanno, & indumenta sacerdotalia. De his omnibus suo loco dicemus.

Altaria ergo in ecclesia esse ad decorem & solemnitatem Missæ, & solemnitatem corporis Christi necessaria sunt. Vsus autem Altaris antiquissimus extitit. Noe primus, deinde Abraam, Isaac, & Iacob Altaria ædificasse leguntur: quæ non aliud quam lapides erecti intelliguntur super quos sacrificia mactabant, quę supposito igne cremabant. Moises etiam fecit Altare Exo. 25. & Salomõ 3. reg. 8.

Altare in ecclesia fit propter tria, inquit Dur. & habetur de consec. distinc. 1. cap. Altaria 1. & 2. Primo ad sacramentum Deo ibi offerendũ. Genes. 8. Aedificauit Noe Altare Domino & tollens de cunctis volucribus, & pecoribus mũdis obtulit super Altare. Hoc autem sacramẽtum est corpus, & sanguis Christi quod in memoriam Dominicæ passionis immolatur; 1. Corin. 11. Hoc facite in meam commemorationem. Secundo ad nomen Dei inuocandum. Hæc autem inuocatio, quæ proprie fit super Altare, propriè dicitur Missa. Tertiò ad cantandum eccles. 47. Dedit illic contra inimicos patientiam, & stare fecit cõtra Altare cantores: & in sono eorum fecit dulces modulos.

A tempore Principis Apostolorum sancti Petri, vsque ad Beatum Siluestrum ordinatum fuit Altare ligneũ. Et ratio huius fuit, quia illo tempore seuiente persecutorum rabie, certa non erat episcoporum mansio, sed vbicunque necessitas compulit, siue in criptis, siue in domibus Religiosorũ, siue in quibuscunque alijs locis Missam celebrabant super Altare ligneũ cõcauum in modum arcæ, quod portabatur a sacerdotibus, vbicunque Romanus Pontifex celebrabat. Sed post Beatum Siluestrum, Pontifex decreto firmauit, vt nullus nisi Romanus Pontifex Missam audeat celebrare nisi super Altare lapideum propter has tres rationes scilicet propter fortitudinem, communitatẽ, & cõgruitatem. Propter fortitudinem quia cũ Altare debeat consecrari oportet esse aliquam rẽ fortẽ & nõ fragilem. Propter communitatem; quia cum in ecclesia debeat esse copia Altarium; vt hoc mysterium frequentetur, debet esse materia communis, & facilis ad habendum: nõ ergo debet esse de auro vel argento ex eo quod non de facili potest haberi. Propter congruitatem, quia in hoc sacramento maximè fides Christi est necessaria, vnde per petram significatur Christus. Petra autem erat Christus. 1. Cor. 10.

In consecratione Altaris fiunt quatuor Cruces in quatuor cornibus, repræsentantes quadruplicem charitatem, quam debent habere qui ad Altare accedunt, scilicet vt diligãt Deũ, seipsos, amicos, & inimicos. De quibus quatuor cornibus charitatis dicitur Genes. 27. Dilataberis ad Orientẽ, & occidentem, septentrionem, & meridiem. Vel fiunt quatuor cruces ad significandum quod Christus per Crucem quatuor mundi partes saluauit.

Altare enim significat Christum: & ideo non fit de ligno, sed de petra: quia Christus dicitur petra. De cõsec. dist. 2. in nomine Domini, & Apost. 1. Corin. 10. Petra autem erat Christus. Facit etiam vnam crucem in medio, quia Christus operatus est salutem in medio terræ.

Altare ter inungitur, bis oleo, tertio chrismate, quoniam ecclesiá fide, spe, & charitate quæ maior est cæteris insignitur, & dum chrisma infunditur,

ditur, cantatur, ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Hic ager est ecclesia, quæ floribus vernat, virtutibus splendet, operibus flagrat, & ibi sunt rosæ martyrum, lilia virginum, viola confessorum, & viror incipientium. Significat Altare mésam in qua Christus cum Apostolis conuiuatus est. Ex vetustissimo autem more, qui inde ab Apostolis ad nos vsque peruenerit, Ecclesia, & templa, & altaria, & vasa, pallasque, & vestes, & cætera omnia quibus ad sacrum vtitur ministerium consecrat. Consecrationis Altaris ministerium a beato Dionysio exponitur in ecclesiast. hierar. cap. 4. Altare nostrum Iesus est inquit, propter nos in assumpta carne diuino spiritu sanctificatus, qui alioqui secundùm diuinā essentiam naturā sanctus est, & omnia sanctificans. Conuentes igitur chrismate consecratum altare intellectualiter contemplabimur totius sanctitatis apicem Dominū Iesum, qui semetipsum sanctificauit pro nobis, in quo & vos sanctificati, & misticè holocausti instar incensi, & omni sanctificatione ab eius plenitudine ad nos dimanante repleti, accessum habemus ad Patrem per ipsum, offerētes hostiā laudis, & precum semper Deo: vnde quoque est quod omnis oratio ecclesiæ ad altare hac conclusione complectur, Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Hinc olim tanta reuerentia consecratis altaribus exibita, nunc vilissimi de plebe viri, atque adeo leuissimi quique in altaria Christi manibus & brachijs totosque corpore se contemptim proijciunt, & in tremendo signaculo sui Domini ibi quo & corpus eius conficitur de prophanis nihilique rebus consceleratè confabulantur. Veteres canones priuata in priuatorum edibus & superflua altaria, quorum nullus est legitimus vsus erigi & consecrari prohibēt, canon. ecclesˢ. de consec. dist. 1. Vnde Hieron. magna eorum leuitas est in magnam cleri ignominiā redundare, qui se laicis adeo delicatis fæminis ventris causa in capellanos vt appellant, atque ante ambulones venditār. Qui enim debebant esse gregis duces redigūtur in caudam, & sordidissimis quibusque negotijs alligantur. Proh nephas. Hoc etiam habetur in Cōcil. Prouincial. Colonien. de officio ac vita clericorum cap. 27.

In Altari cùm consecratur ponuntur reliquiæ sanctorum. Et licet Hug. de consec. distin. 1. nullus. dicat non esse de substātia consecrationis, vt reliquiæ ponantur: & idem teneat Asten. lib. 4. tit. 39. de Altari portatili, allegans cap. concedimus de consec. distin. 1. Tutius tamen est contrariū tenere, & ita Ecclesia comuniter obseruat: quod verò fit de essentia consecrationis vt ponantur tunc ab Episcopo cùm consecrantur non affirmarem, præcipuè si non possent haberi, dummodo ponantur postea antequā super illis celebretur, & hoc propter Episcoporum inopiam: Vnctio bene est de essentia, vt tenet communis opinio.

Altare est duplex, vnum stabile, & aliud viaticum vel portatile, vti in ca. quoniam de priuileg. libro 6. Quodquidem quasi describens Panor. in c. 1. de consec. Ecclesi. vel Altar. dicit quod est paruus lapis continens in se foramen cum consecratione, & signo superposito. Et per consecrationem capit res sacras, signo, idest sigillo. Reconduntur enim ibi Reliquiæ sanctorum cum tribus granis thuris in capsula: quia exempla sanctorum cum fide Trinitatis, idest Patris, & Filij, & Spiritus sancti debemus in memoria retinere. Nam debemus credere vnum Deum, vnam fidem, & vnum Baptisma. Et hoc Altare debet esse tantę latitudinis, & longitudinis secundùm Palud. in 4. scilicet, lapis in capsula quod in eo capi possit pes Calicis, & Hostia consecra-

sa: vel quod in conficiendo eum Sacerdos tenet in manibus Nauem, aut Calicem, super lapidem teneat: & sic super lapidem conficiat. ca. concedimus. de consec. distin. 1. sed intellige quod ista pro maiori parte sint super lapidem.

Altaria consecrata nõ sunt destruẽda sine consensu Episcopi de consecr. dist. 1. cap. Ecclesia. Altare tamen stabile quam portatile solum ab Episcopo potest consecrari. de consec. dist. 1. nullus & d. c. concedimus. Nota secundum Archiepiscop. Floren. quod prohibetur cõsecrari super sepulchrũ hominum nisi martyrum, vel aliorũ sanctorum. de consec. dist. 1. cap. non oportet. Potest etiam Episcopus in eadem Ecclesia simul pluria altaria cõsecrare. de consec. Alt. cap. vniuersis; & non consecratur sine reliquijs, de consec. dist. 1. cap. placuit & ca. non oportet. Execrata Ecclesia non execratur Altare secundum Panor. in c. proposuisti: quia Ecclesia potest destrui absque hoc quod destruatur Altare. Secus si polluatur, quia tunc etiã polluitur Altare, ac indiget reconciliatione. Hoc intellige de Altare stabili. Nota secundum Panor. quod quandoque Ecclesia polluitur, & tũc non indiget reconsecratione sed recõciliatione: quandoque execratur, & tunc indiget reconsecratione. Nota insuper quod in Altari in quo consecrauit Episcopus, eodem die non potest simplex sacerdos consecrare. de consec. dist. 2. si. nisi de licentia Episcopi vel necessitate vrgente: quando Episcopus non posset implere. 6. quæst. 1. c. nihil. Altaria in quibus degradati celebrarunt non debent per hoc reconsecrari vel reconciliari de sac. reit. cap. a nobis.

Altare stabile violatur, vel execratur quatuor modis, vt colligitur ex Doctoribus in Rub. & in c. 1. de consec. Ecclesiæ vel Alt. Primo si Mensa penitus, aut enormiter frangatur sic vt appareat deformitas, quod secundum Hostiens. arbitrio Episcopi determinabitur, vel si fuerit fracta in cornibus, in quibus consueuit fieri consecratio, secus si fractura esset modica. Extra. eo. ligneis. Et idem est secundum Hostiens. si sit mota, quod Rod. intelligit quando erat affixa. Secundo, si mota fuit iunctura qua mensa stipiti adhæret: & hoc siue sepulchrum sit in latere altaris, siue etiã multo magis si sub ipsa mensa. Nam in illa coniunctione præcipuè intelligitur esse consecratio altaris, secundũ Panor. in cap. proposuisti. de consecr. Ecclesiæ vel Alt. Tertio, si quid de lapidibus stipitis tangens ipsam mensã moueatur vt in ca. ad hoc. Et in cap. quod in dubijs. eo. tit. secundũ Raim. quod tamen glos. & Rod. & Archid. intelligunt, quando mensa fundata est super quatuor columnas, quarum vna mouetur, secus de lapidibus parietis, vel de ipso pariete, cui compaginatum est Altare in quibusdam ecclesijs, quia propter motionem talium lapidum, vel parietis, Altare manens immotum non execratur, vel reconsecratur, & idem de lapidibus stipitis non tangentibus mensam: secundùm Sum. Pis. Et idem de tãgentibus mẽsam, sed non principalibus vt in Sum. confess. lib. 3. tit. 24. quæst. 150. & hoc nisi tot moueantur, quod Altare formam ammittat, secundum Glos. Rai. vt ibi. Quarto, si moueatur vel frangatur uel minuatur signum sepulchri de consec. dist. 1. si motum. 10. quæst. quod in dubijs. Et hoc ubicunque sit sigillum, etiam in latere, secundum Arch. Quinto, si tantum augeatur uel minuatur Altare, quod formam ammittat, quia forma est esse rei ar. 10. q. 2. hoc ius, & hoc tenet glos. in cap. 1. de consec. Eccl. uel Alt. Quatuor primi modi sunt etiam de mente Pan. in c. ad hæc, & in cap. quod in dubijs eo. tit. De quinto verò loquitur in ca. ligneis eo. tit. ubi dicit quod ubicunq;

con-

contingat enormis fractura in Altari, execratur: quia videtur perdere formam, non autem si fractura non sit enormis: hæc ille, qui videtur idem sentire de enormi, vel notabili addito: quia ratio est eadem.

Portatile autem execratur multis modis. Primo, per remotionem lapidis a ligno, quando sepulcrum est in ligno, secundum mentem Io. And. in cap. ligneis. eo. tit. Secundo, quando mouetur sigillum sepulcri existentis in lapide, siue lapis sit in ligno, siue non, secundùm Innoc. & Panor. & omnes. Tertio, si lapis ipse notabiliter frangatur, vt in dicto cap. ligneis. Et hoc solo modo violari potest, quando non habet reliquias. Non autem execratur propter hoc, quod in eo celebrauerint degradati, & huiusmodi, vt indigeat reconsecratione. Extra. de sacra. non itera nobis. Et idem videtur de reconciliatione, quod, scilicet, ea non indiget, cum nullo sit iure cautum. Arc. cap. his qui. de senten. excomunicationis. lib. 6. vt etiam supra diximus. Huiusmodi autem reconsecratio ortum habuit ex lege veteri. Nam legitur primo Macab. 4. Sic Et cogitauit super Iudas, de Altari holocaustorum quod prophanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis consilium bonum, vt destruerent illud: ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes & demoliti sint illud: & cetera. vbi patet quod propter violationem quam gentiles fecerunt, reædificarunt Altare quasi execratum ab infidelibus. Eadem est ratio de nostra reconsecratione, &c.

Altaria autem parantur; nam Concil. Remense instituit de Altaris apparatu vt ait Broc. Episcopus lib. 8. cap. 97. scilicet: obseruandum est vt mensa Christi idest altare vbi corpus Dominicum consecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi sanctorum Reliquię reconduntur, vbi vota, & preces populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis, & pallijs diligentissimè cooperiatur, & nihil supponatur nisi capsa cum sanctorum reliquijs, & quatuor euangelia. De ornatu autem Ecclesiæ nota, quod dicit. Ambros. dist in ct. 66. non satis. Circa finem. Maximè sacerdoti hoc conuenit ornare templum Dei, hono re congruo, vt etiam cura Aula Dei respondet. Non tamen (dicit) quod fiant superfluitates, pompæ, & multæ vanitates armorum, picturarum, vasorum aureorum, & huiusmodi. Vnde idem Ambros. in eo. lib. scilicet de officijs, & habetur. 12. q. 2. aurum: sic ait. Aurum sacra non quærunt, nec auro placent, quę auro non emuntur. Ornatus sacrorum redemptio est captiuorum. Sed & Hieron. in c. seq. & incipit gloria, tales reprę hendit dicens. Multi ædificant parietes, columnas, & Ecclesię subtrahunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur & ministrorũ Christi nulla est electio. Neque vero mihi aliquis opponat, diues in Iudæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patelas, ciphos, mortariola, &c. ex auro fabricata. Tunc hæ probantur a Domino, quando sacerdotes Hostias immolabant, idest, dum erat ille carnalis populus, quærebatur cultus Dei circa exteriora, & sensibilia. Et sequitur. Quanquam hæc omnia præcesserunt in figuram, scripta sunt autẽ propter nos in quos fines sæculorum deuenerunt. Nunc verò cum paupertatem Domus suæ, pauper Dominus dedicauerit, portemus crucem, & delitias lutum putemus. Hæc ille: Bernardus quoque reprę hendit picturas vanas, & monstruosas Ecclesiarum, & immunditiam, & incuriam rerum sacrarum, vt paramentorum, & Altarium & huiusmodi.

Expleta Missa, Calix, & patena, & sacramentorum liber, cum vestibus

ſacerdotalibus in loco mundo ſub ſera recondantur. Super Altare adeſt tabernaculum, cuius typus in lege erat propitiatorium, in quo Chriſtus propitiatio noſtra, ideſt, Hoſtia conſecrata ſeruatur, quod nũc propitiatorium nuncupari poteſt. Pixis autem intus ſignificat corpus Virginis.

De Imaginibus. *Cap.* 4.

ET quoniã in Eccleſia adſunt imagines ſiue picturæ, quæ dicuntur etiã Icones, quod idem eſt(nam ycon gręcè, latinè imago dicitur;)ideo & de his ſermo eſt habendus. Et primo dico quod vetus, ac impius error fuit quorundam hęreticorum, qui ſanctorum imagines reprobare & ab Eccleſia pellere fruſtra conati ſunt: quos hæretici quoque huius temporis ſequuntur. Xenaias quidem genere Perſa, & fortuna ſeruus, primus vocem illam euomit, Chriſti, & eorum qui illi placuerunt (ò ingentem confidentiam) imagines, venerandas non eſſe, vt eſt auctor Nicephorus in Eccleſiaſtic. hiſtoria. Verũ huiuſmodi hęreſis multis magniſque concilijs iam olim damnata fuit: ſed illo præcipuè, quod ſub Adriano primo celebratum eſt, in cuius actione memorantur plurimi ſacri Doctores, qui vſum imaginum ab ipſis temporibus Apoſtolorum in Eccleſia viguiſſe teſtantur, & eas venerandas eſſe docent. D. Petrus ita veneratus eſt crucem, vt poſtulauerit ſe cruci inuerſis veſtigijs affigi. Similiter frater ſuus Andreas videns crucem a longe exclamauit: Salue crux pretioſa &c. ecce vſus antiquiſſimus.

Qui autem illic recẽſentur ſunt Hieronymus, Ambroſius, Gregorius Niſenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Cirillus, & Athanaſius. Eſt igitur Imaginum vſus nec nouus, neque humano ingenio inuentus: ſed diuina, & Apoſtolica inſtitutione introductus, ex veteris ac noui teſtamenti ſcripturis, Apoſtolicis traditionibus, ſanctorum Patrum & Conciliorum Decretis, & conſuetudine, & vſu approbatus. vltimo plurimis, veriſſimiſque miraculis illuſtratus. Euſeb. lib. 7. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 14. Deus ipſe Moyſi pręcepit, vt cum propitiatorio duos Cherubin aureos faceret: quorum Paulus in Epiſtola ad Hebr. memorat. Et idẽ Moyſes iuſſu Dei ſerpentem æneum fecit: & in templo illo Salomonis fuere Imagines Cherubin. Exod. 26. & 3. Reg. 6. Inſuper Saluator faciem ſuam impreſſit in texto lineo, vt illam ad Augabarum mitteret: quæ apud Ianuenſes reperitur. Per hanc autem imaginem Saluatoris Edeſſa Ciuitas contra vim Perſarum ſeruata eſt, vt meminit Niceph. in Eccl. hiſt. lib. 2. cap. 7. & lib. 17. ca. 16. Amplius etiam Imaginem Saluatoris ab ipſo Nicodemo factam fuiſſe Diu. Athanaſius de paſſ. imaginis Chriſti teſtis locupletiſſimus eſt. Et Lucas Euangeliſta, primus Chriſti, & eius ſanctiſſimæ Matris, atque item Principum Apoſtolorum effigiem pingendi arte adumbrauit, Nicep. lib. 15. Itaque catholica, & Apoſtolica Chriſti Eccleſia columna, & fundamentum veritatis continua ſæculorum ſerie imaginum Sanctorũ vſum induxit, docuit, atque ſeruauit. Imagines enim quamplures nobis vtilitates afferunt: excitant, & cõſeruant memoriam eorum quæ a Chriſto & ſanctis Dei hominibus geſta ſunt. Si quis autem dixerit aut commiſerit aliquid contra ſacras imagines, puniri poteſt per iudices ordinarios eccleſiaſticos aut ſæculares. L. 1. §. huius ſtudij. de iuſtitia & iu. lege. Manichæos. C. de hæreticis. Conſtantinus in nummis & imaginibus ſuis ſignum crucis inſcribi & figurari iuſſit. Sozo. lib. 1. cap. 8. lege etiam Euſeb. de vita Conſtantini lib. 4. cap. 15. Prohibuere tamen ſancti patres & Chriſtiani principes, vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis ſignum cru

cis

tis sculpere vel pingere. l.1.C.nemini licere signum saluatoris.

Imagines in ecclesia sunt laicorum scripturæ & lectiones. Vnde Gregorius de consecratione dist. 4. cap. perlatum. Aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere: nam quod doctis, & legentibus scriptura confert, hoc idiotibus cernentibus imago præstat: in ipsa enim ignorantes vident quid sequi debeant: & in ipsa legunt, qui litteras ignorant: quas imagines nõ adoramus, nec Deos appellamus, nec spem salutis in eis ponimus: quia hoc esset Idolatriæ: sed ad memoriam & recordationem rerum olim gestarum, eas veneramur. Vt puta Io. Baptista pingitur cum agno, & digito extenso quasi monstrans Christum, quando dixit Io. 1. Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Beata autem semperque virgo Maria diuersimodè dipingitur, secundum diuersas actiones, vt pote cùm Assumpta, vel nata, vel visitationem eius erga Cognatam &c. Item quia ostendit fratres Prædicatores sub Chlamide suæ Protectionis Beato Dominico: Ideo dipingitur ita quod videntur sub sua Chlamide, et ita de alijs. Diuus Petrus cum clauibus, quasi demonstrans potestatem sibi a Christo traditam: Ideo cum duabus clauibus vt ostendat se habere duplicem potestatem, scilicet, Iurisdictionis super omnes Christianos qui sunt in vniuerso Orbe, habẽs inquam potestatem condendi leges, canones, statuta, & decreta, vt omnes illi obediant (loquor de Iurisdictione spirituali, non de ciuili, ac temporali, quę se extendit solum super ciuitates, & terras nunc summo Pontifici subiectas:) & ordinis, in susceptione sacerdotij. Vnde vna harum clauium (meo quidem Iudicio, & saluo meliori) debet respicere deorsum, scilicet sinistra, & altera, scilicet, quæ est in dextera parte debet respicere sursum. Illa vt significet potestatem Iurisdictionis: Hæc verò potestatem ordinis: Illa vt soluat, & liget corpora: hæc verò animas. Soluere, vel ligare animas est aperire, vel claudere illis cælum: soluere vel ligare corpora est condere, vel soluere leges, canones, decreta, & statuta vt obligent, vel non obligent ad peccatum. Sic etiam debent pingi insignia quando tantum duo pinguntur claues &c. Quod verò pinguntur cum illa rota in capite sancti, quæ est propriè in forma scuti; sciendũ est quod antiquitus quando reddibant milites è prælio, qui fuerunt victores, portabant scuta sua in capite in signum victoriæ: ad quam similitudinem Ecclesia pingit sanctos cũ scuto in capite, quia fuerunt victores mũdi, tyrannorũ, diaboli, & carnis &c. Diuus Paulus cum ense, & libro, quia scripsit epistolas, quæ fuerunt, & sunt tamquã acutus gladius contra hæreticos. Qui ab Atheniensibus vocatus est semini verbius, idest seminator verbi. 43.d. sit rector. & in quadam sequentia dicitur spermilogus, sperma Græcè, Latinè semen, & logos sermo. gloss. ibidem. Diua Catherina cum Rota, diuus Laurentius cum craticula, & ita de cæteris sanctis: puta cum palma, quia martyres, & victores fuerũt contra tyrannos. Confessores cum lilijs propter castitatem. Diuus Antonius cum tintinabulo, quia fuit primus qui congregauit Monacos: & cũ sue, quia vicit mirabiliter luxuriam notatam in illo animali. Item cum signo .T. quia erat Ægyptius, ad differentiam aliorum Ægyptiorum nõ signatorum &c. Diua Magdalena cũ capillis sparsis quia illis tersit Domini pedes: ad ostendendam promptitudinem illorum. Et tanquam ornamẽta suæ sanctitatis, propter enim huiusmodi opus, fuerunt ei dimissa peccata. Item & quia omnia reliquit pro Christo tanquam superflua. Qui pinguntur autem cum libris, est signum

quod

quod aliquid scripserunt vel Epistolas, vel Euangelia: Angeli pinguntur iuuenes quia nunquam senescunt: cũ alis iuxta illud. *Isa. 6. Seraphim* stabant sex alę vni: & ad notandum quod sunt Spiritus, pinguntur multoties sine corpore, ideo tantum capita alata dipinguntur, quasi veloces, & in capite tota spiritualis virtus appareat. Gabriel cum lilio, quia liliũ significat virginitatem: & generat florem, etiã si sit incisus sine sui corruptione. Sic virgo Maria genuit Christum sine sui corruptione.

Demones autem pingũtur quoque cum alis, sed more vespertilionũ, propter operationes illorum, quæ spectãt ad tenebras: Sicut enim aues volant de die, ita vespertiliones de nocte. Et sicut Angeli spectant ad cælum vbi semper est dies, sic Diabolorum habitatio, est illa inferni, vbi semper est nox. De prima dicitur Apocal. Et Ciuitas non eget sole neque luna, vt luceant in ea &c. De secunda dicitur Matt. 21. mittite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dẽtium. Vnde & Apost. ad Ephes. 6. dicit diabolos rectores esse tenebrarum. Qui Diabolus pluribus nominibus vocatur. Diabolus dicitur, a dia, quod est duo, & bolus quod est mossellus: quia duo occidit, scilicet corpus, & animã. Item, diabolus dicitur, idest diuisus, nam ab initio in veritate nõ stetit, sed a Deo discessit, & sicut fuit diuisus, ita fuit etiam diuisor, quia separauit hominem a Deo per peccatum, & animam. Diabolus idem est, quod id, quod suptus vadit, & significat superbiam. Dicitur Dæmon idest sapiens super sanguinem, vel sanguineus, scilicet super peccata, quę fiũt & procurat triplici scientia secundùm Isidorũ, qua viget, scilicet, subtilitate naturæ, experientia temporum, & reuelatione bonorum spirituum. Dęmon idem est quod id, quod sufficit, & significat Accidiam. Vocatur etiam Belial quod interpretatur absque iugo, vel absque Domino: quia pro posse pugnat contra eum cui deberet esse subiectus. Vocatur etiã Belzezub, quod interpretatur vir muscarum, idest animarum peccantium, quæ relinquerunt verum sponsum Christum. Item Sathanas, idest aduersarius. vnde 1. Petr. 2. Aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret: Et significat inuidiam. Vocatur etiam Labadon, quod idem significat, quod res quę corrũpit intelligentiam, & nõ finit verum cognoscere, & significat iram. Item Beemot idest Bestia, quia facit homines bestiales, & significat gulam. Ipse tamen Dæmon fornicationis, & Princeps illius spurcitiæ, uocatur Asmodeus, quod interpretatur factura iudicij: quia propter huiusmo di uitium, factum fuit terribile Iudicium super Sodomam, & quatuor alias ciuitates, & significat luxuriam. Sicut & Dæmon superbię, dicitur etiã Leuiatan, quod interpretatur additamentum eorum: quia & Lucifer tentans primos parentes de superbia promisit eis additamentum diuinitatis, & significat auaritiam, quia Auarus semper vellet augere rem suam. Similiter iste Dæmon auaritiæ dicitur Mãmona. Mãmona enim apud Hebreos diuitiæ appellari dicuntur. Congruit (ait Aug. in homil.) & Punicum nomen: nam lucrum Punicè Mammon dicitur. Vnde & Christus in euangelio expressit diuitias Mat. 6. non potestis Deo seruire, & Mammonę. Ista sunt septem nomina Dęmonis, dicta propter septem peccata capitalia, quibus hominem tentat, scilicet, diabolus, dæmon, Sathanas, Labadon, Beemot, Asmodeus, & Leuiatan: alia autem nomina reducuntur ad ista. Item dicit diabolus Quinneru. cap. 20. Hi uero dæmones, cum futura contingentia coniecturent, non quod certitudinaliter illa ualeant scire, sed probabiliter, ideo est orandum Deum ut

nos

nos liberet ab illis. Secundùm autem eundem Aug. in lib. de natura dæmonum assignantur septem causæ; prima, quia uigent subtilitate naturali, quo ad operationem intellectus ipsorum; unde & sine discursu (qui est necessarius in nobis) rationis intelligunt. Secunda, quia propter esperiētiam temporum, & reuelationem supernorum spirituũ plura sciunt quã nos; & hoc triplici acumine, secundũ Isidorum, vt supra tactum est. Tertia est propter celeritatem motus, vnde quæ in Oriente fieri habent, præcedere possunt mira celeritate ad Occidentem. Quarta, quia sicut sua potentia, cùm Deus permittit, possunt inducere morbos, aerem inficere, & famem inducere, ita possunt & illa prędicere. Quinta, quia per signa possunt subtiliùs prædicere mortem, quam medicus uidendo urinam, & pulsum; Nã sicut ille per signa videt aliqua in infirmo, quæ simplex non considerat, ita & Dæmon ea quæ nullus homo uidet naturaliter. Sexta, quia ex signis, quæ pręcedunt ab animo hominis, coniecturant ea quæ sunt, uel erunt in anima, astutiùs prudēti uiro. Sciũt enim, qui instinctus sunt uerisimiliter secuturi, & consequenter cuiusmodi opera. Septima, quia acta Prophetarum, & scripta noscunt melius, quam homines, & ex illis multa futura dependent, ideo ex illis multa futura prædicere possunt. Hæc etiam tanguntur 26.q.4. Sciendum. Caueamus ergo ne decipiamur ab istis aduersarijs.

Pingitur etiam Sacrificium Missæ Christus sedens, & circumquaque mysteria passionis, vt caput Iudæ, flagella, &c. quia Sacrificium Missæ repræsentat Dominicam passionem. Christus autem commodè potest depingi, aut in Cruce affixus, aut in Beatæ semper Virginis Matris suæ Marię gremium; aut cum suis Apostolis circumcirca, aut in Throno, cum libro, & Angelis. Et quoniam umbra mortis transiuit, & Christus uerus sit homo, in forma humana depingi debet, & non in forma agni, vt quidam propter auctoritatē preallegatam (Io. 1.) depingunt, ut habetur de conse. dist. 3. c. 29. Sextam sanctam Synodum. Credo tamē inquit ibidem Glos. hoc reprobari, quia in Cruce tantùm Agnus depingebatur; nam homine depicto, agnum depingi non obest, in parte inferiori, sed eam corrigatur quoad hoc.

Virgines cum lampadibus, Matth. 25. Et quoniam virga disciplinam, siue Scripturam significat; antiquitus ponebatur super Crucem Christi, q.d. consumatum est, quod in Scripturis fuit prænuntiatum. Ad pedes ponitur caput mortui, quia vbi Crucifixus fuit Christus, ibi erant capita mortuorum malefactorum: propter hoc dicitur Caluariæ locus, quia plenus caluarijs reorum occisorum. Crux ipsa quoque veneratur, & in Concil. 6. generali Constantinopol. can. 73. prohibetur ne Crucis figura in pauimento fiat. Et qui secus fecerit, ait, excommunicetur. Ibidem in can. 100. vetat ne turpes imagines pingantur sub excommunicationis pęna, quod renouatum nuper fuit à Clemente VIII. Cùm autem prohibetur fieri sculptile, vel similitudo, non est intelligendũ de sacra imagine, sed de Agalmate. Agalma verò significat abiecti animalis statuam, authore Adriano Papa in epistola, quæ extat in 2. Act. Sinod. 7. Amplius, non omne sculptile Deus vetat: nam & post legem latam, Deus Cherubin fieri in Propitiatorio iussit. Exod. 25. & alias picturas. 3. Reg. 6. & 9. sed vetat fieri vt adorentur.

Figura infantilis animæ quæ in Cælum defertur significat eius innocentiam. In vestibus quoque sacris pinguntur Sancti ante, & retro. Ante vt Sacerdotes præ oculis habeant, & cō-

siderent opera eorum sine intermissione, ac vt reprimant illicitas cogitationes, ne extra rationis limitem operis pedem teneant. Retro vt arceant dęmones, ne nos tentent. Facilis est considerare vitam Sanctorum,& ita ex illis rationem picturę (scilicet) quare sic pinguntur inuenies. Sunt enim aliqui qui ad pedes habent mitras, quia noluerunt esse Episcopi. Eufemia pingitur cum carta in manu, propter miraculum approbationis Concilij Calcedonensis contra Eutichianos.

Depingitur quoque sanctus Michael cum Dracone sub pedibus, quia vicit illum. Item cum statera, quia de eo cantat Ecclesia, Venit Michael Arcangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas Sanctorum (q. d. ponderans animas) vt perducat eas in Paradisum exultationis. Iterum dicit; Michael Arcangelus venit in adiutoriū populo Dei: stetit in auxiliū pro animabus iustis. & ita de reliquis. Illud autem notatione dignum est, quod Ecclesia vt ait Aug. de vera religione cap. vlt. non adorat Sanctos, propter religionem, sed honorat propter imitationem. Honorat eos charitate, & non seruitute. Item veneratur Saluatoris nostri, & sanctorum eius Iconas, & imagines, non vt in quos spem salutis figat, sed vt monumenta quædam ad recordationem, & memoriam. Nec aliter veneratur Sanctorum reliquias, non superstitiosè (vt latrant hæretici) sed piè & religiosè. Variæ autem Concilia, vsum & venerationem imaginum approbarunt. Primum fuit Constantinopolitanum VI. can. 83. Alterum fuit Nicenum II. 350. Patrum, Constant. & Irenæ imperantibus. Aliud item Concil. in Germania, & ciuitate Francofurt celebratum fuit. Nouissimè approbauit Concil. Trid. sess. 25. De inuocatione Sanctorum. Siluester statuit anno Domini 315. ne picturæ prophanæ pingerentur in Ecclesia.

De Campanis. Cap. V.

ADsunt etiam in Ecclesia Campanæ. Campana autem est vas æneum in Nola ciuitate Campaniæ primò inuentum. Maiora itaque vasa Campana à Campania regione, minora verò Nolæ à ciuitate Nolæ dicuntur. Pulsatur & benedicitur, vt per illius sonum, fideles inuicem ad præmium inuitentur: & ut procul pellātur hostiles exercitus, ac omnes insidiæ inimici; & ut fragor grandinum, & impetus tempestatum, & fulgurū temperentur: atque ut hoc homines audientes confugiant ad Ecclesiam.

Sauinianus Papa statuit ut horæ diei, per ecclesias pulsentur. Ad matutinas sæpe, quia sępe exclamandum est: exurge qui dormis. Ephes. 5. Similiter ad Vesperas, quia significant tēpus gratię, & in hoc tempore multiplicata est Apostolorum prædicatio. Item quod lampades semper accensæ essent ad altare, & hoc anno domini 605.

Compulsantur in diebus Dominicis, & festiuitatibus, quoniam Prædicatores qui per campanas figurantur tempore gratiæ crebrius abundant, & oportunè, & importunè instant, ut excitent dormientes. Pulsantur dum quis moritur, ut populus audiens pro eo oret: similiter cùm portatur ad Ecclesiam defunctus. Pro Clericis plus pulsatur quam pro laicis propter ordines. Pulsantur in processionibus quoque ad effugandos dæmones, quia timent dum audiunt. Silent campanę tempore interdicti, quia sæpè ob delictum subditorum impeditur lingua Prædicatorum iuxta id. Ezech. 3. linguam tuam adhærere faciam palato tuo: quia domus idest populus, exasperans idest inobediens est. Extra. de enunc. c. nisi §. propter. Silent in tribus

bus

bus diebus maioris hebdomadę, quia Apostoli à prædicatione siluerunt.

Campanæ significant tubas argenteas, quibus in veteri lege populus ad sacrificandum accersebatur: quemadmodum enim vigiles in castris tubis, sic, & ministri ecclesiarum sonitu campanæ se excitant, vt contra diabolum pernoctent. Significant quoque campanæ Prædicatores, qui ad similitudinem campanę ad fidem vocare debēt. Ipsa tamen percussio denotat, quod prædicator prius debet seipsum excitare, ne cum alijs prædicet ipse reprobus efficiatur 1. cor. 9. & habetur. 3. q. v. Hæ autem campanæ ponuntur in altum vt audiantur a populo, supra pinnaculum turris gallus effingi solet, ad prælatorum & curionum alliciendam atque excitandam vigilantiam. Illud denique obseruandum est non licere campanas habere in oratorijs priuatis. c. 9. patentibus. de priuil.

De Cæmeterio & alijs locis defunctorum. Cap. 6.

Loca in quibus cadauera sepeliuntur diuersimodè nuncupantur, scilicet, cæmeterium sepulchrum, monumentum, tumulus, & Mausoleum. Cæmeterium dicitur a cimen secundum Dur. quod est dulce, & sterion, quod est statio: ibi enim dulciter defunctorum ossa quiescunt ac aduentum Saluatoris expetant. Cæmeteriū habet eandem immunitatem, quam habet Ecclesia, quod ad omnia capitalia. Censetur autem esse pollutum, quando Ecclesia sibi cōiuncta est polluta effusione seminis vel sanguinis: & antequam sit reconciliatum, non debet in eo aliquis sepeliri; secus si cæmeterium esset ab Ecclesia remotū. Sed e contra polluto cæmeterio, non est polluta Ecclesia, ne minus dignum trahere videatur ad se maius. de consec. Eccl. c. si Ecclesia lib. 6.

Nota quod cęmeteria Ecclesiarum benedicuntur etiam, & gaudent immunitate sicut Ecclesiæ, ita violantur & reconciliantur sicut Ecclesiæ secundum Hostien. & Bernar.

Cæmeterium fertur habuisse initiū ab Abraam, qui emit agrum in Ebrō. Sepulchrum dicitur quasi sine pulsu: quoniam qui ibi sepelitur sine pulsu manet. Adinuentum est & propter viuos, & propter mortuos. Propter viuos, ne oculi eorum offendantur videntes cadauera, & corpora fætoribus inficiantur, & hoc quantum ad corpus. Spiritualiter viuis prodest, quia recordātur diem resurrectionis. Mortuis prodest ad hoc, quod aspicientes sepulchrum memoriam retinent defunctorum, & pro eis orant.

Sepulchrum alio nomine dicitur sepultura, quæ tripliciter accipi potest Tab. ver. sepultura. §. 2.

Primo modo est possessio siue terra, vbi aliquis sepeliendus est. Secundo modo dicitur locus concauus in loco Ecclesiastico factus, in quo corpus Catholici conquiescit. Tertiò modo accipitur pro officio, quod impenditur sepeliendis. & talis sepultura a clericis vendi non potest, qui habent beneficium, ratione cuius tenentur, puta quia est Sacerdos parochialis, imo simoniam committeret. 1. q. 1. cap. dictum.

Monumētum dicitur, quia mouet mentem cuiuslibet inspicientis, inquit Aug. 1. de Ciu. vt recordetur id quod canit Ecclesia: Memento homo quia cinis es, & in cinerē reuerteris. Gen. 3.

Tumulus dicitur quasi tumens tellus: quia homine in terra sepulto, terra aliquantulum eleuatur. Mausoleū dictum est à marito Artemisiæ qui Mausoleus vocabatur: quæ propter amorem erga eum maximum ædificauit illi nobilissimum sepulchrū. Hinc dicitur quodlibet nobilissimum sepulchrum Mausoleum. Sunt & alia nomina, quę non pertinent ad nos: vt vrna, vbi cineres alicuius recondebātur.

In

In locis Christianorum nisi Christianus baptizatus sepeliri debet. Et quod non sit peccator publicus; quia magis nocent illis loca sacra, quã prosint, vt ait Aug. & habetur. 13. qu.2. cum grauia. vt legitur in Dialog. Gre. li.4.c.52. de illo, qui cum Beatus Faustinus Brixiensis apparuisset custodi Ecclesiæ, extra Ecclesiam deinde sepultus est. Et alius, vt legitur ibidem cap. 53. sepultus fuit in Ecclesia, cuius cadauer extra Ecclesiam inuentum fuit: & linteamina remanserunt in sepulchro.

Ad hoc additur quod instituti fuerunt Copiatæ quorum meminit Epiphanius in compendiaria vera doctrina de fide cathol. & Apostol. Ecclesia. lib.3. tom.2. quo loco quidem Copiatos interpretatur laboratores, qui corpora eorum quæ obdormierant in domino curare solebant. Ij & Sandapilarij vocabantur: de quibus Sidonius Apollin. lib.2. Epist.8. Hanc non vespillonum, Sandapilariorũque ministeria ominosa tumulauere. Dicti sunt Sandapilarij, quia Sandapilam (idest, cataletto ò barra da morti) ferebant: idem est quod vespillo, idest, sotterratore.

De Ecclesiæ Dedicatione. Cap.7.

MEntionem fecimus de Ecclesia supra, nunc nonnulla dicenda sunt de eius dedicatione, siue consecratione, quæ debet fieri ab Episcopo proprio & non ab alieno nisi de licentia proprij cap. tua fraternitas de consec. Eccl. vel Alt. & de consec. distin. 1. si quis basilicam. Hoc statutum fuit a Felice III. anno Domini 485.

Quæ Ecclesia præsumitur consecrata secundum Innoc. quando apparet de hoc aliqua scriptura, vel instrumẽtum donationis, vel in libris Ecclesiæ, vel in columna, vel in tabula marmorea & huiusmodi. Vel etiam si appareat vnus testis de visu, vel auditu secundum aliquos. Hoc idem dicitur de Baptismo quod creditur testimonio vnius, quod quis sit baptizatus. de consec. distin. 4. paruulos. Secus in ordine. 98. dist. Afros. & quæ sit ratio dicitur 1.q.1.§. ecce cum honoris. Et est, quia alia sacramenta tantum pro accipiente, istud verò pro alijs confertur: vnde debet conferri sine omni culpa, & sine omni infamia. q. d. cum omni certitudine.

Dedicatio Ecclesiæ originem duxit à veteri lege. Moyses enim Domino præcipiente fecit templum & sacrauit illud cum mensa & Altari eius & aliis vasibus & vtensilibus ad diuinũ cultum explendum; & non solum diuinis precibus ea sacrauit; sed etiam Olei sancti vnctione Domino iubente liniuit de consec. dist. 1. §. Salomõ quoque idem fecit, vt patet 3. reg. 6. Si illi, qui vmbræ legis deseruiebant, hoc agebant: multo magis nos, quibus veritas patefacta est, hoc facere debemus. Hoc autem ex institutione Felicis Papæ tertij obseruamus: qui vixit anno Domini 483. lege Platinam, hoc ibi in vita Felicis inuenies.

Dedicatur autem pluribus de causis. Scilicet vt dæmonis potestas inde expellatur. Secundo vt ad eam confugientes saluentur; prout legitur in Câ. Greg. 23. q. 5. reus. Et ob hoc Ioab in Tabernaculum fugit, & Altaris cornua apprehendit. 3. reg. 2.

Tertiò vt orationes ibi exaudiantur, vt dicitur in oratione, scilicet, vt omnes, qui huc deprecaturi cõuenĩũt ex quacunque tribulatione & cæt. sic orauit Salomon. 3. reg. 8.

Quartò vt ibi laudes Deo soluantur. Licet vbique Dominus sit, tamen in Ecclesia, speciali quodam modo, ibi est, puta in Sacramento Eucharistiæ.

Quintò vt ibi Sacramẽta Ecclesiastica ministrentur. Quod ad fugandũ dæmonem consecretur patet, refert enim Greg. in lib. Dialog. lib. 3. c. 21.

quod

quod dum quidam Episcopus consecraret quamdam Ecclesiam redditam ab Arrianis, & Reliquiæ sancti Sebastiani, & Beatæ Agathæ illuc delatæ essent, & populus esset ibi congregatus, porcum repentè inter pedes huc illuc discurrere senserunt, qui fores Ecclesiæ repetens, à nullo videri potuit, atque omnes in admirationem commouit. Quod ideo Dominus ostendit, vt cunctis pateficeret, quod de loco eodem immundus habitator exiret. Sequenti autem nocte magnus strepitus factus est in Ecclesiæ tectis, ac si in eis aliquis errando discurreret: Secunda verò nocte grauior strepitus auditus est. Et ita tertia nocte videbatur à fundamentis Ecclesia diuelli: deinde nulla inquietudo apparuit. Item templorum consecrationis significatio manifesta est. Templũ Dei sanctum est, quod estis vos, ait Apostolus. Igitur cùm Templum Deo consecrari videmus, meminerimus totum quod extrinsecùs agitur, in nobis spiritali consecratione complendũ esse, hoc est, curandum esse nobis, vt membra nostra templum sint Spiritus sancti, vt habitaculum cordis nostri Deo dicatum euacuetur vitijs, & virtutibus repleatur, claudatur diabolo, & aperiatur Christo. Qua ratione quoque fit (vt B. Clemens Petri successor, & post eum B. Basilius testantur) quod etsi nobis vbique orare liceat, sacrorum tamen misteria non alibi peragere, quàm in loco sacro liceat, extra illum verò omnino nefas sit: vt vel hinc admoniti, intelligamus sacra sacramenta non impartienda, neque communicanda hominibus impijs vel prophanis, sed his tantùm qui se totos vt viua templa Deo consecrarunt. Vasorum, pallarum, aliarumque rerum consecratio, quibus vtimur in ministerio eandem habẽt rationem. Et quia semel Deo dicata sunt, suaque non contemnenda misteria habent, ideo sacrilegi censentur, qui ea negligenter, vel indignè attrectant. Vnde & in vetustissimis sanctissimorum Patrum decretis cautum est, vt soli Præsbiteri, seu Diaconi adhibitis humilibus ministris, Pallas, & Sanctuarij vasa adhibeant, idque iuxta Sacrarium, & in vasis peculiaribus, in quibus nihil aliud fiat.

Non est autem consecranda nisi dotata sit, & ex licitè acquisitis. 1. q. 1. nõ est putanda. Legitur enim quod dum quidam Episcopus vellet consecrare quandam Ecclesiam de vsuris, & rapinis constructam, vidit post Altare diabolum stantem in cathedra, in habitu pontificali, qui dixit Episcopo: cessa consecrare, nam ad meam pertinet iurisdictionem, cùm sit ex vsuris & rapinis constructa: Episcopo verò & Clericis territis, & inde fugientibus diabolus continuò ipsam Ecclesiam cum magno impetu & strepitu destruxit: hoc idem ait Dur. ibidem.

Inter alia dum consecratur scribitur alphabetum Grecum, & Latinum in pauimento Ecclesiæ: non autem Hebraicum, quia Hebræi recesserunt à fide: & fit hoc cum baculo Pastorali. Elementa ibi scripta denotant articulos fidei, quibus rudes, atq; neophyti de vtroque populo in Ecclesia erudiuntur, qui se debent puluerem & cinerem reputare. Baculus, quo alphabetum scribitur, significat doctrinam Apostolorum qua facta est conuersio Gentilium.

Depinguntur duodecim Cruces in parietibus Ecclesiæ, & chrismantur. Depinguntur propter terrorem, vt dęmones videntes terreantur, nec illuc reuerti præsumant. Secundò propter triumphi ostensionem. Nam Cruces sunt Christi vexilla.

Duodecim luminaria ante Cruces denotant duodecim Apostolos, qui per fidem Christi crucifixi totum sua pręedicatione mundum illuminarunt.

Potest consecrari Ecclesia diebus Dominicis, & priuatis extra. eo. de consec.

consec. Eccl. c. 21 & plures Episcopi, & plura Altaria possunt simul ab eodem in vna Ecclesia consecrari. extra eo. cum suis. Non potest consecrari Ecclesia, in qua paganus, vel infidelis sepultus est, donec inde eiectus fuerit. de consec. dist. 1. Ecclesiam. 1. & 2. Si mulier prægnans potest, licet partus non sit baptizatus. ff. de vent. insp. §. 1. ff. de sta. hom. qui in vtero. de consec. dist. 4. si ad matris. Nam eo ipso quod aliquis fidelis in aliquo loco sepelitur de voluntate Domini, locus ille religiosus efficitur; secus si contra Domini voluntatem. ff. de relig. l. 2. §. si vsus fructus.

Polluta Ecclesia dicitur, ita quod non liceat in ea celebrare in his sex casibus, secundùm Nauar. cap. 27. num. 256. Primus casus est in cap. Ecclesijs 68. dist. & cap. Ecclesijs de cōsec. dist. 7. c. proposuisti. de consec. Ecclesiæ. Quando sanguis humanus intra eam iniuriosè effunditur, aut causa naturalis eius effusionis, aut mors datur. Secundus casus est, quando ibidem voluntariè semen humanum effunditur. Ecclesia autem consecrata, cuiuscunque seminis, vel sanguinis effusione polluta fuerit, acqua protinus exorcizata lauanda est, ne diuinæ laudis organa suspendantur. Sed intellige de effusione sanguinis in quantitate: quia si quid minimum sanguinis, duæ putà aut tres guttæ, etiam cum iniuria sit effusum, non propter hoc erit polluta; & si multum etiam quando ex ioco, vel casu aliquo inopinatus emissus sit, puta si esset percussus extra Ecclesiam. Nota quod Episcopus proprius potest talem Ecclesiam consecratam reconciliare, per se, vel per alium, vt supra diximus: potest & vnus Episcopus acquam benedicere, & alius reconciliare: per simplices verò sacerdotes non potest fieri huiusmodi reconciliatio. de consec. dist. 1. cap. acqua tamen, secundùm Innocen. ex commissione Papæ possent simplices sacerdotes huiusmodi reconciliationes facere, acqua tamen prius per Episcopum benedicta. Et quamuis ante huiusmodi reconciliationem non debeant ibi diuina officia celebrari, nec aliquis sepeliri: tamen si quis contrarium faceret, etiam scienter, non propter hoc incurreret irregularitatem, secundùm Innocen. & alios, extra de senten. excom. C. his qui lib. 6. vnde opinio Host. in hoc non tenetur qui dixit talem esse irregularē. Si autem Ecclesia non esset consecrata posset reconciliari per simplicem sacerdotem, vt elicitur ex Greg. 9. extra eo. c. si. vbi dicit: Si Ecclesia non consecrata, fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, acqua protinus exorcizata lauetur ne diuinæ laudis organa suspendantur, est tamen quam citius fieri poterit consecranda. Hæc ibi, vt dicit Glos. credo quod per simplicem sacerdotem possit lauari, quia si intellexisset Papa quod per Episcopum lauaretur illud dixisset, sicut dixit in præced. cap. cum idem eidem scripserit. Et quia dixit acqua exorcizata, quæ fit per sacerdotem & nō cum acqua, & vino, & cinere, cum qua recōciliatur Ecclesia consecrata. Idem dicit Guliel. ex hoc arguens quia Papa dicit protinus, quod non fieret si oporteret expectare Episcopi mādatū, quod dicit quia dicunt quidam quod requiritur Auctoritas Episcopi super hoc.

Tertius casus est quando in ea aliquis excommunicatus sepelitur. cap. consuluisti de consec. Eccles. Quarto quādo in illa aliquis infidelis sepelitur. ca. Ecclesiam 1. & 2. de consec. dist. 1. quamquam in hoc casu non solum reconcilianda est Ecclesia, sed etiam parietes illius abradendi, licet in præcedenti reconciliatio sufficiat iuxta Panor. in dicto cap. consuluisti. Quinto quando Ecclesia per Episcopum excommunicatum publicum, consecratur aut benedicitur, arg. de consuluisti.

uisti. Vbi notat Panor. Sextò quando omnes parietes renouantur Glos. in cap. ligneis. de consec. Eccl. quia omnes simul corruerunt & tota omnino simul renouatur. Itē quando dubitatur de consecratione eius, vt de consec. dist. 1. c. 1. Nota tamen quod propter adulterium, vel homicidium, nō reconsecratur Ecclesia. Vt extra de adulterio, significasti, ait Glos. Pro consecrandis Ecclesijs nihil exigatur ab Episcopis, & præcipue si fuerint pauperes; sponte tamen oblatum ab eis poterunt Episcopi præcipere. 1. qu. 2. Placuit. aiunt quidam quod locus triginta pedum circa Ecclesiam in eum finem debeat consecrari. Alij verò putant solum Episcopi circuitionē quando Ecclesiam dedicat sufficere. Sed seruanda est in hoc consuetudo loci.

Consecratio ista duo significat. Primum est sanctificatio, quam consecuta est ecclesia per passionem Christi in hoc sacrificio repræsentatam. Secundum, ad significandam sanctitatem quæ requiritur in illis, qui debent interesse huic sacrificio, & recipere hoc sacramentum. Insuper hæc consecratio habet hunc effectum, quia reddit locum aptum diuino sacrificio, & excitat ad deuotionem astantes, ait D. Th. 3. p. q. 83.

De consecrationibus, & vnctionibus. Cap. 8.

HIs itaque visis dicendum est de consecrationibus & vnctionibus. Legitur enim Dominum præcepisse Moysi, vt conficeret chrisma. Exod. 25. quo vnguento vngeret Tabernaculum in dedicatione, & arcam testamenti cum vasis: & quo similiter Sacerdotes & Reges vngerentur. de consec. dist. 1. c. 1. Moyses tamen non legitur vnctus fuisse, nisi vnctione spirituali, sicut & Christus. Voluit autē Christus nos vnctione materiali inungi vt ex illa consequamur spiritualē: & ideo pia mater Ecclesia diuersas exhibet vnctiones: de quibus iā dicetur.

Ad maiorem tamen intelligentiam circa consecrationem tria considerare debemus. Primo Oleum quo consecrantur illi, qui consecrantur. Secundò, membrū quod cōsecratur. Tertiò, ministrum quo consecrantur, vel inūguntur. Triplex enim Oleum in die cœnæ Domini ab Episcopo consecratur. Primum & principalius est sanctum chrisma, quod ex Oleo & Balsamo conficitur. Secundum Oleum dicitur Oleum sanctum, vel Oleum benedictum, sed non chrisma, & tale Oleum dicitur Oleum Cathecumenorum. Tertium Oleum est Oleum infirmorum, quo vnguntur infirmi in articulo mortis: vt patet in extrema vnctione. Hæc extra de Sacramento extremæ vnctionis. Primum Oleum, scilicet, chrisma, cum illo inquā hæc omnia consecrantur, scilicet, fontes baptismales: Calices & Patenæ: Ecclesiæ & Altaria: pueri etiam postquā baptizati sunt inunguntur in vertice, & in fronte: inunguntur Episcopi quando cōsecrantur, demum omnes fideles, cum recipiunt Sacramentum confirmationis. quodquidem Oleum sanctum, scilicet, chrisma, tantum in die Cœnę Domini confici debet. Cum secundo Oleo Cathecumenorū inunguntur pueri, qui debent baptizari, in pectore, & inter scapulas: inunguntur etiam Sacerdotes: item Ecclesia & Altaria ante chrismationem: insuper inunguntur Reges, & Principes; Cū tertio Oleo solum infirmi in mortis articulo. Primum Oleum, scilicet chrisma non nisi in die cœnæ confici debet, vt patet de consec. dist. 4. omni tempore. Et extr. de sent. excommu. quoniam. lib. 6. De alijs autem duobus Oleis non inuenimus prohibitū. Istæ autem vnctiones figuratæ sunt in triplici vnctione Dauid. Prima vnctio eius fuit in domo Patris, vt patet. 1. reg. 16. Et significat vnctionem Cathecu-

thecumenorum. Secunda vnctio eius fuit super Iudam: vt patet. 2. reg. 2. Et significat vnctionem infirmorũ. Tertia vnctio eius fuit in Syon super Iudam & Israel: vt patet. 2. reg. 5. Et significat vnctionem Pontificum, Sacerdotum, & Regum.

Notandum quoque est, quod duæ sunt species vnctionis: extr. de sac. vnct. cap. 1. exterior, quæ materialis, siue corporalis & visibilis est: Et interior, quæ spiritualis & inuisibilis est; exteriori visibiliter vngitur corpus. De prima dicitur Iacob. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum. Ergo non possent Diaconi conferre hoc Sacramentum, cum dicit Iacobus, inducat Presbyteros Ecclesiæ, multo minus laici possunt.

De secunda dicitur. 1. Io. 2. Et vos vnctionem, idest, vnctio quam ab eo accepistis maneat in vobis, vt non necesse habeatis, vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.

De Unctione in Baptismo. Cap. 9.

De visibili vnctione autem primo dico quod omnes Christiani inũguntur bis ante baptismum, & bis post baptismum: inunguntur itaque Cathecumeni: & non solum Cathecumeni inunguntur Oleo Cathecumenorum, sed etiam infirmi inunguntur; scilicet, Oleo infirmorum: de qua vnctione loquitur Iacobus loco citato. Sed dicet aliquis quare Cathecumeni & infirmi Oleo inunguntur? Dicendũ, vt ex visibilibus inuisibilia facilius capiantur, sicut enim Oleum fugando infirmitatem, recreat artus fessorum, & de sui natura lumen præstat: sic credendum est, quod vnctio Olei consecrati, quod est signum fidei peccata fugando animæ sanitatem confert, & lumen ei præstet. Si quidem Oleũ visibile, in signo, Oleum inuisibile in Sacramento, & Oleum spirituale intus est. De Oleo infirmorum authoritatem ab Apostolis accepimus: De Oleo Cathecumenorum ab Apostolicis viris: & licet Deus possit tribuere Oleum spirituale sine corporali, quia tamen Apostoli pro infirmis, Apostolici viri pro Cathecumenis hac arte vsi sunt, non potest omitti sine peccato, quod eorum authoritas consecrauit. Vnctio autem fiebat etiam in veteri testamento, vngebantur. n. Pótifices, Sacerdotes, & Reges: Sed in nouo testamento omnes inunguntur, scilicet bis ante baptismum inunguntur, nempe Oleo benedicto primo in pectore, deinde inter scapulas: & bis post baptismum, scilicet, chrismate sacro, primo in vertice, deinde in fróte per Episcopum. Et hoc quia Christus in sanguine suo, fecit nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, idest, regales Sacerdotes. Iuxta illud. 1. Pet. 2. Vos estis genus electum, idest, electi ex genere hominum. Regale Sacerdotium, idest, bene vos regentes. In pectore quidem inunguntur, in quo est locus cordis, vt per Spiritus sancti donum, abijciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia iustus ex fide viuit. Abac. 2. Et corde creditur ad iustitiam, Rom. 10.

Inter scapulas verò, inungitur, vt per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, ac exerceat bonam operationem: quia fides sine operibus mortua est. Iac. 2. vt per fidei Sacramentum sit mundicia cogitationum.

Nam onera communiter scapulis sustinemus, et iugum imponimus ibi. Inunguntur etiam, vt videamus quia Domini iugum est suaue, & onus eius leue: Oleum enim mollificat inmaterialibus: & supra diximus quod vnctio exterior signum est interioris.

In vertice vero baptizatus chrisma-

te a Sacerdote inungitur, vt sit paratus omni poscenti, de fide reddere rationem: quia per caput mens intelligitur.

Ante baptismum vngitur Oleo benedicto, & post baptismum chrismate sacro, quia chrisma solum competit Christiano. Christus enim à chrismate dicitur, vel potius chrisma à Christo dicitur, nó secundum hominis formam, sed secundum fidei rationem. A Christo Christiani dicuntur, tanquam vncti deriuentur ab vncto, scilicet, à Christo, vt omnes concurrant in odorem vnguenti illius, scilicet, Christi: cuius nomen Oleum est effusum: sed secundũ vim nominis Christiani à chrismate dicuntur; secúdum Isidorum.

Hanc vnctionem faciunt in vertice sub forma Crucis, & sub nomine humilitatis: quam Siluester Papa fieri instituit etiam per Presbyteros propter occasionem mortis. Nihilominus & sine vnctione credimus solo baptismo saluari, & sine impositione manus, Spiritum sanctum dari, cui Deus dare voluerit, vt legitur in Actibus Apostolorum. Vnde credibile est, quod ante eius tempus vtraque vnctio, scilicet, verticis, & frontis Episcopo reseruabatur. Et cum gremium dilataretur Ecclesiæ, nec omnibus Episcopi valerent per confirmationem occurrere, ideo ne sine chrismatis vnctione perirent, instituit vt à Sacerdotibus in vertice supra cerebrum, vbi est sedes sapientiæ, vngerentur ad robur, & augumentum gratiæ: de alijs verò cæremonijs dicetur infra de baptismi sacramento.

De vnctione ordinandorum, scilicet Sacerdotum. Cap. 10.

Circa verò vnctionem ordinandorum, animaduersione dignum est, quod manus Sacerdotum inungũtur ab Episcopo: ad hoc vt cognoscát hoc sacramento se per Spiritum sanctum suscipere virtutem & gratiam consecrandi.

Vnde Episcopus eas inungens dicit, Consecrare, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam vnctionem, & nostram benedictionem, vt quæcunque consecrauerint, consecrentur: & quæcunque benedixerint, benedicantur, in nomine Domini. 16. q. 1. §. hoc inde, & extr. de sacra vnc. c. 1. Quapropter viri deuoti osculátur manus Sacerdotum, statim post ordinationem eorum, credentes per hoc orationum illorum & bonorum participes fieri. Et vnguntur Oleo sacro, quod opera misericordiæ pro viribus ad omnes debeant exercere. Per manus enim opera, & per Oleum misericordia designatur. Vnguntur etiam Oleo, vt humidi sint ad offerendum Deo hostiam pro peccatis: & largi ad cætera pietatis officia: non aridè & curuè retinendum. 1. q. 1. sicut vrgeri. Vtrunque enim, videlicet gratia curationis & charitas dilectionis per Oleum designatur.

Rursus ideo impositio manus cum Oleo super caput ordinandi fit: quia per manus opus, per digitos dona Spiritus sancti, & per caput mens intelligitur.

Manus ergo imponitur, quia donis Spiritus sancti imbutus, ad opera Christi mittitur: quare autem ab Episcopo, & diximus & in capite sequenti amplius dicetur, & cur pes & auricula in vet. vngebatur.

De consecratione Pontificum. Cap. 11.

Circa consecrationem Pótificum, Sacerdotum etiam, & Regum, cósiderandum est membrum, in quo inunguntur vel consecrantur. Nam Pontificum vnctio a veteri testamento originem sumpsit. extr. de sac. vnction. c. 1. Nam Leuit. 21. dicitur, Pon-

tifex super cuius caput fusum est vnctionis Oleum: & cuius manus sunt in Sacerdotio consecratæ.&c. Etenim Pontifex olim Oleo vnctionis in capite vngebatur: Minorum verò Sacerdotum solæ manus vngebantur. Reges verò & Principes in brachio siue humero vngebantur. Leuitæ vero nó vngebantur, vel consecrabantur.

Primò ergo dicendum, quod summus Sacerdos oleo vnctionis in capite vngebatur: ita dicitur Leuit.8. Tulit Moyses vnctionis Oleum & effudit super caput eius, scilicet Aaron; & hoc vt designaretur, quod ab ipso dif fundebatur dignitas consecrandi ad alios, sicut vnguentum a capite ad membra, vt habetur in Psal. 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron. Ratio autē huius similitudinis est: quia est quædam virtus trāsfusiua,& quædam non. Virtus seu potestas transfusiua est illa, quæ est membrorum radicalium, cuiusmodi est caput. Non similiter est de virtute pedis, vel manus: propter quod cum potestas Pontificum sit transfusiua, ideo potest trāsferre potestatem suam ad inferiores, quod non possunt Sacerdotes inferiores: & ideo propter hoc solis Pontificibus conuenit vngi in capite.

Secundò dicendum, quod Sacerdotum inferiorum manus in cōsecratione vngebantur: ita dicitur Leuit. 21 supra alleg. scilicet, cuius manus, inquit, in Sacerdotio consecratæ sunt, hoc dicitur, ad differētiam minorum Sacerdotum, quorum caput non vngebatur: sed manus tantum, & auricula, ad designandum, quod manus eorum erant ampliandæ ad sacrificia, & aures ad obedientiam. Vbi notandum est, quod in consecratione Sacerdotis quatuor fiebant. Primò offerebantur huiusmodi sacrificia, scilicet, vitulus pro peccato, aries in holocaustum, aues quæ erant hostia pacifica. Vitulus offerebatur pro ignorantia Sacerdotis, & hæc est ratio quare offerebatur. Aries autem ad honorem Dei, comburebatur totum, & nihil ex eo relinquebatur. Aues autem pro gratiarum actione, vel pro voto. Si pro gratiarum actione, comedebātur in ipsa die, sed non vbique nisi in Ierusalem: Si pro voto, poterant in crastino comedi. Et ratio huius ordinis est, quia homo obligabatur Deo propter quatuor. Primo enim maximè obligatur homo propter eius maiestatem. Secundò propter offensam commissam. Tertio propter beneficia iam suscepta. Quarto propter beneficia sperata.

Secundò offerebatur canistrum panum, vt sciret Sacerdos se assumpturum illius seruitium, qui pane cælesti, hoc est manna filios Israel aluit in deserto. Exod. 16. Tertiò in consecratione Sacerdotis imponebatur super manus adeps arietis, armus dexter, & torta panis: & hoc duplici ratione. Prima est, ut ostenderetur, quod Sacerdotes accipiebant potestatem huiusmodi offerendi Domino, & accipiendi huiusmodi oblationes a populo. Vel potest dici, quod in consecratione Sacerdotis offerebantur, vt se sciret Sacerdos ex consecratione accepisse duplicem potestatem, scilicet, potestatem offerēdi Deo sacrificium, quam significabat acceptio adipis. & potestatem accipiendi stipendium de sacrificijs ad suum victum, quā significabat acceptio armi & pectoris.

Quartò in consecratione tangebatur extremum auriculæ eius dexteræ, & pollex manus dexteræ & pedis dexteri. Et hoc vt ostenderetur, quod Sacerdotes ex cōsecratione totaliter debent esse conuersi ad cęlum quantum ad tria. Primò, quantum ad attentionem intellectus: quæ designabatur in dextera auricula. Secundò, quantum ad approbationem affectus: quæ designabatur in pollice pedis dexteri. Tertiò quantum ad intētionem affectus: quæ

quæ designabatur in pollice manus dexteræ. Vel potest dici, quod per istã triplicem vnctionẽ significabatur emi nentia Sacerdotis, quantum ad intellectum, affectum, & actum. Primo quantum ad intellectum, scilicet, in his quæ sunt fidei, quæ est ex auditu: ideo inunxit auriculam eius dexterã: Vel secundum Glos. ibidem. In vnctione auriculæ dexterę specialis obedientia designatur; vnde in hoc tactu notatur, quod inferiores Prælati debent obedire superiori in his, quę pertinent ad salutem. Hebr. vltimo. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: sumentes rationem ex obedientia Christi: qua fuit obediens patri vsq; ad mortem. Philip. 2. Secundo per tactum, & vnctionem manus, operatio intelligitur. per manum enim dexteram opus pietatis signatur. Tob. 4. Ex substantia enim tua fac eleemosynas. Tertio per pedem dexterum, affectio compassionis designatur. 2. Corin. 11. Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? Si quid patitur vnum membrum com patiuntur omnia membra.

Sed dicet aliquis quare Sacerdotes nostri non vnguntur in pede & aure? Dicendum, quod ratio huius est, quia quanto aliquid est imperfectius, tantu pluribus indiget: vnde quantum ad ea, quæ designauit unctio pedis, & auris; magis sunt perfecti qui modo sunt; quam qui erant tempore legis. Cuius ratio est; quia auris obedientiæ præceptis fidei, & affectus charitatis operibus Christi, & virtute passionis eius excitati sunt: vnde Psal. 17. Popu lus, quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi, & Isa. 52. Quod, pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem: qui tunc tẽporis non fuerunt.

Quia igitur, nunc aperta est auris fidei, & affectus charitatis, qui per pedem significatur, quod tunc non erat, non requiritur vnctio excitãs ad hoc, sicut tunc. Manus autem modernorũ Sacerdotum inunguntur propter sacrorum pertractationem, quę incumbit manuum operationi. Hæc Vgo Cardin. in postilla super Leuit. 8. Leuitæ vero non habebant aliam consecrationem, nisi quod offerebantur Domino a filijs Israel per manus Pontificis, qui orabat pro eis, & applicabantur ad ministerium per hoc, quod intromittebantur in Tabernaculum fœderis, idest ad ministrandum circa vasa secundaria. Hæc Beatus Thom. 1.2.q. 102. art. 5.

Sane Episcopus vngitur chrismate, quod conficitur ex Oleo & Balsamo, & ungitur illo tam in corpore quam in corde, ut interius nitorem conscientiæ quantum ad Deum, quod per Oleum; exterius habeat odorem famæ, quo ad proximum, quod per Balsamum designatur. De nitore conscientiæ dicitur. 2. Cor. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: Nam omnis gloria filiæ Regis ab intus, scilicet procedit. Psal. 44. De odo re bonæ famæ dicitur. 2. Cor. 2. Christi bonus odor, idest, exemplum & imitatio sumus in omni loco: & alijs sumus odor vitæ in uitam. 23. q. 4. ca. Nabuchodonosor. in princi. quasi diceret. Sumus exemplum dilectionis & bonæ opinionis ducentis in uitam æternam; alijs odor mortis in mortẽ, idest, inuidiæ & malæ opinionis ducentis in mortem æternam.

Caput & manus Episcopi consecrã tur: per caput mens intelligitur. iuxta id Mat. 6. Vnge, idest, humilia caput tuum, & faciem tuam, idest conscientiam tuam laua, scilicet, lachrymis. Per manus opera designantur. iuxta id cant. 5. Manus meæ, idest, opera bona, distillauerunt myrrham, idest, dederunt alijs bonum exemplum.

Caput ungitur Balsamo charitatis. Primo vt Episcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima sua: & etiam Christi exẽplo proximum suũ sicut, idest, ad id,

quod seipsum. Oleum enim in capite est charitas in mente secūdum Greg. Secundò vngitur caput propter authoritatem & dignitatem, quoniam non solum Episcopus, sed etiam Rex consecratur. Tertio vt ostendatur illius scilicet Christi (tanquam eius Vicarius) repræsentare personam, de qua dicitur: sicut vnguentum in capite, quod descendit. Caput enim viri est Christus: caput Christi, Deus: qui de se dicit Luc. 4. Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. Christus enim caput nostrum vnctus est oleo inuisibili, ipse verò interpellat pro vniuersa Ecclesia: Episcopus pro sibi commissa.

Manus vero vnguntur propter mysterium & officium: & vnguntur oleo, idest, chrismate pietatis, & misericordiæ. Primò vt Episcopus operetur bonum ad omnes (nam diximus manus designare opera) maximè ad domesticos fidei; nemini claudantur, omnibus operiantur, iuxta id Prouer. 31. Manum suam aperuit inopi, & brachium suum extendit ad paupere͂.

Secundò vt ostendatur accipere potestatem benedicendi, & consecrādi. Vnde cum eas consecrator inungit, inquit, Consecrare & sanctificare Domine digneris manus istas &c. Et licet manus Episcopi inunctæ fuerunt oleo, cùm in Presbyterum ordinaretur: iterum chrismate inunguntur cū in Episcopum consecratur. extra. de sac. vnct. cap. vno. Siquidem per manus opera, per Oleum Spiritus sancti, vel gratiæ copia: per Balsamum quod Oleo admiscetur in chrismate, odor designatur bonæ famæ. Eccl. 23. Quasi Balsamum non mistum odor meus: quia in operibus Episcoporum & aliorum superiorum, plusquam in alijs inferioribus manus Spiritus sancti apparere, & odor famæ sentiri debent. Nam & superiores Angeli inferioribus bonis & gratia eminent. 88. dist. ad hoc. ideo in eorum consecratione manus alias inunctæ Oleo benedicto, chrismate rationabiliter inunguntur. Pollex etiam chrismate confirmatur: vt pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem.

Tertiò principaliter quod considerare debemus, est minister, à quo consecrantur. In lege veteri ex præcepto Domini Moyses consecrauit Aaron in Sacerdotem; ita dicitur Leuit. 8. Fundens Oleum super caput Aaron vnxit eum, & consecrauit. Super quo verbo Augustin. in gloss. supra allegata sic ait. Vnxit ergo Moyses, & offert figuram Christi gerens: ipse enim filius Dei est qui vngit, & qui vngitur: vngit secundum diuinitatem. iuxta id: Vnxit te Deus Deus tuus. A patre vngitur secundum humanitatem. Isaia 61. Spiritus Domini super me, eo quo vnxerit me: vnde & Daniel oblatum illum videt, & offerentem non videt, quia seipsum offert. Sic Moyses vngit & vngitur. Aug. ibidem ait: Aaron summus Sacerdos fuit propter veste͂ Pontificalem: Moyses vero propter excellentius ministerium. Idem. Moyses & Aaron ambo Sacerdotes summi erant: sed Aaron fuit summus Sacerdos & dignitate ministerij, & dignitate Pontificalis ornamenti: Moyses vero fuit summus Sacerdos dignitate ministerij tantùm. glos. super illo verbo, Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius: ita ait: Moyses Sacerdos dicitur, qui si non hostias, vota tamen populi Deo obtulit, & pro populo supplicauit.

Si quæratur, quis Moysem consecrauit? Dicerem, quod sicut consecratio Petri & Pauli non legitur; tamen a Spiritu sancto, dicitur & creditur illos fuisse consecratos: sic de Moyse dicitur. Moyses ergo erat sacerdos vnctus Oleo inuisibili, & ipse in principio consecrabat sacerdotes, immo & ipsum Aaron vt patet Leuit. 8. Si quæratur quare non erat summus Sacerdos

cerdos vt Aaron? Resp. quoniam Aaron erat maior Moyses tribus annis, ideo hæc fuit vna de causis, quare Aaron assumpsit summum sacerdotium, & non Moyses: nam summum Sacerdotium conueniebat primogenitis de tribui Leui: Et Aaron erat primogenitus Amran vt patet Exod. 6. Item quia Aaron erat Princeps tribu Leui, Exod. 19. Item, quia Moyses duxit in vxorem filiam Ietri, qui erat Sacerdos Idolorum, nomine Sephoram Exod. 2. Aaron autem accepit Elisabeth filiam Aminadab, de tribu Leui. Exod. 6. iuxta præceptum Domini, & patet Exod. 27. & Deuter. 17. Aaron autem fuit Maior Moyse in spiritualibus, Moyses vero fuit maior Aaron in temporalibus. Et si dices quis consecrauit summum Pontificem post mortẽ Moysi & Aaron, & similiter de alijs? Dicendum quod minores Sacerdotes consecrabant eum, sicut Episcopi nũc consecrant Papam. Vnde Raim. ait: quod Papa consecrari debet ab Episcopis Cardinalibus, qui quo ad hoc funguntur vice Metropolitani distin. 23. in nomine Domini. vers. quia ergo sedes Apostoli. & Ganf. in tit. de æta. & qual. ordi. cap. hos omnes, ait, quod Papa consecratur ab Episcopo Hosti. qui in hoc vicem Metropolitani obtinet. Vnde Aug. super illum vers. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij; ita ait: Genuerunt te Apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi patres, sed nũquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? Ergo illorum discessu deserta est Ecclesia? Absit, pro patribus nati sunt tibi filij, patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis autem, nati sunt tibi filij, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia eos patres appellat, ipsa illos genuit, & constituit in sedibus patrũ. Non ergo te putes desertam, quia nõ vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es, de prole tua tibi creuit paternitas.

De Vnctione Regum, & Principum. Cap. 12.

IN veteri testamento non solum vngebatur Sacerdos, sed etiam Rex & Princeps. vt patet 3. Reg. 19. de Azael in Regem super Syriam ab Elia. Et Ieu inunctus in Regem super Israel: & Elisæum vnges Prophetam, &c. Sed postquam Iesus Nazarenus, quem vnxit Deus Spiritu sancto, sicut dicitur Act. 10. vnctus est Oleo præ consortibus suis, idest, plusquam cæteri homines, quorum mortalitatis factus est particeps: qui secundum Apost. est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius Principis, vnctio a capite ad brachium est translata: vt Princeps a tempore Christi non vngatur in capite, sed in brachio, siue in humero vel in armo, in quibus Principatus cõgruè designatur. iuxta illud Isa. 9. Factus est Principatus super humerum eius &c. Ad quod etiam significandũ, Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite mensæ ante eos, qui fuerant inuitati. In capite vero Pontificis sacramentalis est delinitio obseruata: quia personam capitis, scilicet Christi, qui est caput Ecclesiæ in Pontificali officio repræsentat. Differt autem inter vnctionem Pontificis, & Principis: quia caput Pontificis chrismate cõsecratur: brachium vero Principis Oleo delinitur: Vt ostendatur, quanta sit differentia inter authoritatem Pontificis, & potestatem Principis.

Reges & Principes vnguntur in brachio, siue in humero, ad ostendendum, quod defendere debent, & supportare onera subditorũ. Nota quod Princeps dicitur, siue componitur ex primum, & capio, & dicitur quasi primũ capiens locũ vel dignitatẽ, glos. in clem. li. 3. tit. 15. c. vnicum §. regum.

Cæterum circa consecrationem Episcoporum in die consecrationis suę, consueuerunt equitare equos, albis pannis coopertos, repræsentantes illud Apocal. 19. exercitus qui sunt in cælo sequuntur illum in equis albis. Siquidem exercitus, qui sunt in cælo, sunt boni & iusti viri, & Prælati, qui quotidie sequuntur pro cælestibus Deum in omnibus operibus bonis: qui ideo dicuntur esse in cælo: quia sola cælestia diligunt & quærunt. Sequuntur inquam Iesum hi exercitus, idest Prælati, quando expugnant in se vitia per correctionem: & in proximis per admonitionem.

De vnctionibus Calicis & Patenæ. Cap. 13.

INsuper cum primo oleo, consecratur etiam Calix, Patena, Ecclesia, & Altare, vt diximus: quæ secundum morem, dum dedicantur, inunguntur Extr. de sac. vnct. cap. vno. non solum ex mandato legis diuinæ, quod Moyses Tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine aspersit: & omnia penè in sanguine mundabantur: verum etiam exemplo Beati Siluestri, qui quando consecrabat Altare, illud chrismate perungebat: quę vnctiones fiunt ut maior reuerentia adhibeatur & maior eis gratia infundatur.

Patena siquidem consecratur & inungitur ad ministrationem corporis Christi; qui in ara Crucis pro omnium salute immolari elegit. Nam & Deus conspersam similaginem in Patenis aureis & argenteis ad Altare suũ deferri iussit. Calix consecratur & intingitur, vt gratia Spiritus sancti perficiatur nouum sepulchrum corporis & sanguinis Christi, & ipse dignetur illum sua uirtute perfundere, qui Calicem Melchisedech famuli sui perfudit. De Oleo infirmorum infra dicetur.

Sed quare possunt tangi manus Sacerdotis a laycis, & mulieribus, & non possunt tangi vasa sacra? Respon. quia uasa sacra ad hoc tantum sunt consecrata, scilicet, ut per illa peragantur mysteria sacramenti Eucharistiæ, quod sacramentum a nullo alio, quam a sacerdote cõficitur: & a ministris in sacris constitutis (dum fiunt sacra solemniter) adiuuatur: qui quidem Ministri (sub Diaconus, scilicet, & Diaconus) necesse est aliquando vt tangant huiusmodi uasa, & ideo quia ad hoc deputati sunt, possunt & ipsi sacra tangere uasa, cum iam abrenũciarunt carni, ut Deo tantum uiuant per susceptionem scilicet, sacrorũ ordinum: alij uero non possunt tangere, quia ad hoc non sunt deputati, sed secularibus negotijs, uel possunt, uel implicantur. Manus autem Sacerdotis, quia a Deo datę sunt, etiam ad necessitates humanas peragendas, hinc est quod etiam possunt tangi a laicis, & osculari ex deuotione. Pręterea uasa sacra specialius repræsentant ipsum corpus Domini nostri Iesu Christi, quam manus ipsius Sacerdotis. Qui autem subtiliores habent rationes in lucem profferant.

De Calice & Patena. Cap. 14.

CAlix in scripturis sacris tripliciter accipitur. primo pro uase, in quo recipitur liquor aptus ad potandum: & hoc modo accipitur ibi, similiter & Calicem postquam cænauit dicens: Hic Calix nouum testamentum &c. Luc. 22. & Matt. 26. Secundò modo accipitur pro passione Christi: & ita ibi accipitur cum dicebat: Trãseat a me Calix iste. Matt. ibid. & cap. 12. potestis bibere Calicem, &c. Et tunc dicitur calix a calore, uel secundum Isid. Calix dicitur a Calon, quod est lignum. Erat enim antiquitus uas ligneum in quo medicinæ calidæ amaræ propinabant; similiter passio Christi

sti fuit in ligno Crucis propinata, & fuit nostrarum infirmitatum sanatiua. Fuit ex calore amoris facta, & fuit Christo ualde amara. Calices ergo hoc modo mortificationem carnis, & animum semper ad martyrium paratum significant. Hieronim. Epistola 20. ad Marcellam. Tertiò accipitur pro poculo in Calice contento, & ita accipitur ibi Matth. 9. Quisquis uobis potum dederit Calicem aquę frigidæ in nomine meo, quia Christi estis non perdet mercedem suam. De primo modo est hic sermo.

Ad decorem enim, & solemnitatē huius Sacramenti Eucharistiæ exigitur in Missæ celebratione Calix cum Patena de materia prætiosa. cur autē vide infra in cap. 25. Exod. nostri vocabularij. Licet enim Calix significet sepulchrum Christi, quod erat in petra excisum, & Patena significet lapidem superpositum, vt ait Hugo a san. Vict. non tamen Calix & Patena debent esse de petra: nec licet, quia non oportet quod quantum ad omnia, signa significatis respondeant. Similiter licet Seuerinus 16. Summus Pontifex constituit, vt Sacerdotes Calicibus & Patenis vitreis vterentur; postea tamen propter periculum, quod imminebat ex talium vasorum fragilitate, & vilitate, statutum fuit ab Ecclesia in Concilio Remensi, vt habetur de consec. dist. 1. Calix. quod calix Domini cum Patena fieret de triplici metallo. s. ex auro omnino, vel si non ex auro omnino fiat ex argento. Siquis autē pauper est saltē stamneū Calicem habeat auratum. De ære autem vel auricalco, & cæteris metallis non fiat: quia ex virtute, vel fortitudine vini rubiginem generaret, & pariter vomitum, vel nauseam prouocaret: nec ex ligno propter porositatem, quia imbibit liquorem immissum, nec ex lapidibus, propter vasorū lapideorum ineptitudinem: nec ex vitro, vel chrystallo, propter eorum fragilitatem. In omnibus enim talibus propter statutū Ecclesiæ supradictū, nullius Missam celebrare præsumat. Vnde Vrbanus Papa vt patet distinc. prædicta, omnia vasa sacra fecit argētea. Sed dicet quis, quare ista vasa tā prætiosa fiunt? Triplex ratio reddi potest. Prima est propter Sacramenti reuerentiam & honorem, vnde Ambr. & Canon. vbi supra aiunt. Nonne dicturus est Dominus Prælato, vel Sacerdoti talia vasa sic habenti pretiosa: cur passus es tot inopes mori fame, & certè habebas aurum de quo ministrares eleemosinam? Cur tot captiui, in captiuitatem deducti nec redempti ab hoste sunt occisi? Quid dices? Timui ne Templo Dei ornatus deesset. Respondebit: Aurum sacramenta non quærunt: ornatus sacrorum est redemptio captiuorum. Hæc Tho. 4. sent. dist. 13. art. 2. q. 5. & Alex. de Ales. 4. par. Sum. q. 3. art. . Hæc etiam patent ex Concil. Tuborense celebrato anno Domini 895. cap. 18. Verba autem Concilij sunt hæc. Vasa, quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, Calices sunt & Patenæ. Zepherinus 16. Romanus Episcopus, anno Domini 208. Patenis vitreis uel æreis Missas celebrari constituit. Tum deinde Vrbanus 18. Papa anno Domini 230. omnia ministeria sacrata fecit argentea. In hoc enim sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum, decus creuit Ecclesiarum. Nostris diebus qui serui patrisfamilias sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur, & amplificetur, statuimus, vt deinceps nullus Sacerdos sacrum mysterium corporis, & sanguinis Iesu Christi Domini nostri, in ligneis vasculis vllo modo conficere præsumat. Greg. aut III. ad Bonifacium tom. 2. Conciliorum, constituit, ne in Missarum solemnijs, duo vel tres calices in Altari ponerentur, quoniam id parum Christi institutioni

tutioni conueniret, qui de vno & eodem calice omnes communicasset. Vnde colligere licet, sanguinem non fuisse sacratum in calicibus ministerialibus, sed in alio quodam: & ex illo deinde transfusum in ministeriales, ad vsum populi: In primitiua Ecclesia calices erant lignei, & Sacerdotes aurei: nunc verò apparet oppositum.

De palla, & corporalis, & vestimentorum Sacerdotalium benedictione. Cap. 15.

QVoniam circa Missæ celebrationem considerandus est ritus seu modus, quo decoratur & honoratur secundum Tho. 4. sent. dist. 13. art. 2. qu. 6. in corpore quæstio. & quia in hoc Sacramento sicut in alijs, sunt quędam substantialia & quędam accidentalia, vt supra etiam in cap. de Altari adnotauimus: ideo declaratis duobus, scilicet, de Altari & Calicibus, quæ se tenent ex parte accidentalium, sequitur nunc de Palla & Corporale: Ad decorem ergo & solemnitatem Sacramenti corporis Christi exigitur in Missa Palla linea, & Corporale lineum album, non tinctum, non sericeum &c. nam hoc Sacramentum debet celebrari in pannis puris lineis non sericeis, non tinctis, sed albis. Cuius ratio est, quia corporale significat, vel repræsentat Syndonē, in qua inuolutum fuit corpus Christi in sepulchro, vt ait Hugo de Sanct. Vict. Cōpetit autem huic Sacramento Palla, corporalis linea, pura, & alba ob tres rationes, scilicet, cādorem, originem, tunsionem. Prima ratio est propter candorem sui: nam linum inter omnia genera pannorum est candidissimum, & melius mundari, & dealbari potest, & significat innocentiam, & puritatem Saluatoris, cuius puritas absque omnimoda macula fuit. Secūda ratio est propter originem; nam linum de terra nascitur, & significat corpus Christi passibile, & mortale, de corpore terreno Virginis sumptū. Tertia ratio est propter tunsionem: nam linum tunsione multiplici producitur ad cādorem, & significat corpus Christi, quod multiplici cruciatu, & pressura peruenit ad gloriam: Vnde licet esset vtendum panno serico propter pretiositatem Hostiæ: nō tamen vtimur, quia non ita repræsentat corpus Domini, sicut pānus lineus, nec pannus tinctus, sicut purus, & albus: hæc autē corporalia non consecrantur, siue nō unguntur oleo, sed benedicuntur tantum aqua benedicta, & benedictio hæc fit ab Episcopis, uel Abbatibus, & a nōnullis Prælatis religionum, secundum priuilegia eorum.

Similiter uestimenta Sacerdotalia, & alia Ecclesiastica ornamenta benedicenda sunt. Legimus enim de consec. dist. 1. §. 1. Moysem ex præcepto Domini Tabernaculum diuinis precibus sacrasse, cum mensa, & Altari, & vasis, & vtensilibus ad diuinum cultum explendum. Ergo multò magis nos hoc facere debemus, qui non vmbræ, sed veritati deseruimus. Et si sacræ uesti petia, uel filum adiūgatur, non ideo benedictionem iterari debere iuris testimonio comprobatur. arg. inst. de re. diuis. cum ex aliena. & §. qui tamen, extr. de consec. Eccl. quod in dubijs. ex benedictionibus alia colliges. Vsus benedicendi huiusmodi est antiquissimus. Sanctus Stephanus martyr in Epistola ad Hylarium Episcopum, ita ait. Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque diuinus, omni cum honorificentia, & honestate a Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebretur, & sacrata debent esse, & honesta. Quibus a ijs in vsibus (cum Deo, eiusque seruitio consecrata & dedicata sint) nemo debet frui, quam Ecclesiasticis, & Deo dignis. Vnde Altaris Pal

la,

la, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta; incendio dentur. Quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, male tractari: sed incendio vniuersa traddantur. Cineres quoque eorum in Baptisterium inferantur: vbi nullus transitus habeat, aut in pariete aut in fossis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. De consec. dist. 1. Altaris Palla. c. 39. Item in. ca. præcedenti probat Gratian. quod nec ligna vetusta, & alia vestimenta non debet reddire ad humanos usus, possunt tamen seruire fabricæ Monasterij, ut dicitur in eod. cap. ligno Ecclesiæ. Item sine his uestibus non licet celebrare. Vnde Concilium Remense (ut habet Burchardus Episcopus cap. 50.) ita ait. Nullus Presbyter absque amictu, alba, & stola, & fanone, & casula, ullatenus præsumat Missam celebrare.

De Sacramentis in genere. Cap. 16.

His itaque peractis de unctionibus, consecrationibus, & benedictionibus, operæ precium erit, ut de sacramentis nonnulla dicamus, primo generaliter, secundò in particulari. Sacramentum ergo dicitur sacræ rei signum, uel sacrum secretum. Signum est illud quod significat aliquid aliud a se: ut fumus significat ignem. Signum est triplex, aliud est signum a natura, ut fumus est signū ignis. Aliud ab hominibus, ut uoces, picturæ, uexilla, & huiusmodi. Et aliud est a Deo ut sacramenta, & figuræ ueteris testamenti. Signū a Deo institutum aliud est institutum ad significandum tantùm, vt figuræ veteris testamenti: aliud ad significandum, & efficiendum simul, ut sacramenta. Sacramentum autem est signum rememoratiuū præteritæ passionis Christi, a qua uirtutem accipit: est demonstratiuum præsentis gratiæ, quæ ab ipso confertur: & est prognosticum, idest, prænuntiatiuum futuræ gloriæ, quæ per ipsum obtinetur. Et ita ob hoc, triplex est signum. Hæc autem Sacramenta nouę legis differunt a Sacramentis ueteris legis. Primò quia illa significabant tantùm gratiam: ista illam efficiunt. Illa significabant Christum venturum, ista iam venisse; illa fuerunt instituta à Deo, ista à Christo: in illis conferebatur gratia, ex opere operantis .i. ob actum fidei, quem faciebant suscipiētes, protestando se credere in Christū venturum. Ista conferunt ex opere operato, idest, ex propria virtute tradita ipsi Sacramento operato à Christi passione. Vel Sacramentum dicitur aut à secreto, eo quod in re visibili diuinitas intus aliquid vltra secretius efficit per speciem corporalem; aut à consecratione sanctificationis, quia, Spiritus sanctus manens in corpore Christi, latenter hæc omnia Sacramentorum mistica, sub tegumento visibilium pro salute fidelium operatur. Magis igitur vis diuina ex hoc mentes credentium ad inuisibilia instruit, quam si visibiliter ea monstraret, quæ interius præstat ad effectum salutis. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.

Sunt autem Sacramenta Christi in Ecclesia, Baptismus, & Chrisma, Corpus quoque Domini, & Sanguis: quę ob hoc sacramenta vocātur, quia sub eorum specie visibili, qua videntur secretius, virtute diuina, caro consecratur, vt hoc sint interius in veritate, quod exterius creduntur virtute fidei. Hæc Paschasius Abbas de corpore, & sanguine Domini. Est & Sacramentum Iuris in quo post electionem partium iurat vnusquisq; quod suo pacto decreuerit.

Sacramenta autem triplici ratione instituta sunt; propter humilitatem, eruditionem & exercitationem. Propter humilitatem, vt dum homo ex Dei præcepto se rebus sensibilibus, & inse-

inferioribus sese reuerenter subijcit, ex hac obedientia apud Deum magis mercatur, 2.q.6. qui se scit. Propter eruditionem, vt per id quod videtur foris in specie visibili ad inuisibilem veritatem, quæ intus est agnoscendã, mens erudiatur. In ca. quia corpus vers. fide. Propter exercitationem, quia cum homo ociosus esse non debeat, proponitur ei vtilis, & salubris exercitatio in sacramentis, vt vanam, & noxiam declinet occupationem, iuxta illud, Semper aliquid facito, &c. 1. dist. nunquam cap. Hug. & alibi. Ociositas & voluptas, &c. Extra. de renunc. nisi cum pridem §. verum.

Sacramentorum quædam sunt necessitatis tantum: quædam dignitatis, & necessitatis: quædam ordinis & necessitatis: quædam dignitatis, & voluntatis, quædam vero voluntatis tantùm. Sacramentum necessitatis tantũ est baptismus, qui in summa necessitate a quocunque collatus (dum intẽdat facere, quod facit sancta mater Ecclesia) proficit ad salutem. de summ. Trinit. c. 1. §. pen. 2. dist. §. verum. Et dicitur necessitatis, quia sine eo nemo saluari potest, si deseratur ex contemptu. Sacramentum dignitatis, & necessitatis, est confirmatio: dignitatis, quia a solo Episcopo confertur. extr. de confirm. quanto. Sacramenta verò ordinis, & necessitatis, sunt pœnitentia, Eucharistia, & extrema vnctio: ordinis inquam, quia tantum a ritè ordinatis secundum claues Ecclesiæ dari debent. Necessitatis, quia ex contemptu illa dimittens saluari non potest. Sacramentum voluntatis tantùm est matrimonij, & dicitur voluntatis, quia sine illo quis saluari potest. Non enim expedit ad regna cælorum tendere volenti nubere, 23. qu. 4. tunc saluabitur. Secundum consuetudinẽ Ecclesiæ matrimonium contrahitur publicè: & de Concilij Tridentini ordinatione (vt dicetur) in aliquibus tẽporibus determinatis, non fiunt istæ matrimonij solemnitates, quoniam illa tempora sunt orationibus deputata. Hæc autem tempora sunt a Dominica prima Aduentus vsque ad Epiphaniam: a die cinerum vsque ad octauam Paschæ. idem Concil. Sess. 24. cap. 10. de reform. matrimonij. Quare etiam tũc homo debet se a lecto vxoris sequestrare, ut infra dicetur. Generaliter enim tempore, quo abstinetur a nuptijs, abstinendũ est etiam a complexibus coniugalibus. 23. qu. 4. per totum: nisi forte ob fragilitatem humanam uir ab uxore poscat debitũ, uel è contra: quia poscenti soluendum est: nam uir potestatem non habet sui corporis, sed mulier, & è cõtra 1. Cor. 7. extr. de conuer. coniugatorum. quoddam. Licet autem solemnitas nuptiarum aliquibus temporibus interdicta sit, quocunque tamen tempore matrimonium legitimè per uerba de præsenti contractum fuerit tenet. Ista prohibitio nuptiarum fuit facta in Cõcil. Illerdens. de hoc Concil. citat Gratianus quatuor canones, 2. q. 2. non oportet, quorum primus est ad hoc pertinens, ubi dicitur. Non oportet a septuagesima usque in octaua Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festiuitatem Sancti Ioannis Baptistæ, & ab Aduentu Domini usque post Epiphaniam, nuptias celebrare: quod si factum fuerit separetur: quod ideo fit, quia Ecclesia tunc tristatur; quare non bene conueniũt gaudium filiorum cum mestitia matris. Aperiũtur autem nuptiæ in Epiphania, quia Dominus sui presentia, cum miraculo etiam decorauit. Vnde dicitur ad benedictus. Hodie cælesti sponso iuncta est Ecclesia. Vbi nota quod antiquis aderant duæ aliæ Quadragesimæ, una quæ uocabatur sancti Martini, quam nunc obseruat Minores Fratres, & Capucini, alia sancti Io. Baptistæ scilicet 40. dies ante illud festum, quam nonnulli sancti uiri, nunc etiam obseruant, & in his diebus interdicebantur

tur nuptiæ. Sed hæc vltima non est in vsu. Amplius, notatione dignum est, quod in omni Sacramento hæc duo sunt, scilicet, Sacramentum, siue signum, & res Sacramenti. Augustinus autem in Io. tra. 80. ait: Sacramentũ ipsum hoc est, externum sacrum signum, influẽs oculis, & auribus. Res sacramenti, diuina, & spiritualis vis, quæ in administratione sacramentorum, ritè accipientibus confertur. v. g. in sacramento baptismi signum externum est aqua. Res siue effectus sacramenti est triplex. Primus effectus est ablui ab omni peccato, tam originali, quam actuali, vt testatur. Zacha. cap. 13. In illa die erit fons patens domus Iacob, & habitantibus Ierusalẽ in ablutionem peccatorum. Paulus Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam (quę nimirum est illa Ierusalem apud Ezechielem) & seipsum tradidit pro ea, vt illa sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Secundus effectus, donari, perfundi, & imbui Spiritu sãcto, quo regenerantur, & nascuntur qui baptizantur in nouum hominem qui secundum Deum creatus est, in vera iustitia, & sanctitate: fiuntq; filij adoptionis Dei, induti Christũ Iesum, vnicum illum Dei filium, ad quem Spiritus sanctus mentes eorum refingit. Tertius effectus, ascribi regeneratos, vt iam filios effectos, in hæredes Dei, & cohæredes Iesu Christi. Rom. 8. dicitur. Si autem filij & heredes, heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

In sacramento confirmationis signum eius externum, est impositio manuum Episcopalium, & Chrisma (quod loco visibilis descensionis Spiritus sancti traditione Apostolorum surrogatũ est) per signum crucis fronti impressum. Res sacramenti, vngi spirituali vnctione septiformis Spiritus Dei.

In Sacramento Eucharistiæ, signũ, species panis, & vini aqua mixti. Res sacramenti, verum corpus, & sanguis Christi.

Signum autem sacramenti pænitẽtiæ, verbalis absolutio, quam impendit Sacerdos. Res sacramenti reconciliatio verè pęnitentis, & confitentis, erga Deum, & Ecclesiam, per verbum Dei, cuius Sacerdos minister, & annuntiator est.

In sacramento extremæ vnctionis, signum Oleum sanctificatum in vsũ infirmorum, signum certè idoneum est enim Oleum, & ad labores vtile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum. Res sacramenti: alleuiatio ægroti, si non semper in corpore, saltẽ in anima: per hoc enim sacramentum non indignè acceptum, misericordiã Dei, & gratiam Spiritus (per quam a labore liberamur) & lucem, & gaudium hilaritatemque Spiritualẽ consequimur, vt ait Teophilatus in Marcum.

In sacramento ordinis, signum est impositio manuum. Res sacramenti, gratia, qua tantum fit ministerium, siue exhibeatur per dignum, siue indignum, quandiu is ab Ecclesia recisus non est, & officio suo secundum formam ab Ecclesia traditam fungitur, ait Ambros. 1. cap. 12. ad Corint.

In sacramento autem matrimonij, signum est, externa coniunctio sponsi, & sponsæ in Christi nomine. Res sacramẽti indissolubilitas vinculi coniugalis (instar coniunctionis Christi & Ecclesiæ) ad quem significandum institutum est in paradiso a Deo. Gen. 1. & Ephes. 4.

Hic potest quæri quare Beata Virgo Maria suscepit omnia sacramenta (ordine excepto ait Albert. Super illud missus est) & quare hoc Ecclesia tacuit. Quantum ad primum, secundùm Albertum vbi supra, sciendum est,

est, quod Virgo Maria non accepit sacramenta ex necessitate vt alij, sed triplici de causa, ipsa sacramenta deuotè suscepit. Prima, ob sui maiorem humiliationem. Secunda, ob aliorum instructionem. Tertia, ob bonorum supererogationem. Quantum ad primum, sicut primum documentum quod dedit nobis, & infudit prima mater Eua, fuit superbia, qua voluit se Deo æquari, ita prima Mariæ virtus (inquit B. Ambrosius.) est humilitas, hãc nos Mater spiritualis in omnibus docuit. Vnde sicut legalia obseruauit instituta pro peccatoribus tanquam peccato subdita foret, quæ tamen omni carebat, vt patet in sacrificio Purificationis, & filij redemptione, ita etiam sacramenta quæ sunt medicinæ principaliter peccatorum ex humilitate suscipere voluit. Vnde B. Bernardus, verè Virgo Maria nõ indiget purificatione, sed nec filius tuus circumcisione. Esto ergo & tu sicut vna ex mulieribus, sicut ille est vnus ex illis, idest, peccatoribus secundum apparentiam.

Secundò, sacramenta suscepit B. Maria propter instructionem aliorũ, vt perfectos doceret sui exemplo seruare leges superiorum, etiam si non tenerentur: promulgatum fuerat a Domino per Apostolos omnibus edictum: euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. s. docentes seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Mat. vltimo: vt de pænitentia, de Eucharistia, & alijs huiusmodi: voluit ergo Virgo Maria obseruare & hæc mandata filij vt inuitaret nos exẽplo ad obedientiam. Peccatores etiam instruit vt non erubescant assumere remedia humilia, ad delendum peccata. Erubescunt aliqui peccatores sciri, & ideo non confitentur peccata sua, ne cognoscantur tales esse quales sunt in malitia. Vnde Bernar. O nimia insania hominum, pudet ablui, scilicet, per sacramenta, & non pudet inquinari, scilicet, per peccata; pudet sordes abstergere, & non pudet contrahere. Beata Maria verò cum esset sine peccato, tamen sacramenta contra peccata in remedium instituta suscepit, ac si esset peccatrix.

Tertiò propter bonorum operũ supererogationem, ut dicitur Apocalis. vlt. qui iustus est iustificetur adhuc, & in Prouer. dicitur; Iustorum semita quæ est via arcta virtutum quasi lux splendens proficit & crescit vsque ad perfectum diem; scilicet, visionem claram patriæ. Tepidorum enim, & imperfectorum, est seruare necessaria ad salutem, & non curare in anteriora se extendere, quod periculosum est, & dispositio ad casum. Sed perfecti considerantes quod status gratiæ, & virtutum, est quasi infinitus, quia nunquam tãtum in gratia proficere, quin valeat multo magis crescere; Propter quod dicit Apos. crescentes in gratia Dei, supple, sitis. Virgo autem Maria, etsi fuerit in vtero matris plena gratia, & in conceptu filij multo magis repleta, tanta, scilicet, quanta erat capax pura creatura non adeo quod non potuit in ea crescere dum erat viatrix: hoc enim fuit priuilegiũ solius Christi, qui gratiam accepit ab initio suo infinitam, ita scilicet, vt non posset in ea crescere. Et ideo quotidie magis, ac magis B. Maria in illis exercebatur, vnde posset magis meritum augere, & Deo placere & ideo sacramenta sumebat, etsi eis non egeret, vt magis in gratia cresceret per effectum sacramentorum. Anton. 4. p. tit. 15. c. 16.

Quantum ad secundum principale scilicet, quare non sunt hæc scripta de ea in Euangelio vel Actibus Apostolorum. Respon. quod multiplici de causa. Primo propter nostram vanitatem reprimendo: Vnde dicitur Sap. 13. vani sunt omnes homines: cum enim boni aliquid agimus vanitate gloriæ ducti, cupimus illud alijs innotesci, etiam

tiam

etiam si minimum fit; quod Christus prohibuit dicens, Cum facis eleemosinam noli tuba canere ante te. Matt. 6. Virgo autem Maria cum esset excellentissimi meriti, & opera excellentissima plurima fecerit vt ipsa sacramenta suscipiendo, & multa alia, noluit tamen ea exprimere, vel narrari facere, vt discamus occultare bona opera nostra quando non est necessariũ. Sic & filius eius ea quæ egit vsq; ad annũ trigesimum vitę suę, quę vtique friuola non fuerunt. Secũdò propter claritatem patriæ appetendam. Vnde ait Philosophus fugiendum est ad patriam, ibique patere omnia, non fugitur nisi a malo, & miseria. Tertiò propter superfluitatem a scriptura remouendam. Dicit enim Philosophus quod qui vnum dicit multa continẽs, plura dicit. Vnde dicito, & pro constanti habeto, quod Virgo Maria fuit plena gratia. Quare dicitur de ea Luc. 1. Aue gratia plena &c. Ponuntur aliæ tres rationes ab Alberto loco citato. Omnia autem sacramenta nouæ legis sunt septem, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimoniũ, quæ continentur in hoc versiculo,

Abluo, firmo, cibo, pænitet, vngit, ordinat, vxor.

De omnibus ergo sigillatim dicamus, & primo de Baptismo tanquam de ianua aliorum sacramentorum.

De Figuris Baptismi. Cap. 18.

ANtequam autẽ ad Baptismi diuisionem, & diffinitionem accedamus, videndum est de figuris, & authoritatibus eius. Baptismus non tantum est figuris signatus, sed etiam promissus in veteri testamento. Primò constat typicè per multas figuras Baptismum fuisse pręmonstratum, atque omnium in Arca Noe, testatur idipsum Petrus dicens: In Arca pauci, idest octo Animæ saluæ factæ sunt per Arcam. Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma: sicut enim tunc extra Arcam nullus homo conseruabatur in uita, ita nunc nemo seruabitur extra Ecclesiam, & nisi baptizetur. Baptismi typus extitit, & mare Rubrum & nubes, hinc Paulus ait: nolo vos ignorare fratres, quia Patres nostri omnes sub Nube fuerunt: & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & mari: Baptismum hunc intellige typicum. Sicut enim (dicit Damascenus) nubes signum erat Spiritus, mare autem monstrat aquam baptismi: & sicut Pharao cum suis persequens Iudeos interijt, populo interim Hebræo conseruato: ita, & in baptismo sumergitur diabolus, & peccatum, ab vtriusque autem vinculis eripitur baptizatus. Et multæ aliæ figuræ reperiuntur: Nempe hæc figura; Fugientibus Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos dominus in medijs fluctibus, reuersæque sunt aquæ & operuerunt currus & equites cũcti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare; nec vnus quidem superfuit ex eis. Exod. 14.

Expositio. Mare rubrum in quo rex Pharao tyrannus rapidissimus cũ omni suo exercitu immersus est, Christi baptisma eius sacro sanguine consecratum significat. Nam tunc Baptisma sancitum & cõsecratum fuit, cum ex Christi latere militis lancea aperto sanguis & aqua fluxere. Sanguis vt redimeret, aqua vt mundaret. Hostes itaque a tergo insequentes populum Domini in vndis maris rubri demerguntur, quia peccata præterita in baptismo cuncta delentur, & diabolus cum actibus suis penitus suffocatur.

Quod autem fuit promissus, patet: Sic enim per Ezech. Dominus ait, effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis Idolis vestris mundabo vos, & dabo uobis

bis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri. Id in Baptismo denique impletum est, & benè quidem Propheta hic geminam mundationem commemorat, alteram attinentem ad Iudæos, qui baptizati, sic demum emundati sunt ab inquinamentis peccatorum: alteram verò ad Gentiles, qui non solum à peccatis, sed etiam ab Idolis purgati sunt. Zacharias de baptismo sic prædixit. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ: Loquitur ibi de tempore post Ascensionem Christi, quando in die Pentecostes, baptizauit Petrus tria millia hominum. Quod autem hoc verum sit colligitur ex capite præcedenti, quando ait Propheta: In die illa effundam super domum Dauid, & habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precũ, & aspicient ad me (hoc est cognoscent me) quem confixerunt. Hoc ita euenisse testantur acta Apostolorum, vbi legimus eos vnanimiter perseuerasse in orationibus, ipsisque esse missum Spiritum sanctum. Deinde prædicante Petro ab eis crucifixum esse Christum, quomodo compuncti sint corde audientes illud, atque dixerint: Quid faciemus viri fratres? Vbi baptizauit eos Petrus, & sic impleta est prophetia Zachariæ. Isaias autem 12. cum antea de Christo locutus esset, inquit: Haurietis in gaudio aquas de fontibus Saluatoris, siue saluationis. Id quoque fit in baptismi fonte, vnde in Ecclesia baptismum ferè fontem nominamus. Idem cap. 52. ait, Ecce intelliget seruus meus (quia in ipso sũt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei) & exaltabitur (in sua resurrectione) & eleuabitur (in Ascensione) & sublimis erit valde, (quando nimirũ sedebit ad dexteram Patris.) Sequitur iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt Reges os suum. Aspersio hæc in Baptismo facta est, vbi & potentissimi quique Reges submiserunt, & inclinarunt capita sua ad nomen Iesu. Erubescant & confundentur Iudæi huiusce nostræ ætatis. Nũquid sapientiores sunt tot hominibus qui apud hos Reges, Imperatores, & Põtifices seruientibus. Nequaquã; sed tam graue fuit peccatum erga Christum, quod excæcauit Deus corda eorum: vt videntes non videant, &c.

Idem cap. 44. Noli timere serue meus Iacob, effundam enim aquas super sitientem, & flucta super aridam, effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabit in herbas, quasi Salices, iuxta præterfluentes aquas. Ecce quomodo hic Propheta, quod futurum adhuc erat, prænũciat sacramentum baptismi, quod daturus erat Dominus sitientibus Iudæis, & aridis gentibus, germinantibus tamen inter herbas, hoc est vt ait Rex Salomon, sub Edon, quo nomine Imperium accipitur Romanorum, sub quo Ecclesia Christi germinauit, & creuit, non obstantibus etiam maximis persecutionibus.

De Diuisione, & Diffinitione Baptismi. Cap. 19.

His itaque visis, dicendum quod triplex est baptismus secundum Aug. lib. 4. de vnico baptismo: & de consec. distin. 4. cap. Baptismi vicem. Primus fluminis. Secũdus sanguinis. Tertius flaminis, siue Spiritus sancti. De primo dicitur Io. 3. venit Iesus in terram Iudæam, & baptizabat & iste propriè dicitur Baptismus: alij autem Metaphoricè: quia vterque instar Baptismi habet purificare: & per consequens vicem eius implere. De secundo dicitur Io. 12. Baptismo hoc habeo, baptizari: iste est baptismus potissimus. de cons. c. dist 4. Cathecuminũ. De hoc dicitur Apoc. 7. Dealbauerũt stolas suas, & candidas eas fecerunt

in sanguine Agni. De tertio dicitur. Acto. 2. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Sed in primo tantum imprimitur character. Secundus Baptismus excedit primum, quoad premium accidentale, quod est aureola: & etiam essentiale secundum Pet. de Palu. in 4. quia plus de gratia confert: sicut est ibi maius opus. Et est communis adultis, & paruulis, quia si paruuli interficiantur pro Christo, puta in detestationem fidei Christi, quàm tenent parentes eius, sunt martyres secundùm Theologos, & secundum Palu. in 4. etiam si essent in ventre, & in despectum Christi mater percussa abortum faceret vel interficeretur. Tertius baptismus non conuenit, nisi adultis habentibus vsum rationis. d. cap. Baptismi vicem. De primo est nunc sermo.

Baptismus secundum Mag. in 4. dist. 3. est exterior hominis ablutio, cum certa forma verborum. Baptisma Græcè, Intinctio, vel Lotio Latinè interpretatur. Baptismus quidem per aquam confertur. Vt res inuisibilis per illud visibile elementum conferatur, super quo Spiritus sanctus in principio ferebatur. Sicut enim aqua corpus visibiliter purgat exterius, ita baptisma latenter animam. Vnde Aug. 1. q. 1. Detrahe. Aqua corpus tangit, & mentem abluit, & fit baptismus in aqua: quia illa copiosius inuenitur. Moris autem erat aureas seu argenteas columbas in figura sancti Spiritus supra diuinos fontes suspensas collocare: vt apparet ex Synod. 2. Nicæna, Act. 5. Institutio huius Sacramenti Baptismi fuit multipliciter facta, scilicet, materialiter & inchoatiuè, quãdo Christus tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerationis aquis contulit Mat. 3. Præceptiuè, quando dixit Nicodemo, Nisi quis renatus fuerit, &c. Io. 3. effectiuè, quando Christus passus est in Cruce, & de latere eius exiuit sãguis & aqua. Ibi. 19. executiuè, quando dixit Apostolis, Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine patris, &c. Mat. 28.

De Cærimonijs Baptismi, & Patrinis. Cap. 20.

QVoniam aqua elementalis (seclusis liquoribus, qui nõ sunt aqua) & verbum Domini, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Atque ministri intẽtio (vt facere quod iussit Christus intelligat) integrant, perfectumque faciunt baptismum: magna tamen cum vtilitate, diuinoque mysterio externæ cærimoniæ applicantur. Quæ cum quædam arcana mysteria religionis Christianæ minimè aspernenda contineant, vt a maioribus tradita humeris portandæ venerandæq; sunt: Ideo consuerunt Apostoli atque eorum successores in sacramento Baptismi multis esse opus mysterijs, signisque visibilibus, quo per ea corporales, sensibilesque homines ad secreta in eo latentia ducerentur, atque in summa religione non prætermittendum iusserunt. Mysticam enim & altam habent significationem quam tripliciter afferemus.

Quantum ad primam cæremoniarum baptismi expositionẽ, dico: quod aqua Baptismi, oratione, & chrismatis vnctione consecratur, vt intelligamus, aquam non ex sui natura, sed ex diuina institutione, & virtute, sordes peccatorum abluere. Vt quomodo corporum sordes mundantur aqua, ita animæ per Baptismum abluantur peccata. Anterus Papa statuit anno Domini 197. vt tempore necessitatis in omni aqua naturali, & in omni loco possit quis baptizari.

Deinde exorcismis, & exsufflationibus præparatur baptizandus, signaculoque crucis munitur vt diabolus exterritus non audeat amplius mole-

D stare

stare eũ, quem viderit sub Iesu Christi protectione susceptum.

Rursus interrogatur, si abrenunciat diabolo, pompis, fallacijsque mundi, & illius operibus, vt prius respuens errorem, & abnegans impietatem ad veritatem Christi, veritatemque suscipiendam præparetur.

Proponitur adhuc ei Symbolum fidei, & requiritur ab eo, si in Deum patrem, filium, & Spiritum sanctum credat. Si vnam Sanctam Ecclesiam Catholicam, peccatorum remissionẽ, & carnis resurrectionem confiteatur: vt iam tunc incipiat per fidem induere nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, & in iustitia, & sanctitate veritatis: vt tandem sub dominio Christi eiusque famulatu seruiens, cognoscat se a diabolo a quo prius possidebatur recessisse.

Deinde exsufflatur, quo ab ea sæua potestas discedens, Spiritus sanctus ingrediatur & sensus illius ad diuina præparetur mysteria; sic enim quondam Dominus a diabolo oppresso dixerat, Epheta, quod est adaperire. Marc.7. Item, aures, & nares baptizandi sputo illiniuntur, sicut Iesus Sputo surdum, & mutum sanauit. Mar. ibidem, vt aures ad audiendum verbum Dei, & nares ad diuinum odorem hauriendum aperiantur.

Vngitur oleo sancto in pectore, & inter scapulas, vt præparetur ad luctam, & in fidei confessione, bonorumque operum exercitatione diuina virtute roboretur.

Chrismate quoque vngitur in vertice, quia caput nostrum Christus est, cui per baptismũ inserimur, & a quo Christiani nuncupamur: Postremo induitur veste alba ad designandum vitæ innocentiam, & puritatem, quã & virtus baptismi præstat, & eam illæsam conseruare, vsque ad tribunal Christi debet. Hæc omnia, & alia, vt iam dicetur, requirũtur ad baptismũ & fieri debent, quia ab Ecclesia sunt instituta, cum casus necessitatis non vrget. Tempore vero necessitatis amitti possunt sufficitque debitam materiam, formam, atque intentionem Ecclesiæ obseruare. His tribus enim perficitur sacramentum tunc in extrema necessitate, scilicet, aqua, forma, & intentione ministri; & hæc etiam omnia facilius, & clarius explicabuntur. Baptismus autem est tantæ necessitatis quod a quocunque collato in forma Ecclesiæ, valet. Nec obstat illud: Nemo dat quod nõ habet: quia infidelis, & paganus baptizans in forma Ecclesiæ, verum confert Baptismum: non enim in Baptismo attẽditur homo baptizans, sed Dei virtus in Baptismo. de consec. dist.4. Romanus Pontifex.

Quantum ad secũdam cærimoniarum baptismi expositionem, notandũ est quod in primitiua Ecclesia quando baptizabantur, erant adulti, & ipsi respondebant, sed prius instruebantur. Instructio autem baptizandorum tunc fiebat hunc in modum. Qui baptizari volebant, cõueniebant ad portas Ecclesiæ, fœminæ a sinistris, mares a dextris, atque a diacono vel sacerdote interrogabantur, an voluissent baptizari, aut itidem percontabãtur a susceptoribus. Exorcista tamen debebat prius interrogare, num etiam abrenuntiarent Sathanæ, & omnibus eius pompis, ita vt puer si erat adultus, respondebat se abrenuntiare, si non erat adultus pro eo susceptor respondebat, vt fit in præsenti tempore. Tunc demum acolytus scribebat eorum nomina qui volebant baptizari, vnde etiam notarius est appellatus, quod baptizandorum scribebat nomina. Postquam autem a Sacerdote satis in fide erant instructi, atque super eos exorcistæ fecissent adiurationes, ab ostiario in Ecclesiam introducebantur, & in naui Ecclesiæ constituebantur: masculi quidem a dextris, feminæ verò a sinistris. Duo tamẽ intra

stra Sancta sanctorum deducebantur masculus uidelicet, & fœmina quo significabatur aliquos ex Baptizandis fore saluos, siue quod de vtroque sexu fideles ascẽdent in cælum. Itẽ masculi ad Austrum, & feminæ ad Aquilonem statuebantur, ad significandũ quod fortiores hostibus tentationum obijciendi sunt & debiliores humiliter sunt erudiendi. Atque dum deniq; legebatur, oratio dominica, & symbolum minus recitabat' Grecè, & Latinè propter earum linguarum dignitatẽ, Græca propter sapientiam, & Latina propter Romanorum potentiam. Postea verò recitabantur quatuor lectiones, & quatuor Euangeliorum initia, vt confiterentur se credere Christum verum Deum, quem quatuor illi Euangelistæ suis scriptis prædicant, & fatentur: tandem inchoabatur Missa, cuius cantato offertorio, Archidiaconus vel Diaconus pulpitum ascendebat, & clamabat alta voce: Si quis (dicebat) est hic Cathecumenus, exeat foras. Isti enim significant illos de quibus dicitur Io. 2. Iesus autem non credebat se illis: ipse .n. sciebat quid esset in homine: nunc vero multa omittuntur. Notat Glo. in c. emendari placuit. ca. 104. verb. lauandi sunt. Quod Mediolanẽses primo aqua cõsecrata puerorũ pedes lauant, & postea baptizant: & non peccant, quia authoritate Ambrosij hoc faciunt: nam qui est mundus totus, nõ indiget nisi vt pedes lauet. Tamen in illa authoritate intelliguntur pedes, id est, affectus, scilicet, vt habeat cor purum: iuxta illud: Quam speciosi pedes euãgelizantium pacem &c. si vero in illa Ecclesia hoc agatur, ignoro. Nunc videamus de modo baptizandi.

Postquam ergo puer debet baptizari, Sacerdos non permittat, nisi vnum virũ, vel vnã fęminã in patrinos, prout determinatum est de cognatione spirituali cap. quamuis lib. 6. de consec. dist. 4. non plures. Alicubi tamen consuetudo tenet, quod si puer masculus debeat baptizari, duo viri, & vna fęmina in patrinos admittantur. Si vero fœmina duę mulieres tũc admittuntur & vnus vir, fortè vt deficiente vno patrino suppleat alter erga puerum, & deficiente vna matrina suppleat altera in fœmina, quia propter honestatem decet, vt fœmina fœminam doceat, & non è contra, & vir, virum. Et illa est satis tollerabilis: cum honestatem quandam, & vrbanitatem contineat; tamen circa hęc seruetur ritus dioecesis. Deinde ante fores Ecclesiæ Sacerdos statuat patrinos: vt si puer est masculus, teneat eũ vir: si verò fœmina, teneat eam mulier: Et isti duo stant iuxta se. Alij verò possunt stare in Ecclesia vel iuxta, scilicet, qui puerum conduxerũt: nec pro ipso respondeant: sed possunt omnia attendere, dummodo non tãgant puerum. Solus autem Sacerdos stet ad Orientem. Quo facto sufflet in faciem eius & recitet illi exorcismum. Flatus autem ille, siue exsufflatio debet fieri ad Occidentem, vt patet secundum Thomam; & significat Spiritus maligni expulsionem, & boni introductionem ut iam dictum est. Et vt procul fiat uniuersa maligni sp̃ũs illusio, signatur puer in frõte, ĩ pectore, in oculis, in naribus, in ore, signo crucis: cuius uirtute uictus est diabolus, & exaltatus est Christus. Vnde Abac. 3. cornua in manibus eius sunt: ibi abscondita est fortitudo eius: Hoc signo crucis muniuntur totius corporis sensus: cuius virtute, & omnia sacramẽta complentur, & omnia figmẽta diaboli frustrantur: sicut enim cum primogenita delerent Aegypti, populus Hæbreorum signatis postibus domorum suarum sanguine agni Paschalis in typo Dominicæ passionis, saluatus est: Populus uero Aegyptiorum, qui hoc caruit signo, in suis primogenitis grauiter percussus est, sic apud Ezechielem, Ierusalem ab imminente

clade liberanda esse promittitur, si Thau (quæ figuram crucis Christi exprimit) in frontibus gementium atque dolentium signaretur.

Deinde habens Sal benedictum, nō cum illo sale quo die Dominico aquā exorcizat, sed exorcizatum cum sua benedictione vt habetur in libro Baptismi: quia istud habet distinctum officium ab illo, quod in die Dominico benedicitur. Cum ponit Sal in os pueri modestè, & non cum vehementia id faciat, ne offendat puerum, & faciat eum flere, hoc enim esset vituperabile, nam maxima seruanda est vrbanitas, & honestas in sacramentorum collatione, propter deuotionem populi excitandam & reuerentiam sacramento a populo exhibendam: deinde sequatur. Sal ideo datur, vt eius gustu condimentum sapientiæ percipiat, neq; dissipetur a Christi sapore, & ne sit fatuus, & retro respiciat, sicut vxor Loth, ne malum exemplum dans, ipse remaneat, & alios condiat, veluti illa quæ cum liberaretur a Sodomis retro respexit, ibique remansit facta statua salis, quo signo condirentur hi qui per fidem mūdo & actibus desiderijsque eius renunciant, vt affectionis pristinæ non recordentur, neque ad sæculi illecebras reuocentur: quia secundum Saluatoris sentētiam ponens manum super aratrum, si respexerit retro Regno cælorum aptus esse non potest.

Postea cum legit Euangelium, Oblati sunt Iesu paruuli, in legendo imponit manus infanti, & hoc facit, vt præcludat diabolo expulso viam ne redeat. Et hoc idem significant benedictiones & crucis signationes superius præmissæ. Quo lecto vna cū alijs orationibus recipiat (vt est mos apud quasdam Ecclesias) mundos pulueres terræ, & immiscens sputo faciat inde lutum in manu sinistra, recepto eo duobus digitis, scilicet, pollice, & indice dexteræ manus, tangat aurem pueri dicens, Hephethah, quod est adaperire. Et cum subiunxerit in odorem suauitatis, tunc tangat aures. Caueat ne faciat lutum sordidum, & abbominabile astantibus, puta cum flegma, & huiusmodi. Designat autem luti, & saliuæ immissio sensus tactus, auditus, & aliorum sensuum spiritualium apertionem: vel signat impedimenti remotionem ipsius dæmonis respectu fidei docendo vel discendo.

Postea verò Sacerdos introducit puerum in Ecclesiam, dicendo verba assignata ab Ecclesia: in hoc actu dat illi potestatem intrandi Ecclesiam, & annumerando cum cōsortio fidelium, quo ad hoc videlicet, vt possit orare cum fidelibus in Ecclesia, si est adultus, etiam in Missa audienda; ex hoc patet, quare non possunt infideles Missæ interesse, nempe, quia non habent hanc authoritatem sibi in baptismo traditam, quam nondum acceperunt.

Deinde recitatis illis orationibus ordinatis, vna cū interrogationibus, ungitur in pectore, & inter scapulas. In pectore vt in eo vigeat sapientia. In corde enim prudentis requiescit sapientia. Prouer. 14. & 22. dicitur: Stultitia colligata est in corde pueri, & uirga disciplinæ fugabit eam. Inter scapulas vt in exercitijs bonorum operum indeficiens seruetur patientia. Vel secundum Rabanum in lib. de Institutio. Cleric. de consec. dist. 4. c. Deinde: Pectus ungitur vt nullæ reliquię latentis hostis in eo resideat, sed in fidem Trinitatis mens eius confortetur. Inter scapulas, vt vndique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur. Sed ad quid vnctio Episcopi? Respon. per hanc vnctionem peccatum dimittitur, per vnctionem verò Episcopi gratiæ donantur. Rituale autem nouum in titulo de Sacris Oleis, & alijs requisitis: Sic habet: Et stola violacea indu ctus accedat. Deinde finitis vnctionibus

bus, in de sacramentis Baptismi circa paruulos, sic ait: Hic deponit stolam violaceam, & sumit aliam albi coloris: quod tunc fit quando acceditur ad fontem Baptismi, scilicet, cum baptizandus interrogandus est. N. credis in Deum Patrem & cætera. Et debet baptizari de proximo. Hoc totum fortè hac de causa ordinarunt, quia illæ primæ cærimoniæ spectant ad Cathecumenum: & vt tales nondum delectum est peccatum originale, cui debetur miseria: vnde in septuagesima quando agitur de prima mundi ætate quæ erat in miseria, cum sequentibus vsque ad Christum, Ecclesia vtitur colore violaceo: sed veniendo ad fontem in quo hoc peccatum deletur vti debemus stola alba, ad denotandum hanc maculam ablui & deleri merito Christi. Illæ ergo primæ cærimoniæ, ad veterem hominem, & ad vetus testamentum, sequentes verò ad nouum spectāt. Vel hoc fit ad imitationem Baptismi in Sabbatho sancto, quando Ecclesia sic vtitur vsque ad Missam. Si dicatur quod fiunt vnctiones quæ spectant ad testamentum nouum; Respondetur quod vnctiones (vt supra dictum est) traxerunt originem a veteri testamento: & Ecclesia vtitur violaceo colore in his quæ spectant ad vetus testamentum, tanquam in obscuro & miseria tunc homines existentes, vt patet in benedictione candelarum in die purificationis B. M. semper Virginis. Vel fortè alia de causa mihi ignota.

Demum peractis omnibus baptizatur, & cum interrogatur vis baptizari? Si est adultus respondet ipse, sin aliter respondeat Patrinus, non tamē est de necessitate vt respondeat Patrinus: est bene de necessitate & essentia compaternitatis spiritualis detentio, seu leuatio vna cum intentione leuandi, & tenendi: Quæ etiam compaternitas potest contrahi per procuratorē quantum ad amicitiam, sed non quātum ad cōpaternitatis spiritualis vinculum: quia solus procurator est verus compater, & non constituens procuratorem vt habetur de procuratoribus c. fin. lib. 6. Si est paruulus tunc Sacerdos recepto puero ad manum sinistram denudato eo toto, si est in æstate. Si vero in hyeme, denudetur tā tum ipsius caput patenter, & manifestè, ut possit tangere eum aqua. Si est adultus caput inclinet, & sacerdos eum baptizet, cum intentione baptizandi hunc in modum. N. ego te baptizo in nomine Patris, & tunc faciat simul manu dextera primā aquæ perfusionem in capite pueri, & deinde ac statim subdat, & Filij, faciēdo secundam perfusionem sicut prius, & Spiritus sancti, faciendo similiter tertiam perfusionem, uel immersionem, vt infra dicetur: Ponunturque tres personæ in forma Baptismi, quia omnes simul ad baptismi sacramentum operantur. Dicitur quoque in nomine, & non in nominibus, ut tali numero declaretur unitas diuinæ naturæ atque diuinitatis.

Duplex etiam assignatur ratio, de consec. dist. 4. postquam, quare in baptismo homo ter immergitur: prima quia baptizatur (ut diximus) in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Secunda quia Christus tertia die resurrexit a mortuis, cum quo etiā moritur in baptismo.

Quantum ad tertiam cærimoniarū Baptismi expositionem dico, quod baptizandus cum primo ad ecclesiā venit priusquam immergatur: illi prius imprimitur Crux fronti, ne erubescat confiteri Dominum suum esse crucifixum: quia frons est sedes pudoris. Oratio contra diabolum est munitio. Deinde interrogatur vtrum abrenunciet Sathanæ &c. Quod potius per vsum quam per aliquam scripturam introductum est, secundum Augu. & Ecclesia respondet: abrenuncio. Et iterum: vtrum credat in Patrem, &

Filium.

Filium, & Spiritum sanctum. Et ipsa respondet. Credo. In his autem duobus, de vita, & fide instruitur. De vita cum docetur abrenunciare Diabolo, & omnibus operibus eius. De fide cum docetur credere in sanctissimam Trinitatem & propter hoc duæ fiunt ei consequenter vnctiones: scilicet, in scapulis, & in pectore.

Post interrogationem & responsionem, Sacerdos ter in faciem baptizãdi insufflat: ad notandum quod Spiritus malignus ab eo exsuffluatur, idest exsufflando expellitur seu in proximo expellendus significatur: vt per pium Sacerdotis mysterium Spiritui sancto cedat Spiritus malignus fugiẽs. Hinc ait Aug. ergo paruuli exsufflantur, & exorcizantur, idest, increpantur, seu adiurantur, vt expellatur ab eis diaboli potestas inimica, quę decipit hominem, vt possideat homines. Nam sine exorcismis, & exsufflationibus nullus baptizari debet, de consec. dis. 4. siue paruuli. Exorcizare idem est quod adiurare.

Hoc quoque sciendum est, quod sicut sunt septem dona Spiritus sancti; ita etiam sunt septem dona baptismi. 30. q. 1. Primum est salis collatio. Datur enim secundum Rabanum, & Bedam de consec. dist. 4. ex hinc; & cap. seq. Sal benedictum in os baptizandi, vt per Sal typicum, idest, figuratiuum sapientiæ sale conditus, iniquitatis fætore careat, idest, carere significetur, ne a vermibus peccatorum vltra putrescat: sed magis illęsus seruetur ad maiorẽ gratiã percipiendam

Secundum est aurium, & narium cum sputo linitio: quod fit exemplo Christi, qui lutum, cum sputo faciẽs, mutum & surdum sanauit: & oculos cæci nati liniuit: & expuens linguam eius tetigit. Et digitos in eius auribus, imponens dixit, Epheta, quod est aperire. 24. qu. 3. §. Is ita. Vel vt diuinam suscipiat virtutem, per quam bonum a malo discernat odorem, & sanã doctrinam separare valeat a fętore hęreticę prauitatis.

Tertium, & quartum est in pectore, & inter scapulas cum oleo facta signatio: de quibus supra diximus. Quintum est baptismi ablutio. eadem dist. venit.

Immersio enim significat Christi sepulturam, nam per baptismum homines consepeliuntur Christo, idest, cõformantur, & assimilantur Christo sepulto: Quia sicut, cum Christus sepultus fuit, & positus fuit sub terra, ita ille qui baptizatur, immergitur, & ponitur sub aqua. Vnde Damascenus lib. 4. cap. 10. dicit, quod ritus baptismi antiquitus fuit institutus per trinam immersionem totius corporis ad explicatius repræsentandum Christi sepulturam, quæ fuit per triduum. Ideo, etiam ter, ad repræsentandum sanctissimam Trinitatem. Et sicut triduum sepulturæ Christi non facit, nisi vnam sepulturam, ita trina immersio non facit, nisi vnum baptisma. Et inde est, quod in vigilia Resurrectionis solemnis baptismus in Ecclesia celebratur, quando commemoratur sepultura Christi, prout & in vigilia Pentecostes, quando solemnizatur de Spiritu Sancto, ex cuius virtute aqua baptismi accepit virtutem purgandi peccata. Vnde Christus dixit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c. Cum ergo quis baptizatur significat sepulturam Christi: eleuatio vero de aqua significat, ressurectionẽ.

Sextum est in vertice, idest, in summitate capitis super cerebrum, cum chrismate facta perunctio, & hoc quia (ait Ambros.) sensus sapientis in capite eius. Septimum est in fronte, chrismatio: de qua in sequẽti capitulo dicetur.

Datur baptizatis candida vestis, & quædam rotunda in signum coronæ regni, & Sacerdotij, quia ipse est membrum Christi, qui est Rex, & Sacerdos: nam omnes veri Christiani Sacerdotes, & Reges dicuntur 1. Pet. 2. Vos

Vos estis genus electum, regale Sacerdotium. Reges quia seipsos, & alios regunt. Sacerdotes quia seipsos Domino offerunt.

Item vestis candida magis congruit exaltationi, quam humiliationi ait Gregor. homil. 29. in Marc. cum enim puer nascitur, ad vitam terrenam, & vilem deputatur, sed cum baptizatur exaltatur & ad vitam celestem inuitatur: & ideò bene congruit illi vestis candida quæ exaltationem hominis significat.

Hæc vestis candida corpus significat, quod omni tempore vitæ nostræ, quod per septenarium agitur, mundum, & purum seruare conuenit. In fine vero vitę nostrę, illud deponimus: illud idem gloriosum corpus resumpturi: quod erit in octaua ætate. Merito ergo illam septē diebus seruamus, & in octaua deponimus; & exuitur in alio Sabbatho, ad notandum quod anima illius de corpore exiens, Sabbathum, idest, requiem inueniet: Si eius vestis fuerit alba: & propter hoc vocabatur Sabbathum in Albis, quia sic vestiti in Albis veniebant ad Ecclesiam, & deponebant illas vestes, & alias accipiebant.

Pari ratione confirmati vsque ad septimam diem solemnizant Sacramentum confirmationis, & tūc per totum illud tempus lauari non debent. Cum enim Ecclesia tanto tempore celebret aduentum Spiritus Sancti super Apostolos: merito vnusquisque Spiritum Sanctum accipiens tanto tempore celebrare debet illius Aduentum, in se singulos dies pro singulis donis celebrando.

Datur candela in manu baptizati, vt cum Dominus ad nuptias venerit, sit semper paratus ei in aula celesti occurrere, cum luminarijs virtutum, & bonorum operum.

Patrini sunt necessarij, vbi infans fari, vel credere nescit: tunc Patrinus interrogatur, & respondet pro eo, & sit fideiussor, ac pedagogus baptizandi. Dantur autem Patrini extra casum necessitatis (quia in casu necessitatis si Sacerdos baptizaret sine leuante, non peccaret) propter ritum a sanctis Apostolis institutum, non est tamen de necessitate baptismi, quod infans leuetur ab aliquo; peccaret tamen, si hoc faceret extra necessitatem, scilicet, baptizando: Prout Diu. Dioni. vltim. capit. Eccles. Hierarch. ait. Quia cū baptismus sit quędam regeneratio, sicut in regeneratione carnali, paruulus nuper natus eget nutrice, & pedagogo: Sic in spirituali propter imbecillitatem spiritualem quæ reperitur etiam in adultis. Et sicut nouitij in Religione egent speciali instructore circa ea, quæ sunt Religionis: ita nouiter baptizati: Nō est tamen necesse, quod sint plures leuantes, vt diximus

Patrini in Baptismo, a Cathechismo Romano num. 26. vocantur ministri, non quidem baptismi, sed celebritatis illius. A Sanctis patribus qui vocantur nunc patrini, olim susceptores seu fideiussores. Catechis. ibid. Solet quæri quid prodest baptismus paruulis, qui moriuntur ante tempus discretionis? Et Respon. canon. de consec. dist. 4. Illud perscrutari. Prodest illis quia saluantur in fide offerentis. Vnde potest aliquis intelligere, quod multum prodest fides aliena. Cathecumeni autem baptizari debent in solemnitate Paschali, & Pētecostes eadem dist. de Cathecumenis. c. 15. Ratio autē est quare in istis duobus diebus, vt Christo mortuo commoriamur, & sepulto consepeliamur, & resurgenti consurgamus. Auth. super ea baptizandi. Nisi immineret periculum mortis, quia tunc possunt semper baptizari, & hac de causa similiter, possunt semper baptizari paruuli, vt ea distin. venerabilis. Valet autem baptismus vt homines fiant membra Christi, & Salui. Infantibus autem

credere est baptizari, non credere, non baptizari. ead. dist. ad hoc baptismus. Et Glos. ibid. Ecclesia autem ex traditioné Apostolorum baptizat paruulos, ad quos scit promissionem Euangelij pertinere, ob sordes inhærétis peccati originalis, quæ nisi per baptismum ablui non possunt: iuxta illud Christi Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto non potest videre Regnum Dei. Quod natum est ex carne caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est. Baptizat autem Ecclesia paruulos in fide susceptorum, vt supra tactum est, qui Ecclesiæ nomine pro eis abrenunciãt, credunt, & respondent. Sicut Christus respiciens fidem offerentium infantes vt tangeret, complexatus est eos: & imponens manus benedicebat illos. Luc. 18. Mar. 10. Aug. epist. 25. & 107. & lib. 2. de gratia Christi, & peccatorum origine. Ex hoc loco patet quare non baptizatus non potest esse patrinus, quia fidem non habet vt possit filius in eius fide saluari. In Sexta synodo Trullana cap. 19. statutum fuit ut sacramétum baptismi daretur in Ecclesia tantum, & non in domibus, quod si aliter fieret, Sacerdos deponeretur, & locus esset excommunicatus, & hoc confirmatum fuit in Concil. Vienen. exceptis filijs regum vel Principum. Et si hoc sacramétum in Ecclesia est celebrandum, quanto magis sacrificium Missæ?

Tenentur autem leuantes ad instructionem. Vnde Aug. dicit. Vos auté tam viros, quam mulieres, qui filios in baptismate suscepistis, moneo ut cognoscatis vos fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Singulariter tamen tenentur, quando baptizati nutriuntur inter infideles. (Hoc dicit in quodam Serm. Paschæ.) In quo casu & vbi immineret periculum, deberét dari leuantes, siue Patrini docti. Quia si inter Christianos nutriantur, satis possunt ab hac cura excusari leuantes præsumendo de parentibus. Si tamen sentirent quocunque modo parentes non facere debitum suum, tenentur.

Dantur autem Patrini, ad ostendédam differentiam regenerationis: alia est enim disciplina carnalis, & alia spiritualis secundum illud Hebr. 12. Parentes quidem carnis habuimus eruditores & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus patri Spirituum, & viuemus? Ideo alius debet esse pater spiritualis a patre carnali, nisi necessitas aliud requirat. Vnde pater alijs existentibus non debet leuare, neque etiam baptizare: quia baptizans efficitur pater spiritualis. Infidelis, & non baptizatus, licet possit baptizare, non potest leuare, vt declaratum fuit in Concilio Maguntino. Burchardus Vuormaciensis Episcopus lib. 6. de sacramentis mirificè cęrimonias huius Sacramenti declarat his verbis. Patrini ab Iginio anno Domini 150. instituti sunt. Item, quod Ecclesia non consecraretur sine Missa. Item quod ligna, & alia Ecclesiæ destructæ non cederent in vsum laicorum.

Accipit Cathecumenus Sal, vt putrida, & fluxa eius peccata sapientiæ sale diuino munere mundentur. Deinde Symboli Apostolici traditur, ei fides, ut vacua domus, & a prisco habitatore derelicta, fide ornetur, & vt præparetur habitatio Deo. Tunc fiũt scrutinia, vt explorent certius an post renunciationem Sathanæ sacra verba datæ fidei radicitus corde defixerit.

Tanguntur, & nares, vt quandiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo, vt signo Sanctæ Crucis, diabolo claudatur ingressus. Signantur & scapulæ vt vndique muniatur. Item in pectoris, & scapulæ vnctione signatur fidei firmitas, & operum bonorum perseuerantia. Et sic in nomine santissimæ Trinitatis,

trina

trina submersione baptizatur. Et certè homo, qui ad imaginem Sanctæ Trinitatis creatus est, ad eandem renouatur imaginem: Et qui tertio gradu peccati, idest consensu cecidit in mortem, tertio eleuatur a fonte, & per gratiam surgit ad vitam. Tum albis induitur vestimentis propter gaudium regenerationis, ad castitatem vitæ, & Angelici splendoris decorē. Tū sacro chrismate perungitur caput, & mystico tegitur velamine, vt intelligat se diadema regni, sacerdotij dignitatem portare, iuxta Apostolum: Vos estis genus regale, & sacerdotale, offerentes vosmetipsos Deo viuo Hostiam sanctam, & Deo placentem. Sic corpore, & sanguine Domini confirmatur, vt illius sit capitis membrum, qui pro nobis passus est, & resurrexit. Hæc ille. Vixit enim anno Domini 1025.

Baptismus in noua lege successit circuncisioni: de qua dicetur in secunda parte de Circumcisione.

Illud autem notādum est quod per baptismum tollitur omnino peccatū originale, & radicitus euellitur, vt est peccatum. Manent tamen in homine baptizato aliqui effectus peccati originalis, ait Concil. Trident. Sess. quinta de peccato originali, & D. Tho. 1. 2. q. 85. Istorum autem effectuum, alij pertinent ad animam, & alij pertinēt ad corpus. Effectus in anima sunt Ignorantia, malitia & concupiscentia. Effectus in corpore sunt mors, infirmitas, dolor sensuum, & similia. Concupiscentia, & fomes manent in baptizato, non tamen vt est peccatū, & non tollitur ista concupiscentia, quia oritur maior gloria Dei, & Christi, & vtilitas hominis vt ait Concil. ibid. Sess. 5. & Sess. 6. c. 7. & D. Thomas ibidem. Fomes, & concupiscentia peccati (vt ait Catechismus) est animi appetitio natura sua rationi repugnans, idest, quædam inclinatio, vel vis concupiscendi, vel procliuitas animæ in inferiori parte ad appetendum ea, quæ sunt contraria rationi, idest, bona commutabilia, & temporalia.

Verum dicet aliquis quare per baptismum non tollitur mors, & aliæ corporis infirmitates? Respon. Catech. numero 48. Propter tres causas. Prima ne plus dignitatis tribueretur membris, quam capiti Christo, qui has sustinuit infirmitates. Secunda est, quia ex ipsis maior nobis occasio data est. Tertia est, ne homines ad baptismum inducerentur propter temporalia commoda, quæ ex illo haberentur & sic spiritualia despicerentur. Vnde Gloss. in capit. 2. de consec. distin. 4. ait. Pena peccati originalis est quadruplex, præcludit ianuam cælestem: perpetuo damnat: causa est mortis temporalis, & impotentia resistendi vitijs. Prima duo, & vltimum tollit baptismus.

Resuscitatus, & baptizatus non debet rebaptizari, idem dic de ordinibus. De originali peccato dicit Hugo quod non contrahit, quia morte estinguitur. Sed dignitates, & vxorem petere non potest de iure, de æquitate autem si vacat ei est subueniendum. Tamen dicunt aliqui quod matrimonium morte dissoluitur, & hoc est verum, cum sit quædam societas, quæ dissoluitur morte. ff. pro So. cum duobus. §. idem respondit. Mors autem omnia delet in Authen. de num. ff. deinceps. coll. 4. idem dicendum de prelatura. Sed baptismus, & ordo non deletur morte: & ratio est quia per baptismum copulatur immortale immortali, scilicet, anima Deo: per matrimonium mortale mortali, scilicet, corpus corpori: Et ideo dissoluitur morte sola: quare ingrediendo monasterium non dissoluitur hoc sacramentum dum viuit, Glos. in 32. q. 7. Licitè dimittitur.

De cautelis seruandis in Baptismo. Cap. 21.

DEclaratis omnibus his quę supra dicta sunt, restat videre de cautelis seruandis circa hoc Sacramentum. Primò Sacerdos attendat vt obseruet ea quæ necessaria sunt in hoc Sacramento,& si solemniter administret, aduertat quod octo sunt de solemnitate baptismi, quæ non sunt de substantia. Vnde versus

Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismale, saliua,
Flatus; virtutem baptismatis ista figurant.
Hæc cum patrinis non mutant, sed tamen ornant.

Secundò aduertat, quod materia huius Sacramenti est aqua naturalis: & est de fide. Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c. Aqua inquam est materia remota, ablutio autem siue immersio est materia proxima. Ista aqua siue sit fluminis, siue maris, siue stagni nihil reffert. caueat ergo ne baptizet cum aqua, quæ non sit naturalis; vt sunt vrina, aqua rosacea, & aliæ artificiales aquæ, nec etiam in vino, saliua, oleo, vel aliquo alio liquore, & similia, & hoc propter significationem. Aqua enim baptismi significat illam aquam, quæ fluxit à latere Christi in Cruce, quæ fuit vera aqua elementaris, propter significationem baptismi: sic etiam sanguis verus fuit, qui inde profluxit. In casu vero necessitatis, dum non potest haberi aqua naturalis potest fieri baptismus in lixiuio, & in aqua lutosa, sed colata, & similiter in brodio depurato & non multum spisso: & in aqua sulfurea, siue balnei, dummodo non possit haberi aqua naturalis. Tho. 3. part. q. 66. art. 3. & 4.

Tertiò caueat Parochus, ne quem coactè baptizet: vt Iudęum, vel paganum. Et hoc si proclamat, aut protestatur aliquo signo exteriori suum dissensum: quia talis non recipit Sacramentũ, nec tenetur seruare legem Christianam. Si vero metu mortis vult baptizari, ne suspendatur, licet intus dissentit, vt Sacramentum recipiat, tamen tenetur seruare legem Christianam.

Quartò caueat Parochus ne in priuatis domibus baptizet infantem, vel adultum, nisi esset puer regis, vel Principis. Hoc tamen intellige extra necessitatem: alioquin in casu necessitatis vbique baptizare potest: vt si puer esset in periculo mortis: aut deferentes haberẽt inimicitias capitales prout hoc totum notatur in Clement. vni. de baptis. & eius effectu.

Quintò caueat, ne amentem, vel fatuum, vel furiosum baptizet; veruntamen vt ait Diu. Thom. amentes à natiuitate recipiunt Sacramentum sicut & pueri. Qui vero sunt amentes ex infirmitate & habent lucida interualla, & petunt baptismũ, & si postea reincidunt in amentiam possunt baptizari, etiam si actu contradicant quando baptizantur in amentia.

Sextò caueat ne Iudæum, vel paganum statim baptizet, & nisi prius instruatur de fide, de consec. distinct. 4. Iudæi, & hoc ne Ecclesia in talibus decipiatur: Quod est verum nisi aliqua necessitas vrgeret. Iudæi autem quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad legem Catholicam venire voluerint, octo menses inter Cathecumenos Ecclesiæ limẽ introeant: & si pura fide noscuntur venire, tunc demum baptismatis gratiam mereantur. distinct. 4. Iudæi capitul. 92. Item capitul. 98. perhibetur vt 40. dierum pœnitentia eis imponatur antequam baptizentur.

Septimò caueat ne plures simul baptizet; ne dicat ego baptizo vos: quia grauiter peccaret secundum Thom. & tamen essent baptizati ait. Nicol. Plou. de Sacramento baptismi cap. 5.

& ideò

& ideò quando plures baptizat ad quemlibet dicat: Ego te baptizo, &c.

Octauò caueat Parochus ne variet formam, quæ secundum Thom. 4. senten. distinct. 3. sex modis variatur scilicet, per communitatem, per corruptionem, per subtractionem, per additionem, per interruptionem, & per transpositionem. Vide Diu. Tho. ibidem. q. 3.

Nonò caueat ne in peccato mortali baptizet cum solemnitate more solito: quia peccaret mortaliter secũdum Thom. & Pet. de Taran. super 4. dist. 3. q. 2. licet puer sit baptizatus. Nec peccat suscipiens baptismum ab iniquo, & malo Sacerdote & tolerato ab Ecclesia. Secus est de præciso ab illa, vt ab hæretico schismatico, excommunicato: a quibus nullo modo recipiendus est baptismus, nisi in casu necessitatis & baptizans intenderet facere quod facit Ecclesia. Tunc in tali casu etiam Iudæus potest baptizare, similiter, & paganus, non tamen isti possunt leuare infantem (vt dicimus,) scilicet, non baptizati. Ratio (præter aliam supra allatam) est, quia baptizando potest tenere vices Dei, cum sit eius creatura: sed in secundo casu nõ: quia non est membrum Ecclesiæ, nec etiam aliquam cognationem contrahit, cum sit expers spiritualis gratiæ: Hæc Diu. Thom. supra 4. distinct. 6. art. 2. Addo quia etiam non potest docere baptizatum cum sit extra legem ac ignoret eam.

Decimò attendat Parochus vt habeat intentionem baptizandi, & præcipuè cũ dicit verba essentialia, tamen si tunc non haberet eam nisi virtualiter, puta quia iuit ad Ecclesiam hac intentione vt baptizaret, sufficeret; ergo furiosus, aut ebriosus non potest baptizare, dum manet in tali passione.

Vndecimò caueat ne matrem infirmam, vel morientem diuidat, in qua puer viuit: quia sic homicidium committeret quisquis hoc faceret. Non sunt facienda mala, vt veniant bona: Roma. 3. ideò cautius dimittat perire infantem cum ea, quam ipsa pereat, secundum Pet. vbi supra.

Duodecimò caueat ne baptizet puerum antequam nascatur de vtero matris, si autem appareret aliqua pars principalis, puta caput, tunc simpliciter potest baptizari. Si autem apparet pars minus principalis, sicut manus, vel pes: illa etiam esset baptizanda: quia in illa parte est tota anima, cum sit tota in toto, & tota in qualibet parte; licet non omnes sensus ibi sint, sicut in capite. Postea tamen si nascatur viuus baptizetur sub conditione. Talis tamen si nasceretur mortuus debet sepeliri in cæmeterio secundum Scot. 4. distinct. 4. q. 1. ar. 2. & idem tenet Io. Parisi. dist. 3.

Decimotertiò caueat ne monstrum baptizet, quem nescit an sit homo, vel bestia: vel sit vnus, vel duo; vt si haberet duo capita, duo corda, &c. quia tunc essent duæ animæ. Si non est certum quod sint duo animæ; tunc primo baptizandus est vnus, & postea alter sub conditione, dicendo, si tu es baptizatus non te rebatizo, &c.

Decimoquartò caueat ne chrismate antiquo baptizet: quia punitur Sacerdos sic faciens. de consec. dist. 4. Si quis de alio; & de sentent. excom. in cap. quoniam. lib. 6. vbi dic. glos. fin. dando rationem: quia vetus chrisma nõ debet inesse vsui, nec de illo debet quis chrismari. Et deponitur Sacerdos qui de illo antiquo chrismate vngit baptizatum, nisi in mortis articulo. Vnde omni anno debet confici, & antiquum cremari. de consec. dist. 3. Literis. Insuper caueat ne nomen gentilium imponatur & præcipuè eorum qui sceleratissimi fuerunt ac religioni nostræ contrarij: sed nomen alicuius sancti, quem imitari studeat, & cum præcetur, & speret sibi aduocatum,

tam ad salutem animæ quam corporis defendendum venturum esse. Catechis. de Baptismo nu. 75. in fine.

Decimo quinto caueat, ne admittat quempiam in susceptorem ignorantem orationem Dominicam & Symbolum Apostolorum, cum teneatur suos docere filios. Nec Christianus censeri debet, nec ad testimoniũ aliquod admitti secundum decreta. 2. qu. 7. Non potest. Quare omnino necesse est, vt illud ex susceptoribus Sacerdos inquirat: alioquin si nesciát, recipi non debent, nisi fortè promittant, quod quam fieri potest, citissimè illa addiscent. Sit ergo diligens parochus circa hæc, & præcipuè ne quis decedat è vita sine baptismi sacramento.

Vltimo caueat ne quemquam rebaptizet (si est ritè, & rectè baptizatus) extat enim can. 1. Carthaginens. Concil. sub Syluestro primo Papa, hoc esse alienum a catholica fide: & rebaptizans fit irregularis. cap. rebaptizare. dist. 42. & in Concil. 4. Tolet. extat modus baptizandi. Can. 5. & de consec. dist. 4. de trina mersione. Semel enim tantum nos oportet in Christo lauari, quia Christus semel pro nobis mortuus est, si enim vnus Deus & fides vna est necessaria, & vnum baptisma sit, quia & Christi mors vna pro nobis est in cuius Imagine mergimur per mysterium sacri fontis vt consepeliamur Christo morientes huic mũdo, & resurgamus item Christo non reuersuri ad corruptionem sicut ille minimè reuertitur ad mortem; vt alibi diximus.

Fertur autem de illis qui de nocturno tempore (aiunt nonnulli) in somnis per alta ædificia sine læsione incedere solent, esse opus maligni Spiritus, tales sic deferentis, & subdunt, quod cũ vel rebaptizantur melius se se habere noscuntur. Et mirum (addunt) quod sibi nominibus proprijs vocantur, subito ad terram colliduntur, ac si fortassis illud nomen non debitè in Baptismo fuerit impositum. Et paucis interiectis, aiunt. Vbi nota quod semper sub conditione est hoc faciẽdum. Verissimum enim existit, subdunt, quod cum debitè quis ante Baptismũ non fuit exorcizatus, vtique diuina permissione diabolus semper recipit potestatem in talem hominem: et hoc propter negligentiam ministrorũ non benè dispositorũ; vel propter vetulas quæ semper necessitatis causa debitũ modum baptizandi non seruant. Hæc tamen sententia nõ omnibus placet, nec illam affirmarem esse veram, quia semper me submitto sanctæ Rom Ecclesiæ censuræ. Nec propter hoc asserimus, quia sacramenta a malis non possint conferri, dummodo debitè, & sub debita forma verborum quis baptizet, & ritè ordinatus cõsecret, &c.

Nota tandem quod qui baptizatur in ægritudine non est promouendus. 57. dist. Si quis, & est intelligendum de tali, qui cum sanus esset distulit baptizari: sed timore mortis petijt baptismum, causa autem huius constitutionis est, quia præsumitur non verè pænitens, qui causa mortis est pænitens: & sic præsumuntur peccata non ei dimissa: Si tamen statim moreretur Ecclesia præsumeret peccata ei dimissa esse, de pæni. dist. 7. nullus. Et sic Ecclesia circa idem factum habet contrarias præsumptiones sed diuerso respectu. de consec. dist. 3. perlatum. Si tamen postea bonæ vitæ apparuerit, aut raritas hominum exegerit, poterit promoueri. Sed dicet aliquis cum hęc irregularitas perueniat a peccato, & baptismus tollat peccatum: quare non tollit irregularitatem ipsius? Respon. quia baptismus inducit hanc irregularitatem: vnde non potest eam tollere: quia eadem res non potest habere contrarios effectus. Glo. ibidem. Item baptismus delet tantum peccata, sed non matrimonia, cum Deo authore sint instituta. 26. distin. deinde

ergo

ergo ducere aliam erit bigamus viuente prima.

De Confirmationis Sacramento. Cap. 22.

CONfirmatio duplex in Sacris Literis inuenitur: prima dicitur interior, quia confirmatur, & consolidatur ad credendum in Deum, & ipsum amandum: & talis fit per Eucharistiam, quæ habet effectum panis, de quo Psalm. 103. & panis cor hominis confirmet: de hac in præsenti non est sermo. Alia est confirmatio exterior, & est quædam roboratio ad constanter & intrepidè exterius confitendum ea quæ sunt fidei, coram persecutoribus, & non obstantibus tormentis; & hæc fit per sacramentum confirmationis quod ordinatur ad quoddam spirituale augumentum in spiritualibus, secundum perfectam ętatem. De hac Psal. 74. Ego confirmaui columnas eius, idest, Apostolos eius.

Confirmationem esse sacramentũ, & eius ministrum Episcopum esse, eamque habere debere, qui prima tonsura est initiandus, atque in ea characterem imprimi in anima; docuit, & eum qui secus dixerit anathematizauit Sacrosancta Trident. Synodus, quæ etiam statuit, vt cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, extra confirmantem, & confirmatũ, illiusque patrem, & matrem, tenentemque non egrediatur, Sess. 7. de sacram. Can. 9. de confirm. Can. 1. 2. & 3. Sess. 23. de sacram. ord. Can. 7. & c. 4. Sess. 24. de reform. matrim. c. 2. & c. 2. 30. q. 1. c. 1. de cogna. Spir. in 6.

Fuit autem hoc sacramentum Institutum a Christo. Sicut & cætera sacramenta. Et licet non instituerit hoc sacramentum ipsum exibendo: tamẽ bene promittendo; iuxta illud si non abiero paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur Spiritus sancti plenitudo, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem, & Ascensionem, secundum id, si non abiero Io. 7. Et quoniam hęc confirmatio, est sacramentum plenitudinis gratiæ, fideles qui hoc sacramentũ recipiunt conformantur Christo in quantũ ipse ab instanti suæ conceptionis fuit plenus gratiæ & veritatis: quæ plenitudo declarata est in baptismo, quando Spiritus sanctus descendit corporali specie, sicut columba in ipsum. Vnde Luc. 3. dicitur Iesus plenus Spiritusancto, regressus est a Iordane. Christus non accepit hoc sacramentum: quia non conueniebat dignitati eius, vt ipse, qui est sacramẽtorum Autor, a sacramento plenitudinem acciperet. Rectè ergo post baptismum sequitur spirituale signaculum, scilicet, confirmatio, quod profecto fit quando ad inuocationem Episcopi Spiritus sanctus infunditur. Ead. dist. accepistis.

Baptizatus autem confirmari non potest, nisi post septem dies post baptismum, propter septem dona Spiritus sancti, quæ recipiuntur in baptismo. Nam pro singulis donis decet dies singulos celebrare.

Fit autem confirmatio in fronte ab Episcopo. Differt autem hæc vnctio, quę fit in fronte per Episcopum ab illa quæ fit in cerebro, siue in vertice per sacerdotem. Primò quia secundũ Raba. de consec. dist. 5. nouissime. In illa signatur supra baptizatum Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam: in hac verò signatur, vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum plenitudine sanctitatis scientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur. Secundò differunt, quia per illam, quæ fit in vertice anima Christo desponsatur: per istam verò ditatur, & dotatur. Itẽ, per illam ostenduntur vulnera esse sanata: per hanc plenitudo gratiarum confertur: quod ex verbis vtriusque vnctio-

ctionis potest perpendi. Vnde paruulus non confirmatus minorem habebit gloriam in futuro; ait Glos. in cap. vlt. ieiunij. de consec. dist. 5. ca. 6. ver. in confirmatione.

Subsequenter Episcopus, Confirmatum percutit in faciem: primo vt tenacius memoriæ teneat se recepisse hoc sacramentum. Secundò, quia hoc sacramentum datur ad robur fidei: vt videlicet sit ita fortis in fide in baptismo suscepta quod vlterius corã quocunque confiteri Christi nomen non erubescat. Tertiò, hæc percussio repræsentat impositionem manuum, quia Apostoli sic confirmabant, scilicet, per impositionem manuũ; Quartò, ad terrendum malignum Spiritũ vt fugiat, & ne reddire audeat, sicut fecit Beatus Benedictus, liberans per alapam monachum quendam, qui a maligno Spiritu vexabatur. Quintò datur alapas leuiter confirmato, dicẽs pax tecum: vt meminerit quod percutienti eum pro Christo ad maxillã vnam paratum se præbere debeat, & alteram alapam pro illo sustinere, & animam suam in patientia sua possidere. In Concilio Aurelia. Can. 3. constitutum legimus, vt non nisi adultæ ætatis & ieiuni, & fidem suam corã Episcopo publicè confessi, confirmẽtur. Et hic quoque dantur Patrini eadem ratione, sicut in baptismo. Habetur autem 1. q. 1. Baptizandis. Quod nec pro baptismo, nec pro chrismatione debet præcium exigi, nè propter paupertatem vel indigentiam, homines negligant suam salutem, & qui huic decreto contrafecerit deponetur: quod verò in sacramento matrimonij accipiatur a sponso dos, hoc est propter onera vxoris, vt possit illi expensas facere: nec sit simoniacus viri. Valet hoc Sacramentum inquit Melchiades Papa in c. Spiritus sanctus. de consec. dist. 5. ad augumẽtum gratiæ, ad confirmandum in pugna contra vitia, & diabolũ; & armat, & instruit ad agones huius mundi, & prælia. Contemnens autem suscipere hoc sacramentum peccaret mortaliter, & damnaretur, si sic è vita decederet. Vt colligitur ex dict. cap. Spiritus sãctus.

Forma sacramenti confirmationis consistit in his verbis: signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ut implearis Spiritu sancto & habeas vitam æternam. Amen. Et licet hæc forma non legatur in scripturis sanctis tamen Ecclesia habuit hoc per traditionem Apostolorum: ideo sufficit authoritas Ecclesiæ fundata super traditionem istam, qui Apostoli seruabant in collatione sacramentorum, quæ a Christo seruanda audierant, licet in scripturis communiter propositis, tradita, & scripta nõ sint. Fit autem hic mentio magis de Cruce, quam in alijs sacramẽtis, quia hoc sacramentum peculiariter ordinatum est, ad confitendum intrepidè, & palam passionem & mortem Christi. Nota quod non confirmatus non potest tenere alium ad confirmationem c. in baptismate. de cõsec. dist. 4. & si tenet non contrahit compaternitatem, vt ibi patet. concordat Thom. & Pet. & tantum vnus debet esse, qui tenet. c. non plures. de consec. dist. 4. Angel. verb. confirmatio §. 12.

Nota secundum Petrum de Taran. Super 3. dist. 18. & Archid. de consec. dist. 5. nouissime. quatuor dicuntur de substantia huius sacramenti: duo ex parte sacramenti in se, scilicet, materia chrismatis, idest, oleum ex balsamo ab Episcopo sanctificatum, vt habetur de consec. dist. 4. Presbyter. Nec potest sine tali oleo conferre hoc sacramentum, eo quod secundum Thomã in 4. dist. 7. qu. 1. art. 3. Illa sacramenta quæ sibi ministrum determinant, etiã materiam sanctificatam requirunt, & exigunt, quare, &c.

Sed dicet aliquis, quare materia est chrisma? Respo. ipsemet art. 2. dicens quod

quod hoc sacramentum sumpsit exordium ab initio Spiritus sancti in discipulos, qui apparuit in linguis igneis: Sed igni nihil conuenientius accipi potest, loco eius pro materia in confirmatione quam oleum: quia lucet & nutrit ignem. Figuram autem linguæ conuenienter accipit balsamus propter odorem, quia per confessionem linguæ odor bonæ notitiæ Dei diffunditur in omni loco. Ideo sicut visibilis apparitio Spiritus sancti fuit in igne figurata in figura linguæ: ita materia confirmationis est in oleo balsamato: vt oleum pertineat ad conscientiam, quam oportet habere nitidã eos, qui confessores diuinæ fidei constituuntur, & balsamus ad bonam famã pertinet, quam opportet diffundere & verbis, & factis in confessione fidei. Hæc Diu. Thomas. Et licet Christus circa institutionem huius sacramenti non fuit vsus tali materia, nec Apostoli post eum: tamen ideo hodie Ecclesia non incongruè vtitur tali materia, eo quod Christus non alligauit potentiam suam sacramentis. Potuit enim sine tali materia conferre per alium modum gratiam huius sacramẽti. Similiter, secundum Scotum, potuit cum discipulis dispensare in primitiua Ecclesia vt per alium modum conferrent sacramentum confirmationis: præcipuè cum tunc erant aliqua signa sensibilia, nempè descẽsus Spiritus sancti desuper, & donũ linguarum, quæ omnia accipiebant confirmati per Apostolos: vt patet Acto. 8. Vnde non fuit necessaria eis materia huius sacramenti in signo tam occulto: ex quo in magis visibili, & euidentiori illud conferebant. Hic tamẽ doctor credit quod hæc materia sit ab Apostolis instituta, licet non legatur.

Secundum quod est de substantia huius sacramenti, est forma verborũ, quæ supra allata est. Tamen Archidiaconus reffert de consec. dist. 5. cap. nouissime, & Aug. ibidem. Tenuisse quod nec forma prædicta supra, nec alia est necessaria, & de substantia huius sacramenti: imò credit quod sacramentum olei, & sacrementũ chrismatis potest conferri sine verbo: dummodo fiat vnctio de oleo vel de balsamo cõsecrato. Idem etiam notat dist. 95. cap. peruenit. Illud tamen dicit sub dubio: & ideo securius, & melius est vt Ecclesiæ ritus seruetur.

Tertium quod est de substantia huius sacramẽti, quod requiritur ex parte ministri, est dignitas Episcopalis seu Pontificalis, & intentio debita: vt habetur ex Concil. Floren. & Triden. Sess. 5. & si alius conferret nihil faceret: quamuis ex Papali dispensatione etiam Sacerdos possit, sed non alius, & sic dispensauit Greg. dist in. 95. can. Peruenit. Et est de fide quod minister huius sacramenti ordinarius est Episcopus. Concil. Trid. Sess. 7. De confir. Et hoc quia antiqui patres sic docent, & ex scripturis colligitur, & ratio ita suadet; nam sicut in ædificijs extruendis, fabri, & inferiores ministri, calcẽ, ligna, & reliquam materiam parant, & componunt, absolutio tamen operis ad Architectum spectat: ita hoc sacramentum in quo spirituale ædificiũ perficitur a nullo alio, quam a Summo Sacerdote qualis est Episcopus, administrari opus erat: Debet autem Episcopus eos tantum confirmare, qui sunt suæ diœcesis, non alios; quãuis si confirmet factum tenet. Vnde nec Archiepiscopus debet suorũ suffraganeorum subditos quamuis eos visitet, confirmare. 16. q. 1. c. Interdicimus. Episcopus etiam de consilio debet esse ieiunus. Et non confirmans suos subditos ex nimia negligentia, peccat mortaliter, vt colligi potest ex doctoribus. Ex consensu tamen proprij Episcopi, potest alienus confirmare non suos. Hoc patet etiam Act. 8. Miserũt ad eos Petrũ & Io. Nec enim otiosè soli Apostoli manus imponebant, & ad remota loca mittebant eos

Apostolos qui manus initiatis imponerent. Apostolis autẽ non Presbyteri (ait Augu. in Psalm. 44.) sed Episcopi successerunt. Idem affirmat Clemens lib. 3. Apostol. constitut. c. 16. Postea Episcopus, ait, vngat baptizatos chrismate.

Quartum quod est de substantia huius sacramenti est ex parte suscipientis, scilicet, suscipiens, qui est frõs baptizata. Vnctio enim fit ad consignificandum id, quod confertur in sacramento. Vnde in confirmatione confertur audacia confessionis: cuius oppositum, scilicet, timor, & erubescentia principalius, & euidentius in fronte manifestantur: ideò fit vnctio frontis: Hæc est ratio Archidiac. de consec. dist. 5. c. nouissime. Alia est ratio secundum Petr. in 4. dist. 7. qu. 4. quia etiam robur in fronte designatur, iuxta illud Ezechiel. 3. Ecce dedi frõtem tuam duriorem frontibus eorum. Vnde in tribus sacramentis fit triplex vnctio sancti chrismatis: Sed tamen diuersificantur, ex fide, quia in baptismo (vt diximus) fit in vertice ad significãdum fidei susceptionẽ: quia vertex est locus rationalis: In cõfirmatione in fronte fit vnctio ad significandum audaciam confessionis cuius impedimentum, scilicet, timor, vel verecundia, in pallore vel rubore frontis, ostenditur ex propinquitate cellulæ memoratiuæ, & imaginatiuę. In ordine verò in manibus fit vnctio ad significandum potestatem consecrandi corpus Dominicum. Aliam rationem ponit Canon. de consecrat. dist. 5. Spiritus sanctus dicens: Spiritus sanctus in Baptismo tribuit plenitudinem ad innocentiam, in confirmatione augumentum ad gratiã præstat. In Baptismo regeneratur ad vitã: post baptismum confirmatur ad pugnam. In baptismo abluimur: post Baptismum roboramur: Regeneratio per se soluit: confirmatio armat, & instituit ad agones, & prælia huius mundi. Hæc ibi; Datur & in hoc sacramento gratia non solum communiter sicut in alijs sacramentis, sed etiam specialiter, per quam quis deputatur ad effectum sanctitatis & idoneus efficitur ad Christum confitendum. Et hæc est maxima vtilitas: vnde debent pensare homines non omittere hoc sacramentum: quia ipsius omissio augumentum gratię subtrahit.

Sed quæret forte quis an peccet suscipiens ordine antequam sit confirmatus? Nauar. cap. 22. de sacramento confir. num. 9. Ita dicit. Peccat qui non se facit confirmare ante omnem ordinationem ca. 4. Sess. 23. Concil. Triden. de reform. nullam tamen per hoc censuram incurri aliquoties respondi. Tum quia eius emissionis negligentia non est mortalis. Tum quia nullo iure id cauetur, nam nec prædictum concilium addit aliam pœnam, quam quod non admittatur quis ad primam tonsuram ante confirmationem: tum quia licet character ordinis de necessitate sacramenti requirat characterem confirmationis. Quin opinamur (inquit) cum Soto in d. dist. 24. q. 1. art. 4. Sub fine, peccare quidẽ sed non mortaliter suscipientem, vel administrantem etiam scienter ordinem ante confirmationem, modo id sine contemptu fiat. Circa leuantes autem dicamus.

Nota quatuor genera personarum sunt, quos Ecclesia non suscipit in Patrinos. Primum, Monachus, Abbas, Abbatissa, Monialis, & Religiosi professi. vt de consec. dist. 4. non licet abbati. Et cap. seq. vbi dicitur, Monachi sibi compatres, commatres ve non faciant, nec osculentur fæminas. Secundum genus sunt infideles & patet ibidem c. 105. vos. De monacis, hoc statuit Greg. Magnus anno Domini 591. Ne monaci sint patrini.

Tertium illi qui nondum sunt cõfirmati. Quartum genus, vir, & vxor simul

simul. 30. qu. 4. quod videtur. Nisi prius ambo votum castitatis emiserint. Neque frater sororem: & è contra: quia sufficit inter tales vinculum consanguinitatis carnalis. Turpe est audire, si frater vocaret sororem cōmatrem, & è contra. Alij tamen cognati, possunt, vt patrueles, fratrueles, auunculi, &c. Patrini in conf. adhibentur: quia confirmatus, armatur ad pugnandum, qui autem gladiatoriam pugnam subeunt, egent edoceri ab aliquo, quomodo se in dimicatione incolumes seruēt, & inimicū offēdant: & ideo rectè Patrini traduntur.

Illud etiam notandum est, quod baptizatus bis vngitur chrismate, scilicet in vertice, & in fronte: nam & ipsis Apostolis bis fuit datus Spiritus Sanctus. Primo in terra, quando Christus exsufflauit in eos dicens, accipite Spiritum Sanctum. Secundo à Cœlo in die Pentecostes. Hæc ergo duplex baptizatorum vnctio, significat quod Spiritus Sanctus datus est Apostolis semel in terra, ad dilectionem proximi, & semel de cœlo ad dilectionem Dei. Prima respicit dilectionem Dei, in pectore, scilicet, & secunda, ad dilectionem proximi, scilicet, inter scapulos. Confirmatio semper fuit in Ecclesia vt probat Dionys. cap. 4. de Ecclesiastic. Hierarch. subscribit, & Concil. Laodicen. can. 48. celebratum anno Domini 121. quod sic habet. Oportet baptizatos post baptismum, sanctissimum Chrisma percipere, & cælestis regni participes fieri, & Papa Vrbanus martyr ita ait: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctū post baptismum accipere debent vt pleni Christiani inueniantur: quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad cōstantiam, & prouidentiam dilatatur.

De Sacramento confirmationis legitur Acto. 8. cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem. Qui cum venissent orauerūt pro ipsis, vt acciperent Spiritū Sanctū. Nondū. n. in quēquā illorū venerāt, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Item Act. 19. de Ephesi. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset manus illis Paulus, venit Spiritus sanctus super eos. Hinc patet quare soli Episcopi (cum sint Apostolorum successores) confirmationis Sacramentum conferant. Chrisma est loco (vt diximus) visibilis descensionis Spiritus Sancti. Qui quidem Spiritus sanctus (& habetur ex Epistola Melchiadis Papæ) datur in baptismo ad purificationem, & regenerationem: In Confirmatione vero datur ad custodiam, tutelam, defensionem, ad robur, & virtutis augumentum, vt pugnaturus post hac, fortiter se habeat contra carnem, mundum, & diabolum. Datur ad consolationem, qua idem nos consolatur, in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari, eos, qui in omni præssura sunt. Datur denique vt in fidelibus habitans, arguat, & conuincat mundum, hoc est, mundanis desiderijs, & concupiscentijs inuolutos de peccato, de iustitia, & de iudicio, sicut ipse Christus dixit. Cum venerit ille arguet mundum de peccato, &c. Ioan. 16. Hæc in confirmatione sunt notanda.

Primò. Nullus confirmatus debet reconfirmari. cap. dictum est. de consecr. distinct. 5. Secundò, nullus excommunicatus, vel grauioribus facinoribus alligatus ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad præsentandum confirmandum. Tertiò, adulti quoque debent prius confiteri & postea confirmari, cap. vt ieiunni. de consec. distinct. 5. vt possit suscipere gratiam quam confert Sacramentum: quia si esset concius alicu-

ius peccati susciperet quidem Sacramentum, sed non rem Sacramenti, id est gratiam.

Quartò hoc Sacramento contrahitur paternitas, & affinitas spiritualis, prout in baptismo, impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum. cap. quamuis. de cognat. spir. §. vlt. lib. 6.

Quintò nullus præsentet, nisi vnũ, aut duos, non plures. eadem distinct. Sextò confirmandi de honestate, non de necessitate debent esse ieiuni, similiter, & confirmans. dicto cap. vt ieiuni. Septimò, confirmato debet ligari frons, & sic manere quousque dessicetur Chrisma, & non oportet, quod ligatura septem diebus portetur, sed decet vt septem diebus abstineat à capitis lotione; quod ego iubente patre meo seruaui. Octauò linea seu vitta munda, cum soluitur igne comburatur.

Nonò ligando, vel soluendo ligaturam capitis, siue abstergendo frontem, non contrahitur aliqua compaternitas. Decimò nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta ab Episcopo. Decimoprimò, iuxta morem Sanctę Romanæ Ecclesiæ qui fuit compater in Catechismo vel baptismo, non potest tenere eundem in hoc Sacramento; cap. in Catechismo de consec. dist. 5.

Duodecimo qui est confirmatus, non suscipiat iterum confirmationis Sacramentum quia oporteret ingredi Monasterium pro pęnitentia: vt dicitur de consecr. distinct. 5. dictum est nobis. His omnibus peractis Episcopus abluit, deinde orat super confirmãdos, qui & flexis genibus ipsi procumbunt; & ait, postea Episcopus Spiritus Sanctus superueniat in vos, & virtus altissimi custodiat vos a peccatis. Amen. Et quæ patent in Pontificali.

Et quoniam hoc Sacramentum significat confirmationem datam Apostolis in die Pentecostes (vt diximus) hinc est quod confertur istud Sacramentum magis in illis temporibus Pẽtecostes (licet omni tempore possit conferri) quam in alijs, vt patet ex Catechismo Romano de confirmatione num. 1. Morituris dandum est hoc Sacramentum, non quidem propter periculum vitæ præsentis, sed vt in resurrectione perfecti appareant; secundum illud Ephes. 4. Donec occuramus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. In lib. conciliorum extat epistola Sancti Fabiani Papæ, & Martyris de hoc Sacramento, in qua testatur quod Christus docuit Apostolos conficere Chrisma post pedum lotionem.

De Eucharistiæ Sacramento. *Cap. 23.*

Accipite & comedite, hoc est corpus meum Mat. 26. & de consec. dist. 2. panis. Quoniam suscitati à peccatis per baptismum, & cõfirmati in gratia per confirmationem ne laborantes in via præsentis vitæ in certamine spirituali deficiant, opus habent refici cibo spirituali: alioquin Saluatore testante: si dimissi ieiuni fuerint, deficient in via: Mat. 15. ideò hic consequenter videndum est de Eucharistiæ Sacramento. Est enim Eucharistia cibus animarum nostrarũ. Ioan. 6. nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Eucharistia idem sonat (secundum etymologiam vocabuli) quod bona gratia: quia ibi continetur Christus qui est auctor gratiæ. Secundò dicitur bona gratia, quia vnicuique secundũ suum statum sufficienter sibi confert mensuram gratiarum. Tertiò ideò bona gratia dicitur, quia omnis boni bonum exibet. Aliquando Eucharistia dicitur communio, siue communica-

nicatio, quam debemus habere, idem sapere, dicere, & velle, & omnia communicare, præcipuè in necessitate sicut Apostolus communicauit. 1. Cor. 10. obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata, & 2. Corin. 13. idipsum sapite, & Hebr. 13. beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci. Item Eucharistia per antonomasiam dicitur Sacramentum, quia sacrat mentem illius qui dignè illam suscipit.

Eucharistia habet aliam significationem respectu futuri, in quantum, scilicet, hoc Sacramentum, est præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in Patria. Et secundum hoc dicitur viaticum, quia præbet nobis viam illuc perueniendi.

Quantum autem ad consecrationem in primis dicendum est, quod ad prolationem istorum verborum, Hoc est, &c. & Hic est, &c. panis mutatur in corpus Christi: & vinum mutatur in sanguinem de consec. dist. 2. panis est. Et continetur totus Christus tam in Hostia, quam in Calice. & vt inquit Ambros. de Sacram. omnia quæ fuerunt in vtero Virginis, sunt in hoc Sacramento realiter, scilicet, verum corpus Christi, anima, & diuinitas, cum eisdem dimensionibus, quas habet in Cęlo: licet secundum eas non commensuretur Sacramento, siue speciebus illis, inquit Viguerius, ac est si dicatur, quod Christus est in illa parua Hostia, tam magnus qualis erat in Cruce, & qualis nunc est in Cęlo: licet non commensuretur illis paruis speciebus.

Ad excutiendum autem ab intellectibus hominum omnia diaboli, & hæreticorum tela, ac infidelium versutias, ponit idem quattuor fundamenta perpetuo memoriæ mandanda. Primum fundamentum est ex D. Paulo 2. Corin. 10. dicit enim: in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, hoc est ad credendum omnibus, quæ dixit Christus, & obediendum ei. Secundum fundamentum habetur Luc. 1. non est impossibile apud Deum omne verbum. Deus potest facere omne, quod intellectus potest concipere, ergo. Tertium fundamentum est ex D. Hila. lib. de Trin. vbi dicit: quod cum Deus sit infinitæ potentiæ, & actiuitatis, & intellectus noster sit finitus, & limitatus; sequitur, quod Deus multo plura potest facere, quam intellectus noster intelligere, ideo Iob. 36. Ecce Deus magnus vincens sciētiam nostram, & Rom. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c. Quartum fundamētum est quod cum Christus sit Deus, & veritas per essentiam: ego sum via, veritas, & vita Ioan. 14. & tit. 1. qui non mentitur Deus: sequitur quod quidquid ipse dixit, hoc verum est. Sed Christus dixit accepto pane: Hoc est corpus meum: non dixit in signo, sed realiter: quia subiūxit: quod pro vobis tradetur; & de sanguine, quod pro vobis effundetur. Atqui corpus Christi verum realiter fuit traditum pro nobis, & verus sanguis eius fuit realiter effusus, & non in signo: igitur ibi est realiter verum corpus, & verus sanguis Christi.

Potest etiam ratione persuaderi; quia in alijs Sacramentis Sacerdos loquitur in propria persona, ego te baptizo, signo, absoluo, &c. Sed in hoc Sacramento non loquitur in propria persona, quia stultè loqueretur, nec posset eius locutio quocunque modo verificari: sed loquitur in persona Christi, quia refert: Qui pridie quam pateretur, &c. ideo in alijs Sacramentis non est Christus in persona propria, sed assistit, ex virtute data. Sed cum in hoc Sacramento Minister loquatur in persona Christi, sequitur quod Christus non solum assistit in virtute, sed etiam in propria persona.

In signum vnius primũ miraculum, quod facere voluit, fuit conuersio aquæ in vinum; & vltimum conuersio panis in corpus, & vini in sanguiné; vt correspõderent vltima primis. Insuper dicit 2. Cor. 10. omnia in figura contingebant illis & cuilibet Sacramento, respondet figura, & è conuerso figuris, Sacramenta. Quid igitur in noua lege respondet manna, quod erat cibus corporalis, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem, & figurabat cibum spiritualem? nihil profecto repprесentare in noua lege poterat, nisi Christum, qui Ioan. 6. dicebat, Caro mea verè est cibus; &c. Sicut agno occiso in lege veteri non respondebat in noua nisi Christus occidendus; ergo nec cibo corporali, nisi Christus, qui est cibus spiritualis, sed Christus realiter occisus est: ergo est realis cibus.

Sed quoniam nonnullas illusiones pusillis dęmon imittit, ideo ad confortandum eorum spiritus, illis respondebimus. Primò, aliquibus dęmon suggerit, quomodo, est possibile, quod Christus, qui est tam magnus, sit in tam paruo loco? ideo istis respondendum est, quod ibi est per modum substantiæ, & non modo quantitatiuo, hoc est, non vtitur sua quantitate propria, occupando locum; sicut eadem anima, est in paruulo existente in vtero, & extra vterum, & quando est magnus vir, & in senectute: sic Christus est in parua, & magna Hostia. Quod autem possit dari aliquod quantum, quod non vtatur sua quantitate, patet ex illo quod dixit Christus Matth. 19. facilius est camellum per foramen acus transire: si non esset possibile, non diceret, facilius: sed impossibile est quod Camellus si vtatur quantitate sua, transeat: ergo potest esse quantus, & non vti quantitate sua, virtute diuina. Figura habetur 4. Reg. 4. de muliere quadam, quæ ex paruo lecytho olei repleuit magna vasa iussu Elisei Prophetæ.

Aliquibus suggerit dæmon, quomodo est possibile, quod Christo sit ante oculos nostros, & non videamus eum? Figura est de Eliseo qui rogauit Dominum vt aperiret oculos pueri, qui non videbat exercitum bellatorum, qui erat pro eis. Christus etiam reddidit se inuisibilem Luc. 4. Transiens enim per medium illorum ibat. Et ibidem 24. euanuit ab oculis eorũ.

Alijs etiam suggerit Dæmon, quomodo Christus, qui est nisi vnus possit esse in tot locis? Dicendum quod localiter non est nisi in cælo, sed in sacramento per modum substantiæ. Et per habitudinem susceptionis. Similitudo communiter datur de voce Prædicatoris, quæ cum non sit nisi vna in aere est æqualis in auribus singulorum. Magis tamen propria similitudo est de cella circundata speculis. Si vnus homo sit in medio, immago eius apparet in quolibet speculo. Si hoc facit natura, a fortiori Deus.

Alijs suggerit dæmon quomodo possibile est, quod Christus ita cito sit in Hostia cum sit magna distantia? Ratio naturalis est, quia virtus eius est infinita, & quia illa mutatio non est localis, sed instantanea. Similitudo naturalis est de Sole qui illuminat in instanti. Et Philosophi aiunt illuminationem fieri in instanti, cum nulla sit repugnantia ex parte medij. Similiter non frangitur ad fractionem Hostiæ, quia ibi est per modum substantiæ, & quantitas specierum, non est subiectiuè in ipso: Ideo Christus nõ diuiditur, sed quãtitas. Similitudo est de speculo, ad cuius diuisionẽ non diuiditur imago in eo apparens, sed solum speculum, & in qualibet parte est immago. Si hæc facit natura, a fortiori Deus. Si autem hæc non sufficiunt reccuret tunc ad fundamenta: quod non capis quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem. D. Thom. in sequent.

De Eucharistiæ excellētia; Nota secundū Iacobū de Valētia super Ps.21. super illo vers. māducauerūt & odorauerūt omnes pingues terræ; sic exponit,& notat.i.omnes diuites,& Reges & Principes conuersi ad Deum manducauerunt, & adorauerunt hoc sacramentum quando videbunt in manibus sacerdotum. Deinde notās, ait: ad intelligentiam huius versiculi, est aduertendum quod notanter dicit, manducauerunt, & odorauerunt: ad exprimendam excellentiam huius sacrificij super sacrificia, & sacramenta veteris legis. Nam in hoc sacramento continetur realiter totus Christus Deus, & Homo, & tota Trinitas: in illis autem non nisi figuraliter. Vnde modus, & ordo quo existit Deus in hoc sacramento est iste. Nam primo existit ibi verū corpus Christi.s.caro cum neruis & ossibus: Et hoc per se ex vi sacramenti, & consecrationis. Nam in hoc solum transubstantiatur substantia panis: Sicut sonant verbá. Secundò est immediatè sanguis Christi per immediatam cōcomitantiam. Tertiò est ibi anima Christi informās, & actuans corpus per concomitantiā ad totum. Quartò est ibi personaliter vnitum: Ex consequenti est ibi tota Deitas, quæ plenè est in verbo: & ex consequenti est ibi persona patris cōmunicans verbo totam Deitatem: A quo originaliter filius habet, quidquid habet: Et ex consequenti ibi Spiritus sanctus ab vtroque procedens: ex quo patet quod filius non est ibi sine patre, nec Spiritu sancto propter inseparabilem consubstantialitatem: quia aliter esset cēsendus Arrianus & non catholicus oppositum concedēs: Et hæc est causa quare adoratur hoc sacramentum, non sacrificia veteris legis; quia Deus habet specialem modum existendi in hoc sacramento: Et ideo dicit Dauid: adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram, idest, omnes mortales, qui sepeliendi sunt in terra, cadent, & procident in facies, & curuabunt genua in conspectu huius sacramenti: in quo adoratur Deus in Trinitate; Hæc ille.

Huic autem ineffabili sacramento religionem quam in nomine latriç intellexerunt omnes sapientes, debemus: Latria quippe seruitutem significat, non communem Deo,& hominibus præcellētibus: sed quæ soli Deo debetur (vt B. Aug. docet) sicut nomē Hæbreum Adonai, non quemcunque Dominum signficat, sed eum qui propriè est Dominus,& solus vniuersorū Rex: Sic verbum Græcum Latria, seruitutem importat, non vtcunque, sed eam quæ soli Deo exibetur, & hæc huic diuino sacramento offerēda est. Docuit hanc veritatem in primis cælestis Pater in Psal. 96. cum de vnigenito filio suo loquens ait: & adorent eum omnes Angeli. Quod & fecerūt sub ipsa hora natiuitatis Christi Saluatoris nostri, & deinde Magi procidētes super terrā ipsū in pręsepio adorauerūt. Cultus ergo & seruitus, quæ Deo offertur, Eucharistiæ defferenda est. Hac etiā adoratione latriæ, adoramus sanctam & indiuiduam Trinitatem, Iesum Christum: Virginem autem Mariam santissimam honore hiperduliæ: Crucem etiam adorare, & venerari honore latriæ iubemur, quatenus nobis Christum verum Deum repręsentat. Adoramus verò Angelos vniuersosque alios sanctos, & eorum reliquias sed honore Duliæ: hoc est non collocantes in ipsis primarias partes nostræ spei, cum scriptura sacra,& Ecclesia sancta nos doceant in Deo nos facere virtutem ipsumque esse fontem, & auctorem totius boni. Verū sanctos adoramus, & veneramur tanquam Dei amicos, filios per gratiam, templa viua Spiritus sancti hæredesque vitæ æternæ. In quorum intercessione licet Christianis confidere, nam vt docet D. Aug. multa Deus

Chri-

Christianis intercessionibus sanctorū largiri ab æterno constituit, aliòqui nō largiturus. Proinde docet nos Catholica Ecclesia, sanctos adorare, non vti auctores nostræ salutis, sed vt intercessores. Duliæ adoratione sanctos, & Angelos ad memoriam, & recordationem primitiuorum: sed non seruimus ei cultu diuino. Vnde nota secūdum Glos. de cons. dist. 3. c. venerabiles; quod in Latria, tria exiguntur, caritas, scilicet, dilectionis: & multitudo sacrificiorum, & veneratio. In Dulia verò vnum solum, scilicet, veneratio: & in hoc sensu possumus quālibet rem sacram adorare, idest, reuerētiam exhibere. Vnde habes duas species adorationis, scilicet, Latria vna, & Dulia altera. Latria est cultus soli Deo debitus, Dulia est seruitus, quæ debetur creaturæ. Vnde vers.

Dulia fit seruo: debetur Latria Christo.

Ex his habes quænam erat adoratio Gentilium erga sua simulacra, siue Idola: simulacrum enim est vox latina, a simulando dicta. Idolum vero vox Græca ab Idos, hoc est, species, quod speciem & imaginem piæ se ferat, cum absit veritas. Hinc quæ nos simulacra vocamus, illa Græci vocant Idola.

Insuper quod debetur adoratio latria huic sacramēto, patet ex hoc. Nā opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, vt creare tam Filius quam Pater, & Spiritus sanctus creat, & infundit animas. Similiter miracula facere, & huiusmodi: opera verò Trinitatis ad intra, sunt diuisa ita vt quod spectat ad vnam personam non spectet ad aliā: vt, generare, spirare, &c. Pater.n. Generat, non Filius, aut Spiritus sanctus. &c.

Agnus pascalis fuit figura huius sacramenti: ut habetur Exod. 12. vbi dicitur: edent carnes, scilicet, agni pascalis, & azimos panes, cum lactucis agrestibus. Et deinde post pauca subdit: tenentes baculum in manibus, & comedetis festinanter: est enim phase, hoc est transitus Domini.

Sed quid habebat Dominus de lactucis agrestibus? Dicendum quod nō propter se, sed propter repræsentationem. Sicut enim agnus ille qui occidebatur, & comedebatur in signum liberationis populi, figurabat, & repræsentabat Christum, qui fuit agnus Dei, occisus pro redemptione mundi, & in huius signum, & commemorationem præceptus est sub speciebus sacramentalibus manducari, sic ea, cum quibus manducabatur agnus, significabant ea, quæ obseruare debemus manducando Christum in hoc sacramento.

Primò lactucæ agrestes significabant dolorem, & amaritudinem peccatorum, siue probationem, quam ante facere debemus: De qua Apost. 1. Corin. 11. dicit: Probet autem seipsum homo, &c. Probatio autem hæc consistit in tribus, scilicet, in contritione, confessione, & satisfactione.

Secundò docet renes accingere. Renum cingulum significabat castitatem, quam seruare debent communicantes, mente, & corpore: in huius figuram legimus. 1. Reg. 21. quod Dauid petente cibos ab Achimelech Sacerdote, qui non habebat laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum, qui erat figura huius Sacramenti, dixit, si mundi sint pueri a mulieribus, poterunt manducare. Respondit Dauid, continuimus ab heri, & nudius tertius. Si ad comedendos illos panes propositionis debebant esse casti, & mundi a mulieribus, qui panis erat vmbra, & figura huius Sacramenti; a fortiori, instante communione, abstinere debent vxorati, & timere ne eis contingat, sicut figuraliter contingit Ozæ, de quo 2. Reg. 6. dicitur: quod in translatione arcæ testamenti, cum recalcitrarent boues, & declinaret arca

Oza-

Oza Sacerdos extendit manum suam ad arcam,& tenuit eam, iratusque est Dominus indignatione cōtra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est iuxta arcam Dei, quæ figurabat hoc Sacramentum. Dicunt cōmuniter Doctores, quod hoc ideo, quia ea nocte dormierat cum vxore sua. Si ergo Dominus indignatus est contra Ozam, qui fecit hoc bono fine, & propter reuerentiam manum admouit, ne caderet arca, a fortiori erit iratus contra Sacerdotes (inter quos ego primus indignus) si castitatem non colent, & similiter contra omnes qui polluti præsumunt aliquando accedere ad hoc Sacramentum?

Tertiò docet baculum in manibus tenere: baculus figurabat spem veniæ,& vitæ quam debent habere communicantes: quia sicut per baculum aliquis sustentatur, & refocillatur: sic per spem; Vnde Gregor. spes præmij vim minuit laboris.& Psalm.36. dicitur: spera in Deo & fac bonitatem,& pasceris in diuitijs eius. Vel baculus significat crucem, & memoriam passionis, quam debent habere communicantes Luc.22. Hoc facite in meam commemorationem;& 1. Corint.11. Quotiescumque mãducabitis panem hunc,& Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniant.

Quartò debet habere calceamenta in pedibus. Calceamenta quæ fiunt ex pelle,& corio animalium mortuorum, significant exemplum deuotionis, quam habebant Sancti ad hoc Sacramentum. Calceamenta præseruãt pedes à lapidibus, & spinis: sic exempla sanctorum a puncturis carnalium delectationum, quæ dicuntur spinæ. Vnde Hier. Prohibe pedē tuū a nuditate. Apost. Similiter Ephes.4. ait: Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. Calceamenta ergo significant promptam voluntatem obediendi Euangelio, & seruandi mandata, quam promptitudinem habere potemus, si sanctos, qui fuerunt prompti, sequamur.

Nota quod licet in sacramento Eucharistiæ sint diuersæ materiæ, & diuersæ formæ, & sint multa materialiter, nō tamen sunt plura sacramenta, sed vnum formaliter, & perfectiuè. Nam vt vidimus in 5. Metaphis. vnū dicitur non solum, quod est indiuisibile, vel quod est continuum, sed etiā quod est perfectum, vt cum dicitur vna domus, & vnus homo, est autem vnus perfectione ad cuius integritatē concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eiusdem. Sicut homo integratur ex omnibus membris necessarijs ad operationem animę,& domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad habitandum: sic cum sacramentum istud ordinetur ad spiritualem refectionem, quæ conformatur corporali, ad quam duo requiruntur, scilicet, cibus, qui est alimentum, & potus qui est humidus; est vnum sacramentum; & ad eius integritatem duo concurrunt, scilicet, spiritualis cibus, & spiritualis potus, sc̄dm illud Io. 6. caro mea verè est cibus, sãguis meus verè est potus. Ideo Apost. 1. Corin. 10. ait vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes quidem de vno pane, & de vno calice participamus. Ex quo patet, quod sacramentum Eucharistiæ, est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Sed sacramentum imaginem gerit eius, cuius est sacramentum. Ergo Eucharistia est vnum sacramentum: Potest tamen dici sacramenta in plurali propter specierum pluralitatem, vt dist. 2. de consec. ca. 55. & Glos. ibid. circa sumptionem, &c.

Circa sumptionem dicendum est, quod sumitur hoc sacramentum secund. Thom. duobus modis, ex quibus resultant tres. Primò spiritualiter tantum; dum quis manducat Christum per fidem cogitando: vnde Aug. crede,

de, scilicet, amando, & manducasti. Et sic manducauerunt patres veteris testamenti secundum eundem 4. dist. 9. Secundò sacramentaliter tantum. Hoc modo manducat fidelis peccator. Tertiò vtroque modo simul, vt iustus. Brutum animal neutro modo manducat.

Quæ credenda sunt in hoc Sacramento. Cap. 24.

HIs omnibus visis quæ in præcedenti cap. dicta sunt, nunc videndum est quæ sunt credẽda in hoc sacramento, & sunt decem. In primis ergo credendum est quod in hoc sacramento idem Christus, qui de Virgine natus est, & pro nobis passus continetur, vt etiam supra monstratum est, & sicut ibi verus est Christus: ita est etiam ibi sub vna quantitate, sed non quantitatiuè; hoc est tantum dicere, quod non vtitur illa quantitate occupando locum, sic etiam non vtitur claritate sua illuminando aerem.

Secundò credendum est quod corpus Christi potest esse pluribus in locis quantumcunque panes transubstantientur in ipsum. Vnde in cælo est localiter. In verbo diuino personaliter. In altari sacramentaliter. Secundũ naturale eius est esse in cælo in vno tãtũ loco. Secundũ esse sacramentale eius potest esse in diuersis locis. Est ergo hic secundũ quod multa in ipsum transubstantiari possunt: sed secundũ esse personale non est in loco. Vnde dicit Petrus de Taran. quod secundũ quod vnum est & indiuiduum in se, non potest esse nisi in vno loco: sicut nec angelus, nec aliud corpus: secundum quod in ipsum multa transubstantiari possunt indiuidua, sic potest esse in diuersis locis dist. 10. qu. 3. ar. 2. in 4. sentent.

Tertiò credendum est secundum Thom. quod cum corpus Christi apparet in specie carnis, vel pueri, vtrũ illæ species sint propriæ corporis Christi, non omnino determinatum est a doctoribus; tamen securè dicitur, quod illæ dimensiones panis manent: Et in eis alia accidentia sensibilia superducuntur virtute diuina, quæ speciem carnis præcedant: Sicut accidentia, quæ prius erant, prætendebant speciem panis. Quotiescunque tamen apparet sub specie carnis vel pueri nõ deberet sumi, sed asseruari pro reliqijs.

Quartò credendum est illa accidentia manere sine subiecto post consecrationem virtute diuina, retinent tamen ibi modũ agendi, vel patiendi in corpore Christi, quẽ prius habuerũt.

Quintò credendum est quod facta consecratione, vlterius non manet in hostia consecrata substantia panis, nec in vino substantia vini, sed statim corpus Christi fit in hostia, & sanguis Christi in calice. Et ratio est secundũ Thom. quia oppositum huius dicere repugnat verbis Christi. Non enim esset verum dicere, Hoc est corpus meũ, sed hic est corpus meum. Item: Si remaneret substantia panis tolleretur reuerentia Christo debita, vt continetur in hostia. Nam Christo vt continetur in hostia, debetur cultus latriæ, sed si ibi maneret substãtia panis, non deberet talis cultus latriæ exiberi, propter idolatriam, adorãdo creaturam. Hæc conclusa fuerunt sub Alexandro 4. & Martino 5.

Sextò credendum est quod fractio quę fit in hostia nõ fit in corpore Christi, sed tantum in speciebus hostię: vnde ibi accidẽtia manẽtia sine subiecto dicuntur frangi, secundùm Pet. dist. m. 12. art. principali. q. 1. quia alias fractio est quædam diuisio: diuisio verò est passio quanti vt quantum. In sacramento verò aliquid est quantũ per modum quanti vt species. Aliquod est quantum sed non per modum quanti, vt corpus Christi: Ideo dicendum est, quod fractio, vel diuisio fit in speciebus, & non in corpore Christi.

Septi-

Septimò credendum est quod corpus Christi in hoc sacramento non videtur, nec sanguis corporalis. Ratio Gregorij quia tunc ibi non esset aliud visum, & aliud creditum. Item alia ratio naturalis quia nullum corpus videri potest, nisi habeat accidentia in essentia; vel nisi sit coloratum formaliter, vt patet de pariete: sed color albus non est in hostia formaliter: ergo non potest videri propriè: Nec tamen errant laici, qui dicunt se videre corpus Christi: sicut illi non errauerunt qui dicebant se videre angelos in corpore assumpto, quos tamen non viderunt in quantum fuerunt spiritus. Et simile est de homine armato, quem quis ait se videre, cum tamen nec faciem nec vllum membrum videt. Immo vt ait Varro. dist. 5. q. 9. nulla creatura naturali cognitione, nec angelus potest cognoscere ibi esse corpus Christi. Licet tamen visione gloriosa, & intellectuali potest cognosci, oculus tamen glorificatus illud videre non potest corporaliter secundum Thomam. Vnde glorificati vident corpus Christi in sacramento visione intellectuali, & non corporali.

Octauò credendum est quod in hostia sunt quatuor, & quatuor veraciter in calice credenda continentur; Primò enim in hostia virtute verborum est corpus Christi. Ratio: quia illud veraciter continetur in hostia, de quo verba faciunt mentionem: sed hoc solum est de corpore Christi: quia ibi dicitur: Hoc est enim corpus meũ: vbi nil dicitur de anima nec de deitate, nec de sanguine. Secundò ibi est sanguis Christi non principaliter, sed ex concomitantia quadam necessaria: quia corpus verum, & viuum nõ est sine sanguine, vnde dicitur anima esse in sanguine. Tertiò ibi est anima Christi ex concomitantia mediata: quia impossibile est animam informare, & perficere corpus, nisi corpus sit dispositum: sed sine sanguine non est ibi corpus benè dispositum, nec etiã organizatum. Ibi ex consequenti etiã est anima, cum ibi sit corpus dispositum per sanguinem: & hoc est dicere, mediante sanguine. Quartò est ibi Deitas ex quadam concomitantia remota: quia corpus & deitas sunt disparia: tamen ex quo Christus natus fuit ex Maria semper Virgine verus homo, & Deus: ideo etiam hic est verus homo, & Deus: Similiter dicitur de Calice, quod ibi primo est sanguis: quia de illo verba faciunt mentionẽ. Secundò ex concomitantia immediata est ibi corpus Christi. Tertiò ex concomitantia mediata est ibi anima Christi. Quartò ex concomitantia quadam remota est ibi deitas.

Nonò credendum est quod in hoc sacramento aliquid est sacramentum, & nõ res sacramenti sicut species sensibiles panis, & vini; & illæ species sunt creaturæ. Vnde adorator, videns hostiam non debet principaliter ferre intentionem ad id, quod videt: sed ad id quod credit ibi esse, scilicet, Christũ. Secundò inuenitur ibi sacramentum, & res sacramenti, & hoc est verum corpus Christi, & sanguis eius. Ista autem dicuntur sacramentum & res sacramenti per respectum ad ministrum vel sacerdotẽ sub debita forma conficientem. Vnde dicitur sacramentum quasi sacræ rei signum, quia significat spiritualem refectionem animæ. Et dicitur res: quia hoc ipsum facit per gratiam quod continet. Tertiò est ibi aliquid: quod est res sacramenti, & non sacramentum: sicut est gratia data dignè suscipienti: & hæc gratia est res sacramenti, non tamen sacramentum.

Quartò est ibi, quod nec est res Sacramenti, nec Sacramentum, vt sunt illa omnia quæ sunt concomitantia hoc Sacramentum, siue sint accidentia propria, siue communia & illa potius formæ accidentales siue species dicuntur.

Decimò credendum est quod licet Sacerdos sub vtraque specie cum celebrat, hoc Sacramentum sumere debeat: tamen populo sumere sufficit sub specie panis tantum. Et ratio est (præter dictas alibi) quia secundum Archid. de consec. distinct. 2. comperimus. in hoc Sacramento non solum attenditur efficacia, sed etiam significatio. Significatur enim per istas duas species, scilicet, corporis & sanguinis seorsum sumptas per Sacerdotē tempore celebrationis, quod sāguis Christi in cruce fuit diuisus a corpore suo vt dicit Gorra super Matthęum. Cum ergo Sacerdos tantum, & non populus habet huius facti significationem ex ordine suo exprimere; tantum ipse, & non populus sub vtraque specie sumere debet, eo quod tunc ipse gerit vices Christi; populus autem non gerit vices Christi; & ideo populo non est opus de significatione, sed de efficacia; & quia efficacia est æqualis sub vtraque specie; ideo populo traditur sub altera specie tantum, in qua tradi potest cum reuerentia, & cautela. A Presbyteris igitur tantum & rectè, sumitur sub vtraque specie. Insuper quia crescente multitudine populi Christiani in qua continentur senes, & iuuenes, quorum quidam non sunt tantæ discretionis vt cautelam debitam circa vsum huius Sacramēti adhiberent: Ideo prouidè ordinatum est, vt populo sub altera tantum specie detur. Hoc idem tenet Diu. Tho. super illud Ioan. 6. Nisi manducaueritis, &c. dicens. Non est de necessitate salutis perceptio sanguinis, sicut corporis Christi: cum Christus totus sub altera tantum specie sumatur: in hoc ipsum sequitur Lyra. ibidem dicens. Non est intelligendum quod sub vtraque specie sit fidelibus exibendum, sed tantum Sacerdotibus sumendum.

Et quoniam (iuxta Gabrielis senten. Luc. 1.) non est impossibile apud Deum omne verbum, ideo si quilibet Christianus suum captiuabit intellectum in obsequium fidei, rectè que considerarit huiusmodi fidei fundamentum, quod non est impossibile apud Deum omne verbum: videbit quomodo omnipotētiam suam Deus demonstrat in plenitudine, & multitudine miraculorum in hoc mirabili Sacramento: dicente propheta Psalmo 110. memoriam fecit mirabiliū suorum. Mirabilia autem in hoc Sacramento vt breuiter dicamus sunt decem.

Primò quod hic desinit esse substātia panis & vini.

Secundò quod tamen accidentia manent.

Tertiò quod accidentalia illa, vt albedo, sapor, per se subsistunt, & nulli substantiæ inherent.

Quartò quod panis in corpus Christi conuertitur, & vinum in sanguinem.

Quintò quod hic corpus Christi incipit esse sub Sacramento Altaris, hoc est sub specie panis sine medio, id est quod non cęlitus descēdit, ab vno orbe ad alium per aerem vsque ad altare, sed extra omnem motum per media loca incipit esse in Sacramento.

Sextò quod vniuersum corpus cū omnibus suis membris naturalibus est sub hoc Sacramento.

Septimò quod etiam corpus totum est sub qualibet parte hostiæ, ita vt ibi caput est, ibi sint, & reliqua membra omnia.

Octauò quod fracta insuper specie hostiæ, & diuisa, quælibet pars integrum est Sacramentum, sicut corpus etiam Christi, & in multis hostijs, & in pluribus est locis, & quod erat in potentia ad plura, fit actu in diuisione.

Nonò quod ibi Deus sustinet naturales operationes omnes in accidentibus panis, & vini non secus atque si sub-

si substantia panis, & vini adesset.

Decimò quod desinentibus iam accidentibus panis, & vini amplius esse, Deus tunc mirabiliter aliam materiam creat, ita vt hostia consecrata perinde nutriat, atque alia non consecrata. Omnia autem hæc naturam longè superant, quoniam ea naturæ author operatur: & ita impletur verbum illud præallegatum, non est impossibile apud Deum omne verbum. & ita dicere possumus, quis intelliget hæc? Nam puteus altus est: tantum crede, & altiora te ne quæsieris, quia sola fides sufficit.

Vltimò est sciẽdum quod quatuor sunt de substantia huius sacramenti, necessaria. Primum est ordo sacerdotalis. Nullus enim potest hoc sacramentum conficere nisi Sacerdos. Vnde nec laicus, nec angelus bonus potest conficere vt etiam alibi diximus. Nec debet quempiam mouere illa hostia de pastoribus quam supra actulimus ex auctoritate Durandi. Ibi enim non fuit caro Christi, sicut est in hoc sacramento a Sacerdote confecto: sed ibi fuit miraculosè, ex permissione diuina quædam figura, & species carnis diuinitus formata, nec ille puer erat verus Christus Deus, & homo habens animam, sicut est in sacramento isto per sacerdotem confecto, vbi realiter est Christus cum diuinitate, humanitate, & anima sua, sicut nunc est in cælo, vt diximus. Nec etiam illa caro illius pueri adoranda fuit sicut Christus. nec sumenda pro corpore Christi, sed pro quodam miraculoso corpore, & opere diuino veneranda, sicut alia miracula diuina. Sic etiam dicimus de sanguine illo, qui dicitur exiuisse de imagine lignea passionis Christi, quam cum quidam Iudæi in domo confodissent in contumeliam Christi, subito emanauit quidam humor sanguineus in maxima quantitate: quo viso Iudæi illi fuerunt ad Christum conuersi. Ille enim humor non fuit sanguis Christi verus, sicut est in sacramento, nec dignus tali adoratione, sicut qui est in calice: sed modo suo venerandus tanquam miraculosum opus Dei. Ex quo prouenit error aliquorum fidelium, qui putantes verum Christi sanguinem esse, adorant eum adoratione latriæ, & ita idololatrant. Immo dato quod fuisset verus sanguis Christi sub cruce ipsius Christi collectus, adhuc minus esset adorandus, quam ille, qui est in calice per Sacerdotem consecratus. Ratio huius est, quia ille diuisus est ab illa diuinitate quam cito defluxit ad terram de Christo: nec potuit dici amplius filius Dei: nisi Christo reunitus, & reintegratus: iste autem qui est in calice coniunctus est diuinitati: quia de ipso sanguine verum est dicere: Hic est verus filius Dei: cum ibi ratione concomitantiæ sit etiam vera caro Christi, & anima eius & diuinitas.

Secundum quod est de substantia huius sacramenti, est materia debita, scilicet, panis triticeus. Et hoc ideo, quia Dominus se grano tritici comparauit. Io. 12. tum etiam quia Christus creditur sic consecrasse. Vinum vitis est materia debita, & necessaria; quia Christus se viti cõparauit. Io. 15. Ista autem duo, scilicet, panis, & vinum, sic sunt coniuncta in consecratione, vt nequaquam vnum sine alio debeat consecrari, aut a celebrante suscipi iuxta illud Gelasij: Sacerdos corpus Christi, sine eius sanguine nunquam debet suscipere. Aut enim integrè sumat, aut ab integris sustineat: quia vnius eiusdem mysterij diuisio sine grandi sacrilegio non potest peruenire. de consec. dist. 2. comperimus. Nõ putet tamen quis ex hoc quod Sacerdos quantum est de ratione sacramẽti, non possit consecrare hostiam per se sine calicis consecratione: quia forma consecrationis panis, & calicis nõ se expectant: quia altera sine altera totum effectum operatur quanto cito

profertur, sed tamen dico quod non potest hoc facere sine graui peccato.

Tertium quod est de substantia huius sacramenti, est debita verborum forma, quæ est hæc super hostiã. Hoc est enim corpus meum, & super calicem: Hic est enim calix sanguinis mei &c. Et licet illa dictio, enim, non sit de substantia formæ simpliciter necessaria: debet tamen apponi ex præcepto Ecclesiæ, & peccant omittentes eam. Et nota secundum Thom. 4. dist. 8. q. 5. ar. 2. quod forma huius sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus. Primò quia forma aliorum importat vsum materiæ: forma autem istius importat consecrationem tantum, quæ consistit in transubstatione materiæ. Vnde minister vel Sacerdos in conficiendo hoc sacramentum non habet alium actum, nisi prolationem verborum ex persona Christi. Secundò quia forma aliorum sacramentorũ ex persona ministri proferuntur; Ego te baptizo, absoluo, &c. forma autem istius sacramenti a ministro in persona Christi profertur.

Quartum quod est de substantia huius sacramenti, est intentio consecrationis: scilicet, vt in speciali vel in generali hoc facere velit quod facit Ecclesia, vel quod facit Christus, & statuit faciendum. Licet tamen intentio semper est necessaria, de substãtia non tamen attentio: quia erit consecratio etiam si attentio alibi feratur: nihilominus peccat non attentè consecrando. Zepherinus statuit anno Domini 207. quod omnes Christiani post 12. annum sumerent in Paschate Eucharistiam.

De Cautelis Habendis Circa hoc Sacramentum Encharistiæ. Cap. 24.

QVoniam duo genera personarũ vtuntur hoc sacramento ad salutem, scilicet, sæculares, & spirituales, siue religiosi, ideo quilibet suis indiget cautelis. Et primo cauendum est omnibus, ne in peccato mortali sumant hoc sacramentum: nam qui indignè sumit iudicium sibi manducat & bibit 1. Corint. 11. & alibi. Quicunque manducauerit hunc panem vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Et hoc exponens D. Ambros. ait qui indignè Christum sumit, idem est ac si ipsum interficeret. Aug. ait. Indignus Sacerdos, vt est concubinarius, simoniacus, proprietarius, ebriosus, & huiusmodi, quot verba in canone recitat, totiens in faciem Saluatoris spuit dum illum leuat, tunc impio pugno verberat, dum diuidit crucifigit, dum vero sumit, in cloacã immundissimi, & indigniss. corporis sui projcit. Hæc ille. Certè omnes Sacerdotes veteris testam. non tantum deliquerunt in eorum sacrificijs, sicut vnus Sacerdos noui test. in vna missa posset peccare. Et ratio huius est, quia illi in suis sacrificijs mactarũt vaccas, vitulos, hircos, &c. Nos autem verũ Deum & hominem Mariæ filium immolamus Iesum Christum. Corpus Christi suscipere volens, tria debet habere: timorem filialem, fidem, & dilectionem de consecr. distin. 2. timorem docet.

Secunda cautela est omnibus quoque communis, ne quis pollutus in corpore accedat eadem die: nam non solum requiritur munditia mentis, quod, scilicet, sit sine peccato: sed etiã corporis: immo si est aliquis quod tãtum pro luxuria se auertit ab hoc sacramento proijciatur iste ab Ecclesia, vt patet de consec. distin. 2. Si quis intrat in Ecclesiam Dei. Etenim sæculares qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste, non communicant Catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Ead. dist. c. 19. Si autẽ quis pollutus fuerit pollutione nocturna, nisi aqua lotus fuerit, id est, aqua

aqua penitentiæ, ei vsque ad vesperũ intrare Ecclesiam non conceditur, id est, quousque recessit ignis tentationis: vel, idest, prauæ cogitationis, idest, quousque cedat illa cogitatio reatu: licet enim peccatum trãseat actu, remanet tamen reatu. 22.q.7. non solum. de consec. distin. 4. non ex quo. Vbi nota secundum Glos. dist. 6. in c. 1. quod pollutio tripliciter accidit. Aliquando enim accidit ex superfluitate naturæ, vel infirmitate: aliquando ex crapula: & aliquando ex præcedenti turpi cogitatione. Primò modo, pollutio non imputatur alicui: quia potius est pœna quam peccatum; cùm verò procedit ex crapula, talis pollutio habet aliquem reatum: verumtamen si necessitas adest, propter hoc Sacerdos, non prohibetur à celebratione missarum: sed si alij Sacerdotes adsint, celebrare non debet. Sed a corpore Christi non prohibetur: maximè si dormientem turpi imaginatione non concusserit pollutio. Cum autem ex turpi cogitatione præcedenti procedit, abstinere debet ab vtroque, quia animo patet reatus suus: quia quod cogitauit sciens pertulit nesciẽs, quasi dicat ex se ingurgitauit in peccatum: ergo quanto magis cum fuerit diurna, & voluntaria. Hodie tamẽ ista non seruãtur sed de his vide summistas. Hoc vnum scito, quod lex vetus nobis hoc subinsinuat; Cum ait Deut. 23. Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra & non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua & post solis occasum regredietur in castra. Si enim in veteri & figurali lege ob pollutionem nocturnam censebatur homo toto die proximè sequente immundus, & iubebatur sequestrari ac separari a cæterorum consortio vnus diei spatio: quanto magis in noua lege vbi sanciora & sacratiora sunt tractanda mysteria, postridie quam acciderit illius inquinamenti contagium debet se homo immũdum reputare, & ob diuinorum puritatem ac sublimitatem ab illis tunc attrectãdis humiliter se subtrahere & segregare.

Tertia cautela, quod nullus laicus, illo die quo sumit Eucharistiam debitum petat a coniuge: vel è contra. Secundum Thom. 3. p. q. 80. nec etiam nocte sequenti, nec præcedenti. Vnde in Concil. Elibertino de consec. dist. 2. cap. omnis homo: dicitur: omnis homo Communionem sacram volens, à propria vxore abstinere debet, tribus, aut quatuor, aut quinque, aut septem diebus. Glos. abstinere debet quantum in se est, vt non exigat: exactus tamen reddere debet quolibet tempore vt Psalm. 33. quæst. 5. Si dicat. Dicit tamen glosa, quod hoc nõ est præceptum. Tempore autem quo vxori debitum reddit a carnibus agni abstinere debet 33. q. 4. Scitis: vbi ait Hieron. scitis fratres charissimi, quoniam quicumque vxori debitum reddit, vacare non potest, nec de carnibus agni comedere debet. Et probat de panibus propositionis, qui erant vmbra huius Sacramenti, noluisse Abimelec dare panes Dauid & pueris, nisi prius interrogasset vtrum essent mundi à mulieribus, & illo tempore exigens peccat, exactus tenetur reddere Glos. ibidem. Dicunt quidam quod si vxor peteret causa explendæ libidinis non debet reddere. Gregor. in responsione ad interrogationes Augustini, dicit, quod qui causa incontinentiæ ad vxorem accedit, talis consulitur ab ingressu Ecclesiæ abstinere, vsque ad vesperam, qui verò causa prolis; ait etiam; quod corpus Christi sumere potest; qui autem causa libidinis explendæ, penitentia non imponitur, tamen inquit grauius peccat quam in primo casu, in ea. capit. 7. vir cum propria coniuge dormiens.

Quarta cautela, ne quis quantumcumque contritus de suis peccatis sino

ne confessione facta Sacerdoti accedat ad communionem. De Sacerdote autem non habente copiam confessarij alia est ratio, & precipuè cum necessitas vrget. & ait Alber. quod peccator potest videre corpus Christi, sed non multo aspectu: sed eo viso (ait) debet percutere pectus suum demisso capite, & oculis depressis, quasi non sit dignus tali aspectu. & tunc meo iudicio potest dicere illud publicani; Luc.16. Deus propitius esto mihi peccatori.

Quinta cautela est, ne quis non ieiunus accedat ad communionem propter reuerentiam Sacramenti 7.qu.1. nihil. & de consec. distinct. 2. liquido: & hoc propter honorem tanti Sacramenti, vt ait August. in lib. responsionum ad Ianuarium: Non te moueat, (ait) quod Dominus post cœnam communicauit Apostolos, quia hoc fecit propter impressionem memoriæ Apostolorum meliorem. Item necesse erat, vt pascha illud typicum antea impleretur, & ita denuo ad verum Paschæ Sacramentum transirét. Nunc aliter fit instinctu Spiritus sancti. Si tamen imminet necessitas mortis potest pro semel in vna & eadem infirmitate per modum viatici sumere. Aliqui tamen dicunt quod potest pluries. Vide Graffiũ lib. 2. decis. cap. 38. numer. 32. Nauar. lib. 3. de celebr. miss. consil. 10.

Sexta cautela est, vt omnes Christiani habentes annos discretionis (de quibus standum est iudicio confessariorũ) semel in anno, id est, in Paschate saltem non ommittant communicare. Antiqua consuetudo iure approbata habet quod seculares in Natale Domini, Pascha, & Pentecoste communicare debent, de consecr. distinct 3. & si non frequentius. Secundum Aug. de dogmatibus ecclesiasticis, ait: singulis diebus dominicis possunt sumere, si non sint in proposito peccãdi amplius: singulis autem diebus nec laudat, nec vituperat communicantes. Non laudat quia difficile est se se preparare ad hoc singulis diebus, saltem dignè. Contemplatiuæ tamen personæ & deuotæ, singulis mensibus, & quædam aliæ, omnibus dominicis sumunt. Ideo qui sentiunt ex sumptione augeri feruorem ad Deum sumant etiam quotidie: vt ait Aug. super illud Matth. 6. panem nostrum quotidianum. Qui non meretur quotidie accipere: non meretur post annum accipere. Monachus autem Sancti Benedicti, seu quicumque alius, aut monialis cuiusuis ordinis non communicans semel in mense peccat mortaliter: nisi illam differat ex consilio sui confessarij. ita tex. in clem. ne in agro. & Zabar. de statu Mona. Concil. Trident. sess. 25. ca. 10. de regul.

Septimò caueat communicandus ne vtatur cibis lubricis post communionem, vt sunt prouocantes ad vomitum: hoc enim indecens est. Et vt vno verbo concludamus, nemo dignè accipit nisi qui transit. Vnde & Pascha transitus appellatur. Pascha autem nostrũ immolatus est Christus. Ad quod qui vult venire, & videre hanc visionem, transeat & ipse cum Moyse, sicut & Christus transiuit de hoc sæculo, vt totus iam spiritualis, spiritualia ista condignè percipiat. Ideo ad dignè accipiendum, nostra preparanda sunt corda, vt tali epulo refecti, ad altiora in fortitudine transeamus. Et demum vide, quod sicut nihil in hac vita feliciùs bono Christiano: ita nihil illo periculosiùs, si desertus è tanta gratia fiat membrum meretricis. Castum ergo te custodi, quia hoc tanto munere generantur virgines, & ita te habeas, vt Deum præsentem vbique intelligas. Hęc spectant ad sæculares: quæ sequuntur ad Sacerdotes.

Sacerdos verò, primò, caueat ne communicet alienum parochianum absque

absque licentia sui parochi: vt puta in paschate, & in infirmitate, ne videatur falcem mittere in alienam messem. Religiosus hoc faciens est excómunicatus vt dicitur in c. religiosi. de priuile. in clemen. aliter esset dicendum si alicui Ecclesiæ, vel parochiæ perfectus extitisset: quia tunc iudicatur vt clericus sæcularis, secundùm vnam glossam.

Secunda cautela, caueat Sacerdos ne abijciat peccatorem occultum ab hoc sacramento publicè petentem cõmunionem. Vnde ait Augu. non prohibeat dispensator, id est, Sacerdos, pingues terræ, idest, peccatores, mensam Domini manducare, sed exactorē moneat timere. de consec. dist. 2. non prohibeat. Pro quo sciendum est secundum Thom. in 4. dist. 9. q. 5. Si peccatum est occultum per confessorem solum scitum, & ille in occulto petit, debet ei denegare, & monere ei in occulto, ne petat in publico. Si autē petit nihilominus in manifesto, debet ei dare: exemplo Christi, qui Iudæ proditori dedit corpus suum 1. q. 1. Christus de consec. dist. 2. Sicut Iudas. Si verò peccatum est manifestum, tunc verò siue in occulto siue in manifesto petat, debet ei denegare. De peccatore occulto legitur quod B. Greg. cuidam patri peccatori occulto Eucharistiam petenti dedit publicè: sed dixit: Iudicet Deus inter me, & te.

Tertia cautela est, vt caueat Sacerdos, ne det alicui hostiam non consecratam loco consecratæ, quia secundũ Thom. in sacramento veritatis non debet esse fictio aliqua. Nec etiam solus sumat in missa propter quodcunque grauè peccatum hostiã non consecratam: hoc enim est maximũ peccatum, & maius illo, quo quis in peccato mortali communicat; sicut dicitur de celebr. miss. ca. de homine: dicens, quod talis illudit Deo, & populo, quia facit idolatrare: deleat ergo, & cætera.

Quarta cautela, caueat Sacerdos nè det corpus Christi histrionibus, magicis artibus deditis, & alijs qui homines prouocant ad luxuriam vel lasciuiam, & dissolutionem: quia hoc nec diuinæ maiestati, nec Euangelicæ disciplinæ competit; de consec. dist. 2. pro dilectione. Similiter nec det amẽtibus, & fatuis naturaliter. Item nec existenti in crimine notorio.

Quinta cautela, caueat Sacerdos, ne aliquid de corpore Christi vel sanguine in terram, vel in vestem cadere, vel stillare permittat: quia grauiter puniretur. Similiter ne cadat aliquid in calicem, & maximè in æstate quando muscæ multę reperiuntur vel araneæ, & similia: nam ante consecrationem possunt proijci; post verò cautè sumi debent, vel diligenter lauari, & comburi, & in sacrario mitti, & si aliquid venenosum deprehenderetur esse, nullo modò sumere debet, nec alteri dare, nè calix vitæ in mortē vertatur: sed diligenter seruetur in vasculo.

Sexta cautela est, caueat ne portet corpus Christi incautæ, ita quod a muribus comedatur: quia de hoc debet quadraginta diebus pænitere. de consec. dist. 2. qui non benè.

Septimò caueat ne missam faciat cũ baculo, aut capite velato, de consec. dist. 1. c. 57. vbi dicitur: Nullus Episcopus aut Presbyter, &c. Subdit, pręsumat cum baculo introire, &c. Demum notet bene Sacerdos de mansione Christi in nobis, quod dicunt doctores, vt notatur in Gloss. c. non iste. de consec. dist. 2. quod in bono homine quandiu sentiuntur species, tandiu est ibi corpus Christi. Custodiri ergo debet deuotè, & reuerenter. Vnde si species intrant stomachum, sub illis manet Christus, quandiu sunt ibi species, sicut sub ipsa specie est in pixide. Ideo propter hoc adnotantur in missali tot gratiarum actiones, quæ recitandæ sunt à Sacerdote, in toto illo tempo-

tēpore quo manet Christus in nobis. Malè igitur agūt qui peracta Missa in foro reperiūtur vel alibi ad confabulā dum. Cum ministranda est Eucharistia sacerdotibus debent ipsi sacerdotes communicandi habere stolam in signum sacerdotij. Ita Rituale nouū Rom. de sac. Eucharist. Item præcipit Rubrica incipere debere a parte Epistolę communionem, quæ pars significabant Iudæos fortè. Hoc ideo præcipit, quia primo in Ierusalē fuit incepta communio. Act. 2. Erāt autē perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis & oratione.

De pænitentiæ Sacramento. *Cap.* 25.

PÆnitentię sacramentum esse institutum a Christo patet per illud, quod dixit ipse Mat. 4. Pænitentiam agite, &c. & Luc. 13. Nisi pænitentiā egeritis omnes simul peribitis, & vlt. Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pænitentiam in omnes gentes. Hoc autem sacramentum, licet in multis locis sacrę scripturæ fuerit præfiguratum: mirabilius tamen Exo. 30. Vbi Dominus præcepit Moysi vt faceret in templo labium æneum cum basi sua, in quo Aaron summus Sacerdos, & filij eius lauarent manus, & pedes, antequam accederent ad Altare. Sic, cum sacramentum pęnitentiæ necessarijssimum sit præambulum ad sacrosanctæ Eucharistię sacramentum suscipiendum, Dominus noster Iesus Christus, hoc lauacrum salutiferum in Ecclesia instituit, vbi tam Sacerdos celebraturus, quam filij eius, idest, laici communicaturi, lauent manus, & pedes, idest, cōfiteantur omnia peccata mortalia, tam interna quam externa, quę in sacra scriptura sępissimè, per manus, & pedes, significantur. Accedit mirabilis Cygni similitudo, qui instinctu quadam naturæ, post quam coiuit se lauat, & aquis immergit antequam comedat, & cibum capiat. Sic peccator, qui peccatis consensit, & inquinatus est, priusquam cibum Angelorum capiat, sacramenti pænitentiæ aquis se lauare debet. Sed dicit Marcardus de cęlibatu. p. 1. c. 6. nu. 4. Et sicut ait Saluator. Non est opus bene valentibus medio sic, si non intellexisset homines, post gratiam baptismi in mortalia esse lapsuros; hoc sacramentum pænitentiæ non instituisset: sed quia cognouit figmentum nostrum, vt cælestis sapientissimusque medicus præuidens infirmitatem, prouidit medicinam vt ait. Concil. Trid. sess. 14. c. 1. Et ita hoc sacramentum directè pugnat contra mortalia peccata.

Est autem pænitentia, sacramentū remissionis peccatorum, quæ post baptismum comittuntur; cæremoniæ autem, & modus administrandi hoc sacramentum genuflexio, capitis detectio, &c. sunt ex consuetudine, & more Ecclesiæ, vt notat Concil. Collo. & omnes catholici doctores.

Sacramentum autem pænitentiæ est necessarium peccatori in peccato mortali existenti, ad salutem animæ: nam vt ait Iaco. 1. Peccatum cum consumatū fuerit generat mortē, sed non potest remoueri nisi p pænitentiā, ergo necessaria. Nec obstat quod Christus Magdalenam, & Adulteram absoluit sine pęnitētiæ sacramento, quia Christus habebat potestatem excellētiæ, qua poterat conferre sacramentorum effectus absque sacramento: hanc autem potestatem non communicauit hominibus. Ideo inquit D. Hieron. quod secunda post naufragiū tabula, est pænitentia. Et quia restituta in baptismo innocentia, homo fragilis illesam, & incontaminatam continuè seruare difficillimè potest, quin sæpius cadat: ideo diuina Maiestas cōtra casū hominis pro reparatione,

siue restauratione innocentiæ prædictæ, de sacramento pænitentiæ prouidit, per quam homo a Deo per peccatum ellongatus ad ipsum appropinquatur. Hinc est, quod Saluator veniens in mundum quasi bonus medicus ægrotis consulens, dicit: pænitentiam agite, &c. agite inquam secundum Gor. super Mat. tanquam medicinam, ad sanandum morbum, quasi armaturam ad ineundum bellum, quasi clauem ad reserandum cælum. Tria enim consequitur pænitentiæ actor, scilicet, sanationem vulnerum, cordis armamenta [insidiarum hostis, & apertionem regni cælestis. Vnde dicitur appropinquabit enim vobis regnum cælorum. Sed dicet aliquis, quomodo certificatur anima de ista sanatione, siue remissione peccatorũ? Attende quod docet D. Basilius in quæstionibus compendio explicatis. quæst. 22. anima certificatur quod Deus dimiserit ipsi peccata si contempletur ipsum in affectu eius, qui dixit: iniustitiam odio habui, & abominatus sum. D. autem Bernardus de quatuor modis orandi eamdem sententiã alijs verbis extulit. Si, inquit, audito verbo absolutionis iam surgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus, videlicet, a terrenis elleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiscentijs eius, sed magis ipsa vt dignum est, regat illud, & ferat quo non vult: Si denique præambulas, quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea quæ ante sunt extendens, desiderio & proposito proficiendi, curatum te esse non dubites.

Eam autem sic diffinit Magister in 4. dist. 14. pænitentia, est virtus, qua commissa mala plangimus, cum emendationis proposito. Ambros. verò sic diffinit. Pænitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non comittere, circa quod sciendum est, quod duplex est pęnitentia, scilicet, interior tantum: & est dolor pro peccato, & hæc est de iure naturæ. Alia exterior, quæ fit arbitrio hominis scilicet, imposita per sacerdotem. Materia proxima sacramenti pænitentiæ sunt actus pęnitentis, scilicet, contritio, confessio, & satisfactio; quorum actuum materia sunt peccata non acceptanda, sed detestanda, & sunt materia remota, sed materia proxima sũt actus peccatoris subditi. Et hinc est, inquit Viguerius quod peccator subditus, est materia huius sacramenti pænitentię. Vnde nota primum, quod docet Simachus. 30. q. 1. omnes, quos in pęnitentia suscepimus, quod qui recipit pænitentiam a Sacerdote, ita est filius eius spiritualis, sicut ille quẽ immergit, vel sicut ille quem suscipit de sacro fonte. Vnde sicut Siluester docet nullus fornicationis causa, acco dat ad suam filiam pænitentialẽ: quod qui fecerit deponetur, & perpetuę pęnitentiæ subiacebit; & in cap. sequen. Ponitur pænitentia tam filiæ spiritualis, quã Sacerdotis. Hinc habes quod contrahitur parentela quædam spiritualis. Secundò nota quod ad pænitentiæ sacramentũ in primis pertinet cęrimonia procidẽdi, seu prosternendĩ se ante sacerdotem, vt testatur Dionygius Areopagita, & habetur: omnis præs. de consec. dist. 4. & cap. sacratis. 23. dist. Ergo vetustissima est ista cærimonia prosternendi. Et Tertulianus ait: exomologesin prosternendi, & humilificandi hominis disciplinam esse.

Forma autem istius sacramenti licet a Christo non sit instituta certa, tamen secundum Doctores forma essentialis est ista, Ego absoluo te a peccatis tuis. Fit autem manus impositio super caput pænitentis, quod secundũ Thomam nõ est de essentia, quia hoc sacramentum non ordinatur ad aliquam excellentiam gratiæ consequẽdam: sed ad remissionem peccatorũ. Vnde magis in hoc sacramento competeret signum Crucis, quam manus

mpositio, in signum quod per sanguinem Christi remittuntur peccata. Ista autem manus impositio significat diuinã potestatẽ, virtutẽ, robur, fauorẽ, seu Spiritus sancti gratiã, quę manus, impositionem accipientibus, vel ad emundationem, vel recõciliationem, vel sanctificationem, vel ad robur, vel ad felicitatis incrementum, Dominica authoritate concessa conferuntur: nã frequens est in scripturis, per Dei manum, Dei virtutem intelligi, cuius munere cum fungantur ministri, cogitandum sanè fuerit, cum hi manus imponunt, Deum per ipsas suam imponere manum, & gratiam salutarem conferre. Homo, (inquit Ambros. de dignitate Sacerdotali ca. 5.) imponit manũ, Deus largitur gratiam. Hæc cæremonia in scripturis sæpè reperitur. Gene. 48. Iacob. imposuit manus duobus filijs Ioseph. & Marc. 10. Christus cõplexans paruulos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. Et Act 6. Apostoli orantes super septem ad diaconiam electos, imposuerunt eis manus. Ibidem cap. 13. de Paulo, & Barnaba segregatis in opus, ait: Tunc ieiunantes, & orantes, imponẽtesque eis manus dimiserunt eos, & Mar. vlt. de credituris in eũ ait: Christus super ægros manus imponent, & bene habebunt; quod & ita factum esse patet Act. 3. 4 19. & 20.

In sacramento ergo pænitentię huiusmodi manuum impositio, signum est recõciliationis cum Deo, qui vt dicitur 2. Corin. 5. Reconciliauit sibi nos per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, qui pro Christo legatione fungimur, tãquam Deo exhortante per nos. Et Aug. ait lib. quæst. veter. & noui testam. propterea dictum esse a Domino in Numeris ad Moysem & Aaron sacerdotes vos ponite nomen meum super filios Israel, & ego Dominus benedicã eos; vt gratiam traditam per ministerium ordinati transfundant hominibus. Hoc idem fit super publicos pænitentes: quæ quidem cæremonia, nõ tantum ad huius, sed & ad aliorum sacramentorum administrationem pertinet. Nam & baptizandis, & confirmandis, & ordinandis ad sacros ordines, imponuntur manus.

Hoc autem quod dicit Sacerdos, Ego te absoluo: valet tantum, idest, sacramentum absolutionis tibi committo, secundum Nic. de Plou.

Sed nota quod confessio hæc aliter erat necessaria in lege naturæ, aliter in lege Moysi, & aliter in lege noua. In lege enim naturæ confessio erat tantũ necessaria mentalis apud Deum, & hęc consistebat in peccati cognitione: sufficiebat enim apud Deum interior cognitio peccati. Vnde vituperatur Adam de hoc, quia peccatum suum coram Domino non recognouit. In lege verò scripta, quæ vmbra erat, & figura legis nouæ, cæpit exterior confessio quodamodo esse, non quidem vocalis, & distincta, quia tunc non tenebantur homines ad confessionem specialem, & distinctam; sed tantum ad generalem, & indistinctam, dum pro diuersis peccatis diuersa offerrebantur sacrificia; propter quæ significabatur, illa peccata quotidie comitti a populo; pro quorum expiatione preces a Sacerdote effundebantur, & hęc confessio fiebat tantum de peccatis publicis, non autem occultis, quoniam esset contra legem naturalẽ seipsum deffamare. Erat etiam alia confessio generalis omnium peccatorum, quæ fiebat per Sacerdotem nomine totius populi dicentem, peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus Leu. 6. Sed in lege noua explicitè facienda est singulorum confessio specialis, & distincta, quia sacerdotibus datæ sunt claues regni cælorum, qui sacramentaliter peccata remittunt: quæ confessio est necessaria, vt omnes affirmant.

Illud autem notatione dignum est, quod

quod in danda pœnitentia leuius se debet habere confessarius erga infirmos, quam circa sanos. Et Sacerdos circa quemlibet moriturũ, primo ad eum veniens, ita quærat secundum consilium Anselmi dicens: Charissime fili habesne intentionem abstinẽdi a peccatis, si superuixeris, & de eis etiam voluntatem satisfaciendi? Et ille dicat, quod sic. Itẽ lętaris, quod in fide Christiana decedis? Et illi respondeat etiam. Item fateris te non bene vixisse, sicut debuisses? Respondeat fateor. Item credis quod propter te est mortuus Christus filius Dei viui? Dicat etiam. Item credis ressurectionem mortuorum? Respondeat etiam. Tunc hortetur infirmum dicẽs: age, age pœnitentiam dum est anima in te, habendo veram contritionem, & in mortem Christi veram fiduciam constitue. Huic morti te totum committe. Hac morte, te totum contege, & inuolue. Et cum Dominus Deus tuus voluerit te iudicare, scilicet, iuxta peccata tua, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obijcio inter me, & iudicium tuum: aliter tecum non contendo. Si dixerit Deus, quod mereris damnationem, dic Attendo crucem Domini nostri Iesu Christi, nulla merita mea, ipsiusque meritum offero pro merito meo, modo, quod ego habere debuissem non habeo. Et istis sic habitis audiat eius confessionem: qui cum confessus fuerit, non est ei imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda 26. q. 7. ab infirmis. Dicat tamen ei Sacerdos charissime fili pro istis peccatis deberes pati, & facere hanc pœnitentiam si superuiueres, vnde ex quo iam non potes satisfacere pro eis in præsenti vita: doleas saltem quantum potes, roga amicos ad faciendum pro te elemosynas: vel Religiosos, & pauperes. Similiter circa magnos peccatores debet se habere confessarius ne desperẽt propter magnam pęnitentiam vt ait Aug. Ego addere quoque circa Sacerdotes, & religiosos, qui quotidie officium recitant, præter ea, quæ constitutiones præcipiunt, ad quæ tenentur.

Ita respicienda est ætas senilis, sexus, pericula, & huiusmodi pro vt viderit prudens Sacerdos, ead. c. 2. tempora. Nam quia quidam grauem imponebant pœnitentiam, delinquentes ad instar graui ponderis vel fascis, abijciebant, sicut adolescens portãs graue pondus reijcit illud ne sub nimio pondere confringatur, quos arguit Chrisost. eadem cap. 22. alligant. pœnitentia autem imponitur vt humilitas exerceatur, & ne disciplina Ecclesiæ deserat. 23. qu. 5. excommunicatorũ. Et vt satisfaciat Ecclesiæ quæ scandalizata est 33. q. 3. iudicet.

De Extremæ Vnctionis Sacramento. Cap. 26.

INfirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum Oleo in nomine Domini Ia. 5. quia vt dicit Glos. de appellat. qua fronte. & glosa super verba citata, dicit: quod multi propter peccata plectuntur morte corporis. Hinc est, quod Saluator prouidens de remedio contra peccata hominum sanorum, vt de pœnitentia: prouidere dignatus est quoque de remedijs contra peccata hominum infirmorum, vt de extrema vnctione: per quam quidem peccata venialia dimittuntur: & etiam infirmitas corporis alleuiatur. Vnde sequitur, & oratio fides saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Glos. interlin. idest, si eum cõtingerit mori, sic dimittentur. Et hoc bene expressum est in Apostolis, de quibus dicitur Marc. 6. quod vngebant Oleo multos infirmos, & sanabantur. Quod vtique fit virtute huius sacramenti, & non alia simplici vnctione.

Nam Apostoli tunc vngentes con-

ferebant hoc sacramentum a Christo eius præceptum. Ergo vnctio extrema a Christo fuit instituta: & non à Iacobo, vt nonnulli asserunt, sed bene potuit publicare institutum, & hoc est tertium Oleũ, de quo restabat dicere.

Materia huius sacramenti est Oleũ oliuæ ab Episcopo consecratam; & non est Oleum Balsami sicut in confirmatione. Cuius ratio est, quia qui habet exire de via non oportet quod habeat odorem bonæ famę, quę per balsamum designatur: sed sufficit ipsum habere bonam conscientiam, quę significatur per Oleum oliuæ.

Forma autem huius sacramenti est septuplex propter septem vnctiones principales. Circa autem formam quam nunc obseruat Ecclesia Romana, dico illam non esse de necessitate sacramenti: sed tantum de necessitate pręcepti. Victor. num. 218. ex Concil. Florent. quia Ecclesia potest mutare formam dummodo esset deprecatiuã: quia Diuus Iacobus dixit tãtum, hoc, scilicet, orent. Si quæratur quare Christus eligere voluit Oleũ pro materia, & non vinum in hoc sacramento, quo etiam vulnera sanantur. Dicendum, quia vinum sanat mordendo, Oleum autem linendo, & iugum Christi suaue est, & onus eius leue.

Hoc sacramentum non imprimit characterem, quia per ipsum non deputatur homo ad aliquod aliud sacramentum agendum vel suscipiendũ. Causat tamen ornatum, sicut pænitentia. Partes autem inungentes sunt hæ, oculi, aures, manus, nares, labia, pedes, & renes: mulieribus tamen non vnguntur renes propter honestatem ait Angelus. verb. vnctio extrema §. 7. aliquibus in locis, neque pedes vnguntur: quia hæ duæ partes non sunt de necessitate huius sacramenti.

Forma huius sacramenti non datur per verba indicatiua vt fit in baptismo, pænitentia &c. Ego te baptizo, Ego te absoluo, &c. sed per verba deprecatiua, vt indulgeat tibi quicquid ore, auribus, &c. deliquisti. Ratio est quia D. Iacobus, ait: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum. Ideo dixit tantum, orent. Et de baptismo ait Christus, baptizantes eos, &c. & de pænitentia dixit, Quæcumque solueritis erunt soluta, &c. Vel dici potest quod infirmus est a se destitutus & eget aliorum precatione. Vel, Quia infirmus iam transit ad aliud forum: & commendatur alteri foro, per hoc sacramentum. Victor. numer. 218. Si autem forma inueniatur indicatiua alicubi, vt ego vngo, &c. non debet dici forma, sed præambulum, secundum Thom. Bonau. & alios grauissimos authores, quos refert & sequitur Sotus in 4. poterit tamen dicere, vngo oculos, vel manus, &c. vt indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti, &c. Sot. vbi supra: quia nõ est indicatiua hæc forma: sed deprecatiua. Quidam antiquitus per verba indicatiua vngebant vt referunt Ricard. & Duran. hodie non fit.

Si quæratur an mutilati sint inungendi. Dicendum, quod cum mutilati habeant actualem deuotionem, quamuis non habeant membra, quibus inungi debeant: habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur: saltem in radice, & interius peccare possunt: ideo debent inungi in partibus propinquioribus ad illas partes, in quibus vnctio debet fieri, vt communiter dicunt Doctores.

At dices: quare non semper homo infirmus surgit ab infirmitate, sed sępius moritur, cum secundarius effectus sit etiam corporis sanitas? Dicendum quod in isto Sacramento sanitas est effectus secundarius: & ideo non datur nisi secundum quod expedit ad sanitatem spiritualem, quia tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis. Vnde patet quod vnctus in extremis,

si non

si non surgit ab infirmitate per illam vnctionem, signum est quod sanitas corporalis est sibi nociua, & vult Deus potius eum sic habere infirmũ quam sanum. Vel signum est, quod infirmus non bene dispositus est in conscientia: ita quod adhuc aliquid habet, quod impedit ne sanitas corporalis sibi restituatur: alias raro fallit. Hæc Nicol. de Ploue. de Sacramento extremæ vnctionis.

Potest hoc Sacramentum conferre Sacerdos cum vno Clerico, qui sibi respondeat: si tamen careret Clerico potest solus secundum Hostien. Si autem vngitur Sacerdos, non est opus Clerico, sed ipsemet Sacerdos debet respondere ad omnia, & ad Psalmos, & ad litanias dicendo ipse solus ora pro me, libera me, &c. Et vnguntur manus exterius, quia interius inunctæ fuerunt ab Episcopo, & illi non se debet æquiparare.

Non datur amentibus, si non petijssent antequam essent amentes. Neque euntibus ad bellum, neque iustitiandis: quia non possunt consequi sanitatem, pro qua secundario datur. At dicet quis vtrum impœnitentibus sit danda hæc vnctio? Respond. quod non. distinct. 93. cap. 3. quia cui negantur cætera Sacramenta nõ debet istud concedi, argum. omnia eiusdem generis eodem iure censeri. distinct. 4. denique.

Circa vero Sacramentum hoc, nota quod in rituali nouo præcipitur in eodem titulo, vt Clericus portet Crucem sine hasta, cum itur ad vngẽdum infirmum: forte quia infirmus est impotens ad portandum onus crucis: (nam lignum onus significat) & isti nequeunt amplius operari in Ecclesia. Vel, quia non debet dari sine vexillo Crucis, &c. Vel, vt significetur quod virtute Christi passi datur remissio peccatorum in hoc Sacramento si non ponatur obex a suscipiente. Vel. In signũ quod suscipi debet maxima cum reuerentia, vt velocius ad patriam pergamus. Vel habuerunt alias causas ipsi authores horum rituum: sic dico de cæteris Sacramentis quæ nouiter pręcipiũt: forte enim fortuna hæc non penetrarũt, sed tantum fecerunt diferentiam inter Sacramentum, & Sacramentum. Innocentius Primus statuit vngere infirmos anno Domini 405.

De Matrimonij Sacramento. Cap. 27.

PRopter fornicationẽ habeat quisque vxorem suam. 1. Corint. 7. & 32. quæst. 2. cap. his ita. Licet matrimonium sit institutum in officium naturę in statu innocentiæ, idest, institutum ad propagationem, & multiplicationem prolis ad Dei cultum: (sic intelligitur in officium naturæ) quia tamen natura lapsa vitiata est ex originali peccato, adeo vt falcem propriam in messem non vereatur mittere alienã: quærens indifferenter quancumque fæminam, cum qua fornicationis expleat peccatum: ideo Apost. prouidens de remedio dicit: Propter fornicationem euitandam vnusquisque habeat vxorem suam. Per quod damnat peccatum fornicationis: & commendat statum matrimonij. Si autem legimus aliquos patres habuisse concubinas: illud fuit pro dispensatione Spiritus sancti, & ad designandum aliquid. Hoc enim quod filij Iacob ex liberis & ancillis fuerunt hæredes, designat quod Christo in Baptismo nascuntur filij, & hæredes per bonos, & malos ministros: sic etiam alia omnia in prædictis patribus ad ministerium pertinent: vt habetur latius. 33. q. 1. 2. 3.

Per dicta thematis dãmatur etiam bigamia, cum dicitur: Habeat vxorem suã, non vxores suas: & sic vnam tantum, & non plures simul. Vnde Saluator repetens illud Genes. 2. erũt

duo

duo in carne vna, Matth. 19. dicit: Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Duo autem principaliter & essentialiter ad contractum matrimonij requiruntur. Primum est materiale, & fundamentale, scilicet, quod personæ sint legitimæ. Secundum est formale, scilicet, consensus legitimus.

Personæ dicuntur legitimæ hoc loco, non quod sint ex legitimo matrimonio procreatæ: quia spurij, & ex adulterio generati, possunt matrimonium contrahere: sed dicuntur legitimæ vir, & mulier, qui legibus coniugi, & matrimonium contrahere non prohibentur siue quæ non habent impedimenta impedientia, vel dirimentia matrimonium. Ex his sequitur, quod inter duos viros, aut duas mulieres, vel Angelos inter se, aut cum viris & mulieribus inter se, non potest esse matrimonium.

Coniunctio autem matrimonij, siue matrimonium, significat vnionem Christi cum Ecclesia; quod intelligendum est de primo debitis circunstantijs facto. Non tamen dicitur, quod secundæ nuptiæ non sit verũ matrimonium. Et si constet illud Chrisostomi dicentis: quod secundum virum accipere fornicatio est: quia intelligit viuente primo, vel quantum ad causam, quæ aliquando sola ad nuptias inclinaret, scilicet, concupiscentia, quæ etiam in matrimonio fornicationem inducit: quando paratus esset eam cognoscere, etiã si non esset vxor. Nec etiam obstat illud Ambrosij: Duplex matrimonium non est bonum, quia etiam intelligitur simul. Vel, per non bonum, intelligit, quod caret honore significationis: & sic nõ est adeo honorabile. Eam ob rem Sacerdotes arcẽtur nẽ secundis nuptijs intersint, eo quod habeant aliquam speciem mali, siue turpitudinis, propter defectum prædictæ honestatis siue significationis: propter quem defectum cõtrahitur irregularitas, & non propter culpam: quia nulla inest culpa. Et ratione huius defectus subtrahitur benedictio a secundis nuptijs, si vxor est vidua: Sed non ẽ conuerso, si vir tantum est viduus, quia saluatur aliquo modo significatio, quę in primis: quia, & si Christus vnicam sponsam habeat, habet tamẽ plures personas desponsatas in vna Ecclesia. Numerus autem matrimonij a maledicto viro cœpit lamech, qui duarum maritus tres in vnã carnem effecit, ait Isidor. Item numerus binarius non bonam habet significationem, sed signum diuisionis & reprobationis. 31. q. 1. nuptiæ. & ita par numerus est immundus secundum Ambros.

Notatione dignum est secundum Isido. quod fęminæ dum maritantur, velantur, vt nouerint se semper viris suis, subditas esse. Propter eandem causam debet velare caput in Ecclesia, quia non est imago Dei, & vt ostẽdatur se subiectam. Item, quia præuaricatio per illam inchoata est. Et non solum propter hoc, sed etiam propter reuerentiam Episcopalem debet velare caput. Vel propter reuerentiam Sacerdotum, id est, ne Sacerdotes in eius faciem intuentes inuitentur ad libidinem. Episcopis id est Sacerdos, quilibet qui est Christi vicarius de pęnit. dist. 3. inter hæc hircum. Quod forte de Sacerdotibus voluit intelligere Apostolus, quando ait, propter Angelos: ipsi enim sunt Angeli Dei. Malech. 2. Angelus enim Dei exercituum est. Vnde etiam cum sit subiecta viro qui est caput eius, non potest sine eius licentia, vouere, vel abstinere. &c. Gratian. 33. qu. 5. §. nubentes. Item, ideo nubentes, post benedictionem, vita vno vinculo copulantur, ne compagem, id est, fidem vnitatis coniugalis dirumpant. Rursus, quod in primis annulus a sponso sponsæ datur, fit nimirum, propter mutuæ dilectionis signum; vel propter id magis, vt pignore, id est, signo eorum corda iun-

iungantur. Vnde, & in quarto digito annulus ideò inseritur, quia in eo vena quædam (vt fertur) sanguinis ad cor vsque perueniat. Protheus quidam sapiens, primum ob amoris signum ferreum annulum fecit, & inibi adamantem inclusit, & inde subarrare sponsas instituit: quia sicut ferreum omnia domat: sic omnia vincit amor: quoniam nihil amoris furore vehementius: in auth. de nupt. Et sicut adamas est infrangibilis; sic, & amor est insuperabilis. Vnde dicitur cantic 8. fortis est, vt mors, dilectio. Ideoque in digito annullari, in quem vena procedit a corde, illum portare instituit. Postmodum pro ferreis, sunt aurei instituti, & pro adamante gemmis ornat; quia sicut aurum cætera metalla, sic amor, vniuersa bona præcellit. Et sicut aurum gemmâ decoratur: sic coniugalis amor ceteris virtutibus adornatur.

Annulus est vnus tãtum qui datur vt ostẽdatur amoris singularitas, quia in omnibus vult homo societatem. Senec. Nullus eligeret esse solus. Vnde in 6. Ethic. dicitur; Homo solitarius, aut Deus est, aut bestia. In omnibus ergo vult homo amicitiam, præter in vxoris amore: nisi forte sit aliquis infamis. Annulus est rottundus in signum quod nunquam debet habere finem, nisi per mortem, postquã semel coniuncti sunt. Dum ponitur annulus recitantur hæ antiphonæ, manda Deus virtuti tuæ confirma, hoc in Bonum, scilicet, quod operatus es, &c. ex Psalmus 67. & subdit; increpa feras arundinis, &c. per feras arundinis hoc in loco intelliguntur maligni spiritus erroris; per tauros intelliguntur potentiores spiritus, qui exagitant alios: per vaccas intelliguntur minores spiritus; quod sequitur, vt excludant eos qui probati sunt argento, intelliguntur probati, sicut argentum probatur in igne, quasi dicat, procul ab his sponsis sint omnes spiritus tam minores quam maiores, ne cadant in peccatis infidelitatis, sed ambo sibi seruent fidem, & sint stabiles in tentationibus, sicut est stabile argentum in fornace, &c.

Item annulus est signum inuestituræ vt de his quæ fi. a maior. part. c. ex ore, & inuestitura est signum possessionis. vt de donat. per tuas. Item est signum matrimonij. 30. q. 5. fœminæ, sic etiam restitutio instrumentorum est signum renuntiationis.

In nuptijs licet ducere choreas. Vnde animi gratia dicenda sunt nonnulla de choreis, & primo, chorea licita est quinque concurrentibus, secundum Anton. 2. par. summæ. aliter erit mortale. Prima quod sint in tempore debito, vt puta tempore gaudij, scilicet, in nuptijs, tempore victoriæ, aut liberationis patriæ, aut hominis, aut in aduentu amici de terra longinqua, vt fecit pater filij prodigi Luc. 15. Secunda, quod sit cum honestis personis, de quibus non sit præsumptio mali, vt puta non cum meretricibus, cõcubinarijs, & huiusmodi, tales namque personæ non habent dare bonum nomen. Tertia quod fiant a personis secularibus, non religiosis, quia se debent occupare in sanctis libris; vnde de eis dicitur, 1. Machab. habentes solatio libros sanctos in manibus vestris: quia secundum dist. 68. ignorantia mater est omnium delictorum. Quarta, quod honesto modo fiant, & non cum gesticulationibus nimis inhonestis, & inordinatis, vt nonnulli faciunt stringẽdo manum, &c. Quinta quod cantus, vel musica excitãs in his, non sit de illicitis, sed de moribus, & honestis, ne sonetur in eis cantio mala. Inuentor autem choreæ fuit diabolus. Legitur enim in historia scolastica, quod in Ægypto erat quidam taurus, quem testatur Plinius se vidisse. Hic sæpe egrediebatur de flumine. Ad quem cum confluerent Ægyptij cum omni genere musicorum, ipse ele-

eleuabatur in aere super eos saltando & chorizando, & illi Ægyptij ad stationem ipsius in terram mouebantur. Hic erat dæmon in forma tauri: & ita didicerunt a dæmone illi homines ballare in tauro transfigurato, & exinde deuenit ille modus ad alias nationes. Præterea legitur in lib. de apibus, quod in quodam castro Allemaniæ apparuerunt dæmones in formis diuersis masculorum, & fęminarum, ballantes, & tripudiantes: & cum compleuissent suos ballos euanuere. Ad hoc spectaculum exierunt omnes Castello vt viderent hos chorizantes: & ita didicerunt ballare. Ex his manifestum est, quod chorizantes sunt inimici Dei cum faciant contra eius mandata, & contra Sacramenta, quæ sunt medicinæ Dei. Nam contra baptismum militant, quia cum in baptismo per patrinum promiserunt renuntiare diabolo, & pompis eius; per choream, promissionem frangunt sequentes diabolum & pumpam eius, & opera. Contra Sacramentum confirmationis, quia cum in ipso susceperunt signũ Crucis, in signo quod sunt redemptæ sanguine Christi effusi, in Cruce, ipsi sibi imponunt in capite signum diaboli ornamentum, scilicet, varium diabolica instigatione. Contra Sacramentum ordinis si sunt Clerici, quia cum ordinentur ad cantandum officium, quæ sunt verba Dei, cantant cantilenas (in Plateis) vbi sunt verba diaboli vana, & turpia. Contra Sacramentum matrimonij: quia multa mala desideria concipiuntur contra datam fidem ibidem, non contenti vxore sua. Contra Sacramentum pænitentiæ, quia totam compunctionem, & contritionem euacuant in huiusmodi vanitatibus, quam sibi in quadragesima aquisierunt. Contra Sacramentum Eucharistiæ, quia cum susceperunt Christum in communione Paschali, ipsum eijciunt extra Ciuitatem animæ ad crucifigendum ipsum in sua conuersatione mundana. Contra extremam vnctionem (quoad illos qui susceperunt) quia pedes qui vncti sunt Oleo sancto, & quasi consecrati Deo, eos mouent ad offensam Dei. Non solum isti chorizantes efficiuntur inimici Dei, sed etiam Sanctorum. Nam in festis eorum eas exercent, & quanto festum est solemnius, tanto magis his vaccant. Nullum ergo Sãctorum intercessorem habere poterunt in futuro iudicio cum omnes offenderint. Hæc animi gratia sint dicta.

Nuptiæ secundum Ambros. dictæ sunt a nubendo. Illæ enim, quæ nubunt, caput ob verecundiam obnubere, non loqui solent. Vnde & Rebecca, viso Isaac, cui desponsari debebat, caput obnubere cępit 32. quæst. 2. honorat. in fi. Inde nuptæ dictæ, quia propter verecundiam olim nubebãt, idest, velabant vultum. Venit autem hoc nomen a nubes, bis, quia nubes cælum operit. Vel a nubo, is, idest operio, quia cælum operit.

Verecundia enim præcedere debet nuptias, quo ipsum coniugium plus verecundia comendet, & magis expetita debet videri a viro, quam ipsa virum expetijsse.

Matrimonium ab effectu magis, à matre quam à patre dictum est, quasi matris munium, quia fęminis maxime incumbit educandæ prolis officium in vtero, & extra, donec quodammodo per se stare possit. Vel, dicitur matrimonium potius quam patrimonium: quia maiora onera sunt à matre, quam in patre, & etiam quia finis principalis matrimonij est bonum prolis in cuius procreatione mater magis laborat, & ideo ab ipsa denominatur. Vel, dicitur matrimonium quasi matrem muniens, quia mulier per matrimonium iam habet a quo muniatur, & defendatur, scilicet, virum. Secundum Isidor. dicitur matrimonium a matre, & nato, quia

per hoc efficitur aliqua mater natr. Dicitur coniugium, a coniugendo: quod legitima mulier cum viro, quasi vno iugo adstringatur, vt simul liberorum & curam gerant.

Matrimonium dupliciter considerare potest. Vno modo vt est officium naturæ: alio modo vt est Sacramētum Ecclesiæ. Vt est officium naturę secundum Philosophos, & Iuristas, est viri ac mulieris coniunctio inter personas legitimas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, ad prolem generandam, educandam, & promouendam, ac ad sibi inuicem mutuo obsequendum, & opera ordinata communicandum. Et alio modo dicitur cōiugium a coniunctione mutua. Et ita apparet ex huiusmodi diffinitione, quod matrimonium vt est officiū naturæ duos habet fines: primus, & principalis est proles generanda, & non solum generanda, sed etiam educanda, & promouenda. & sic principalis finis matrimonij, est debita generatio. Nam pudor est fæminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola causa est nubendi. pudor, inquit, si per eas non stet. ff. de regul. iur. in omnibus. & 32. quæst. 2. pudor. Secundus finis matrimonij est fides, siue fidelitas, quę fundatur in communicatione operum & in indiuidua cohabitatione ad sibi mutuo obsequendum: hoc est enim necessarium ad perfectam educationem, & instructionem prolis: licet altero coniugum post generationem moriente, alter habeat supplere.

Hic notatione dignum est quod ex diffinitione præhabita patet coniunctionem matrimonij esse inseparabilem vsque ad mortem: quæ indissolublitas significat indissolubilitatem cōiūctionis Christi, & Ecclesiæ. Vnde & gl. ait character matrimonij, & vinculū coniugale manet etiam si diuortiū interueniat, sicut manet baptismus etiam post Apostasiam a fide. 32. qu. 7. vsque adeo. Ratio autem Beati Thomæ in 4. distinct. 24. quæst. 1. quare coniunctio matrimonij est inseparabilis vsque ad mortem inter homines, & non inter alia animalia; est hæc, quia aliorum animalium filij possunt sibi victum statim habere, vel saltem ad eorum sustentationem vnum sufficit, sicut est de equa, Asina, Vacca, & similibus: & ideo ibi non est certa coniunctio certi masculi ad certam fęminam: nec etiam necessaria diuturna coniunctio, eo quod fæmina in eis sufficit ad educandum fætum sine masculo. In his autem quorum filij indigent vtriusque, scilicet, tam patris, quam matris sustentatione, aliud est. Similiter vbi inuenitur aliqua determinatio quantū ad tempus sustentationis, & educationis, sicut in auibus. Vnde passeres, turtures, & columbæ habēt determinatas fæminas, quæ habent educare pullos, & alter eorum non sufficeret ad quęrendum victum, cum & se æqualiter nutrire debeant. Non est autem sic in hominibus vbi filius indiget cura parentum ad magnum tempus. Ideo ergo matrimonialis coniunctio inter solos homines dicitur indiuisibilis secundum totam vitam alterius coniugis. Necesse est, enim filium generari, educari, nutriri, & doceri, & sibi de necessarijs vitæ a parentibus prouideri: eo quod iuxta Apost. 2. Cor. 12. oportet patres thesaurizare filijs. Ista autem requirunt magnum tempus. Vnde etiam ad hunc propositum inquit Lyranus super Matth. 16. quod matrimonium non solum est de iure diuino, sed etiam de iure naturali: quia hoc natura dictat, quod vir & mulier cohabitent simul per totam vitā, ad educandum, & permouendum prolem vsque ad perfectum virtutis statum. Si autem mulier est fornicatrix tunc potest reijci. Sed dicet quis; quare fornicatrix reijcitur cum alia maiora crimina possit mulier com-

mittere? Ideo quia cum ipsa in hoc non seruet fidem, non est ei seruanda: & ita punitur in quo deliquit 1. qu. 4. §. item peccato. De viro vero alia est ratio, quia vir est caput mulieris, & nō subditur mulieri, sed est liber, non quo ad peccatum vt possit peccare sine peccato, sed sine punitione legum: nec extat lex quod puniat viros: nisi lex canonica.

Inter Christianos autem matrimonium habet vlterius alium finem, scilicet, significationem vnionis Christi, & Ecclesiæ, & ideo dicitur sacramentum, quod perficit ipsum. Hinc est, quod matrimonium inter infideles contractum, non est perfectum. Cum igitur bonum, & finis conuertantur secundum Philosophū, & Diu. Dionysium sequitur tria esse matrimonij bona, scilicet, prolem, fidem, & sacramentum. Catechismus autem ponit sex fines matrimonij. Primus sanctificatio mariti, & vxoris. Secundus maritalis, & caritatiua, & Christiana vnio inter illos. Tertius, legitima filiorum procreatio. Quartus, eiusdem prolis virtuosa, & pia educatio. Quintus, mutus amor, & mutua officia inter coniuges. Sextus, vitatio fornicationis Eius effectus est gratia, cuius virtute omnia dicta obtinentur. Efficiens autem est consensus coniugum expressus per verba de præsenti, & consequenter ipsi coniuges suo consensu coniungunt, & obligant se. Pręsentia parochi est necessaria, vna cum duobus testibus, alioquin matrimonium erit clandestinum (idest secretum, & occultum,) & nullum.

Matrimonium, vt officium naturę, institutum est ab auctore naturæ, in Paradiso terrestri ante peccatū, quando formata Eua de costa Adæ, duxit eam ad Adam qui liberè accepit eam in sociam coniugalem, siue vxorem, & dixit illud Genes. 2. hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna. Quibus dictis dixit Deus crescite, & multiplicamini, & replete terram.

Vt autem est sacramentum, institutum est a Christo, quādo factæ sunt nuptiæ in Canam Galilεæ, vbi ipsum suo primo miraculo voluit honorare. Io. 2. Et quamuis non legatur ibi ipsa institutio, verisimile tamen est ipsum tunc instituisse, & recitasse ea, quæ dixit Mat. 19. qui fecit hominem ab initio, &c.

Ex his autem elicitur hoc sacramētum bis fuisse institutum, scilicet, in statu innocentiæ a Deo, vt dicitur de voto c. 1. lib. 6. & hoc per illa verba, hoc nunc os ex ossibus meis: quæ verba Adam Spiritu sancto illustratus dixit Genes. 2. in fine. & 27. q. 2. Lex diuina. & à Christo. Et per hoc reprobatur illa opinio, quæ dicit quod matrimonium sit institutum à Deo illis verbis; Crescite & multiplicamini: quod videtur inconueniens, cùm etiam illa verba prius dixerat Deus, non solum ad homines, verum etiam ad bestias, Genes. 1. Et quamuis matrimonium etiam sit institutum tempore Moysi & tempore Christi: hoc fuit tamen diuersis respectibus. Nam vt ait D. Thom. in 4. dist. 26. Secundū quod ordinatur ad generationem prolis quæ erat necessaria: etiam ante peccatum institutum est a Deo in statu innocentiæ, in hoc quod Deus formauit mulierem in adiutorium viri: & hoc modo dicitur in officium fuisse institutum. Sed in quantum est remedium peccati, fuit institutum post peccatum tempore legis naturæ. Secundum autem determinationem personarum habuit institutionem in lege Moysi, vbi nō nisi de certis Tribubus copulabantur. Sed secundum quod repræsentat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, sic habuit institutionem in lege noua, & secundum hoc, dicitur sacramentum nouæ legis.

Apud veteres (ait Isid. l. 2. de officijs ecclesiast. c. 19.) in eligēdis maritis quatuor ista spectabantur, virtus, genus, pulchritudo, oratio. In fæminis tria, si generosa, si benè morata esset, si pulchra. Nunc autem non genus, ac mores, sed magis diuitiæ in vxoribus placent, nec quæritur quam sit fæmina pudica, sed potius quam sit formosa, quæ & concupiscendi libidinem nutriat, & multorum post se suspiria trahat. Pulchra enim (vt ait quidam sapiens) citò adamatur, & difficilè custoditur, quod plures amant. Illæ enim sunt certæ nuptiæ, quæ coniugio non libidinem, sed prolem requirunt; neque sic instituta sunt, vt carnis voluptatibus seruiant, sed tantum vt fructum propaginis quærant. Nam & ipsæ sacerdotales tabulæ indicant, quod causa procreandorum liberorū vxor ducitur. Quando ergo quisque luxuriosè amplius viuit quā necessitas procreandorum liberorum cogit, iam peccatum est. Vnde necesse est vt quotidianis eleemosynis ac precibus intercedant, qui thori coniugalis pudicitiam frequentius per incontinentiam commaculant. Hæc ille. Item in cap. 18. ait: quod coniugatis abstinendum est a coitu, plurimisque diebus orationi vacare, & sic deinde ad Christi corpus accedere. Relegamus libros (ait) regnorum, & inueniemus sacerdotē Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare Dauid & pueris eius, nisi ante eos interrogaret, vtrum mundi essent pueri a mulieribus, non vtique ab alienis, sed a proprijs coniugibus, & nisi eos audisset ab heri & nudius tertius vacasse ab opere coniugali, nunquam panes quos prius negauerat, concessisset. Tantum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quantum differt inter corpus & vmbrā, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur. Quapropter eligēdi sunt aliqui dies quibus prius homo continentius viuat, quò ad tantū sacramentum dignus accedere possit. Anacletus statuit anno Domini 103. vt in publico fieret despensatio, & a Sacerdote benedicerentur sponsi: Ratio potest esse ne de facili fiat diuortiū. Ormisda anno Domini 517. eadem renouauit. Linus verò statuit anno Domini 70. ne mulieres ingrederent Ecclesiam capite non velato: quod sumpsit ab Apostolo.

Hic animi gratia, quæritur vtrum coniunctio viri, cum vxore sit peccatum saltem veniale? pro huius responsione nota secundum August. contra quosdam hæreticos: cōcupiscentia, & libido non est à natura, vt aliqui dicebant, sed est inflicta a peccato. Et ideo non inducit hominem ad actū Venereum a natura: sed ex corruptione. Et quia inflicta in pœnam peccati: ideo non potest homo ordinatè exercere actum venereum, nisi cum fœditate & peccato. Vnde sicut sola gratia baptismalis excusat vt habitus concupiscentiæ non imputetur ad peccatum originale. Ita sola gratia sacramenti matrimonij excusat vt actus concupiscentiæ libidinosus non imputetur ad mortale. Nam ideo illa concupiscentia dicitur semen & fomes peccati: eo quod per cōsensum deliberatum causat peccatum mortale in voluntate. Item quia actus Venereus non fuit a Deo ordinatus, nec concessus nisi solis in matrimonio coniugatis: Ideo sine peccato non potest exerceri: (Hugo ait, quod est veniale propter pruritum & voluptatem in emissione spermatis quā sentiunt coniugati:) quia iam deuiat a diuina ordinatione, & mandato. Ideo matrimonium vel nuptiæ peccatum non sunt, (ait Isidor. li. 2. cap. 17. de Eccles. offic.) Sed per solicitudinem mundi qui nubunt legē Dei vix seruant. Coniuges, ex decreto Calixti cap. Sponsas. 23. dist. c. aliter cum seq. 30. q. 1. in missa olim Sacerdo-

cerdotes in Domino coniungebant in facie astantis Ecclesiæ vt etiam fit hodie nonnullis in locis, (scilicet, in ipsa ianua Ecclesiæ, vt facit Ecclesia Gallicana) & simul cum Sacerdote pro felici successu Deum deprecabantur: nã missę sacrificio oblato omnia perficiũtur sacramenta.

Coniunctio quam consertis manibus sponsi, & sponsæ Sacerdos facit, significat matrimonium nectere Deo copulari, cuius legatione Sacerdos fungitur, quamobrẽ quoque his verbis inter copulandum vtitur. Quos Deus coniunxit homo non separet. Immissio annuli significat fidem coniugalem, quam mutuo seruare debẽt, ne sponsa præter sponsum alium vnquam amatorem admittat, nec ẽ contra; Post coniunctionem publicam datur in missa benedictio, de qua sic habet Concil. Cartag. 4. c. 13. Sponsus, & sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote a parentibus suis, vel paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis, debent (imitando Tobiam & Saram, qui tribus noctibus orauerunt antequam inter se rem haberent) in virginitate permansere. Vnde extat Canon. 23. distin. Sponsus. vt coniugati post acceptam benedictionem in prima nocte (quis est hic & laudabimus eum?) in virginitate permaneant: Hoc est de consilio. Quot sunt hodie quæ nondum cõiunctę, sed promissæ tantum, & corpus suum futuro viro prębuerunt? vnde non iniuria pænitet quasdam propter malam viri vitam erga eas. Benedictio ista indicat vitam coniugalem esse a Deo benedictam, qua & fusa oratione petitur, vt Domini benedictio, quæ fœcundum reddit matrimonium, in ambobus adimpleatur.

De benedictione ista, & tempore benedictionis audi ritum primum de officio sponsi & sponsæ: Nota (inquit) quod nuptiæ fieri prohibentur a prima Dominica Aduentus vsque ad octauam Epiphaniæ. Et a Dominica Septuagesimæ vsque ad Octauam paschæ. Et a tribus diebus ante Ascensionem vsque ad Octauam Pentecostes. Intra hos dies non licet nobis Christianis commessationes exercere, neque choreas ducere, neque voluptatibus indulgere: sed oportet remissos esse, & mæstos: quia vt ait Augu. in Sermo. dominicæ Aduentus, quod quotiescumque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festiuitates adueniunt, non solum ab infelici concubinarum consortio, sed etiam a proprijs vxoribus abstinere debemus. Et ideo populus admonendus esset, vt in his diebus, ieiunijs, eleemosynis, & orationibus vacaret: & non nuptijs celebrandis. Subdit. Est etiam animaduertendum ne cum manus virginibus est data, statim consumetur matrimonium, nisi prius Ecclesiæ præsentetur, & a Sacerdote benedicatur. Quoniã non est benedicenda (subdit) cum est corrupta, pro virgine. Et in Genesi dicitur. Quos Deus coniunxit homo nõ separet. Tunc intelligitur Deum coniunxisse, quando virgo per Sacerdotis benedictionem, cum adhuc est virgo, benedicitur, & viro sponso suo traditur. Et qui secus faciunt grauiter errant: neque admittendi essent ad benedictionem. Deinde subditur ratio huius dicti, dicens: quoniam nihil corruptum Deo offertur, sed mundum & purum. Et per historiam Tobiæ rectè videri potest, quomodo virgo iungenda est viro. Vnde non est mirandum, si multum ab illis nostris primis parentibus degenerauimus: quia illi, omnia, cum Dei timore agebant. Hæc ibid. Ritu primo.

Quod autem benedictio coniugiorum celebranda sit a Sacerdotibus audi Isid. lib. 2. de Ecclesiast. officijs. ca. 19. dic. Nam quod in ipsa coniunctione

ne

æ consimilia a Sacerdote benedicuntur; hoc est a Deo prima ipsa coniunctione hominis factum. Sic enim scriptum est Gene. 1. Fecit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei fecit eum, masculum & fæminam fecit eos, & benedixit eos dicens, crescite & multiplicamini. Hac ergo similitudine fit nunc in Ecclesia, quæ tunc factum est in paradiso.

Oblatio panis & vini, quæ fit a sponsis in missa, significat quod sponsus, & sponsa cum tota Ecclesia se totos Deo resignant, vitamque suam suæ diuinæ bonitati commendant, vt ab omni immunditia conseruata, hostia sit boni odoris coram Domino. Nam (vt infra probamus) nihil dignius pane, & vino offerre valemus. Insuper sicut panis & vinum conuertuntur in substantiam nostræ carnis; & fit vnum corpus, ita vir, & vxor per coniunctionem fit vnum corpus, & vna caro: vt patet Genes. 2. & Mat. 19.

Hic queri potest vtrum quis teneatur magis diligere vxorem quam parentes? Respon. D. Tho. Quod gradus dilectionis attendi potest, & secundũ rationem boni, & secundum rationẽ coniunctionis ad diligentes. Secundũ rationem boni, quod est obiectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes quam vxores, quia diliguntur ratione principij, & eminentioris cuiusdam boni. Secundum rationem cõiunctionis, magis diliguntur vxores, quia vxor coniungitur viro, vt vna caro Mat. 19. Itaque iam nõ sunt duo sed vna caro. Et ideo intensius diligitur vxor, sed maior reuerentia est exhibenda parentibus suis. Et cum dicitur Genes. 2. propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori, non est intelligendum quod deserantur parentes quo ad omnia, sed quantum quo ad cohabitationem, & copulam, sed in alijs debet quis assistere magis parentibus quam vxori.

Sunt autem multi qui non possunt matrimonio iungi; primo clerici in sacris ordinibus constituti, vt in cap. vnic. de vo. libro 6. & sunt excommunicati ipso facto si contrahunt vt in Clem. eos de consanguin. & affin. Secundo, qui emiserunt votum solemne castitatis, vt sunt omnes religiosi professi in religione approbata, & inter hos intelliguntur etiam moniales. Vnde Hug. super illud capit. Quæ Christo spiritualiter nubunt, & cætera. Ait quod monialis publicè nubens nunquam potest accipere corpus Christi, nisi in fine vitæ. & Gloss. etiam in capit. de filia Episcopi, vel presbyteri. Si vero tantum fornicatur, tunc post pænitentiam potest accipere Corpus Christi, & hoc idem diuersum: quia magis Deum contemnit solemniter contrahendo, quam fornicando. Caput autem sic ait. Quæ Christo spiritualiter nubunt, & a Sacerdote velantur, si publicè postea nupserint, non eas admittendas esse ad pænitentiam agendam, (idest, recipiendi fructus pænitentiæ quod est sacramentum Eucharistiæ ait Gloss.) Nisi hi, quibus se iunxerant, a mundo recesserint. Deinde probat a minori ad maius, dicens: si enim de hominibus hæc ratio custoditur, vt quæcunque viuente viro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendæ pænitentiæ licentia concedatur, nisi vnus (idest, legitimus maritus quem reliquerat ait Glossa) de eis fuerit defunctus (iste intellectus euidenter ostenditur in dicto cap. de filia Episcopi) quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigrauit? Hoc est totum caput. Item, impotentes impotentia naturali perpetua

petua ad copulam, quia temporalis non sufficit.c. Fraternitas. Item, & alij, de quibus ad nos nunc non spectit.

Hic notatione dignum est, circa omnia Sacramenta, quod vnum Sacramentum est dignius alio, quatuor modis, scilicet, ratione efficaciæ, vt baptismus. Ratione sanctitatis, vt Eucharistia, de consec. distin. 2. nihil. Ratione significationis, vt matrimonium. Et ratione conferentis, vt confirmatio & ordo: quæ ab Episcopo tantum conferuntur.

Quare Deus instituit Sacramenta, cum potuisset humano generi vitam æternam, & gratiam donasse sine illis? Duran. Propter tria. Primò, propter humiliationem, vt dum homo ex Dei præcepto se rebus insensibilibus, & se inferioribus reuerēter subijcit; ex hac obedientia magis apud Deum mereatur. Secundò, propter eruditionem; vt per id quod foris in specie visibili cernitur, ad inuisibilem virtutem, quæ interius est agnoscenda, mens erudiatur. Tertiò, propter exercitationem: quia cū homo ociosus esse non debeat, præponitur ei vtilis, & salubris exercitatio in Sacramentis: qua vanam, & noxiam declinet occupationem iuxta id; Semper aliquid boni operis facito, vt diabolus te inueniat occupatum. de consecrat. distin. 5. numquam. Non ergo omitti debent. Restat vt de ordine dicamus, de quo vltimo loco reseruauimus dicere propter sequentia, quæ non ita rectè possent tractari.

De ordinis Sacramento.

Cap. 28.

REgale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 1. Pet. 2. licet Christus de cœlo descendens ad terras humanum genus non solum a seruitute diabolica redemit & libertati, ac dignitati restituit: iuxta id Gal. 4. Non enim sumus filij ancillæ, sed liberę; qua libertate liberauit nos Christus, & Ioan. 8. si filius vos liberauit, verè liberi eritis; multo tamen meliori modo statum Sacerdotalem in illa libertate extulit, & dignificauit: ita vt non solum ipsi Sacerdotes sint liberi commodo communi, vt cæteri homines in communione vnius fidei, & participatione Sacramētorū: sed etiā quod sunt quasi Duces, Præsides, & Reges, dispensatores & rectores diuinorum mysteriorum. Vnde dicuntur Sacerdotes, quasi sacri Duces, vel sacradantes vel Sacramenta sacrificantes, seu cōsecrantes, quod vtrique maximum est, & excedens cōmunem statum fidelium. Quare meritò Diu. Petrus comparat illos excellentissimis personis, dicens: regale sacerdotium. Ne ergo Sacerdotes putarentur esse tātum nobiliores vt Reges: additur, gens sancta, scilicet, specialiter santificata Iesu Christo Domino nostro. Et ne leuis reputationis in sanctitate æstimarētur vt cæteri, subiunxit, populus acquisitionis: idest, specialiter acquisitus, & Deo appropriatus. Non enim Sacerdotes sunt populus Dei, & oues pascuæ eius iure creationis, vt omnes homines, nec redemptionis solum, vt omnes Christiani, sed iure specialissimo, & peculiari, quo vocauit eos, ut uirtutes eius nunciant, vt dicitur. 1. Pet. 2. Quibus non supra homines solum, sed, & super seipsum quodammodo dedit potestatem, dando videlicet eis potestatem consecrandi, & conficiendi corpus suum, & sanguinem; vt dicitur Math. 26.

Ordinem autem esse Sacramētum nouæ legis Ecclesia determinauit in pluribus Concilijs & vltimatè in Concilio Tridentino. Ordo secundum Mag. in 4. distinct. 4. est signaculum, siue signum quoddam, per quod spiritualis potestas traditur ordinato; & quamuis sint plures ordines, quia ta-

men

men ordinantur ad vnum, scilicet, Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum sacramentorum, ideo est vnum Sacramentum, licet sint diuersæ materiæ & formę, ut dicitur in cap. de Eucharistia.

Sunt autem sex de substantia huius Sacramenti. Primùm est potestas ordinantis, quia oportet vt sit Episcopus. Secundùm est materia, scilicet, unctio in Sacerdotibus, & tactus illorum instrumentorum, quæ sunt tangenda. Tertiùm est forma uerborum. Quartùm est sexus uirilis, quia fæmina ordinari nó potest, nec recipit characterem etiam si millies ordinaretur: cuius ratio est secund. Tho. quia cum in sacerdotio debeat significari eminentiæ gradus, & fæmina tenet statum subiectionis; ideo non est apta ad suscipiendum hoc Sacramentum.

Si legatur, quod fiat mentio in aliquibus scripturis, nempe, quod reperiantur diaconissæ, & presbyteræ: dicas quod illæ sic dicebantur, quia seniores, & uiduæ: aut quia ad legendũ Euangelium, & homiliam erant speciali benedictione in religione ordinatæ. Ministerium diaconissarũ quod uersabatur (ut scribit sanctus Epiphanius) propter honestatem in lauandis mulierum corporibus, & in docendis nuptis adolescentioribus (ut ex Epistola ad Titum intelligi potest) eligebatur ab Ecclesia ex uirginibus aut continentibus, siue viduis. Vnde in Concil. Laodicen. Can. 11. statuit non congruere presbyteras ordinare, sic dicens: Mulieres quæ apud græcos præsbyteræ appellantur, apud nos viduæ seniores vniuiræ, matricuriæ appellantur (id est habentes curam de rebus Ecclesiæ) in Ecclesia tamquam ordinatas constitui non debere. Christus etiam non dedit claues regni cælorum sexui fæmineo, sed uirili. Et licet Beatissima semper Virgo, & gloriosa Maria excellentior sit Apostolis vniuersis: non tamen illis, sed illis tradidit claues regni cælorum, idest, de pænit. & remiss. noua. præterea mulier non debet habere talem potestatem, quia nó est factam ad imaginem Dei, sed vir qui est imago, & gloria Dei. Genes. 1. fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam, & c. quod non ita dicitur informatione mulieris. & mulier debet subesse viro, & quasi famula viri esse, cum vir caput sit mulieris, non è contra. 33. quæst. 5. hæc imago & c. cum caput. & glos. de maior. obedien. cap. 12. dilecta in Christo ver. iurisdictioni. Quintum, est intentio debita, vt Episcopus intendat conferre, & Clericus suscipere. Sextum est, quod ordinandus debet esse prius baptizatus, alias non susciperet hoc Sacramentum, quia fundamentum omnium Sacramentorum, & ianua, est baptismus: vbi autem fundamentum deest, nihil desuper ædificari potest. de Presbytero non baptizato cap. miserante. & cap. veniens.

Ordines autem sunt septem, scilicet septem potestates spirituales, nempe: presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, acolitatus, ostiariorum, lectorum, & exorcistarum. Illud enim notatione dignum est, quod licet sex tempora anni sint deputata ad conferendum ordines, tamen hoc non est de substantia secundum Raym. & hoc expressum est de tempore ordinat. sane. Congruum tamen valde est, vt non alijs, nisi sex his temporibus conferãtur, scilicet, quatuor temporibus singulis: Sabbatho sitientes, & Sabbatho Paschæ vt dicitur dist. 7. capit. vltim. Potest tamen Episcopus conferre minores ordines diebus Dominicis: sed non multis, ne videatur generalem ordinationem facere. de tempor. ordin. de eo. Ideo autem Sabbatho conferuntur sacri ordines, quia Sabbathum significat requiem per quod significatur, quod qui ordinatur ad sacros ordines, irreuocabiliter tantùm de labore in requiem: puta de

labo-

labore secularium negociorum ad requiem, idest, ad vacandum spiritualibus, vt dicitur. 88. distinct. fornicarij. Possunt etiam conferri ordines sacri in Die Dominico mane, ita tamen quod ordinandus, & ordinator continuent ieiunium præcedentis Sabbathi: quia tunc mane Dominicæ diei trahitur ad Sabbathum propter continuationem ieiunij: sed hoc non faciat Episcopus sine necessitate.

Minister huius Sacramenti, sicut, & confirmationis est Episcopus. Nec obstat illud, Qui potest maius, potest & minus. Sed Sacerdos simplex potest cõsecrare, & administrare Sacramentum Eucharistiæ, quod est maius Sacramentum, ergo, & ordinare, & confirmare: quia illa maxima intelligitur in eodem genere rei: vt qui potest facere magnam turrim potest & paruam. Vel dicas sic: quod illa maxima, intelligitur, quando minus in maiori includitur vt qui ferre potest centum libras, potest ferre triginta: secus si non includatur. Aliquis enim potest generare hominem, qui non potest generare Asinum, quod est aliquid minus.

Sacramentum ordinis fuit, immediatè a Christo institutum, quemadmodum, & cætera sacramenta, pro vt fuit definitum in Tridentin. Synodo. Fuit etiam determinatum in 4. Concil. Chartag. in quo omnes gradus ordinis, & modus quo ordinatio facienda est, discernuntur: habet etiam in nouem Canon. Apostolorum: & quãuis Euangelistæ non faciant de omnibus ordinibus mentionem quia testãte D. Dionys. Christus voluit formas Sacramentorum esse occultas, ne venirent, in irrisionem infidelium: eas tamen docuit & ante, & post Resurrectionem, maxime per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, idest, de regimine Ecclesiæ.

Legimus etiam in Euangelijs Christum quodam modo vsum fuisse actibus omnium ordinum, & tunc vt verisimile est ordinem instituit, & potestatem vtendi, & conferendi Apostolis dedit. Sed de hoc in vnoquoque ordine dicetur.

Christus, primus ordinationem fecit. Primò, fecit Apostolos Sacerdotes in cęna, quantum ad primum actum, qui consistit in consecratione, cum dixit: hoc facite: quo ad secundum actum, qui cõsistit in absolutione, cum dixit: Ioan 20. quorum remiseritis peccata, &c. Sed potestatem Episcopalem instituit, quando dixit Petro: Pasce oues meas.

Fecit enim Dñs Petrum Episcopũ Episcoporum, cum dixit Io. 21 Simon Ioannis diligis me plus his, pasce agnos, & pasce oues. Postremo in die Ascensionis fecit alios Apostolos Episcopos (sub ditione tamen Petri, cui commiserat oues) cum dixit: euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes, &c.

Principalis autem actus Episcopi, est docere: ideo dixerunt; Act. 6. Non est enim æquũ nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.

Et licet Christus non fuerit vsus vnctionibus, & alijs solemnitatibus, eo quod haberet potestatem excellentiæ: docuit tamẽ Apostolos illis signis sensibilibus vti: ideo vsi sunt, & per exemplum, & per traditiones suas modum, & formam vtendi suis successoribus relinquerunt.

De Sacramento Ordinis, Dominus Iesus ad discipulos suos Ioan. 20. ait: sicut misit me pater, & ego mitto vos. Paulus 2. Corin. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur tanquã Deo exhortante per nos. & Act. 13. scribitur: Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam, & Saulum in opus, ad

quod

quod assumpsi eos. Cumque ieiunassent, & orassent, imposueruntque illis manus, dimiserunt illos. Item Act. 14. Paulus, & Barnabas cum constituissent per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunijs, commendauerunt eos Domino in quem crediderunt. Ex his elicitur quod ieiunia quatuor temporum principaliter esse propter ordinandos: numquam enim Apostoli sine præuio ieiunio, & oratione imponebant super ordinandos, manus. 1. ad Timoth. 4. ait. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. & 2. ad Timoth. 1. Admoneo te vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum. Item ibidem: huius rei gratia reliqui te creatæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros sicut & ego disposui tibi.

De ordinatione diaconorum dicitur Act. 6. Considerate fratres viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus: Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus (ex hoc loco patet quod est proprium Episcopi prędicare) & placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaũ aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. & 1. Timoth. 3. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura, & hi probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.

Ordo est de numero illorum Sacramentorum, quæ imprimunt characterem: vt autem non ignoretur quid sit character, ideo de eo erit sermo in sequenti capitulo, deinde de ministris dicemus.

De Charactere, & gratia. Cap. 29.

Character autem secundum communem acceptionem importat, & significat quando consignationem, siue signum impressum in aliquo, per quod distinguitur ab alijs: & cum signum possit tribus rebus imponi, scilicet, vestibus, corpori, & animæ, sequitur quod triplex est character nempè vestium, corporis, & animæ. Primus character est militum, qui affigitur eorum vestibus vt differant, & discernantur a militibus oppositi exercitus, vt Crux rubea Hispanis, & alba Gallis. Secundus character imprimitur carni, aliquãdo in malum, vt cum falsarij, & proditores ferro calido characterizantur, vt cognoscantur, & alij caueant a similibus: aliquando imprimitur seruis, vt discernantur a liberis, & cuius Domini sint: hoc modo Deus dedit olim populo suo Circuncisionẽ corporalem, quam Apost. Heb. 4. vocat signaculum: per illum characterem distinguebantur Iudæi ab alijs nationibus. Tertius autem character est, qui imprimitur animæ, & ideo indelebilis, vt ait August. in 2. contra Parmenianum, vbi dicit: Non enim minus habent Sacramenta Christiana quam corporalis nota militiæ, sed character militaris, non repetitur, sed agnitus approbatur in eo, qui veniam meretur ab Imperatore post veniam commissam: ergo nec character Sacramentalis deleri potest: maximè cum non habeat contrarium, & sit in subiecto incorruptibili. Insuper character est participatio Sacerdotij Christi, Sacerdotium autem Christi manet in æternum. Psalm. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: sed causa ęterna potest

producere effectum æternum, maximè in rebus, quæ sunt in fieri, & anima est subiectum characteris: ergo. De quo charactere dicitur. 2. Corin. 1. Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.

Et quoniam etiam dũtaxat per tria Sacramenta deputatur homo ad cultum diuinum: igitur tria sola Sacramenta imprimunt characterem: scilicet, baptismus, confirmatio, & ordo. Dico in anima hominis, quia est immortalis. Per pęnitentiam enim non deputatur homo ad aliquid pertinens ad cultum diuinum: sed restituitur in statum pristinum.

Character ex Apostolo 2. Corint. 1. sic diffinitur: est insigne quoddam animæ impressum quod deleri nũquam potest, eique perpetuo inhæret. Concil. Trident. sess. 7. Can. de Sacramen. effectus autem characteris sunt: Primò, efficere hominem aptum ad aliquid sacrum, vel suscipiendum, vel peragendum. Secundò, facere, vt aliqua nota alter ab altero dignoscatur. Et solus Deus potest hunc characterem in anima imprime re: quia solus Deus in animam illabi pote st. D. Tho. 3. par. quæst. 64. ar. 1. Sacram enta quæ possunt imprimere charact erem sunt tria tantum (vt diximus) baptismus, confirmatio, & ordo, quæ non possunt reiterari, & est de fide Concil. Triden. sess. 7. Can. 9. de Sacramentis, Cathechism. Rom. num. 31. Baptismus confert characterem primò, quia distinguit ab infidel ibus. Secundò, quia red dit hominem aptum ad suscipiẽdum Sacramenta. Confirmatio confert primò, quia confirmati distinguuntur a baptizatis tamquam adulti ab infantibus. Secundò, quia arman tur, & instruuntur tamquam milites ad bellum contra diabolum. Ordo confert characterẽ, primò, quia distinguit ordinatos a non ordinatis. Secũdò, quia dat potestatem multa sacra faciendi.

Character manet in Beatis, & damnatis: licet post hanc vitam non remaneat exterior Sacramentorum cultus; remanet tamen finem illius. Indelebiliter enim inest animæ: non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotij Christi, a quo deriuatur character, sicut quædam virtus instrumentalis. Manet ergo in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sacerdotibus autem vet. testamenti, non imprimebatur character.

Nota quod diximus, omnes ordines imprimunt characterem: & licet isti characteres in essentia distinguantur: tamen in fine vniuntur: nempe ad vltimum characterem presbyteratus. Et secundum Pet. in 4. dist inct. 24. quæst. 2. art. 1. & Ioan. Parisien. nõ est credendum quod character vnius ordinis præsupponat characterem alterius ordinis: nam vt ait Thom. vbi supra: in primitiua Ecclesia aliqui ordinabãtur in Presbyteros, qui tamen prius inferiores ordines non acceperant: Et tamen poterant quæ inferiores. Sed hodie statuit Ecclesia vt non ingerat se quis ad maiores, qui prius in minoribus officijs se non humiliauit: hoc tamen est de congruitate, & non de necessitate. Secundò nota secundum Thom. in 4. distinct. 24. q. 2. art. 2. quòd Episcopus primo pręparat ordinandos per tria, scilicet, per benedictionem per quam diuinis mancipantur officijs: per manus impositionem, per quam datur plenitudo gratiæ, per quam gratiam ad magna sunt idonei: & solis diaconis, & presbyteris fit manus impositio.

Tertiò, per vnctionem, ad aliquod Sacramentum tangendum: quod fit solis sacerdotibus qui proprijs manibus tangunt corpus Christi. Vnde etiam calix & patena vnguntur, quia corpus Christi tangunt.

De gratia autem, quæ quasi quamdam habet relationem cum chara-

ctere nonnulla dicenda sunt, & primo quid sit. gratia ergo est donum Dei. Rom.2. & Thom. 1. 2. quæst.3. artic.1. Hæc autem est duplex, gratis data, & gratum faciens. Gratia gratis data est illa, quæ datur ad aliorum vtilitatem, veluti prophetia, donum linguarum, gratia miraculorum, scire bene docere, & similia. Gratia autem gratum faciens, est illa quæ datur ad propriam hominis vtilitatem. Thom. ibidem. Prima potest esse in peccatoribus, seu cum peccato mortali, secunda autem non. Solus Deus potest efficere gratiam, quia solus potest communicare suam naturam. Christus vt Deus potest efficere gratiam, tamquam principale agens, vt homo, non potest nisi per virtutem a diuinitate acceptam. Gratia Christi remitti peccata: confert vt fiant mandata eius, & mala vitentur: confert fidem, quæ non prouenit ex libertate arbitrij; sed est donum Dei; vt diximus. Sine gratia nullus saluatur, quæ etiam adiuuat ad non peccandum de consecr. distinct.4. cap. vltim. Placuit. Ad quid ergo valet liberũ arbitrium, cum per illud non possis saluari? nam primam gratiam non potest quis promereri. 23. quæst.4. Nabuchdonosor? sed dic, quod per liberum arbitrium homo habilem potest se reddere vt ei dominus gratiam infundat. Homo nõ potest mereri gratiam; quia nihil agit supra suam spheram; potest tamen per naturalia descendere in statum culpæ, & inhærere materialibus. Meritum non est sine bona voluntate; sed quod voluntas velit bonum præuenitur gratia, & sic dicitur prima; si autem quæratur quotuplex est gratia? Respond. Thom. ibidem artic.2. Quod alia dicitur operans, alia cooperans: alia dicitur præueniens, alia subsequens. Vt autem sciantur hæ distinctiones, oportet scire effectus gratiæ. Effectus autem gratiæ sunt quinque. Primus est, vt anima sanetur. Secundus, vt bonum velit. Tertius, vt bonum quod vult efficaciter operetur. Quartus, vt in bono perseueret. Quintus, vt ad gloriam perueniat. 1. 2. quæst. 11. artic.3. & Concil. Trident. sess.4. Gratia gratum faciens quare dicitur operans? Respon. Tho. ibidem artic. 2. quatenus hæc gratia primo mouet hominem ad bonum inducendo voluntatem eius, quæ malum volebat, vt bonum incipiat velle. Dicitur etiam operans, in quantum sanat, iustificat, & hominem Deo gratũ reddit; Dicitur autem cooperãs, quatenus cooperãdo adiuuat hominẽ ad meritũ vitæ æternæ. Dicitur præueniens, quatenus causat effectum priorem, veluti primũ in ordine ad secundum, sanando. n. animam præuenit, vt possit bonum velle. Dicitur autem subsequens, quatenus facit vt posterior effectus gratiæ sequatur priorem, veluti quod, ad bene operari, sequatur actum bene volendi. Ibidem artic.3.

Item gratia, iustitia, & charitas sunt vnum, & idem re, sed differunt ratione. Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. sunt inquam idem, quia sunt eadem qualitas à Deo infusa: differunt autem quia qualitas hæc quatenus a Deo datur gratis, & facit hominem gratum Deo, dicitur gratia. Quatenus verò sanat, iustificat, & conuertit hominẽ a malo ad bonum, & facit velle quod iustum est, dicitur iustitia. Sed quatenus facit, vt diligat Deum super omnia, & proximum propter Deum vocatur charitas. Ex Concil. Trid. loco citato. Habemus autem exemplum quid sit gratia, ex cathechismo Rom. de baptismo num. 50. de luce & aere, sic. Deus est tamquam sol, gratia, est tamquam lux solis, anima est tamquã aer, quæ est capax lucis, idest diaphanus, & sine luce est obscurus, cum luce perspicuus. Effectus gratiæ sunt sicut effectus lucis, qui sunt illuminare, calefacere, & operari in omnia,

quæ in terra sunt, herbas, arbores, animalia &cęt. Præsentia igitur Dei in anima, est sicut præsentia solis in aere; & communicatio diuinæ naturæ, est sicut communicatio quam facit Sol in aere. Thomas autem p. 2. q. 117. ar. 1. Dat exemplum de igne, & ferro, vt est ibi videre.

De Cautelis Seruandis Circa Ordinis Sacramentum. Cap. 30.

Manus cito nemini imposueris 1. ad Timoth. 5. & cap. 2. ait: & hi probentur prima (vnde patet ex hoc loco sumpsisse exordium examinis circa ordinandos, vt probentur an donei sint.) Et num. 11. dicitur: Congrega ad me septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes sint populi, ac magistri, quasi diceret, illos quos tibi constat idoneos esse. Vbi de promotione ad ordines agitur: ideo de cautelis seruandis dicẽdum est, quia non omnes se offerentes ordinandi sunt.

Caueat ergo primo Episcopus, ne ordinet alienum clericum vel laicum, vt de tempor. ordi. cum nullus lib. 6. quod si fecerit per annum a collatione ordinum est suspendendus. Et interim clerici sui absque licentia sua a vicinis Episcopis possunt ordinari vt patet ibidem. Clerici verò qui sine sui Episcopi licentia ordinantur, ab executione ordinum suspendantur: tamen Episcopus potest cum eis dispensare. 9. q. 2. lugdu. de tempor. ordin. quod translationem.

Secundò caueat Episcopus ne ordinet aliquem ad sacros ordines sine titulo: aliàs solus ei prouidere tenebitur de beneficio. Item neque bigamos. Vnde Ambrosius cap. 12. 32. q. 1. ad dissuasionem bigamię tria inducit. Primum quia hoc facit virginitas in cælis, quod mátrimonium in terris: Ait enim, nuptiæ terram replent, virginitas paradisum. Non ideo hoc dicit, vt solæ virgines habeant paradisum: sed quia facilius, vt 3. qu. 5. quis sitit. vel quia virginitas est soror angelorum, vbi omnes erunt virgines vel continentes, neque nubent, neque nubentur, vt 31. q. 1. quod si. Secundum quia sicut opus secundæ diei nõ meruit benedictionem, ita nec secundæ nuptiæ. Hinc habes quare in secũdis nuptijs non datur benedictio. Tertium quia nec in bestijs approbata est bigamia: cum tantum immunda animalia sub binario ingressa sunt in arcam.

Tertiò caueat ne ordinet per simoniam: vt de simonia per totum. Nam sicut Beatus Petrus damnauit Simonem, ita omnes Simoniacos non iniuria damnat, & deponit, vt probatur 1. q 1. c. 21. Et hoc sex rationibus. Prima est quia deteriores sunt Macedonianis, qui spiritum Sanctum dicunt esse seruum Patris, & Filij. Isti verò seruum suum faciunt, ipsum vendentes. Secunda est, quia blasphemant in Deum: sicut illi qui dicebant Christũ in Belzebub eijcere demonia. Tertia, quia similes sũt Iudæ proditori. Quarta quia sunt damnati in canone Apostolorum. Quinta, exemplo Hierobeam, de quo legitur in 3. Reg. quod ipse dabat sacerdotij principatum implentibus manum suam: Sexto, exemplo Giezi. Vbi nota quod simonia dicitur a Simone Mago, qui primo in nouo testamẽto huius sceleris author extitit: sicut enim Giezi in veteri testamento voluit vendere sanitatem Naamam Syro Regi, sic & iste voluit emere domum Dei: vnde Gieziticus est dicendus qui vendit gratiam: simoniacus qui emit: ideo emptores Simoniaci sunt appellandi Glos. in 1. qu. 1. de vtroque intelligendum est hic. Secundò nota, quod crimen simoniæ nõ comittitur in paruo, vt extra. de simo. & si quæstiones. Quod vero nonnulli prophetæ acceperunt munera, vt refertur. 1. q. 1. c. 23. dic quod mali prophetæ

phetæ, non boni, prophetiam vendebant: Et si dicatur quod aliqui boni acceperunt, dic quod aliquid ad sumptus, & sustentationem accipere licet. Extr. de Simon. cum sit. 23.q.5. dicat. Vt accepit Achias 3. Reg. 14. vt patet 1.q.1.c.23. Probatur. De diuinatione verò dic quod raro in bonã partem recipiuntur: vnde illi qui pro indicatione futurorum pecuniam accipiebant, non erant veri prophetæ, sed diuini: licet se crederent esse prophetas vt ead.q.c.24. Et diuinatio prophetia esse non potest. Nam prophetia est rerum latentium, præteritarum, præsentium, vel futurarum, ex diuina inspiratione manifestatio secundum Papiam. Itẽ nullus debet cõmittere simoniam, vt postea velit ex pecunia construere Ecclesias vel eleemosynas facere: tum quia scriptum est; honora Deũ de tuis iustis laboribus, tum quia ait Salomon, Qui offert sacrificium de substantia pauperis quasi victimat filius in conspectu patris. Ecclesiast. 34. & hæc habentur 1.q.1.c.27. vbi etiam instruuntur clerici ad dignitatem accedentes, vt antequam accedant, vires suas metiantur, vt ad quam se sufficere credunt, cum metu accedant. Tertiò nota quod non solum Episcopus nõ debet ordinare per simoniam, sed etiam Notarius non debet formatas (quæ vulgo dimissoriæ appellãtur) vendere. de Simon. c.1. Sed de his vide infra.

Quartò caueat ordinandus ne recipiat ordinem aliquem ab Episcopo quem scit simoniacè in ordinem susceptum, siue sit occultum, siue manifestum, quia non recipit executionem, & indiget dispensatione 1.q.1. Si qui a simoniacis. Dicit tamen Diu. Tho. 2.2. qu. 8. quod si esset simoniacus ex alia causa, posset ab eo recipere ordines, dummodo sit occultum, quia talis Episcopus non est suspensus ad alios, sed tantum ad se. Conuicti autẽ de simonia debent deponi, non sine pæna, tam dantes, quam recipientes, vt 1.q.1. quos constiterit. Ambrosius statuit vt quicunque detectus fuerit Simoniam commisisse a communione altaris sit ipso iure suspensus, & si per accusationem fuerit depositus in monasterio detrudatur: venditor vero, vt emptor puniatur. Si vero laicus sit qui simoniam committit, excommunicari debet vt 1.q.1. cap. 7. reperiuntur. Nam si quis Episcopus in Ecclesia per pecuniam aliquem in clericum cuiuscunque ordinis ordinauerit: aut dispensatorem, aut defensorem, aut mansionarium per pecuniã fecerit, ordinator conuictus, deponatur, & ordinatus similiter locum suũ perdat. Mediator vero si Clericus est, deponatur, si laicus, excommunicetur, vt ibid. cap.8. quia qui prætio aliquem ordinat lepram, non officium confert. Ead. cap. 14. Item qui deponitur propter simoniam, de iure communi non poterit amplius reuocari. Ibidem. Quod autem detestabile sit crimen simoniæ, quatuor probatur exemplis 1.q.1. cap. qui studet. Primo, exemplo Giezi, qui propter simoniam quam commisit factus fuit leprosus. 4. Reg. 5. vbi dicit Elisæus ad Giezi. Adhærebit igitur lepra Naaman tibi, & semini tuo semper. Ecce quia non fuit sanatus. Secũdo exẽplo Iudæ, qui vendidit redemptorem omnium, propter quod laqueo se suspendit, & ita suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Act. 1. Tertiò exẽplo Simonis Magi, qui propter simoniam quam committere voluit, fuit a Petro damnatus, vt patet Act. 8. pecunia tua tecum sit in perditionẽ quoniam domum Dei existimasti pecunia possideri. Ex hoc ergo patet quod sola voluntate quis est simoniacus; hoc intellige de voluntate ad aliquem actum exteriorem producta: vt hic in Simone: aliàs non erit suspẽsus ab ingressu Ecclesiæ.

Quartò exemplo Christi, qui omnibus

nibus peccatoribus in templo dimissis solos simoniacos in detestationem criminis exclusit, qui simoniaci ergo sũt non possunt habere gratiam Spiritus sancti. Item nec Sacerdotes esse possunt, quia cum maledicti sint, benedicere alios non possunt 1.q.1.cap.12. Quæ simonia comparatur hæresi, vt patet ibidem ca.13.& Ambros. ibidẽ. c. 16. intendit probare quod crimen simoniæ sit grauius, quam crimen idolatriæ sic: nam crimen idolatriæ vsque in tertiam, & quartam generationem punitur, cum semen idolatrum vsque in tertiam, & quartam generationem intrare Ecclesiam prohibeatur: semen verò simoniacorum in ęternum punitur: vt patet in præallegata auctoritate 4. Reg. 5. de Giezi. Semen autem mysticè intelligitur in successione vitiorum, & non in successione generis, sicut accipitur ibi: Vos ex patre diabolo estis. Gratianus autem ex supracitatis cap. concludit, quod simoniaci secundum Leonem non accipiunt nisi Christum mendacij, & quia secundũ Greg. apud eos sacerdotium non subsistit, & etiam quia benedictio eorum in maledictionem cõuertitur &c. Vnde nihil aliud potest conferre simoniacus simoniaco, quam hæreticus hæretico. Et licet simoniaci habere fidem videantur, tamen subijciuntur infidelitati. Ead. q.1.§.3. Quod patet; quia auaritia est idolorum seruitus: & auarus exhibet reuerentiam nummo tanquam Deo. ibid.c.20. & 11.q. 3. pauper. Nicolaus autem ibid. 1. q.1. statuimus decretum. distinguit tria genera simoniacorum. Alij ordinantur simoniacè a simoniacis. Alij, simoniacè a non simoniacis. Alij, non simoniacè à simoniacis. Primi, omnes, tam ordinatores, quam ordinati, a proprio gradu decidunt, idest, deponuntur. Secundi, ordinati tantum remouentur ab officio male accepto. Tertij, per manus impositionem misericorditer pro temporis necessitate in officio conceduntur permanere. q.d. cum tertijs poterit dispensari cum ordinatis propter necessitatem. Vnde nota quod simoniaci etiam occulti ipso iure sunt suspensi: non tamen euitandi secundũ Glos. cum probari non potest eis simonia. 6.q. 2. si tantum. Item, Gratianus ait, quod etiam ille simoniam committit, qui pecuniam accipit, vt ordines non conferat vel munus aliquod ecclesiasticum, illi cui esset conferendũ. 1.qu. 1. §. qui autem pecuniam accipiunt; ait enim Paschalis secundus; sunt quidam, qui vel violentia, vel fauore, non permittunt Ecclesias regulariter ordinari. Hos etiam decreuimus, vt sacrilegos iudicandos, idest, simoniacos 1.q.1. Sunt quidam: alius non facit ad propositum Gratiani. Et quod sit sacrilegium, sic probatur; si enim ille qui frangit immunitatẽ Ecclesiæ, vel qui inde aliquod eripit, sacrilegus iudicatur vt extra. de immunit. Ecclesiæ inter. Et cap. vlt. multo fortius qui facit ne Ecclesiæ ordinentur vel ne ordines tribuantur, vel impediatur alicuius electio, vel promotio. Glos. ibidem.

Quintò caueat ordinandus, ne tempore ordinationis sit in peccato mortali, nam mortaliter peccaret. dist. 11. multi.

Sextò caueat Episcopus ne ordinet clericos sine examine: alias dicitur furtiuè ordinatus Hostien. 63. dist. extra conscientiam: nec prosunt ei formatoriæ: Si tamen est dignus, & notus, nihil obest: quia tales non sunt examinandi Archid. 23. dist. c. nullus. Sed si est indignus deponi debet. De corpore vitiatis. c. Exposuisti. Si etiam sit ignotus quamuis dignus; deponi debet 24. dist. c. vltim. & multo fortius si est indignus. l. distin. ex pænitentibus. Debet etiam confiteri publicè Episcopo sua crimina, seu notoria impedimenta iuris vel facti: vt ibidem dicitur. Nec etiam suscipiat aliquem ordinem superiorem omisso inferiori: quia

quia hoc esset per saluum ordinari, & talis debet deponi, si hoc faceret ex malitia: secus si ex ignorantia, vel negligentia. distin. 48. sicut olim. ex dispensatione tamen Episcopi ad omissum ordinem poterit promoueri: sed in suscepto prius non administrabit. Vide Concil. Trid. sess. 23. c. 14.

Septimò obseruet Episcopus illum canonem 1. q. 1. Estote. quod, scilicet, promoueat mundos corpore & prouectiores ætate, & qui sunt moribus cómendati: non fornicatores: tales enim tam clerici quam Sacerdotes olim deponebantur: hodie verò nullus taliũ est deponendus, quia fragiliora sunt corpora nostra quam olim. 34. distin. Fraternitatis. Hæc & alia ab Episcopis sunt diligenter notanda, circa vero scripturam, & fidem a notario faciendam pro ordinato, (vt diximus) nihil recipiat notarius vt 1. q. 2. sicut Episcopum. Hugo tamen intelligit quando habet salarium. Sed circa hoc seruetur Concil. Tridentinum.

De Ministris Ecclesiasticis, atq; de varijs eorum denominationibus, qui ad Ecclesiam spectant: aut ab eius gremio sunt separati. Cap. 31.

SEctarum famosissimarum, tria sũt genera, videlicet, Gentilium, Hæbræorum, & Christianorum. Prima secta, dicitur a secando quia secat, idest, separat nos a Deo: est enim secta erroris, ideo nihil ad nos pertinet, dicere de ea: Similiter nec dicere de secunda: Tertia verò dicitur a sectando & tenendo, quia illuminat, saluat, & liberat. Christianorum personæ tam sæculares, quam Ecclesiasticæ, de alijs duabus sectis sumptæ sunt Hebræa videlicet, & Gẽtilis. Sicut enim apud nos duo sunt genera personarum, scilicet, laicales, & Ecclesiasticæ 12. q. 1. duo. Sic & apud Gẽtiles, & Hebręos. Et sicut apud nos sunt virorum, & mulierum conuentus, sic erant apud eos. Apud Hebræos, (vt specialiter loquamur) erat diuersitas personarum: aliæ namque erant sæculares, aliæ diuino cultui dedicatę videlicet in templo. Ita est, etiam in præsenti populo Christiano.

Nam omnium harum personarum quidam dicuntur cathecumeni, alij neophyti, alij energumeni, alij apostatæ, alij pœnitentes, alij ministri, alij plebs sancta, alij vocantur Monachi, alij pagani, alij infideles, alij schismatici, alij hæretici, & alij vocantur Iudæi, seu Hebræi.

Catechumeni, dicuntur qui Sacræ fidei mysteria sunt edocti, & quid credere debeant instructi, nondum tamen salutaribus undis baptismi abluti, neque in Christo regenerati. Nempe in primitiua Ecclesia cum adulti Sacramẽtũ baptismi suscepturi erãt: ante per aliquot tempora edocebãtur circa sacræ fidei articulos, & quid piè de Deo sentiendum: Secundum circa Symboli Apostolorum regulã erudiebantur. Quamdiu ergo instituebantur his sacris documentis antequam baptismum perciperent: dicebantur catechumeni: vt legitur quod Beatus Martinus adhuc catechumenus, veste pauperem, & in paupere Christum contexit. Venitque id nomen Græcum a verbo cathechizo, as, are: quod significat doceo, instruo in fide, & erudio, quo quidem Beatus Paulus vtitur ad Galat. 6. dicens, communicet autem is qui catechizatur verbo: ei qui se catechizat in omnibus bonis.

Neophyti dicuntur: qui de nouo ad fidem sunt conuersi, & recens eius Sacramentis se addixerunt: quasi nouum fidei germen & noua planta, nouiterue plantati. Neos enim, Græci, nouum dicunt: phiton vero plantam. Vnde Hieronymus contra Luciferianum. Nescis & Laicos & Clericos vnum habere Christũ; nec alium neophitis, alium Episcopis esse Deũ?

Et

Et Paulus scribens ad Timoteum, 1. capit. 3. prohibet neophytum in Episcopum ordinari. Non neophytum (inquit) ne in superbiam elatus: in iudicium incidat diaboli.

Energumeni dicuntur qui ab immundis spiritibus vexantur: & corporali afflictione torquentur, ita dicti ab energeo, verbo Græco; quod agere significat & mouere. Apud Latinos vero, arreptitij, laruati, siue dęmoniaci appellantur. Qualis fuit ille Corinthius qui propter incestum ab Apostolo traditus fuit Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fieret, vt scribit ipsemet Apostolus 1. ad Corinth. 15. Quales & illi, quos Dominus noster in Euangelio & Discipuli eius à vexatione dæmonum virtute diuini nominis liberarunt.

Apostatę sunt, qui a fide quam professi sunt discedunt, ad infidelitatem aut horrenda flagitia Dei legibus cōtraria publicè prolapsi. Vt qui fidem Christi abnegant: ad Iudaismum aut Mahometicam spurcitiam decumbentes, aut qui fędis libidinibus aut cupiditatibus cæteris se contaminant, incestuosi, notorij, concubinarij, venefici, magici, vsurarij: & alijs grauibus criminibus palam implicati. Ita autem dicūtur nomine Gręco ab Apostasia: quæ desertionem defectionemque a fide significat, quasi desertores castrorum Dei & ad hostiles acies transfugæ. Inde apostatare, est fidem Christi susceptam deserere, & ab ea deficere: aut etiam a rectitudine æquitatis atque iustitiæ discedere. Vnde Eccles. 19. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes: & arguunt sensatos. Religiosi autem professi dimittentes habitum cum proposito non sumendi amplius etiam dicuntur apostatæ: qui vero fugam arripiunt causa persecutionis vitandæ non sunt apostatæ: ita doctissimus Gaietanus super Sum. 2. 2. Diui Thomæ & etiam est communis opinio. fugit D. Petrus, fugit D. Paulus & alij multi, & ipsemet Christus: sed non tempore passionis.

Pęnitentes sunt qui à grauibus quæ ante commiserunt peccatis pedem reuocantes, publicam in totius Ecclesiæ conspectu pęnitentiam agunt, petentes Christo reconciliari & rursum ecclesiastico cætui (à quo per nequitiam sunt prolapsi) inseri atque coniungi. Nempè in prima Ecclesię constitutione plerumque ob enormia & infanda peccata, publica peccatoribus imponebatur pęnitentia: ad sui humiliationem aliorumque exemplum. Vt de Beato Ambrosio memoriæ proditum est: quod Theodosium Imperatorem Romanum Ecclesiæ ingressum prohibuerit, donec dignam pro scelere perpetrato complesset pænitentiam: quam ille humiliter suscepit & compleuit.

Ministri dicuntur, qui ipsi Pontifici aut Sacerdoti sacra facienti astant ad sancti altaris ministerium; & quæ ad hoc aut aliorum Sacramentorum administrationem necessaria sūt, pro suo quisque officio subministrant. Et hi à nobis Diaconi dicuntur & Subdiaconi; de quibus paulo post amplior fiet determinatio. Quamuis & ministrorum nomine compræhendi etiam nōnumquam soleant in minoribus ordinibus constituti: Ostiarij, Acolythi, Lectores, Exorcistæ, quod Superioribus ordinibus in rebus sacris etiam impendant ministerium.

Plebs sancta, Laicorum est multitudo, vt coniugatorum & vitam agentium ciuilem, qui non admittuntur secundum primariam Ecclesiæ sanctionem ad exhibendum altari sancto ministerium, tamen ad sacrorum mysteriorum cōtuitum simul & participationem recipiuntur. A fide enim quam sunt amplexi non desciuerunt, neque a diuina lege per publica scelera exorbitarunt: idcirco pro sui status ratione ad sanctam Ecclesiæ communionem pertinent.

Moi

Monachi sũt qui vitam diuiduam & quæ in curis agitur sæculi a se abdicarunt: & Deo in contemptu mundi & semotione a publico hominum cõgressu seruiunt, ita dicti a solitudine: quod solitariam, & a vulgi strepitu remotam degunt vitam. Habent & id nomen ab vnitate: quod repudiata multiplicitate negotiorum huius sæculi, ad vnitatem se colligant & singulares se Deo totos mancipent. Hi in primitiua Ecclesia Græco nomine therapeute, Latinè cultores dicti sunt.

Pagani dicuntur gentiles, siue qui idola colunt: & nomine gentium in Scriptura nuncupantur, vt in Psal. 95. Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem Cælos fecit. Augustinus in prologo libri de ciuit. Dei, Interea cum Roma Gothorum irruptione agentium sub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis euersa est, eius euersione deorum falsorum multorumque cultores (quos vsitato nomine paganos vocamus) in Christianam Religionem referre conantes: solito acerbius & amarius Deũ verum blasphemare cęperunt. Et paulo post. Quorum quinque primi eos refellũt; qui res humanas ita prosperari volunt: vt ad hoc multorum deorum cultum (quos pagani colere consueuerunt) necessarium esse arbitrentur, & quia prohibentur, mala ista exoriri atque abundare contendunt. Inde paganismus, paganorum ritus. Iidem à Græcis Ethnici dicuntur, quod Ethnos gentem significet, vt apud Matth. 18. legimus. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.

Dicuntur autem pagani a pagis, seu vicis rusticis, quod illos incolentes, & ab vrbium frequentatione remoti rarius veræ fidei Doctrinam audire ac percipere fuerint soliti, quæ potissimũ in vrbibus ac hominum frequentia tradebatur. Et idcircò tardius ab idolorum cultu reuocabantur, aut à Christiano ritu imbuti facilius ad pristinam idolorum culturam relabebantur, cum non adesset qui errantes corrigeret.

Infideles sunt, qui fidem Catholicam non tenent, neque in Deum credunt, sicut econtra fideles sunt, qui rectam fidei confessionem seruant. Inde infidelitas: incredulitas. Ita enim vtroque vocabulo vtitur Beatus Paulus 1. Timot. 4. & 5. speramus (inquit) in Deum viuum qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Et rursum. Qui autem suorum & maximè domesticorum curam non habet; fidem negauit & est infideli deterior. Est autem infidelium ratio, generalis admodum & multos complectens, nam pagani, infideles sunt. Agareni itidem & Turcharum populus infidelis. Iudæi quoque nunc adhuc suo ritui addicti: sunt infideles. Soli autem Christiani & qui legem Christi capessunt: fideles sunt, quia quam debent amplectuntur fidem.

Schismatici sunt qui vnitatem Ecclesiæ scindere nituntur: & eius sub vno Summi Pastoris Vicario collectionem, quemadmodum ij qui vero Pontifice Summo reiecto: alium sibi constituere anniterentur. Hinc schisma, dicitur scissura, seu diuisio Ecclesiæ: cum vna pars Christianorum vnum sequitur vt Summum Pontificem, & altera, alterum. Vnde scribit Apost. 1. Cor. 1. Rogo vt idipsum dicatis omnes: & non sint in vobis schismata.

Hæretici sunt qui pietati & rectitudini fidei contrariam positionem & tectam pertinaciter defendunt, aut eam primum adinuenientes: quales fuerunt impius Arrius, & nefarius Sauellius, & cętera nigrę cohortis turba, cum cæcis suis ducibus, quos sequebantur in errorum barathrũ præcipitati. Inde hæresis est secta synceritati fidei Catholicæ aduersa atque repugnans; quam tamen is qui fide i-

suscepit signaculum pertinaciter defendit. Oportet (inquit Apostol. 1. Corint. 11.) hæreses esse vt hi qui probati sunt manifesti fiant. Et ad Tit. 3. Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem, deuita.

Iudæi dicuntur quicumque a Iacob descenderunt: a Iuda, præcipua duodecim tribuum ita nuncupati, qui & Israelitæ denominantur: quoniam ab Israel (qui & Iacob) sumpserunt originem: Ijdem etiam, dicuntur Hebræi, ad Heber filio Seth; a quo per Abraham sunt deducti. Aut etiam a nomine communi Heber; quod trāsfluuialem, siue transitorem signat, eo quod Abraham veniens a terra, & cognatione sua in terra Chanaam: Euphratem transierit, & transflumen habitarit. Ad nos itaque reuertamus.

Circa vero Clericos, nota quod duo nunc sunt genera Clericorum (loquendo de Sæcularibus) vnum Ecclesiasticorum, sub regimine Episcopali degentium. Alterum Acephalorum, idest, sine capite quem sequantur ignorantium, nam & circumquaque aberrantes sola vita vaga delectantur. Et ad imitationem veteris legis, dico, quod sicut ibi, scilicet, in templo erant summus Sacerdos vt Melchisedech, minores Sacerdotes, Leuitæ, Nathinęi, luminum extinctores, Exorcistæ, Ianitores, & Æditij seu Cantores: Super populum vero regendum erat Dux populi Moyses; & sub eo quos ipse constituerat, ad consilium Ietro soceri sui: erant etiā Chiliarchæ, & Arcentarchæ, Petacontarchæ, & Decacontarchæ, idest millenarij, centenarij, quinquagenarij, & decani; chilas mille, Archen Princeps. Et ita de alijs nominibus idem est iudicium.

Sic apud Christianos diuersitas huiusmodi reperitur. Adest Summus Pontifex, & caput dostrum primo, & principaliter Christus. Dicitur autem Christus a Chrismate, quasi vnctus. Ipse autem vnctus est æternaliter a Deo præ consortibus suis, vt legitur Act. 2. Hinc est quod in veteri testamento Sacerdotes, & Reges, Christi, nuncupabantur, qui vncti erant vnctione temporali. iusta id Psalm. 104. Nolite tangere Christos meos. Hoc nomen, Christus, non est nomen proprium, sed est communis nuncupatio potestatis. Est enim commune nomen dignitatis. Sed hoc nomen Iesus est proprium nomen Saluatoris, quo ab Angelo Gabriele in conceptione vocatus est. Luc. 1. Iesus, Hebraicè dicitur Messias: Græcè, Christus, vel Sotyr, vel Sophyr, Latinè vnctus, vel Saluator, eo quod ipse saluum faciat populum suum a peccatis eorū; potestatem enim habet dimittendi peccata, vt ipse testatur; vel Saluator, quia ipse nobis potest dare salutem si eius præcepta seruauerimus. Nam dicitur primo Timot. 1. Venit Christus peccatores saluos facere. Vbi glos. ait; quod nulla alia fuit causa veniendi Christo Domino, nisi vt peccatores saluos faceret. Hoc inquam nomen fuit impositum Saluatori nostro propter excellentiam suę legationis, quāuis enim in veteri lege plures hoc nomine vocati fuerint; tamen Sacra Scriptura Hebraica de solis illis facit celebrem mentionem, qui fuerunt figuræ huius; ex eo quod, & ipsi saluationem aut liberationem totius populi Dei a captiuitate ministrauerunt. Nam in exitu Israel a captiuitate Ægypti, Iehosua siue Iosue filius Num, erat Minister Moysis; & postea fuit successor eius in Ducatu populi; cui etiam Dominus dixit Deut. vltim. Tu introduces populum meum in terrā quam promisi eis. Similiter in exitu eiusdem populi a captiuitate Babilonica, simul cum Zorobabel Principe fuit Iesus filius Iosedech Sacerdos magnus; vt patet 1. Esdræ 5. & Zacha. 1.

&

& hi reduxerunt Hebræos in patriam suam. Sed istæ saluationes aut liberationes fuerunt particulares, & in vno solo populo Iudæorum; noster autem Iesus totum genus humanum per totum mundum liberauit; & non solum à captiuitate corporali, sed principalius a spirituali quæ est maximũ hominis malum.

Denotat etiam nomen Iesus saluationem ex Latina eius prolatione, qua efficitur nomen bissillabum: cuius prius sillaba Ie, duabus constat literis, sequens verò, sus, tribus literis. In prima ergo sillaba, denotatur Christi humanitas, constans ex anima rationali, & carne, duabus partibus eius. Secunda refertur ad diuinitatẽ Christi cui a triplici creatura debetur honor, Philip. 2. in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Saluatio autem humani generis in duabus Christi naturis completa est: dicente Leone Papa in sermone natiuitatis Domini: nisi enim esset verus homo non præberet exemplum, & nisi esset verus Deus, non afferret remedium nostræ Saluationis. Iesus ergo tantum significat sicut Emanuel Hæbraicum; Vel, sicut verbũ caro factum est propter nostram salutem. Scribitur etiam a Latinis Iesus abbreuiatum hoc modo, I H̊ S. Et sic etiam saluationem significat, quia ræpresentat Christi passionem qua saluati sumus, nam litera media, H, Christum pendentem in Cruce figurat cum titulo superposito. Habet. n. tres lineas. Linea eius recta est lignum Crucis: linea curua corpus Christi: linea denique superior transuersalis, est vt titulus Crucis. Duæ aliæ autem literæ extremæ significant duos latrones cum Iesu crucifixos, ita quod litera, I, quæ est linea recta significat bonum latronem, qui rectè iudicauit de Christo, & de se ipso. Luc. 23. Sed litera, S, tortuosa est quasi malus latro, qui blasphemans Christum irridebat. Duo tandem puncta ex vtroq; latere, huius nominis scripta repræsentant Virginem Mariam & sanctũ Ioannem quorum vita tunc erat quasi in puncto præ nimia tristitia atque angustia.

Vocatur etiam principium, & finis α, & ω, & Hebraicè Emanuel, quod nobiscum Deus interpretatũ est. Nobiscum est enim per præsentiam maiestatis, per participationem veritatis, & per vinculum charitatis, & per adimpletionem veritatis.

Insuper vocatur via, veritas, & vita. Via in exemplo vel pręcepto, veritas in promissione, vita in præmio. Et Sabbaoth, idest, Deus exercituum. Adonai quod est Domine. Athanatos, idest, immortalis. Kirios, idest, dominus. Theos, idest, Deus. Panagatos, idest, optimus. Omousios, idest, vnius essentię, nomina sunt Dei non tantum personæ Christi. de consec. dist. 2. Ego. Item, dicitur hæres, quia hęres patris. Et dicitur Sacerdos, quia seipsum obtulit pro omnibus nobis, & omnia sacramenta Ecclesiastica constituit. Itẽ dicitur sanctus sanctorũ, quia iustus & caput omnis sanctitatis & gratiæ a quo omnes gratiæ deriuantur ad sua membra.

Rursus Christus vocatur secundũ Isaiam cap. 9. Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Admirabilis, in incarnatione. Consiliarius, in integra rerũ cognitione. Deus, in rerum creatione. Fortis, in rerum dispositione. Pater futuri sæculi, in meritorum retributione. Princeps pacis dicitur, quia fuit mediator Dei, & hominum: vel, quia confert illis pacem, quę exuperat omnem sensum, cuius pacis non erit finis. Dicitur Deus propter vnicam cũ patre substantiam. Dominus verò dicitur propter seruientem creaturam. Deus, & homo dicitur, quia Verbum, & caro. Verbum dicitur, quia pater per eum omnia condidit siue iussit,

Imago Patris dicitur, propter parem similitudinis patris.

Vocatur quoque filius Dei Luc. 1. quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei, quia assimilatur Deo patri: tum in natura, quia Deus erat verbum: tum in potentia, quia omnia per ipsum facta sunt: tum in scientia, quia omnia quæ scit pater demonstrat filio Io. 5. vocatur vt diximus Emanuel, idest, nobiscum Deus .s. per incarnationem. Isa. 7. quia Verbum caro factum est: per conuersationem quia in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est: per sacramenti Eucharistiæ institutionem, quia dixit, ecce vobiscum sum vsque ad cõsumationem sæculi; hæc sunt nomina ipsius Saluatoris.

Cognomina etiam habet, vt sunt Galilæus, Nazarenus, filius Dauid, Crucifixus. Galilæus dicitur, a prouincia in qua fuit nutritus, idest, a Galilæa, quæ interpretatur Rota vel trasmigratio, quia Christus in hoc mundo fuit quasi colonus, & transiens peregrinus; vel sicut viator declinans ad manendum, idest, nolens hic diu manere apud nos. Psal. 8 A summo cælo egressio eius, idest, egressus eius a patre, regressus ad patrem, excursus vsque ad inferos, recursus ad sedẽ Dei. Dicitur filius Dauid a parentela, hoc cognomen traxit quia assumpsit humanitatem ex progenie Dauid cui fuerat promissus Messias: Et item quia regnum eius restaurauit cum omnibus virtutibus eius, humilitate, pietate, &c. Aliud cognomen traxit a Ciuitate in qua conceptus fuerat, Nazareth enim interpretatur flos, & Nazareus floridus: de quo Genes. 27. Odor filij mei sicut odor agri pleni floribus. Ipse enim fuit candidus vt lilium, in natiuitate: rubeus vt rosa, in passione: Liuidus vt viola, in morte, &c. Aliud cognomen traxit ab euentu: quia in cruce passus fuit, ideo dicitur Crucifixus. Estque nomen victoriæ suæ qua de Diabolo, & mundo triumphauit: multa istorum nominum ponuntur Mar. 16. Iesum quæritis Nazarenũ Crucifixum. Præter hæc habet quædã alia nomina officialia. Dicitur Angelus testamenti vel magni Consilij Isa. 9. Malach. 3. Et hoc ab officio annunciandi, quia diuina misteria hominibus nunciauit. Dicitur Magister ab officio docendi. Io. 3. quia docuit nos quid amemus, quid timeamus, quid quæramus, & quid caueamus. Dicitur medicus ab officio sanandi Mat. 9. quia ipse est qui sanat omnes infirmitates nostras. Psal. 102. Dicitur etiam aduocatus, quia interpellat pro nobis apud Deum 1. Io. 3. allegans, & Dei misericordiam & nostram miseriam. Hic ergo est Princeps, Dominus, Pontifex, & Deus noster.

Deinde adest populus Christianus: Et de populo alij sunt laici, alij clericales, qui in Ecclesia deseruiunt, vel ipsam regunt. Laici, dicũtur quia laos Græcè, Latinè populus dicitur, siue populares: sed de his non erit sermo. Clericales dicuntur a cliros Græcè, Latinè, sors, quia Clerici, in sortem electi sunt: nam eos Deus potissimũ delegit ad seruitium suum, vel quia clericus a Deo est electus & sortitus vt sibi seruiat.

Horum alij sunt sæculares, alij regulares, qui in monasterijs vitam sub regulam ducunt, vt faciunt Monachi, isti enim singulariter viuunt: monos Græcè, Latinè singularis dicitur. Monachi subdiuiduntur, sed nihil ad nos spectat pro nunc.

Ecclesiasticarum personarum, duo item sunt genera. Aliud est dignitatis. Aliud ordinis. Dignitatis, vt Papa, Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, siue Metropolitanus, Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyter, & Præpositus: quamuis omnes qui præsunt generaliter Præpositi ritè vocentur. Extra de verborum significatione: quamuis.

In choro verò personæ sunt decanus, subdecanus, cantor, siue præcentor, succentor, Thesaurus siue sacrista. Et huiusmodi. Dignitates autem, & ordines quoque a lege originem, & exemplum traxerunt. iuxta id Ps. 44. Cōstitues eos Principes super omnem terram. Ad duo tenentur istę personæ clericales vt dignoscantur ab alijs, scilicet, ad habitum, & ad coronam.

De habitu, & corona Clericali omnium Clericorum tam Regularium quam Sæcularium. Cap. 32.

Clericorum habitus debet esse honestus. dist. 41. per totum, & in ca. Clerici officia. de vit. & hon. cler. vbi dicitur quod coronam, & tōsuram habeant congruentem, indumenta clausa desuper deferant: nimia breuitate, vel longitudine non notanda: in his enim duobus, scilicet, habitu & tonsura, consistit habitus clericalis. vt patet lib. 3. de cleric. coniug. & Glos. ibidem cap. 1. aliter perdit omnia priuilegia clericalia. Quod autem inhibuerit in Leu. 19. dicens neque in rotundum attōdetis comam, nec radetis barbam: id erat, quia Ægyptiorum Sacerdotes hoc faciebāt Idololatricè in venerationem Idolorum suorum. Item quod Deut. 22. dicit: vt viri nō induerentur vestibus mulierum, nec è conuerso: fuit eo quod illi in Venerationem Deæ Veneris hoc faciebant, & alij in venerationem Martis, & Dei Priapi. Pannis verò viridibus, & rubeis non vtantur: non annulos portātes, nisi quibus competit ex officio. More autem Ecclesiæ Gallicanæ non defferunt vestes longas Clerici, nisi in Ecclesia tātū (& malè) cū ad diuina recitanda incedunt. Claustralis verò iuxta regulam sui ordinis. Vnde Grisogonus super verbis Is. 1. lauamini mūdi estote, ait. Seruus Dei non debet habere vestimentum ad decorem visionis, nec ad mollitiem, seu delectationem carnis: sed ad tegumentum nuditatis. Ideo Apostolus 1. Timot. 6. Habentes vestitum, & quibus tegamur (ait, & nō dicit, quibus ornemur) his contenti simus. Vnde Isaac Abbas Sirię ait: qui diligit splendida vestimēta, cogitationes humiles habere non potest, quia cor, exterioribus figurationibus conformatur. Et secundum Greg. Nemo vestimēta præciosa q uęrit nisi ad inanem gloriam, nec aliquis induit vestimenta pręciosa vbi ab hominibus videri non potest. Vnde ille Diues de quo in Euangelio legitur Luc. 16. ex nullis alijs causis damnatus est, nisi, quia quotidie epulabatur splendidè, & induebatur purpura, & bisso. & Autor libri cuius titulus est, Lauachrum conscientię c. 1. ita ait, legitur quod, qui primus vtebatur purpura a fulmine est percussus: & sic obijt. Ludouicus Imperator anno Domini 830. statuit in Synodo multorū Episcoporum sub Greg. 4. vt nullus clericus aut Episcopus vestes portaret prætiosas, sericas, purpureas, nec aliquo præcioso ornamento decoratas: neque gemmas in digitis, nisi dū sacra facerent: hæc inquam omnia sunt incontinentiæ signa. Ex Plat. in vita Greg. 4. & prius Stephanus, idest anno Domini 257. Præter ad altare.

Item Clerici debent portare duplicem habitum, siue ornati esse debent duplici ornamento, scilicet, interiori, & exteriori. Ornamentum interius consistit in virtutibus, in quibus debent communem populum præcellere, aliàs vilissimi sunt: quia vilissimu est qui præstantior, idest, dignior est, nisi etiam præcellat alios scientia, & sanctitate 1. q. 1. vilissimus. Debent etiam clerici, & Sacerdotes specialiter præ alijs esse charitatiui, compassiui, humiles, beniuoli, patientes, & continentes præ omnibus, & sic non solū interius debent esse ornati virtutibus, sed etiam exterius, tamquam lucerna super candelabrum posita lucere de-

bent in exemplum vniuersis. Exterius enim ornamentum consistit in bono regimine sui ipsius. Debent enim clerici aures, oculos, linguam, & omnia membra corporis sui sub fræno castitatis, & modestiæ exercere, vt nõ sint leues in moribus, nec proni ad risũ, nec curiosi, nec verbosi, nec in eis aliquid appareat quod cuiuscunque possit offendere aspectum. Secundò exterior ornatus Clericorum consistit in habitu decenti vt, scilicet, defferant vestes non incisas, vel regulatas, neque varij coloris, &c. (vti diximus:) neque nimis longas, nec minus breues: extra. de vita & honest. cler. Non enim munditiam vestium, sed cordis, a nobis Deus requirit.

Item ornamenta Clericorum consistunt in largitione eleemosynarum, & victualium sobria, & honesta sumptione, obseruando ista sex in mensa, quæ habentur 44. dist. continua. Primum, vt vita absentium non mordeatur; Secundum, vt præsentes non irrideantur. Tertium, verba inania, & sæcularia non recitentur. Quartum, vt verba sacræ scripturę legãtur. Quintum, vt cibum non nisi ad sustentationem sumatur. Sextum, vt in principio, & in fine Deo laudes refferantur: qui nobis tam necessaria tribuit, & procurat sine magno nostro labore, & cura. Vnde Vgo ait: si viuimus de annona Christi, iustum est, vt laboremus in seruitio Christi, & de reliquijs mẽsarum nostrarum cibemus Christum in suis pauperibus: de quibus dixit Mat. 25. quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Pro quo notatur, quod manus Sacerdotum, oleo innunguntur vt nihil temporale eis adhæreat; sed totum per largitatem eleemosinarum effundant. Vnde Bernardus ad Henricum Zenoponẽ, clamat penuria pauperum, clamant nudi, & famelici, dicite Pontifici in inferno, quid faciat aurum, quid conferunt mutatoria vestium in parietibus extensa. Nostrum autem est pauperum, & nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis. Item Bernardus ad Fulconẽ ait: quidquid præter necessarium victum, de altari retines, tuum non est, rapina est, & sacrilegium. Item Chriso. Diuitiæ Ecclesiarum siue beneficiorum, non sunt propriæ nostræ, sed Dei, omnes enim nos voluit esse dispensatores, non dominos: Et etiam quia stipendia Ecclesiastica, sunt panes pauperum, iuxta concordem sententiam sanctorum patrum nullo discrepante; Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus, idest, meretricibus, & Histrionibus. Nam ait Hieron. Qui dat Histrionibus, & meretricibus, immolat dæmonibus; Et in hoc Sacerdotes vigilare debent cum Christo in oratione, & non cum Iuda in cupiditate: quia Iudas alijs Discipulis dormientibus vigilauit, vt Dominum suum traderet propter pecuniam habendam; Sicut nonnulli Sacerdotes & Curati aliqui faciunt; qui si vocantur a diuitibus cito & statim vadunt: si vero a pauperibus, fingunt se occupatos esse, & non veniunt.

Claustrales autem debent incedere iuxta formam suæ sanctæ Religionis, nempè si Monacus Cassinensis, totus incedit vestibus nigris; Similiter faciunt Seruitę, licet non eodem modo. Alij vero albis vestibus vtũtur vt Monaci de monte Oliueto nuncupati. Alij deferunt vestes partim albas & partim nigras vt Dominicani, & Augustiniani. Alij celesti colore; vt Cruciferi. Alij celesti, & albo colore vtuntur; vt Canonici sæculares Sãcti Georgij in Algala. Alij vtuntur panno ruuido, vt Franciscani: & alij aliter. Qui incedunt albo colore hoc faciunt in signum munditiæ & puritatis, & obedientię, quæ omnia præcipit illa regula sub qua viuant, nam non comedere carnes, seruit vt puriores, & mundiores

diores sint in anima. Qui nigris vestimentis induuntur, faciunt id in signũ pænitentiæ,& mortificationis vt mortui mundo, Deo viuant: Manicæ autem prolixæ vt portant nonnulli Clerici, vt Seminarijstæ significant perseuerantiam in bono incępto: nam manibus, & brachijs operamur. Si sunt autem latæ, vt portant Monaci, significant charitatem illos induere debere. Qui autem celesti vtuntur colore, id faciunt vt sciant se mundum deseruisse, vt semper intenti sint ad celestia. Qui vero subtus albis vestibus vtuntur, & supra nigris, id agunt vt intus in anima sint candidi, puri, & casti, desuper vero, vt corpora sua per pænitentiam castigent vt tandem perueniant ad regna cælestia. Qui vero albo colore, & fulginen vestiuntur vt Carmelitę, est quia cum fulgineus color, magis adhereat nigro quam albo, ideo etiam notatur in illis pænitentia, (sed secreta, & sine ambitione vt denotat ille color)& munditia in illis religiosis requiri debere. Qui vero cælesti desuper & albo colore subtus vestiuntur significat quod per munditiam & castitatem internam ad cælestia regna in fine peruenient. Franciscani autem ita vestiuntur illo panno ruuido; vt notetur in illis perfecta paupertas cum sit minoris valoris.

Zona autem siue Cingulum omnium horum Religiosorum significat castitatem qua pollere debent. Calciamenta, imitationem Sanctorum exemplorum. Ephes. 6. calciati pedes in præparatione Euangelij. Scapulare significat obedientiam, quę est iugum Christi. Matth. 11. iugum enim meũ suaue est. Horum autem religiosorum quidam sunt mendicantes, (qui sunt quatuor) alij non mendicantes.

Ordines mendicantium in Vet. Test. sunt figurati Zaccar. 6. vbi Propheta ait: ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium. In quadriga prima equi ruffi, idest, Franciscani, propter ardentem charitatem; In quadriga secunda equi nigri, idest, hæremitani, ob stabilitatẽ in bono; In quadriga tertia, equi albi, idest, Carmelitani, propter eminentem castitatem. In quadriga quarta, equi varij & fortes: & quærebant ire & discurere per omnem terram: quod intelligitur de prædicatoribus, pro vt Alexander Papa IV. declarauit, dicens: hi sunt viri probati in lege Domini, fratres ordinis Diui Dominici, efficaces quidem in opere, atque potentes in sermone, qui vbique per totum mundum, ipsorum ora intonant, velut tubæ; & in omnem terram exiuit sonus eorum: & vsque ad fines terræ sua salutifera verba sonãt. Significantur per equos varios isti Dominicani, quia vtuntur vestibus nigris & albis. Suusque Generalis vocatur Magister, quia Honorius Papa sic scripsit D. Dominico. Nam bis dixit scribe fratri Dominico. Tertiò dixit scribe Magistro Dominico, sic iubet Dominus.

Quoniam autem facta fuit hic mẽtio de Monachis, notandum est quod Monachi debent esse in Monasterio, & flere sua, & aliorum peccata 16. qu. 1. & ideo prohibetur illis habere curam animarum. Tamen dicas quod si regimen populi ab Episcopo committitur Monacho cum Abbatis licentia; tunc potest cælebrare huiusmodi officium 58. distinct. cap. 1. Tria autem statuuntur in capit. placuit. 16. quæst. 1. de Monachis. Primum, est vt Monachus debeat esse singularis: quia Monachus Græcè, Latinè singularis, idest solitarius dicitur. Vnde Monachum per omnia singulariter agere oportet. Secundum, vt pænitentiam nulli tribuat, nisi fratri (vel nisi sibi inuicem ait Textus) vt iustum est. Tertium, vt mortuum non sepeliat, nisi Monachum in Monasterio suo, secum morantem: vel si aliquem aduenien-

nientem Christianum ibidem mori contigerit. Sed dicet aliquis quare hoc præcipitur? Respond. ibid. capit. nemo, quia nemo (inquit) potest ecclesiasticis obsequijs deseruire, & districtionem monasticam seruare: nam districtionem monasterij tenere non potest, qui in Ecclesiastico ministerio quotidie cogitur permanere. Vnde in cap. 4. monachus. dicitur, quod monachus non docentis sed plangentis habet officium. Hinc est quod extra Vrbes vt plurimum moratur. Etenim in capite illo, si cupis, dicitur: si cupis esse id quod diceris monachus, id est, solus; quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Hodie tamen aliter obseruatur, nam & habitant intra vrbes, & sepeliunt mortuos extraneos, & audiunt confessiones, & alia quæ non licebat antiquitus, vt ead. cap. 13. Agapitus. Item prohibetur cap. 20. quod Monachus non potest esse defensor, iudex, aduocatus, vel procurator sęcularium negotiorum; nisi de Superioris licentia. Item monachus non debet esse ociosus, sed semper legere, vel manibus operare; sicut laborabāt Apostoli, quamuis de sua prædicatione viuere possent. Monachus igitur instrumenta sibi necessaria facere debet: hortos colere: arbores inserere: apibus aluearia fabricare, & earum opera attendere: (hinc est quod Carthusiani, & Camaldolenses circa cellam habent suos hortulos) & retia tenere pro piscibus capiendis: libros scribere: vel componere; vnde in Ægypto non recipiebatur monachus, nisi in aliquo opere esset peritus. Ait Cassianus in libro nono de institutis Cœnobiorum quod propterea agebant non solum vt ille posset ex lucro suæ artis viuere, sed multo magis & principalius, quia intelligebāt sine aliquo corporali exercitio, non posse vitare vitium accidiæ, & otij fons, omnium vitiorum iuxta illud

Otia si tollas periere Cupidinis artes.

Nā cum paucissimi sint qui sciant, & valeant tota die vacare contemplationi, orationi, & lectioni, & permaximè insipientes, oportet quod incidant in accidiam, qui non vacant quotidie alicui exercitio corporali. Et quidam ex illis qui non indigebant lucro propter lucrum, quia dactilis, & aqua contenti erant, tamen laborabant facentes plectas, id est, nexus ex virgulis vel papyro, & hoc exercitium faciebant quotidie sic laborando & in capite anni, comburebant, & faciebant alias vt sic liberi essent ab accidia. Vnde cum Sanctus Antonius tentatione accidiæ vexaretur, cæpit clamare ad Dominum dicens: Domine volo saluus fieri, sed non permittunt cogitationes meæ, & statim vidit iuuenem quendam facientem sportas, deinde surgere ad orandum, & iterum post parum reponentem se ad laborandū. Dumque plures alternatis vicibus ad vtrumque se posuisset, demum dixit ille iuuenis (qui erat Angelus) sic facito & saluus eris. Hæc in vitis patrum.

Monachi insuper non vagentur: lauent peregrinorum pedes, vt patet de consec. distinct. 5. numquam. Monachi olim non erant Clerici. 16. qu. 1. generaliter. Hodie tamen ordinantur, & sunt Sacerdotes: quod fuit concessum à Siricio Papa vt ait Platina: deinde ab alijs confirmatum. Notat insuper glos. in cap. nobilis: de purgatione canon. §. ingenuus non est: quod per Monachatum, quis nobilitatem ammittit, vt etiam patet. 27. qu. 2. scripsit. Nobilis ergo professus, non se extollat quia ex nobili genere, & familia sit ortus, cum omnes æquales religio faciat. Duo vel tres Monachi faciunt collegium Monachorum. extr. de elec. cap. 1. Secundum leges tres. ff. de verbor. signific. Neratius. de Eccl. offic. Sex autem sunt monachorum genera secundum Isid. libr. 2. cap. 15.

quo-

quorum tria optima, reliqua vero teterrima, atque omnimodis vitanda. Primum genus est Cœnobitarum, idest, commune viuentium instar Sanctorum, qui temporibus Apostolorum communia omnia habebant, sua vendentes & cæt. Secundum genus est Heremitarum qui procul ab hominibus recedentes deserta loca petunt ad imitationem Eliæ & Ioan. Baptistæ, herbisque tantum arescentibus victitantes, aut solo pane, aut fructibus cõtenti sunt. Tertium genus monachorum, est Anachoritarum, qui iam cænobitali conuersatione perfecti, includunt semetipsos in cellis procul ab hominum conspectu remotis, nulli præbentes accessum, sed in sola contemplatione diuina viuentes perseuerant. Sed isti examinatione cænobitarum probati in omnibus disciplinis Monasterij per 30. annos, ad hanc contemplationem per obedientiam eliguntur. Quartum genus est qui se Anachoritarum imagine blandiũtur, isti dedignantur se subdere obedientiæ seniorum, & expetunt cellas separatas, & solitarij sedere desiderãt, vt à nemine lacessiti, humiles existimentur. Quintum genus est circumcellionum, qui habitu monachorũ vsquequaque vagantur, venalem circumferentes hypocrisim, circumeuntes prouincias, nusquam mansuri, nusquam stantes, opiniones suas habentes pro Deo, philacteria sua magnificant, gloriam captantes ab hominibus. Sextum genus est Sarabitæ, qui constituunt sibi cellas, easque falso nomine monasterij nuncupant, liberi ab Imperio seniorum arbitrio suo viuunt, certatim in operibus laborantes, non vt distribuant egenis, sed vt acquirant pecunias quas recondunt, vt fecit Ananias.

Nota, quod omnes isti religiosi tam Monachi quam Mendicantes, & alij debent incedere iuxta professionis suę regulam: nec in vestibus lasciuire debent, quod ad omnes Clericos pertinet tam professos quam non professos: nam Clerici qui lasciuiunt vestibus, epitimio traddi debent, idest, suspensioni vnius settimanæ 21. quæst. 4. capit. 1. qui Religiosi omnes communi vocabulo fratres dicuntur, quãuis Monachi inter se vocentur, domni. Aptæ autem fratres nominari debent, quia ab vno patre Religionis suæ, puta Benedicto, vel Dominico, vel Francisco, & huiusmodi habent originem; & sub vno patre Prælato suo militant qui antiquitus Abbas, nunc etiam a quibusdam Abbas dicitur qui interpretatur Pater: & etiam dicuntur fratres, quia in vna domo & forma viuendi se habent vt naturales fratres: Et his nouem gaudere possunt priuilegijs. Primò, quod indubitanter purius viuunt, quam ij qui sunt in sæculo. Secundò, quod quiescunt securius. Tertiò, quia orant frequentius. Quartò, quod cadunt rarius. Quintò, resurgunt facilius. Sextò incedunt cautius. Septimò, quia moriuntur confidentius. Octauò, quoniã purgãtur citius. Nonò, & vltimo, quia copiosius præmiantur. Ecce, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, idest, bonis, Sanctis, & Perfectis Religiosis: e contra, quattuor mala incurrit qui ab istis congregationibus (quãdo ibi sunt) recedunt. Primum est, quia a Spiritu sancto non viuificatur. Anima.n. non viuificat membra separata, sed coniuncta. Secundum est, quia a Diabolo citius superatur. Nam secundum Greg. columba ab agmine separata, ab Accipitre rapitur, ouis à grege diuisa, cito a lupo deuoratur. Diabolus enim semper desiderat singulare certamen, quod significatum est in Goliat. Tertium est, quod a gratia Dei vento tentationis extinguitur. Vna enim candella cito a vento extinguitur, non sic multæ cõiunctę. Quar-

tum est, quia citius aduersitatibus frangitur, vna enim virga cito frangitur, non sic multæ simul ligatæ: vt patet exemplo Siluri, qui cum in oriturus esset & 70. filios relinqueret fasciculum hastilium singulis porrexit, ac confringere iussit; cū nullus id præstare posset, ipse singulatim fascim vnum post alterum eximens fregit: docens eos, iunctos quidem inter se, vires habituros ac perduraturos. sin autem disiungerentur: infirmos fore, similiter si essent discordes. Plutar. libro de scite dictis.

Secundò nota quod religiones omnes triplici vocabulo sunt insignitæ, scilicet, Nomine Religionis, Ordinis, & Regulæ. Dicitur vnaquęque Religio, quia ibi religiosè, & piè viuitur. Dicitur ordo, quia ibi omnia sunt ordinatè disposita, atque ordinatè ducitur vita. Dicitur regula, eo quod rectè ducit; nec aliorsum nos trahit, quam ad rectitudinem. Vel vt alij dicunt, regula vocatur eo quod religiosos regat, vel quod normam viuendi præbeat, vel prauum cor corrigat, ex Isidoro libro 6. etymologiæ cap. 16. Religio secundum Cic. libro 1. de natura Deorum a relegendo deducitur. Qui (ait) omnia quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & quasi relegerent, & ita Religiosi sunt dicti Religiosi a relegendo; contra Lactantius a relegando religionem dictam libro 4. asserit. Hoc inquit, vinculo pietatis adstricti Deo, & relegati, sumus: vnde ipsa Religio nomen accepit, non (vt Cicero interpretatus est) à relegendo. Ergo religiosi sunt adstricti Deo.

His itaque stantibus deferat vnusquisque Clericus, vestes suo ordini congruentes quemadmodum olim Generali Concilio Colonien. cautum est ex c. cler. de vita & honestate cleric. & sunt verba Hierony. dicentis: pudet siquidē nos cum videmus prodire clericos perinde atque sæculi milites amictos, vel qui sint vt fœminæ compti, & 1 q. 1. dicitur. Omnis iactantia & ornatura corporalis a sacrato ordine aliena est. & cap. 3. ead. dicitur. Quod Episcopi, Presbyteri, Diaconi, sæcularibus indumentis non deberent vti nisi vt condecet, tunica Sacerdotali: neque in ciuitate, neque extra: quia sicut mulier orans in Ecclesiam non velato capite, deturpat caput suum. 1. Corin. 11. Ita Sacerdos sine opertimento deturpat Sacerdotiū suum: quod si contrafecerit communione priuetur, & cap. sequen 5. præcipimus: vbi dicitur, quod debent priuari beneficio. Clerici portant pileum cornutum in modum crucis; & ratio est, vt semper ante oculos Christi passionē cogitent. A quibus dicitur quod illa pars, siue illud brachium quod absconditur, significat pedem crucis qui iacuit sub terra. At, qua ratione id ferunt ignoro, cum illa pars sinistra in qua situm est, non significet partē inferiorem præcipuè, cum illud cornu sit ita dispositum a sutore vt possit cōplicari. Religiosi omnes præter clericos regulares, & canonicos sæculares sancti Georgij in Algala, portant cuculles qui totum caput circundat & operit, vt sciant sese mortuos mūdo.

Circa vero coronam Clericorū tria attendenda sunt, scilicet, capitis abrasio, capillorum dettruncatio, formæ circulatio. Tria sequuntur ad capitis abrasionem, scilicet, munditiæ conseruatio, deformatio, & denudatio. Munditiæ conseruatio, quia ex capillis sordes in capite aggregantur. Deformatio, quia capilli sunt ad ornatū. Tonsura ergo significat mundam, & non formabilem vitam, idest, quod Clerici debent habere munditiam mētis interius: & non formabilem vitā, idest, non exquisitum habitum exterius. Secundum Dionys. in ecclesi. hierar. Rasura capillorū, significat quoque depositionem omnium temporalium. Clerici enim victu & vestitu cō-

tenti,

tenti, omnia communia habere debent 12. quæst. 1. Clericus. Hoc idem significat in abrasione capillorum Monialium. Et iuxta Apost. 1. Cor. 11. comam nō nutriāt, sed caput in modum sphæræ desuper radant 23. dist. Prohibitæ. Quod etiam Anacletus anno Domini 159. in suis decretis posuit. Et ratio est: quoniā laicis, & hominibus puris & simplicibus; virtutis, honestatis, pudicitiæ, & grauitatis exēplar esse debent. Denudatio autem ipsa superioris partis capitis nullum debere esse medium inter nos & Deum demonstrat, vt reuelata facie gloriā Domini liberè contemplemur.

Circa detrūcationem capillorum, notatione dignum est, illam significare, quod Clerici omnes superfluas cogitationes, & etiam temporalia debent a mente abscindere. Monachi autem & omnes fratres religiosi, mendicantes non tantum coronas ampliores portant, sed & radunt totum caput, quia magis a se omnia abiecerunt quam clerici sæculares propter votum paupertatis; & vt ijdem ostendant se mundum contempsisse, ac illi renuntiasse, nonnulli radunt etiam barbam, quæ secundum Glos. est inditium discretionis, maturitatis, virilitatis, & alacritatis: quasi dicant cū Diuo Paulo 1. Cor. 4. Nos stulti propter Christum, & hoc vt verificetur quod dicitur ibidem. c. 1. Quod stultū est Dei sapientius est hominibus.

Abtonso igitur capite, & patentibus auribus, incedere debent, ne capilli crescendo aures operiant, & oculos impediant. 23. dist. non liceat quoniam prouidendum est ne sæculares cogitationes, aures, & mentis oculos impediendo, nos ad sæcularia trahāt. Vnde Capillos super aures tōdeamus vt quinq; capitis sensus expeditos ad Dei seruitium habeamus. Rectè ergo dicitur ad Ezechielem cap. 44. Sacerdotes caput suum non radant: neque comam nutriant: sed tondentes attondant capita sua. Si quidem vt ait Gre. in past. lib. 12. c. 18. Capilli in capite exteriores, sunt cogitationes in mēte.

Circulatio autem fit propter multa. Primo in signum quod Christus Rex noster seipsum in ara Crucis oblaturus, spineam coronam portauit. Vnde & nos qui desideramus saluari per eandem passionē, Dominicæ passionis signum, idest, coronam, in verticibus nostris portamus, vt sicut ille pro nobis, sic & nos pro illo irrisiones, & opprobria paratos esse libenter sufferre monstremus. Fit etiam, quia hæc figura non habet principium, neque finem. Per quod datur intelligi, quod clerici sunt ministri Dei, qui non habuit principium, neque habebit finem. Insuper quia hæc figura non habet angulum: per quod significatur: quod clerici non debent habere sordē in vita: quia vt ait Bernar. vbi angulus, ibi sordes. Et significat etiā quod debent habere veritatem in doctrina, quia veritas angulos nō amat, inquit, Hierony. Item, quia hæc figura omnium figurarum est pulcherrima. Vnde in hac Deus cælestes creaturas fecit, per quod significatur, quod Clerici debent habere pulchritudinem interius in mente, & exterius in conuersatione. Rursus, hæc figura est simplicissima, vnica enim linea clauditur, & Clerici debent habere simplicitatē columbæ. Mat. 5. Estote simplices sicut Columbæ. 6. q. 1. ex merito. Item, corona demonstrat Clericos specialiter esse regnum Dei. Ipsi namque secundum Hier. 12. q. 1. duo sunt. Sunt Reges, & Sacerdotes, idest, Regales Sacerdotes. Et sunt Reges, idest, se, & alios in virtutibus regentes: & ita in Deo regnum habent: vt Beda ait in Hist. Anglorum. Ideo in signū quod sint Reges portant coronam in capite, scilicet, clericam ad modum coronæ, vt appareant quod habeant authoritatem super populum, ut in ueteri lege habebant ipsi reges, qui & unge-

bantur, vt ab alijs discernerētur quēadmodum & hodie vnguntur Sacerdotes, propter eandem causam. Regant ergo prius seipsos, superando vitia, & passiones omnes, & ita bene populum regent. Rasura capitis Clericorum etiam hac de causa fit, quia cum Beatus Petrus in Antiochia prædicaret, abraserunt sumitatem capitis in contumeliam nominis Christiani & Dominicæ passionis: quod quidem hodie in honorē toti Clero traditur.

De clericis autem impuberibus, & adolescentibus quorum vita, quia semper ad malum prona est, statuitur, 12. q. 1. omnis ætas. quod in vno conclaui manere debēt, deputati probatissimo seniori, qui magister sit doctrinæ, & testis vitæ eorum. Hinc puto emanasse seminariorum origo: & habetur hoc ex Concil. 4. Tole. ca. 23. vide etiam sum. Concil. & Conc. Trident. sess. 23. cap. vlt. In recipiendis his clericis, requiritur ætas 12. annorum. Concil. Trid. sess. 23. c. 8.

De Vita, & honestate Clericorum. *Cap. 33.*

QVoniam Clerici debent præ omnibus vita, & honestate fulgere, ideo de his duobus ex libro 3. decretal. tit. 1. nunc decreuimus ut in titulo agitur summatim pertractare. Nota primum quod uerbum, siue dictio illa *vita* concernit necessaria ad uictum clericorum. Verbum autem, siue illa dictio *honestate* concernit ipsos respectu morum. Continet autem titulus iste 16. ca. In primo autem capitulo agitur quod cum celebrantur diuina, clerus debet esse diuisus a populo. Capituli huius paraphrasis, est huiusmodi. Laici non debent sedere in choro inter clericos, quando cantantur diuina officia, sed in sancta sanctorum. Hoc ex Concil. Maguntino sumitur.

Ratio autem quare patres fecerūt hunc can. est vt liberius clerici intendant diuinis officijs, vt de consec. dist. 2. Sacerdotum. Duo ergo notantur ex hoc capitulo primo, scilicet, quod laici inter clericos sedere nō debent. Secundò, quod Ecclesia debet habere duas partes, scilicet, chorum, qui per cancellos diuiditur ab altari, & sancta sanctorum, idest, partem inferiorem Ecclesiæ, quæ vulgariter dicitur, nauis Ecclesiæ. Est etiam vestibulum, scilicet, inter altare & principium nauis Ecclesiæ, vbi sunt regulariter gradus vestibuli; quod dicitur a ve, & stando, quia ibi multum ad adorandum stamus.

In secundo capitulo dicitur (& est ex Concil. Pictauien.) quod clerici arma portare non debent, nec esse vsurarij.

Ex hoc cap. notatur quod armorū delatio clericis est inhibita, in tantum quod contra facientes grauiter peccant: hoc colligitur ex eo, quia tale delictum est excommunicatione dignum: vt dicitur in præsenti capitulo; sed excommunicatio non infertur, nisi pro graui crimine, vt in c. nullus, & in c. nemo. 11. q. 3. & 23. q. vlt. clerici. & c. quicunque vbi dicitur, quod sine iusta causa non debent portare arma. Iustam causam, intellige, si per loca periculosa transitum faciant, tūc possunt portare arma ad terrorem latronum, licet percutere non debeant. arg. 23. q. 3. Maximianus. Aliter portare non debent. Si tertio admoniti nō destiterint, perdunt priuilegium illius canonis. 17. q. 4. Si quis suadente.

In tertio capitulo illius tituli dicitur, quod presbyter, qui habet populum, debet etiam habere clericum qui secum cantet, & in alijs hic expressis, eum iuuet. Casus est talis. Statutum fuit in Concilio Maticensi quod quilibet rector Ecclesiæ habeat Clericū, qui secum cantet, & Epistolam, & lectionem legat, & qui possit docere pueros, & parochianos suos monere,

vt

vt mittant filios suos ad discendam fidem catholicam, id est, Symbolum Apostolorum, quos ipso doceat diligenter, & cum omni castitate: quæ instructio dicitur nunc, doctrina Christiana.

Ex hoc cap. tria notantur, primò, quod duo ad minus debent esse in Ecclesia. Secundò, solus Presbyter non debet diuina officia celebrare. Tertiò, Sacerdotis interest docere parochianos suos Symbolum, & eos inuitare ad fidem, idest, doctrinam Christianam In capitulo quarto ex Gregor.9. colligitur, imo ibi dicitur, quod si aliquis ex clericis comam relaxauerit, scilicet, in contemptum Ecclesiæ anathema sit.

Nota illud verbum, relaxauerit, ergo quis habitum simul susceptum dimittere non debet. 20.qu.3.procliuis. nisi ex iusta causa, 1. eo. clerici.

Cum verò ait, anathema sit, exponitur, id est, fiat; non enim est excommunicatus ipso iure. 30.dist.quasi per totum.

In capitulo quinto ex Concilio Carthaginensi, dicit: paucis verbis: Clericus neque comam neque barbam nutriat. Intellige tu nisi ex iusta causa, scilicet, ex timore: immo detonso capite, & patentibus auribus incedere debet 23.dist.non liceat. Audi August. de malis clericis in libro de contemptu mundi. Quisquis igitur ad sortem Domini vocatus cum comam nutrit, & capillos radere, vel tondere erubescit, profectò non se de Dei, sed de mundi sorte testatur. Quanto enim quis crines plus fouet, tanto cor suum non in cælis, sed in terra fixum esse ostendit. Extirpetur igitur præsumptio talis, ne (quod absit) a Deo expellatur eius oratio. Hæc ille. Item Diu. Bernard. ad Eugenium Papam lib. 4. in fine, sic ait: Miror cuius ordinis sint vestri clerici: nam in congregatione temporalium habent se vt laici: in apparatu nobili, vt milites: in acquisitione redditUum, vt clerici, & tamen non laborant vt laici, nec pugnant vt milites, nec Euangelizant vt clerici. Et tamen vtriusque ordinis cupiunt esse, & vtrumque deserunt, vnusquisque in suo ordine resurget, isti vero in quo ordine, nescio. Cum tamen Deus, summè sapiens credatur, & nihil inordinatum relinquat. Qua in re timeo istos non alibi locandos; nisi vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hęc ille. Nota quod in primitiua Ecclesia tam homines quam mulieres nutriebant comam, & in vestitu erant quasi similes: sed D. Petrus præcepit vt homines non nutriant comam & mulieres incederent velato capite: ac habitus siue vestis amborum esset diuersa ait Io. Boemus de legibus gentium lib. 2. cap. 12.

In cap. Sexto ex Concil. Tiburien. etiam paucis verbis dicitur, quod clericus, qui non est in sacro ordine, nec est professus aliquam religionem, potest accipere vxorem.

In cap. Septimò scribit Alexan. tertius Archiepiscopo Cantuarien. quod clerici qui comam nutriunt, & barbā, etiam inuitis a suis Archidiaconis tōdeantur, ex quo cap. notatur quod clerici debent tonsuram deferre, & si nolunt possunt inuiti a suo superiori tonderi.

In cap. octauo isdē in Concilio Lateranen. ait: quod frequentans monasteria monialium, & monitus non desistens, si est clericus deponitur; si laicus excommunicatur. Casus. Quidā clerici Monasteria monialium, frequentabant: statuit Lateranen. Concilium, quod sine manifesta, & rationabili causa vlterius frequentare non præsumant: quod si fecerint, per Episcopum arceantur: & si non destiterint, ab officio suspendantur: si laici fuerint excommunicentur.

Ex hoc cap. tria notantur primum quod cum aliquis contra prohibitionem canonis facit, non sufficit ad hoc quod

quod excusetur causa rationabilis, nisi sit manifesta. Secũdum verbum frequentare, in vitium sonat. Tertium, crimen per quod excommunicatur laicus, deponit clericum.

In cap. nono, Greg. Papa Septimus agit quod Episcopus potest statuere in Ecclesia certum numerum clericorum, secundum ipsius facultates, qui viuant in communi, & contradictores ad hoc compellere: & istos in communi viuentes potest absoluere ab excommunicatione incursa, propter iniectionem manuum in socium. Casus. Quia tot clerici instituebantur in Ecclesijs, quod honestè de bonis ipsorũ non poterant commodè sustentari: statuit Greg. Septimus, vt secundum facultates Ecclesiarum, consideratis expensis, certus numerus clericorum statuatur in eis, & bona clericorum veniant in communi, & in vna domo comedant, & dormiant sub vno tecto: & si qui contra hoc statutum facere præsumpserint, per suspensionẽ officij, & beneficij ad hoc compellantur, & etiam si opus fuerit grauius puniantur: Secundò dicit quod si aliquis eorum, qui simul viuunt manus violentas in socium miserit, indulget Papa prælatis eorum, potestatem absoluendi eos, & pænitentiam imponendi: nisi forsitan attrocitas facti grauiorem pænam exigat.

Ex hac decretali tria notantur. Primum, quod secundum facultates Ecclesiarum clerici sunt instituendi in eis. Secundum, Canonici regulares de iure communi debent communiter viuere. Tertium, Cum regularis verberat regularem, Prælatus eius potest eum absoluere, nisi delictum sit enorme, vt dicitur in textu. &c.

In capit decimo, Innocent. 3. agit, quod Ecclesiastici iudices, & delegati, gratis iudicare debent, nec exigere possunt decimam, vel aliam quotam litis, etiam si hoc habeat consuetudo. Casus. Quidam iudices a Sede Apostolica delegati faciebant pactum cũ litigantibus super decima parte litis, vel etiam alia, secundum consuetudinem loci, more sæcularium, recipientes de hoc pignora pro salario, præter expensas victualium, non considerantes, quod ecclesiastici redditus ad hoc sint eis, vt inde honestè viuant; peruenit hoc ad notitiam Domini Papæ vnde mandat quod de cætero, ab his indebitis exactionibus debeant abstinere & gratis iudicium suum litigantibus debeant impertiri, eo non obstante quod quidam dicebant, quod illud faciebant nomine assessorum, cum nõ liceat iustum iudicium vendere, & venales sententiæ secularibus legibus improbentur.

Quatuor ex hac decretali notantur: primo, quod non solum a malo, sed ab omni specie mali abstinendum est. Secundum, expensæ possunt peti à delegatis, & hoc intellige cum proficiscuntur extra domicilium suum, cum expensæ hic non reprobentur. Tertium, Delegati, quibus beneficia sua sufficiunt, salarium accipere non debent, & multo minus ordinarij: sed gratis reddere iudicium. Quartum, Venales sententiæ nõ valent, ita quod appellare non est necesse.

In cap. vndecimo. Idem Innocent. ad Liuonien. Episcopum, & eos qui sunt cum illo fratres, ait: quod ad euitandum scandalum, possunt religiosi diuersi habitus missi ad prędicandum de nouo conuersis, se in vnum Superiorem habitum & propositum confirmare. Casus. Liuonienses de nouo conuersi erant ad fidem: datus fuit eis Episcopus, & quidã alij fratres ad prędicandum Euangelium: quia isti prædicatores dissimilem habitum habebant, murmurabant, & scandalum inter Liuonien. suscitabatur ex tali diuersitate: scribit Papa Episcopo Liuonien. & alijs fratribus, dicens: ne propter dissimilem habitum scandalum sciscitetur inter illos, quibus vnum Euange-

uangelium prædicant: mãdat eisdem, quod omnes se debeant conformare in vnum regulare propositum & honestum habitum, quantum spectat ad hoc officium non obstante eo, quod quidam illorum sunt monachi, quidam vero canonici regulares.

Duo ex hac decretali notantur, vnum, quod propter scandalum a iure receditur, & ab habitu regulari, sed istud fit ad tempus ex causa. Secundum, in ijs quæ spectant ad professiones authoritas Papę intelligitur excępta, sicut dicitur de iuramento.

In capit. duodecimo Isdem scribit, quod ludi theatrales etiam prætextu consuetudinis in Ecclesijs, vel per Clericos fieri non debent. Casus. quidam ludi qui dicuntur Theatrales fiebant in Ecclesijs, in quibus introducebantur monstra laruarum: propter quos ludos, honestas Ecclesiæ deformabatur: & presbyteri, & diaconi in quibusdam festiuitatibus, scilicet, Sancti Stephani, Sancti Ioannis, & Innocentum, ludibria sua exercebant; mandat Papa prædictam consuetudinem ludibriorum, immo potius corruptelam de prędictis Ecclesijs penitus extirpari: ne propter huiusmodi turpitudinem, honestas Ecclesiæ inquinetur. ex qua decretali elicitur, quod cõsuetudo inhonesta & turpis debet ab Ecclesia aboleri. De his, vide infra in festo Innocentum, in expositione Missali.

In cap. decimotertio Isdem in Concil. generali ait: quod Clerici debent continere, & castè viuere: contrafacientes punit: & seuerius puniuntur illi, qui possunt legitimo matrimonio vti. Casus. In prima parte huius capitis statuit Concil. Lateranen. quod Clerici mores, & actus suos reformẽt in melius, & viuant castè, & præcipuè in sacris ordinibus constituti ab illo vitio præcauentes: propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ. Secundo dicitur ne facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi, statuit, vt qui depræhensi fuerint vitio incontinentiæ laborare, puniantur secundum canonicas sanctiones, prout plus vel minus peccarint, vt quos timor diuinus à malo non reuocat, pęna temporalis compescat: & si quis propter hoc suspensus, diuina pręsumpserit cęlebrare, ecclesiasticis beneficijs spolietur & etiam pro duplici culpa perpetuo deponatur: prælati vero qui tales sustinuerint in suis iniquitatibus, & præcipuè obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari pœna puniantur. Illi vero qui matrimonio possunt vti secundum morem regionis suæ: si lapsi fuerint, grauius puniãtur. Hoc dicitur propter orientales qui vtuntur matrimonio iam contracto, & in sacris ordinibus de Clerici coniugat. olim.

Quinque ex hac decretali eliciuntur; primum, quod aliqui puniuntur, vt cæteri similia facere pertimescant. Secundum, Qui plus peccat, plus debet puniri. Tertium. Quos timor Dei a malo non reuocat, pœna temporali puniantur. Quartum, Qui suspensus ab homine cælebrat diuina, debet deponi. Quintũ. Agentes & consentientes pari pœna puniri debent.

In decimoquarto ca. Idem in eodẽ Conc. ait: quod Clericus crapulosus, vel ebriosus, monitus, non desistens, ab officio vel beneficio suspenditur. Casus. Primo dicitur quod Clerici abstinere debent a crapula, & ebrietate, & vinum sibi temperare; & se, vino. Secundò dicitur, quod non inuitent se ad inuicem ad bibendum: quia ebrietas vitium libidinis est, & mentis exilium. Tertiò dicitur, quod non inuitent se ad ęquales potus, ut qui plus bibit laudetur. Quartò dicitur, quod tales, nisi cessauerint, suspendantur ab officio & beneficio.

Ex qua decretali tria colliguntur: primum quod Clerici debent fle[illegible] ebrij. Secundum ebrietas parit vitium libidinis, & mentis exilium in[illegible]ucit.

Ter-

Tertium, æquales potus sub pœna officij, & beneficij prohiberi debent. Nota quod crapula dicitur quantum ad superfluitatem ciborum: & dicitur crapula, quasi cruda epula. Ebrietas quantum ad potum. Et dicitur ebrietas ab, e, quod est sine, & bria quod est mensura: quod est dicere: bibere sine mensura.

In cap. decimoquinto scribit Isdem in eodem Concil. ac præcipit Clericos abstinere a negotijs, personis, locis, ludis, vestibus inhonestis, & ornatu minus honesto, & habitu honesto vti: cuius vanitatem in pluribus exprimit & detestatur. Casus. In hac constitutione ponuntur quatuordecim articuli, scilicet, quod Clerici officia secularia non exerceant, nec sint ioculatores, nec intrent tabernas, nisi ex iusta causa, nec ludant ad talos, nec huiusmodi ludis intersint, coronam habeant congruentem, clausa deferant desuper indumenta, in longitudine, & breuitate decentia, pannis rubeis & viridibus non vtantur, sotulares, & manicas, non habeant computicias, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis non vtantur, cappas manicatas ad diuinum officium non gerant, nec alicubi qui sunt in Sacerdotio & personatibus constituti, nisi ex iusta causa, scilicet, timoris: tunc licet transformari. Fibulas omnino non ferant: neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes: vel annulos, nisi quibus competit ex dignitate, secundo dicitur, quod Pontifices habeant in publico superindumenta linea: nisi sint monachi qui habitum semper habebunt monachalem, pallijs diffibulatis non vtantur in publico, nisi post collum, vel ante pectus connexi. Nota quod quicquid est in hac constitutione, notabile esse. Vbi aduerte, quod causa quare prohibent negotia clericis potest esse quia vix sine falsitate exercentur: audi Bernar. contra malos Sacerdotes. O Sacerdos os tuum efficitur quotidie sepulcrum Christi, quomodo ergo ex ore tuo egreditur falsitas, per quod ingreditur eterna veritas? quomodo oculi tui vident vanitatem, qui vident summam deitatem? quare manus tuæ extendũtur ad illicita, quæ tenent tenentẽ omnia? quare te ingurgitas ebrietate, qui semper esse debes plenus Deo, & omni sanctitate? hæc ille. Et faciunt ad rem huius decret.

In cap. vltimo Honorius Papa Tertius scribit Episcopo Ambianen. quod clericus qui tertio monitus vt a negotiationibus secularibus se abstineat, & non abstinet, interim perdit quo ad bona priuilegium clericale. Iste textus quotidie allegatur, & est multum notabilis. Casus. In terra Comitis Pontini erant quidam Clerici, qui potius se intrudebant negotijs secularibus quam diuinis officijs: isti volentes gaudere priuilegio clericali, nolebant subiacere statutis patriæ: sed quando statuta illa pro se faciebant, tamquam laici statutis illis se volebant defendere. Iste Comes Pontinus significauit hoc Domino Papæ, vnde mandat Papa, Episcopo Ambianen. vt clericos illos moneat tertio: & si non se correxerint, & prætermissis officijs Diuinis, talibus negotiationibus se immiscuerint, non defendat eosdem, quo minus de facultatibus suis subiaceant statutis patriæ, dum talibus se implicant: quia ipso facto renunciant priuilegio clericali.

Ex hac decretali nota quod vsque ad tertiam admonitionem gaudent clerici priuilegio clericali. Secundò nota. Ipso facto renuntiat quis priuilegio suo. Tertiò clerici clericaliter viuentes in rebus proprijs debent defendi ab Ecclesia: quod est bene notandum. Ecce totus titulus de vita, & honestate clericorum: qui volunt ergo accedere ad ordines bene considerent ea quæ dicta sunt in hoc titulo, si possunt, & velint obseruare. Nunc restat

videre

videre secundum titulum ex eodem lib.3. scilicet, de cohabitatione clericorum, & mulierum, vt non ignorent quomodo se habere debeant in huiusmodi cohabitatione, cum quidam putant & faciant sibi aliqua licita, quæ minimè licent clericis.

De cohabitatione Clericorum, & Mulierum. Cap. 34.

QVoniam mulierum consortia reddunt vitam Clericorum de incōtinentia suspectam: ideo post præceden. tractatum subijcitur iste qui continet decem capita; primum caput est ex Concil. Maguntino. Summa capituli est talis Clericus non debet tenerè in domo mulierem suspectam de incontinentia, etiam si sit mater, vel alia consanguinea. Casus. Clerici indifferenter retinebant secum mulieres etiam suspectas: statuit Concil. Magunt. vt clerici secum fęminas non retineant, de quibus suspicio possit haberi, nec etiam illas quas canones permittunt, scilicet, matrem, amitam, & sororem: quia diabo'o instigante, in illis scelus quandoque perpetratur, vel cum illis, quæ cum eis morantur, sed si qua de his habet necessitatem, eis longè ab Ecclesia, necessaria ministrent. In fine dicit quod nulla fęmina ad altare accedat, vel ministret presbytero, nec infra cancellos sedeat vel stet.

Ex hac decretali notantur tria. Primum est quod clericus nullam fæminam secū habere debet in domo sua. Secundum præsbyter de rebus Ecclesiæ potest matri suæ prouidere, aut etiam sorori, siue consanguineæ. Tertium. Nulla fæmina debet ministrare præsbytero, nec in choro sedere.

In capit. secundo qui est Eugenij Papæ, excommunicatur clericus in sacris, qui à suspectarum mulierum colloquia vel earum consortio monitus non desistit. Casus. Si quis de clero suspectus fuerit de aliqua fæmina crimine fornicationis, admoneatur tertio: & si post primam, secundam, & tertiam cōmonitionem inuentus fuerit fabulari cum ea, vel conuersari, excommunicetur, fæmina vero canonica pœna puniatur.

Ex hac decretali nota primò, quod hic nomine Sacerdotis omnes inferiores intelliguntur. Secundò, Trina admonitio est necessaria antequam procedatur contra aliquem. Tertiò, Ratione criminis efficitur mulier de foro Ecclesiæ.

In cap. tertio qui est Alexan. Tertij ad Archiepiscopū Saler. scribit, quod non debet Prælatus, Clericum cogere ad concubinam abiurandam: sed eam nolentem dimittere potest excommunicare. Casus. Clerici quidam publicè tenebant concubinas: quæsitum fuit an deberet compelli abiurare illas? Respondit Papa quod non vult illos ad eas dimittendas compelli per iuramentum, ne instinctu diabolico incidant in periurium redeūdo ad eas: sed per sententiam suspēsionis & interdicti, eas dimittere cōpellātur, ita quod de eis nulla habere possit suspicio, & si ad eas redierint, vel alias receperint, excommunicentur donec eas dimittant, vt eorum exemplo alij arceātur.

Tria notantur ex hac decretali: Primò, quod non debent aliquis compelli ad abiurandum de quo præsumptio sit in contrarium, scilicet, quod non seruet iuramentum: & hinc surgit illud generale. Nemini parandus est laqueus. Secundò, crescente contumacia, crescere debet, & pęna. Tertiò, Aliquando pæna imponitur alicui, vt alij terreantur: quia pęna vnius, debet esse metus multorum.

In cap. quarto Isdem scribit Archiepiscopo Contuarien. & eius suffraganeis, quod si clerici moniti concubinas non dimittunt, suspendantur a beneficijs, & si se non corrigunt deponuntur. Casus. Clerici de Archiepiscopatu Contuarien. publicè tenebār

N con-

concubinas: mandat Papa Archiepiscopo Contuarien. & eius suffraganeis quatenus clericos illos moneat, vt illas concubinas abijciant a se, & eas vlterius non admittant: quod si facere contempserint, ab Ecclesijs suis eos suspendant vsque ad debitam satisfactionem, & si eas suspensi retinuerint eos ab officio, id est, ab eisdem Ecclesijs perpetuo remoueat.

Nota quod non solum concubinas tenere, malum est, sed etiam adire domum mulierum. Vnde dicitur, quod si clericus vult ire ad domum alicuius feminæ, melius vadat cum alio quam solus: ne si ceciderit non sit qui subleuet eum. cap. in omnibus 81. distinct. quia melius est duos esse simul quam vnum. 7. quæst. 1. illud. Nam Adam dum solus fuit non peccauit. Duo in hac decretali notantur; vnum quod Episcopi possunt dispensare cum publicis concubinarijs, si se corrigere voluerint cum de iure possint promoueri. Alterum est, quod si clericus suspensus retinuerit concubinam beneficio suo perpetuo debet priuari.

Idem Eboracen. Archiepiscopo scribit in cap. quinto, quod literæ a clerico concubinario suspenso super absolutione (tacitè facta serie) obtenta, non valent. Casus. Quidam Sacerdos, habebat pulicè concubinam, monitus a suo Episcopo, eam dimittere nolebat: propter quod Episcopus eum ab officio suo suspendit: ipse appellauit ad sedem Apostolicam: Eboracensis Episcopus significauit hoc Domino Papæ: respondit Papa, quod si dictus Sacerdos literas impetrauit, quæ facti seriem non contineant, literæ non valebunt.

Ex hac decretali duo notantur: Primò, notatur quod clericus concubinarius auditur appelãs. quod verum est de occulto. Secundò, Notatur, quod ad hoc quod literæ appellationis, quæ super aliquo negotio impetrantur, valeant, facti seriem continere debent, alias tacita veritate impetratæ, nullæ sunt.

Idem Londoniensi Episcopo scribit in capitulo sexto, dicens; quod si clerici moniti non dimittunt concubinas, suspenduntur a beneficijs: & si se non corrigunt deponuntur. Casus. Clerici Londonien. Episcopi habebant publicè cõcubinas, quęsiuit Episcopus qualiter deberet procedere circa illos: Respond. Papa, dicens, quod in quibuscumque ordinibus sint constituti, si admoniti secundo, & tertio eas non dimiserint, eos de cætero non permittat ministrare in Ecclesijs suis, vel earum portionibus appellatione remota spoliare procuret, officio eis nihilominus interdicto. Nota quod hic additur de clericis inferioribus, quod si post tertiam admonitionem concubinas non abiecerint, beneficijs debent priuari ac suspensionem incurrere, & sic nota quod trina admonitio debet præcedere vindictam.

In septimo autem cap. Lucius Papa Tertius statuit in hac decretali, quod à clerico fornicario quamdiu toleratur, nec habet operis euidentiam licitè audiuntur diuina, & percipiuntur Ecclesiastica Sacramenta. A notorio vero abstinendum est, non quia in Sacramento sit defectus, sed ad ipsorum fornicatorum emendationem hoc dicitur inhærendo verbis literæ. Casus. Quidam canonici dicunt: nullus audiat Missam Sacerdotis, quem scit cõcubinam indubitanter habere: alij canones dicunt. Non potest aliquis quãtumcumque pollutus diuina Sacramenta polluere, sed indifferentes sunt sumenda ab ipso; quæsitum fuit a Lucio Papa, qualiter ista, quæ contraria videbatur essent intelligenda. Et respondet Papa, aliud est crimen notorium, aliud occultum. Notorium est de quo præsbyter canonicè condẽnatus est: in quo casu legitur caput illud, nullus audiat, &c. Occultũ, quod ab Ecclesia toleratur, i quo casu loquitur illud,

aliud, non potest aliquis, quantumcumque pollutus &c. Item, aliud est notorium quod non diffitetur præsbyter, & aliud pené occultum quod ab Ecclesia toleratur. Sed aliud est abstinere a Missis eorum, qui occulti sunt, & tolerantur ab Ecclesia, vt peccandi licentia cæteris auferatur, & ipsi ad pænitentiam reuocentur: & hoc licet, quia fit bono zelo, & non contemptu; & aliud est si a missis eorundem qui tolerantur, aliqui abstineant ex eo quod in fornicatione iacent quod non licet. Sine dubio a clericis quamuis fornicarijs ex quo tolerantur ab Ecclesia, nec habent operis euidentiam, licité officia audiantur, & alia recipiantur Ecclesiastica Sacramenta.

Ex hac decretali hic solum colligitur quod a notorio fornicario nó sunt audienda diuina officia, nec recipienda Ecclesiastica sacramenta: ab occultis fornicarijs qui tolerantur ab Ecclesia, licité recipiuntur, nec sunt cótemnendi. Hic notatione dignum est, quod notorium, manifestum, & fama differunt. Fama quandoque ex scientia, quandoque ex suspicione procedit, quandoque ex certo, quandoque ex incerto authore, vt de consec. dist. 4. Sanctum. in fine. Manifestum, est quod semper ex scientia, & ex certo authore procedit, & quod potest probari, vt ff. de testi. hæredes palam. Item quandoque dicitur occultum, quod potest probari. C. de ap. eos. §. 2. & occultum dicitur quod quinque sciunt, vt de pœn. disti. 1. §. hæc ergo secreta. Notorium, dicitur manifestum quod patet vel per confessionem, vel per probationem, vel per euidentiam rei, vt extra de verb. signifi. cum olim. Notorium est triplex, notorium facti, notorium iuris, & notorium præsumptionis. Notorium facti, est, quod exhibet & offert se omnium oculis, idest, quod ita habet euidentiam facti, quod non potest negari, supple probabiliter: vt extr. de cohabitatione clericorum, tua, & in tali non auditur appellans. extr. de appellat. cum sit Romana. Et creditur simplici assertioni officialis. vt 4. q. 4. §. aliquando. Nec requiritur hic scientia omnium, sed plurium. vt 2. q. 1. de manifesta. Notorium iuris, est de quo aliquis est condemnatus, vel confessus, tamen in hoc notorio quãdoque contra negantem se esse conuictum, requiritur probatio, vt extr. de sentent. & re iud. sicut. Idem, quandoque non sufficit, quod quis sit confessus nisi sit confessus, & conuictus, vt 2. q. 6. §. Sunt etiam quorum. verb. in occultis. Notorium præsumptum, est vt si aliquis publicé habitus est pro filio alicuius, ibi nó requiritur aliquis ordo iuris, vt extr. de filijs presbyterorum. Michael. Hoc enim quod quis sit alterius filius non potest veré probari, vt. ff. de condi. & demon. Lucius. Sed potius per præsumptiones.

Innocentius Papa Tertius in cap. octauo Exon. Episcopo scribit, quod si fornicatio clerici est ita publica quod transit in notorium, nec accusator nec testis necessarius est: sed si est publica per solam famam, non sufficiant ad condemnationem sola testimonia, idest, testium dicta non iuratorum: sed si ex hoc orietur scandalum, inducitur purgatio: in qua deficiens canonicé punitur. Casus. Quidã clerici habentes concubinas, quando interrogabantur ab Episcopo suo, negabant se concubinarios esse, & circa eos non apparet accusator: quærebatur vtrum credendum sit testimonio bonorum virorum, inter quos huiusmodi clerici conuersantur? Respon. Papa, quod si crimé est ita publicum, vt merito dici possit notorium, tunc nec testis nec accusator sunt necessarij, cum inficiari non possint. Si veró publicum est, non ex euidentia, sed ex fama, tunc talia testimonia non sufficiunt ad condemnationem alicuius,

quia testibus non testimonijs credendum est: sed si de illis talis habeatur suspicio, quod scandalum generetur, illis est purgatio indicenda: quam si præstare noluerint, vel defecerint in præstando, canonicè puniantur.

Quatuor ex hac decretali notatur, primò, quod in notorijs facti, non est necessaria probatio. Secúdò Testibus credendum est, non testimonijs. Testes dantur cum iuramento, testimonia autem sine illo. Tertiò. Qui deficit in purgatione, punitur, & tunc fama pro veritate accipitur præsumptiuè. Quartò deficere in purgatione, & non subire purgationem, paria sunt, quia in vtroque casu quis deponitur.

Idem in cap. nono Pistorien. Episcopo scribens præcipit Papa illi quod non permittat mulieres cum clericis habitare, nisi tales sint, cum quibus naturali fædus nihil mali suspicari permittat, vt est mater, soror, & amita. Ex qua decretali notatur quod naturale fædus excludit suspicionem.

Gregorius verò Papa nonus in cap. vltimo decreuit quod clericus concubinarius in officijs vitandus non est, nisi sit notorius. Casus. Aliqui clerici prolapsi sunt in fornicationem, quæsitum fuit a Papa vtrum eorum officiũ sit audiendum, antequam pæniteant. Respon. Papa, quod licet quilibet suspensus sit pro mortali peccato, quo ad se, quantum ad alios tamen suspensus non est, & ideo non debet in officijs euitari, nisi peccatum illud notorium sit; vel per confessionem in iure factam; vel per euidentiam facti, quæ negari non possit: Nota per hanc decretalem, quod quilibet pro peccato mortali suspensus est quo ad se. Secũdò. Nota quod Notorium tribus modis dicitur, vt hic patet: hæc ergo tria consideranda sunt antequam quis ad ordinem accedat: & ad hoc vt cogitet quale onus, sit ipse suscepturus. Domus autem clericorum apud Ecclesiã esse debet. Olim canonicis & etiam hodie multis in locis in claustris iuxta Ecclesiam erat communitas vitę, atque victus. de consec. dist. 5. ita & de Presbyteris dicendum est. Apud Iuonem par. 6. in Concil. Meldens. cap. 184.

De Examinatoribus, Scrutinio, & Examine. Cap. 35.

CLerici antequam promoueantur examinandi sunt vt patet ex Apostolo 1. ad Timot. 3. vbi sic ait: Hi probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Et ibidem cap. 5. Manus nemini cito imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Et 2. ad eundem cap. 1. ait: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui tibi: & inde de scrutinio, & examine nonnulla dicendum est iuxta Concilij Tridentini formam: sed quoniam si sunt ordinandi oportet vt etiam adsint examinatores; ideo vt securè procedamus, decretum prædicti Concilij de examinatoribus, & de officio illorũ fideliter & sincerè exercendo, ponemus: nempe. ex sess. 24. c. 18. de reformatione circa medium verba sunt hæc.

Examinatores autem singulis annis in diœcesana Synodo ab Episcopo, vel eius Vicario ad minus sex proponuntur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur.

Adueniente que vocatione cuiuslibet Ecclesiæ, tres ex illis exigat Episcopus qui cum eo œxamen præficiat, indeque succedente alia vocatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat.

Sint verò hi examinatores magistri, seu Doctores, aut licentiati in Theologia, vt Iure canonico, vel alij Clerici, seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares,

tes, qui ad id videbuntur magis idonei, iurentque omnes ad sancta Dei Euangelia se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caueantque ne quicquã prorsus occasione huius examinis nec ante, nec postea aliquid accipiant. Alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quã alij dantes, incurrant, a qua absolui nequeant, nisi dimissis beneficijs, quę quomodocumque etiam ante obtinebant, & alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam Synodo prouinciali, si opus fuerit rationem reddere teneantur, a qua, si quid contra officium eos fecisse compertũ fuerit grauiter eius arbitrio puniri possint. Hæc ibidem.

Scrutinium autem, & examen idẽ sunt. Scrutinium tamen se extendit in plus cum sit duplex, vt iam patebit. Scrutinium autem secundum Hostiẽsem lib. 1. Rub. 12. Nihil aliud est quã inquisitio, seu examinatio facta per illum, ad quem spectat. Nam si fiat per alium non valet Scrutinium c. 1. de off. fic. legat. cap. licet. & Concil. Trid. sess. 24. c. 16. de reformatione Nisi forte fiat non ad præiudicandum, sed ad instruendum, & approbandum per superiorem, de appellat. cap. constitutis.

Dicitur autem Scrutinium secund. Hostien. ibidem a scrutor, aris: quia ille qui examinat ordinandos, scrutatur, siue interrogat. Est enim Scrutinium duplex vt dicitur ibidem. §. 2. vnum quod fit ante ordinationem: quod diligenter faciẽdum est, de elec. cap. nihil est. §. Episcopi. & Concil. Tridentinum sessione vigesimatertia, cap. 5. de reformatione, & hoc etiam dicitur examen. Aliud est quod fit in ipsa ordinatione, scilicet, ante altare, quando ordinandi Episcopo præsentantur. Et in hoc se extendit Scrutinium, quod non se extendit examen, cum non dicatur examen hoc, quia ad altare non examinantur.

Scrutinium primum secũdum Hostien. ibidem. §. 3. debet fieri feria 4. proxima ante Sabathum, in quo ordines celebrantur. Concil. Trid. ibid. c. 7. & de iure communi secundum Host. ibid. §. 4. debet fieri per Archidiaconum. de Archidiac. officio. cap. ad hæc, & cap. ad nostrum, sed per Concil. Trid. fit per personas ab Episcopis deputatas: vt supra in principio huius cap. patet.

Forma primi Scrutinij secundum Hostien. ibidem §. 5. est quod per tres continuos dies Sabbathum pręcedentes ordinandi diligenter examinentur de genere, de patria, de ætate, de institutione, id est, de titulo ad quem ordinãtur: de loco in quo conuersantur, de scientia; de fide. Concil. Trid. sess. 23. c. 5. & 7. de reformat. & sic in Sabbatho qui probati sunt, Episcopo præsententur. dist. 24. c. quando Episcopus, & hæc est forma etiam examinis.

Forma verò secundi Scrutinij est secundum eund. ibidẽ. §. 5. quando Archidiac. ait: postulat sancta mater Ecclesia vt hunc diaconum ad onus presbyteratus assumi, &c. & interrogãte ordinatore, scis eum esse dignũ? Et ipse respondet: scio, & testificor illum esse dignum ad hoc onus, quantum humana fragilitas nosse sinit. Vnde in tali responsione non peccat Pręsentator dummodo non loquatur cõtra conscientiam, quia qui nescit indignum debet pręsumere dignum. de præsumpt. 1. dudum. Quod si Archidiaconus sciret indignum scientia certa, studeat nuntiare ordinatori secreto, antequam veniat ad hoc scrutiniũ. Eod. tit. c. 1. & si ordinator nollet desistere, debet se absentare, si posset bono modo: si non potest sine scandalo debet dicere verba vt minister Ecclesiæ, qui non iudicat de occultis, quia nullo modo debet fratris crimen publicare.

Examen

Examen autem ex Concil. Triden. sess. 5. c. 1. & 2. de reformat. & sess. 24. ca. 18. est mediũ ad idoneos ministros in Ecclesia tum eligendos, tum constituendos. Vel. Examen est ianua per quam ministri ad Ecclesiasticas functiones, & gradus introducũtur. Vel. Examen est apta inquisitio ad iudicãdum de scientia, & idoneitate alicuius, de quo consulatur, an debeat ad aliquid ministerium destinari.

Efficiens causa examinis quoad institutionem, est Ecclesia; Quoad executionem, est Episcopus & alij ab ipso deputati. Ex eodem Concil. sess. 23. c. 5. & 7. de reformat.

Materia autem remota examinis, est examinatus; scientia, & idoneitas est proxima materia. Est enim differentia inter scientiam, & idoneitaté, quia scientia dicit cognitionem, idoneitas verò præter cognitionem: dicit quoque plures aliàs habilitates veluti legitimam ætatem, bonos mores, & similia. Debet autem examen esse de vtroque ex eodem Concil. Sess. 24. cap. 18.

Forma examinis est apta inquisitio, vt possit fieri iudicium de scientia, & idoneitate alicuius, & hæc inquisitio non fit eadem ratione de scientia, & idoneitate. Quoad scientiam enim interrogatur promouẽdus. Quoad idoneitatem sæpè alij ab ipso examinantur. De vita enim, moribus, & ætate ab alijs fit interrogatio. Ex Concil. ibidem, & sess. 23. c. 5. & alibi.

Finis examinis aliter debet considerari respectu Ecclesiæ, quæ illud instituit, aliter respectu examinatorum, qui illud exercent. Finis Ecclesiæ est, vt idonei ministri eligantur, non idonei repellantur, & vt clerici hac ratione ad discendum impellerentur. Finis examinatorum est cognoscere, & iudicare an examinatus sit idoneus ad aliquod munus obeundum, vel si plures examinati sunt, quis sit magis idonus. Vel. Finis est approbare, vel reprobare. ex Concil. Triden. sess. 24. cap. 18.

Sed quid faciendum si quis sine examine fuerit ordinatus? Resp. Host. ibidem §. 6. quod ordinatus sine examinatione, si sit dignus, & notus, non est peccatum quia tales non sunt examinandi. 24. dist. c. nullus, vbi sic dicitur. Nullus ordinetur clericus nisi probatus fuerit, vel Episcoporum examine, vel populi, & Glos. ibidem ait; hic habes quod testimonium populi æquiualet examinationi. Vnde sufficit quod clericus ordinandus habeat famam per se: & per hoc etiam patet, quod noti non sunt examinandi: sed tantum ignoti. 47. dist. de Petro. 94. dist. valdè. Extr. de præsumpt. mandatas. Si verò sit indignus quamuis notus, deponendus est, quia crimen suum non prodidit. de corpor. vitiat. c. Exposuisti. Et similiter si sit dignus, sed ignotus. 24. dist. cap. vlt. & intelligitur de graui crimine quod impedit promotionem, vel executionem. 68. dist. c. 1. Hæc itaque omnia discãt qui cupiunt ad ordines promoueri, & inter clericos connumerari, & non tantum supradicta, sed etiam de nouo dicenda inferius in fine huius primi libri, scilicet, de scientia ordinandorũ: deinde de scientia præficiendorum.

De Ordinibus Ecclesiasticis.
Cap. 36.

CLeros & clericos (ait, Isidor. lib. 7. Etymolog. cap. 12. & habetur 21. dist. cap. 1.) hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos credimus ordinatum vt patet. Act. 1. ergo hoc nomẽ a Matthia incæpit sic enim omnes quos illis temporibus Ecclesiarum principes ordinabãt, sorte eligebant. Propter hoc autem dicti sunt clerici a cliros Græcè quod est sors, seu hæreditas, Latinè, quasi sint de sorte Domini, vel quasi Dominus eo-

rum

rum sors sit. Ideo etiam dicitur num. 18. Dominus ait: ego hæreditas eorũ. & Psal. 15. Dominus pars hæreditatis meæ, &c. 12 qu. 1. Clericus. Vnde oportet, vt qui Deum hęreditate possident absque vllo impedimento sæculi Deo seruiant. ex hoc manifestum est quod clerici nihil extra Deum habere debent, sed solum Decimas, Primitias, & Oblationes, (quæ sunt hæreditates Domini) accipere possunt, & sint pauperes spiritu, vt dicere queant Dñs pars, &cet. In veteri testamento, & apud gentiles, clerici & Sacerdotes sorte, & libris eligebantur, & in nouo testamento Matthias est electus. vnde vers.

Sors Cleros Græcè, Sortieur clericus inde.

Primus autem clericus factus est Diuus Petrus. Iginus Papa decimus a Beato Petro composuit clerum, & etiam distribuit gradus. Si quæratur cur ordinentur. Respon.

Ordinantur autem clerici, vt Deo seruiant, nec de cetero seruiant mundo. Debent (stante hoc,) offerre corpora sua Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, & ideo clerici seculares cum statim habent 18. annos debent interrogari ab Episcopo an velint continentiam profiteri vel non (vt habetur 28. dist. de ijs) quia possunt habere beneficia licet non prælaturas. Ordinantur in quatuor temporibus, quia Sacerdotes, & alij clerici locum in Ecclesia obtinent, quem Leuitæ in populo Israel obtinuerunt, quos sicut in lib. Numerorum legitur cap. 3. Dominus pro primogenitis recepit, & eos in Ægypto dum primogenita Ægyptiorum interficerentur custodiuit: primogenita vero quasi quędam primitię sunt. Vnde quasi primitias Domino offerimus cum aliquem ad sacros ordines consecramus.

Conueniens igitur est vt in primitijs temporum, scilicet, in quatuor temporibus, primitias hominum offeramus. Quod in his quatuor temporibus fiunt ordinationes publicè, habetur 75. distinct. ordinationes: in quo capite ponuntur hæc duo Sabbatha, scilicet, Sabbathum medianæ hebdomadæ, in qua cantatur, sitientes, & Sabbathum sanctum: intellige de ordinationibus publicis, & sacrorum ordinum: quia minores conferri possunt omni tempore anni, priuatè tamen, & non publicè, scilicet, ordinando vnum vel duo, & hoc in festis, non in ferialibus diebus. Item ideo in quatuor temporibus, vt quatuor virtutibus exornentur: & sub quatuor Euangelijs seruire Christo, & Ecclesiæ moneantur. In Vere vt virtutibus florcāt. In Æstate vt fructus afferant. In Autumno vt fructus bonorum operum metant. In Hyeme, vt collectos conseruent in horreo: & eis fruantur in Domino. Ideo autem potius in Sabbathis quatuor temporum, quam in quartis, vel sextis ferijs fiunt ordinationes, quia illa dies Spiritui sancto consecrata est, cuius dona in ordinibus recipiuntur. Præceptum est enim priori populo Sabbathum cælebrare, ad hoc vt esset figura sanctificationis Spiritus sancti. Vnde Exod. 16. Requies Sabbathi sanctificata est Domino: & 31. Custodite Sabbathum meũ, &c. Et est tertium decalogi præceptũ. Decalogus a deca idest decem, & legos sermo .i. decem locutiones, siue sermones. Præterea numquam legimus in Genes. 2. sanctificationem fieri per omnes priores dies: sed de Sabbatho solum dictum est. Sanctificauit Deus diem Sabbathi.

Ordinatio autem, quæ fit in Sabbatho, sequentis diei est. Figurat enim Sacerdotes ordinatos esse ministros diuersorum Dominicorum Sacramétorum. Ideo fit hora nona, quia iam illud tempus ad Dominicum diem, scilicet, Resurrectionis intelligitur perti-

pertinere. 75. distinct. quia patribus. extr. de tempor. ordinat. literas. Ordinandi enim ad Christi similitudinem Sabbatho Ressurrectionis intelliguntur. Congruè igitur in hac die, scilicet, Dominica celebrantur ministeria Sacerdotalium benedictionū, in qua sunt collata Charismata gratiarum, in ea Dominus Ressurexit, in ea Apostolis insufflauit, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Ioan. 20. In hac promissus Spiritus sanctus venit. Rectè ergo ad eam benedictiones Sacerdotales dirigimus, vt cum Apostolis hylariter cantare possimus; Veni sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, scilicet, ordinatorum.

Fiunt etiam ordinationes in hebdomadâ quarta Quadragesimæ, cùm cătatur, sitientes venite ad aquas. 85. distinct. cap. fin. 73. cap. principali. 16. quæst. 1. in parochijs. & etiam in Sabbatho Sancto. de quibus dicitur infra in illis diebus. Verumtamen vsque ad tépora Simplicij Papæ, Romani Pontifices, dicuntur semper in Decembri cælebrasse ordines. Vnde etiam in Breuiario hoc sæpè inuenitur.

Solus Romanus Pótifex potest Subdiaconos facere in diebus dominicis. extr. de tempo. ordin. cap. 1. Alij Prælati possunt in diebus Dominicis solum minores conferre & virgines cōsecrare. Si autem propter vrgentem necessitatem in die Dominica ordinatio fiat: quia fortè non potuit perfici in Sabbato, debet hoc fieri ieiunio cōtinuato tam ab ordinando, quam ab ordinatore: quia tunc propter constitutionem ieiunij fingitur vna dies. extra. de tempor. ordin. capit. literis. 75. distinct. quod patribus. & capitul. sequenti.

Sed quare ab Apostolo in Epistolis solum Sacerdotes, & Diaconi nominantur? Dicendum, eo quod ipsi præcipuè in ministerio Altaris necessarij sunt. Cæteri vero ordines postea adiecti sunt, pro vtilitate ministerij: quia propter multitudinem credĕtium ritè per illos non poterat adimpleri. Vnde, & secundum Ambros. illorum ordinatio circa altaria celebrantur: & pro eis Episcopus ante Altare prosternitur. Alij vero nequaquam, ita se habent circa Altare, sed alia officia implent, siue legendo siue cantando, siue alia seruitia faciendo; neque pro eis Episcopus prosternitur.

Omnes tamen quærūt faciem Prælati, idest, præsentiam Domini vt valeant in primogenitis hæreditare, ad instar Iacob qui sibi fratris primogenita emit,

Romanus Pontifex cælebriter missarum solemnia agens, sex habet secum ordines Clericorum, scilicet, Episcopos, Præsbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolitos, & Cantores ipso numeri Sacramento perfectionem huiusmodi officij manifestans. Nam senarius numerus perfectus est eo quod redditur ex suis partibus aggregatis. Vnde sexto die perfecit Deus Cælum, & terram, & omnem ornatum eorū. Et quum in plenitudine temporis sexta venisset ætate, sexta quoque die, sub hora sexta, genus redemit humanum.

Sex ordines ministrorum fuisse in veteri testamento legimus, videlicet, Pontifices, Sacerdotes, Leuitas, Nathinæos. Ianitores, & Psallentes: quos ex maiori parte distinxit Artaxerses in Epistola quam direxit Esdræ scribæ, dicens: notum facimus de Sacerdotibus vniuersis, & Læuitis, & Cantoribus, & Ianitoribus, & Nathinæis, & Ministris domus Dei, vt eis vectigal, tributum, & annona, nullatenus imponatur. Hinc fit siue cautū est quod Ecclesiastici nunc sunt exempti ab his.

Ordines vero Ecclesiasticos Siluester Papa enumerat 23. distin. a subdiacono & 12. quæst. 7. clericus. dicens: Pontifici, Præsbyteri: Presbytero, Diaconus.

conus; Diacono, Subdiaconus; Subdiacono, Acolitus: Acolito, exorcista: Exorcistæ, Lector; Lectori, Ostiarius: Ostiario, Abbas, Abbati, Monacus, in omni loco obsequium repræsentant.

Septem cum sint ministri regulariter, scilicet, Ostiarius, Lector, &c. quare conuenit adhibere tot ministeria? Respond. Concil. Trident. sess. 22. capit. 2. propter duas rationes: quarum primam sic explanat. Cum diuina res sit tam sancti Sacerdotij ministerium, consentaneum fuit, quod dignius, & maiori cum veneratione exerceri posset, vt in ordinatissima Ecclesiæ dispositione plures, & diuersi essent ministrorum ordines, qui Sacerdotio, ex officio deseruirent. Aliam vero rationem tangit his verbis, quæ immediatè sequũtur; Ita distribuit; vt qui iam clericali tonsura insigniti essent; per minores ad maiores ascenderunt. Vbi clare, & aperte dicit tot ordines & ministros dari. Quia magno Domino, idest, Deo, & magno Ministerio exhibito illi nempè sacrificio vnigeniti filij sui, multitudo ministrorum conueniens est, sicut in aulis Regum videmus: similiter cum homo sit vilis creatura non debet ad tantum ministerium nisi per gradus promoueri.

Isti ordines, aliquo modo conueniunt inter se, & aliquo modo differunt. Conueniunt. Primò, quia omnes sunt ordines. Secũdò, omnes quatenus ordines sunt (vt iam dicetur) sacri etiam existunt: & Sacramenta dici possunt. Tertiò omnes imprimũt characterem, & gratiam conferunt, nisi ponatur impedimentum. Quartò constituũt singuli vnum ministrum.

Differunt primo, quia singuli ordines conferunt gratiam, & characterem, sub ratione speciali & sibi propria. Horum igitur ordinum quidam, inquam, sunt sacri qui, & ita vocantur vt diximus, & alij non sacri.

Item, septem isti ordines non sunt plura Sacramenta, sed vnum ait Concil. Trident. sess. 7. cap. 1. Primò ratione finis, omnes enim habent eundem finem, nempè sacrificium Missæ, & Eucharistiam conficere, & administrare. Secundò ratione perfectionis, quia Sacramentum ordinis in Sacerdotio tantum recipit suam perfectionem.

Sed dicet aliquis, singuli imprimũt characterem, ergo sunt septem characteres distincti. Respondeo, quadam ratione sunt distincti, quia singuli specialem potestatem conferunt. Quadam ratione sunt vnum, quia ad vnum omnes sunt ordinati. Cathechismus num. 12. & 34.

Pro quo notandum est, quod ordo secundum Vig. dicitur sacer dupliciter, vno modo per se, & ita quilibet ordo est sacer, cum sit Sacramentum quoddam. Alio modo ratione materiæ, circa quam habet actum. Et sic aliquis ordo dicitur sacer, quia habet aliquem actum, circa aliquam rem consecratam, & sic sunt tres ordines sacri, s. Sacerdotalis qui habet actum consecrandi panem, & vinum & cæt. Diaconatus, qui habet actũ circa Corpus, & sanguinem Christi in vase: & Subdiaconatus qui habet potestatẽ super vasa sacra, & corporalia. Ideo istis tribus ordinibus indicitur continentia: vt mundi, & sancti sint, quia sacra, & sancta tractant: his etiam iniungitur sub pręcepto Diuinum Officium in cap. dolentes. extr. de celebratione Missarum. Ordinatis autẽ quatuor ordinibus minoribus, non iniungitur Diuinum Officium, neque continentia, ideo non impediunt contrahendum, sicut tres sacri, qui etiam dirimunt contractum. Non indicitur autem eis continentia, quia non sunt circa rem sacram, vt maiores circa Christi corpus. Hi autem quatuor vocantur non sacri, sine minores: de his ergo omnibus separatim & seiunctim dicendum est. & primo de cantore.

De Cantore. *Cap. 37.*

CAntor, nomen est officij, & non ordo: qui autem in veteri testaméto Cantores dicti sunt, hodie Lectores vocantur, siue modulatores. Cantor autem vocatur, qui vocem modulatur in cantu. 21. distinct. capit. Cleros. Cuius duo sunt genera in arte musica, præcentor, & succentor. Præcentor vocem præmittit in cantu: deinde alijs subsequuntur. Concentor dicitur qui consonat. Vnde qui non consonat, non concinit, nec concentor erit.

Dauid volens solemnius cultum ampliare Diuinum, Cãtores instituit: qui coram Archa fęderis Domini, musicis instrumentis, & modulatis vocibus decantarent, inter quos præcipui fuerunt Heman, Asaph, & Aetan: sed primus omnium fuit Heman, cuius vicem nunc in Ecclesia obtinet primicerius, vel qui Cantoribus est Prælatus, siue modulator. In lege veteri exponebant populo sacram Scripturam & Psalmus ipsi cantores, vide infra in Psalterio nostro ante expositionem Psalmi 87. & Apost. 1. Cor. 14. hos vocat Prophetas.

Debent Cantores cõsonis vocibus, & suaui modulatione concinere: quatenus animos audientium ad Dei deuotionem valeant excitare. Hoc idem docet Cæremoniale Episcoporum lib. primo cap. 28. vbi de organo, & Cantoribus ita dicit: Cauendum autem ne sonus Organi sit lasciuus, aut impurus, & ne cum eo proferantur cantus, qui ad officium, quod agitur non spectent nedum profani, aut ludicri, nec alia instrumenta musicalia pręter ipsum organum addantur. Vox autem Cantoris non aspera, non rauca, vel dissonans, sed canora erit, suauis, liquida, atque acuta, habens sonum & melodiam sanctæ religioni congruentem.

Idem quoque Cantores, & Musici obseruent, ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augenda ordinata est, aliquid leuitatis, aut lasciuiæ præseferat, ac potius audientium animos a rei diuina contemplatione auocent, sed eorum sit deuota, distincta, et intelligibilis.

Item Sancta Brigida ait: Clericorum cantus non sit pressus, non fractus, non dissolutus, sed honestus, & grauis, vniformis, & per omnia humilis, psalmodia plus redoleat suauitatem mentis, humilitatem, & deuotionem, quam aliquam ostentationem. Non vacat a culpa animus: quãdo cantantem plus delectat nota, quã res quę canitur, omninoque abhominabile est Deo quando vocis eleuatio plus fit propter audientes, quam propter Deum.

Ministri Altaris cantare non debẽt, tum quia ipsi occupantur in ministerio, tũ quia decoris, & grauitatis est, non canere.

Vsus cantandi in Ecclesia propter carnales, & non propter spirituales institutus est, vt qui verbis non compunguntur moueantur melodijs ad deuotionem considerando cælestia gaudia. Vnde Aug. lib. confes. Consuetudinem cantandi probat Ecclesia: vt per oblectamenta aurium infirmior animus ad affectum pietatis assurgat.

Antiqui pridie, quo cantandũ erat abstinebant cibis propter causam vocis, prætérquam leguminum psallentibus aptis. Vnde Cantores vulgo Fabarij dicti sunt.

Quando autem Cantores possent vti cantu figurato patet in prædicto cap. Cæremonial. Verba autem sunt ista. In omnibus Dominicis, & omnibus festis per annum occurrentibus, in quibus populi a seruilibus operibus abstinere solent, decet in Ecclesia organum, & Musicorum cantus adhiberi: inter eas non connumerantur

Do-

Dominicæ Aduentus, & Quadragesimæ, excepta Dominica tertia Aduentus, quæ dicitur: Gaudete, & quarta Quadragesimæ, quæ dicitur, Lætare Ierusalem. Item, exceptis festis, & ferijs infra Aduentum, aut Quadragesimam occurrẽtibus, quæ cum solemnitate ab Ecclesia celebrãtur vt in die Annunciationis, feria quinta in Cœna Domini, Sabbatho Sãcto & similibus, & quandocumque occureret celebrare solemniter, & cum lætitia pro aliqua re graui. Insuper notet modulator secundum Cærem. quod in Missis, & Officijs Defunctorum nec Organo, nec Musica, quam figuratam vocant vti debent, sed cantu firmo, quem etiam in tempore Aduentus, & Quadragesimæ in ferialibus diebus adhiberi conuenit. Hoc tamen non ita obseruatur in Missis mortuorum vbi vtitur figurato cantu: imo aliquibus in locis vtuntur bucinis, quæ vulgo, tromboni, vocantur: sed male agũt, nec decet, nam multum inter se differunt bucinæ, & lamentationes: inter planctum, & gaudium & inter lachrimas, & lætitiam, multum interest. &c, Quid cum funeribus (ait Ambros.) voluptati?

Notet insuper Cantor, (vt habetur ibidem) quod in matutinis, quæ solemniter celebrantur in festis maioribus, possunt pulsari organa ab Hymno, Te Deum Laudamus, &c. prout in Vesperis. Subdit deinde. Regulare est, siue in Vesperis, siue in Matutinis, siue in Missa, vt primus versus canticorum, & hymnorum, & pariter versus hymnorum in quibus genuflectendum est, qualis est versiculus. Te ergo quæsumus, &c. Et versiculus. Tantum ergo sacramentum, &c. quando ipsum sacramentum est super Altare, & similes, cantentur a Choro in tono intelligibili, non autẽ ab Organo, sic etiam versiculus, Gloria patri, &c, etiamsi versiculus immediatè præcedens fuerit a choro pariter decantatus: idem seruatur in vltimis versibus hymnorum. Insuper aduertendum erit, vt quandocumq; per Organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim versiculis hymnorum, aut canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuncietur id, quod ab Organo respondendum est.

Amplius notandum est, vt habetur ibidem lib. 2. cap. 20. de Dominica de passione, inquit, Cantores verò ab hac Dominica quinta Quadragesimę vsque ad Pascha, excepta Feria quinta in cœna Domini non vtantur cantu figurato, sed Gregoriano. Ergo alijs Dominicis antecedentibus videtur posse congruè vti cantu figurato. Hæc omnia seruanda sunt in Ecclesijs Cathedralibus, & collegiatis, & alijs, vt patet in motu D. Clementis VIII. Sub anno nono sui Pontificatus, die XIIII. Iulij M.D.C. Libri Ecclesiæ in quibus debent cantores esse experti sunt, scilicet, Graduale, Antiphonarius, & Trophonarius. Est autem trophonarius liber vbi sunt sequentiæ, Kyrie eleison, & Neumæ, & tropi. Tropi dicuntur, quia prius canitur versus, & postea eleyson: & iterũ versus, & eleyson deinde. Hæc reperiuntur apud monachos.

De Psalmista. Cap. 38.

PSalmistatus non est ordo, sed officium annexũ ordini. Et ratio est, quia ex eo quod Psalmi pronunciantur cum cantu, ideo etiam Psalmista dicitur Cantor. Cantor autem non est nomen ordinis, tum, quia cantare ad totum Chorum spectat, tum etiam, quia non habet aliquam specialem relationem ad sacramentum Eucharistiæ, sicut habet quilibet ordo: tum, quia est officium quoddam: tamen inter ordines largo modo acceptos quandoque computatur Tho. 4. sent. dist. 24. art. 4. qu. 2. Dictus est Psalmi-

sta, a psalmis dicendis, siue ab officio canendi. Ad ipsum spectat secundum Isid. 25. dist. Perlectis. Officium canendi, dicere benedictiones, idest, Benedicamus Domino, laudes, idest, Alleluia. Offertorium, Responsoria, & quicquid ad peritiam canẽdi spectat. Funguntur hoc officio nunc illi, qui vulgo mansionarij dicuntur. De Psalmista autem dicitur in Cõcilio 3. Carthaginensi can. 10. ita: Psalmista, idest, cantor potest absque licentia Episcopi, sola iussione presbyteri officiũ suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide, vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes. Et habetur etiam 23. dist. Psalmista. In eodem Concil. Cartaginens. Agitur qualiter consecrentur Episcopi can. 2. & qualiter ordinentur Sacerdotes can. 3. quando Diaconi can. 4. Et subdiaconi can. 5. qualiter Acolyti. canon. 6. qualiter exorcistæ can. 7. quomodo fiant lectores. can. 8. & qualiter ordinentur ostiarij cano. 9. Demum qualiter sanctimonialis consecretur, can. 11.

De Prima Tonsura. Cap. 39.

PRima tonsura non est ordo; sed est quædam dispositio ad ordines. Pro quo notandum est secund. Tho. 4. sentent. dist. 24. ait 7. q. 1. quod circa ordines cõsideranda sunt quatuor, scilicet, dispositio præueniens, receptio conueniens, prælatio conferens, & conditio impediens. Primò, circa ordines, consideranda est dispositio præueniens. Requiritur enim ad receptionem ordinis triplex dispositio, vna ex parte corporis, scilicet, tonsura, vel corona: secunda ex parte mentis, scilicet, gratia: Tertia ex parte totius hominis, scilicet, vita bona, conscientia pura, & sancta. Primo dico quod ad receptionem ordinis, requiritur dispositio ex parte corporis, scilicet, corona: nam eis qui ad diuina ministeria applicantur competit rasura, siue tonsura in modum coronæ, quę est dispositio congrua, non necessaria, ad receptionem ordinis: quæ tonsura, fit in corpore, scilicet, in capillis, ordo verò imprimitur in anima. Ratio autem, cur tonsura est dispositio congrua ad ordinem, est hęc; quia sicut, quando fit mutatio ab albo in nigrum, aliquod est medium, quod recedit ab albedine, & accedit ad nigredinem: ita in mutatione, quæ fit a statu laicali in statum clericalem, media est tonsura, vel corona clericalis, per quam homo recedit a statu laicali, & accedit ad statum clericalẽ: & sicut quod est medium inter albũ, & nigrum, non accedit ad perfectam rationem nigri, ita quod est medium inter statum laicalem, & ordinem ministrorum Ecclesiæ, non habet perfectam rationem ordinis.

Ratio autẽ D. Th. quare prima tõsura nõ sit ordo, est; quia ordo propriè est illud in quo solum deputatur ad aliquod consortium: vnde, quia per coronam solum homo deputatur ad chorum, vbi non habet quid speciale, sed commune, ideo non est, ordo nisi sicut dicitur ordo religionũ, quo est dispositio ad aliquod collegium in quibusdam cæremonijs. Et sic intelligitur secũdum Pet. de Palud. de ætat. & qualitat. ordinandorum cap. cum contingat: quod per primam tonsuram, clericalis ordo confertur. Post septem annos potest quis tonsurari, & per consequens beneficium Ecclesiasticum possidere, non tamen curatũ. dist. 28. c. de his, quia non clericus nõ est capax beneficij, vnde non tenet collatio beneficij facta non tonsurato, de transactio. c. Literas. Et potest dari prima tonsura omni die, quia sic seruatur de generali consuetudine, secundum eundem Palud.

Fit rasura autem in modum coronæ in signum, quod in ministros Dei eliguntur, cui seruire regnare est: vnde

de

de illis, qui spiritualibus applicantur, competunt duo: primo tonsura capillorum, ratione subiectionis, ne mens eorum ex temporalibus occupationibus a contemplatione diuinorum retardetur, & impediatur. Secundò cōpetit eis corona ratione figuræ, quæ cum sit circularis, & perfecta, est signum regium: vnde Reges coronantur. Quare illi, qui diuinis mysterijs applicantur, adipiscuntur Regiam dignitatem per quam figuram perfectissimam innuitur, quod Dei ministri debent esse in virtute perfecti. Greg. autem inquit. Congruum est, quod ordinandi, prius tonsurentur, siue clericatum (qui non est ordo sed dispositio ad ordines) recipiant: non tamen est de necessitate sacramenti, sed ex Ecclesiæ ordinatione. est autem in clericis tonsura signum quoddam quod in corpore figuratur: sed in anima agitur, scilicet, hoc signo vt in religione, vitia resecentur, & criminibus carnis nostrę quasi crinibus exuamur, atque inde innouatis sensibus vt comis rudibus enitescamus, expoliantes nos (iuxta Apostoli sententiam) veterem hominem cum actibus suis, & induētes nouum qui ad imaginem Dei renouatur. Quam renouationem in mēte oportet fieri, sed in capite demonstrari vbi mens noscitur habitare, hæc Isid. l. 2. de Ecclesiasticis officijs cap. 4.

Tonsura dicitur quasi tonsio, capilli enim tondentur in illa. Dicitur autem prima, quia ante omnes ordines conferri solet. Qui autem suscipit illā appellatur clericus, quia accipit in sortem hæreditatemque suam Dominum, vt est a tali nomine significatū.

Finis primæ tonsuræ est deputare clericum ad cultum diuinum. Secundò, disponere, & præparare illum ad ordines. Instituerunt autem illam ait catechismus Rom. num. 14. de Ordinis sacramento par. 2. cap. 4. Apostoli, vt habetur ex Diuo Dionysio Areopagita. & D. Hieronymo, & primus omnium sanctus Petrus dicitur illam instituisse in memoriam coronæ spineæ impositæ capiti Christi.

Prima autem tonsura materiā propriè non habet, sed loco materiæ sunt capilli qui tondentur, ita Catechismus. vbi supra. Sed dicet aliquis quare tondentur capilli? Respon. Catechis. ibidem. ad significandum quod sicut capilli qui sunt pars corporis superuacanea tondentur, ita anima clerici debet contemnere res externas, & esse vacua curis humanis: hinc etiam est, quod monialibus obraduntur capilli propter hanc causam, & propter votum paupertatis vt de monachis dictum est.

Superpelliceum quod gerunt clerici insigniti prima tonsura, significat virtutem, & perfectionem quæ in clerico esse debet. Albedo namque significat puritatem: extensio & amplitudo illius dilata, timorem charitatis, & boni odoris testimonium. Quod verò alijs vestibus superponatur, significat clericum debere superuestiri maiori perfectione. Vestis longa vsque ad pedes, significat maiorem vitę perfectionem. Ratio autem literalis quare defferatur vestis longa, quæ totum corpus, præter manus contegit, est, quia ad magnam corporis honestatē, & grauitatem confert. Olim enim homines grauitate, & magistratu, ac scientia prædicti, sic incedebant togati, quasi homines maiestate, & integritate pleni. Manus autem, quia nihil inhonestum habent, & sunt ad operationem necessariæ, ideo nō portantur coopertę: quod præcipuè facere deberent mulieres dum communicant veluti ad bonas, & sanctas (quia talis operatio, scilicet, se communicare est melior omnium aliarum operationum, vnde nec erubescere debemus) operationes paratæ. De alijs verò partibus erubescimus, præcipuè de genitalibus, non quasi per ea malum perpetretur, sed, quia mordinatū est

quie-

quicquid per ea agitur, non obediendo rationi. Ita Aug. 14. de ciu. Dei. c. 19. Hinc habes cur tāgendo quis suas manus non peccat, & tangendo genitalia peccat (quando delectationis luxuriæque causa id faciat) quia, scilicet, tunc homo talem actum faciendo, se habet vt brutum animal, & agit contra rationem, & consuetudinem, quæ dictat illud inhoneste fieri, & quod est contra conscientiam ædificat ad gehennam.

Vsus tonsuræ secundum Hugo. lib. 2. par. 3. cap. 1. & Isidorum lib. 2. de Eccles. offic. c. 4. & Magistrum; a Nazareis ortus creditur habuisse: qui ob vitæ continentiam caput suum radebant; & capillos in igne sacrificij ponebant. Hinc ille vsus ab Apostolis introductus est: vt qui diuinis cultibus mancipantur ac Deo consecrantur, quasi Nazaræi sancti posito crine innetiantur. Verum dicti Nazaræi totā comam non radebant, cum non esset tempus regalis, & perfecti sacerdotij: nec in modum coronæ sicut clerici. Vt autem hoc melius intelligatur secundum dictum Hugonem, & secundum Lyranum super sextum caput libri Numerorum, & Glos. Beati Augustini super 13. c. lib. Iudicum, est notādum, quod dicti Nazaræi erant in duplici gradu. Aliqui enim erant Nazaræi per totum tempus vitæ eorum, sicut legitur de Samuele 1. Reg. 1. & de Sampsone, Iudic. 13. & isti quantum ad obligationis perpetuitatem possūt dici fuisse figuram Religiosorum noui Testamenti, quorum votum, & obseruantia per totum tempus vitæ durare, & obligare debet, sicut & votum Clericorum sacris initiatorum: & isti nunquam radebantur, nec vinum, aut siceram bibebant, vt habetur de Sampsone, vbi supra. Hinc secundum eundem Hugonem num. 6. quidam pingunt Christum, & Apostolos crinitos in signum sanctitatis. Alij fuerunt Nazaræi ad determinatum tempus, vt Beatus Paulus, secūdum dictum Hugonem Act. 21. Vnde sicut hodie aliquis vouet ad certos dies se ieiunare, aut peregrinari propter Deum, quo expleto iam non tenetur deinceps ad id, quod pro certo tempore se facturum promiserat: ita & in lege veteri huiusmodi Nazaræi redibant ad vitam communem aliorum peracto suo voto. Numer. 6. & tales fuerunt figura eorum, qui ad opera supererogationis pro certo tempore vel loco sese Deo deuouerunt: quo tempore, scilicet, suæ separationis, & consecrationis non radebant caput ad detestandum cultum Idolatriæ: cuius sacerdotes capita radebāt. Baruch. 6. Hinc prohibiti erant sacerdotes veteris legis ne raderent caput, aut barbam Leuit. 21. eadem ratione Nazaræus non radebat caput tempore suæ consecrationis, quia illo tempore erat deputatus diuino cultui. Hinc ait Aug. q. 52. Super librum Iudicum. Vouentes votumque reddentes non radebantur, sed expletis diebus completionis sui voti radebātur, & vinum bibebant atque ad communem viuendi modum reddibant.

Sed quid est, quod deuotione completa Nazaræus caput radere, & capillos in igne sacrificij ponere iubetur? Nisi quod tunc ad perfectionis summam pertingimus; cum sic exteriora vitia vincimus, & vt etiam cogitationes superfluas a mente resecemus? caput enim tondere est cogitationes superfluas a mente resecare. Itaque sicut Nazarei expleto suo voto caput tondebāt, & capillos in igne sacrificij ponebant ad ostendendum se totos pro tunc diuini amoris igne inflamatos, noxias quoque cogitationes, & superfluas prorsus extinctas esse in eis: sic & clerici in sortem Domini non horariè, sed perpetuo electi prohibentur comam nutrire, id est, defluentes animi cogitationes habere, ne demissæ defluant, aut defluentes

tes se per illicita spargant; & ne sparsæ oculos cordis deprimant. Semper ergo clerici nouæ legis caput tondere iubentur, & capillos in igne sacrificij ponere; quia semper studere debent perfectioni, & actus Hierarchichos in Ecclesia suo ordine exercere. Et licet tonsura sit ad susceptionem ordinis, dispositio congruitatis, respectu tamen beneficij, & iurisdictionis Ecclesiasticæ, est necessitatis. Ius enim spirituale non cadit in laicum, nec tenet beneficij collatio, aut iurisdictionis commissio facta laico non tonsato. Nam qui non est clericus non est capax de transactionibus c. ex literis.

Nota secundum Glos. in lib. 5. tit. 2. c. 1. quod differentia est inter clericam, & tonsuram, nam propriè tonsura est illa abscissio capillorum, quæ est in parte inferiori vt aures pateant: vt faciunt conuersi ordinis prædicatorum: sed clerica est abscissio capillorum in parte superiori; & circuitu abscissionis illorum capillorum, vocatur corona. Tonsura aliquando accipitur pro corona, vt Glos. ibidem, si clericus est coniugatus, & ferat habitum & tonsuram, clericali priuilegio gaudet: aliàs non tamen dist. 50. c. 59. ait: tonsuram non tenetur ferre, qui in minoribus contrahit: nec Apostata iudicatur, vt extr. de clericis coniugat. Ioannes. Si autem retinendo Ecclesiam dimitteret tonsurã, & habitum, vel religiosus religionem suam, cum intentione nunquam redeundi, Apostata iudicaretur: vt extr. de apostas. cap. 1. & vlt. quicquid interim acquisierint, cedet monasterio. 18. q. 2. Abbates, omnes presbyteri Cardinales conferre possunt de communi consuetudine secundum Pet. de Palud. minores ordines, & primam tonsuram Abbates simplices non exempti, tantũm primam tonsuram, & primos duos ordines minores monachis, si sunt Sacerdotes, & benedicti. distin. 69. quoniam. exempti autem, & mitrati possunt eam dare etiam sæcularibus in quos habent Ecclesiasticam iurisdictionem. Debent autem tonsurati portare coronam. Isti debent prius suscipere sacramentum confirmationis. Concil. Triden. sess. 23. c. 4 Vide ibi ad quid scire tenentur isti initiandi, Caius instituit anno Domini 277. vt per gradus ordines susciperentur. Item quod nullus clericus possit accusari apud iudicem sæcularem. & quod hæretici & pagani non possint accusare Christianos.

Vtrùm omnes Ordines sint ex Institutione diuina, & sint Sacramentum. Cap. 39.

ANtequam vltra progrediatur quæritur an omnes ordines sint ex institutione diuina. Respond. primo quod de Sacerdotio, & Diaconatu nemo est qui ambigat, quin sint à Christo instituti, nec hæretici hoc negant: sed de alijs nonnulli dubitant. Magister autem dicit, quod Christus reliquit omnes illos ordines seruãdos in Ecclesia. & Palud. 4. distinct. 24. quæst. 1. tenet quod omnes septem ordines sunt ex institutione diuina. Ita etiam videtur sentire San. Thomas. qui dicit quod omnes septem ordines conferunt gratia ex opere operato, quod non posset esse si ab Ecclesia instituti fuissent. Insuper isti septem ordines non sunt nouum inuentum, vt putant Hæretici: Sed est antiquissimum institutum, quo nullum est antiquius; quod probatur testimonio sanctorum patrum. Anacletus qui successit Clementi Primo in capit. 2. suorum decret. dicit. Episcopus Deo sacrificans, testes secum habeat plures, quam alij Sacerdotes, in solemnioribus diebus habeant tres aut quinque Diaconos, & Subdiaconos, atque reliquos ministros qui sacris induti, & cæt. Ecce meminit Diaconorum, & Subdiaconorũ, & aliorũ: vnde paulo

interius

inferius subdit sic: Apostoli statuerũt, & Sancta Romana tenet Ecclesia, & de consecr. distinct. 1. cap. Episcopus Deo. & Ambrosius etiam super illud Ephes. 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas: fundatque omnes ordines in Sacra Scriptura. Et Euseb. lib. 6. Eccles. historiæ capit. 33. recitat Epistolam Cornelij ad Fabianum Antiochenum, in qua enumerat omnes ordines Ecclesiæ; qui quidem præcessit nos mille annis & supra. Et Hieronymus in argumento quod præponitur Epist. 1. Tessal. ait: Hos Tessalonicenses collaudat Apostolus, scribens eis per Titum Diaconum, & Onesymum Acolytum. In sacra enim Scriptura non est de omnibus mentio. Victor. autem in sua sum. num. 227. ait quod possumus dicere quod omnes hi ordines fuerunt instituti a Christo in particulari ipso viuente, vel saltem generaliter, quia Christus dedit potestatem Ecclesiæ constituendi ministros, & consecrandi eos ad sacrificium Eucharistiæ, & ad hũc sensum omnes hi ordines sunt instituti a Christo per hoc quod dedit potestatem Ecclesiæ consecrandi, & ordinandi ministros, quot quot viderit expedire. Hæc ille.

Durandus autem in quarto distin. 24. quæst. 2. dicit, quod solum Sacerdotium per quod datur spiritualis potestas, est Sacramentum; alij vero ordines inquit sunt Sacramentalia, & adducit ad hoc multas rationes vt ibi videre poteris.

Contrarium tenent omnes Doctores, videlicet, quod omnes ordines verum sunt Sacramentum. Hoc asserit D. Thom. Alber. Magnus. Bonauent. Maio. Paludanus, & alij. Et patet, quia quilibet Ordo, est signum sacræ rei, & in eo datur aliquod spirituale, quia si alij Ordines essent Sacramentalia darentur simul cum Sacerdotio. Sed ritus Ecclesiæ est in contrarium, immo multi recipiunt minores ordines, nolentes vlterius progredi. ergo & cæt. Amplius. Episcopus conferens omnes minores cum vno maiori, vel duos maiores vna die, suspensus est à potestate ordinandi donec per Papam cum eo dispensetur. Angel. verb. ordo. 6. §. 2.

Dicendum est ergo contra Duran. Et Caiet. de ritu ordinis (qui asserit quod solum Sacerdotium est ordo) quod tenenda est communis opinio. Fit mentio de minoribus ordinibus apud Dionys. cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vbi etiam meminit de Ostiarijs. Et Beatus Ignatius Martyr Epistola octaua ad Antiochenos cum duceretur ad Martyrium, vt infra patebit in cap. de Subdiacono. Et est determinatio Concilij Laodicen. cap. 23. & Chalced. capit. 14. & Carthaginen. 3. cap. 16. & Carthaginen. 4. cap. 6. & Tolet. 1. capit. 28. in his omnibus approbantur minores ordines. Et in Epistola secunda Beati Clementis; decretum Innocentij; & decretum Zozimi capit. 3. sunt ergo minores ordines ab antiquo in Ecclesia. Et ita probabile est quod sunt de iure diuino, & per consequens Sacramentum. Ad quid enim vult Ecclesia quod omnes ordines non suscipiantur simul si non sunt Sacramentum, sed Sacramentalia? & ad quid præcipit vt vnusquisque exerceat munus & ordinem quem accepit antequam ad altiorem gradum ascendat si sunt tantum Sacramentalia, & non Sacramentum? Ad quid traditur diuersa materia omnibus ordinibus? Si dicatur quod tempore Apostolorum non aderat Missale, & cætera quæ nunc traduntur, respondetur, quod tunc visibiliter dabatur Spiritus sanctus, quod nunc inuisibiliter fit: & ideo erat vnctio, & traditio sufficiens vbi ostendebatur in anima aliquid diuinum imprimi. Ideo firma fide tenendum est in Ecclesia Catholica, præter Sacerdotium esse alios ordines, & maiores, & minores: Ita

enim diffinitur in Concil. Triden. sess. 23. can. 2. his verbis. si quis dixerit prêter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, & maiores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit. Ecce quod vocat alios gradus, ordines, & maiores, & minores. & glos. in cap. 1. de tempor. ordinat. §. Clericum ait: quod ordines minores largo modo dicuntur etiam sacri.

Præterea est prêceptum quod seruetur ordo in suscipiendo Ordines, & qui illum non seruaret peccaret mortaliter. Non est tamen iste ordo de necessitate Sacramenti. Et qui sic est ordinatus debet suscipere ordines quos omisit duntaxat a quocumque ordine incipiatur post tamen peractam pœnitentiam: si autem non est baptizatus & susceperit ordinem, nihil facit, & non est ordinatus, vt patet in cap. veniens. de præsbytero iam ordinato & non baptizato, vbi præcipitur quod baptizetur, & iterum ordinetur. Si autem ordinetur antequam confirmetur, ordo tenet.

Sed quid agendum de illo qui nullum minorem habet ordinem, & promouetur ad sacerdotium, vel ad aliud ordinem sacrum numquid recipit ordinem? Hugo dixit quod non: quia si laicus ordinetur in sacrum ordinem, nihil recipit, arg. 40. distinct. sicut. vbi dicitur, sicut viri, & mulieris coniunctio vnum facit corpus, ita clericatus & sacerdotium vnum faciunt ordinem, sed si aliquem de minori habeat recipit sacrum. Vincent. dicit, q. quod bene quis recipit sacrum ordinem, etiam si nullum habeat de minoribus præter Episcopalem, quem nemo recipere potest, nisi sit saltem Sacerdos. arg. de excess. Prælat. ex litteris. Sed quid si ordinatur in Episcopum prętermisso Diaconatu, vel Subdiaconatu? Episcopus est, dum tamen fuerit Sacerdos: sed illum ordinem quem non habuit alijs conferre non potest arg. 1. quæst. 1. & cap. ventum. & quæst. 7. Dubitertum de consecr. distinct. 4. quomodo.

Hic consequenter quæritur an Papa possit committere potestatem conferendi ordines Sacerdoti simplici. Thomas, & Palud. & omnes dicunt quod non, nihilominus, vt fertur Papa de facto commisit quibusdam Abbatibus Sancti Benedicti: de minoribus patet ex iure, vt cap. quoniam 69. d. c. cum contingat de ætat. & qualitat. probat Sot. 4. distinct. 23. quæst. 1. versic. Abbatibus autem. De Subdiaconatu inquit Victor. num. 237. quod vidit Bullam Papæ quibusdam Abbatibus Cisterciensiũ concedentis quod possent conferre Subdiaconatum. Et alij dicunt quod Diaconatus etiam, sed hoc ita esto, ego dico (inquit) quod factum tenet excepto sacerdotio, alias esset intollerabilis error.

Constat ergo ex his omnibus, quod in Ecclesia Catholica, est Hierarchia ordinatione Diuina instituta quæ cõstat ex Episcopis, Præsbyteris, & Ministris, & est de fide tenendum, ita enim diffinitum est in Concil. Triden. sess. 23. can. 6. his verbis. Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit. Deinde etiam firmiter tamquam de fide est tenendum Episcopos Præsbyteris esse Superiores, habereque potestatem confirmandi, & ordinandi, nec huiusmodi potestas est Episcopis, & Præsbyteris communis.

De Ostiario. *Cap.* 41.

DE minoribus ordinibus dicturi demum, primo loco occurrit de Ostiarijs, siue Ianitoribus quorum figura in veteri testamẽto etiam præcessit: eorum autem officium fuit aperire, & claudere templum, & ab eius

ingressu immundos prohibere. Hodie autem Ianitoris siue Ostiarij officium est, in Ecclesia discernere inter bonos & malos, malos in Ecclesiam non admittere: puta vt eos qui in excommunicatióe sunt, vel interdicto, aut hæreticos, &c. Ianitores autem in veteri testamento stabant in quatuor partibus templi, vt legitur Paralip. 2. 33. videlicet in Oriente, in Occidente, Aquilone, & Austro; Portas templi singulas ita obseruantes, vt nec in puncto discederent a ministerio. Finita iā Litania super ordinandos, dicit Episcopus ad Ostiarios, Suscepturi carissimi filij officium Ostiariorum, videte, quid in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalū, & campanam, aperire Ecclesiam, & sacrarium, & librum aperire ei, qui prædicat. Prouidete igitur, ne per negligentiam vestram illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquod depereat, certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, & semper claudatis infidelibus, quod Dominus vobis concedat per suam misericordiam. Amen.

Accepta deinde claue ab Altari exhibet illam Episcopus eis dicens, sic agite quasi reddituri rationem pro ijs rebus, quæ ijs clauibus recluduntur. Mox Archidiaconus deducit eos ad ianuam, vt eandem aperiant, & claudant, ac rursus adducit ad Episcopū, qui facta super eos oratione, benedicit illos. Clauium ergo traditio, & verba præmissa sunt huius ordinis essentialia: cætera sunt solemnitatis. Hoc officio vsus est Dominus Iesus quando facto ex funibus flagello eiecit vendentes & ementes de templo. Neque absurdum est hoc, cum ipse quoque dixerit, se esse ostium, adeo vt quisquis per illud ostium sit ingressurus, seruetur, & habetur. 16. q.7. 4. Ostiarius autē dicitur ab ostio, quod debet custodiri ab Ostiario. Materia sunt claues quæ ex altari ab Episcopo accipiuntur, vt significetur sub illis clauibus custodiri ea, quæ pertinent ad Altare. Forma sūt verba Episcopi.

Munus suum est, primo templi claues, & ianuam custodire, idest, aperire, & claudere, pulsare campanas, vt fideles intelligant quando ad Ecclesiam accedendū est. Secundò ab aditu templi arcere eos, quibus interdictum est ingressus. Tertiò, ad sanctum etiā Missæ sacrificium assistebat curaturus ne quis proprius accederet quam par esset ait Catechismus. Quartò ait, officium Thesaurarij ad Ostiarium pertinebat quod est esse custodem sacrarij. Catechis. ibidem num. 15.

Hi ritus seruantur in eius collatione secundum eundem ibidem, & habetur, ex Pontificali; primo, accipiuntur claues de altari vt dictum est. Secundò, Admonet Episcopus ordinandum quid sit eius officium. Tertiò Episcopus dat claues & dicit verba quibus confert potestatem. Quartò, Ordinandus accipit & tangit claues, & debet tangere manu dextra, vt ostendat se accipere munus ad prōptè, & fortiter exequendum. Quintò, per Archidiaconum ducitur ad aperiendas fores, & campanas pulsandas, vt suum incipiat officium exequi. Catechism. ibidem.

De Lectore. Cap. 42.

QVoniam quidam sunt, qui volunt credere, sed nondum instructi sunt; ideo ad huiusmodi instructionem est ordo lectoratus, ad quem spectat docere prima fidei rudimenta. Secundus ergo ordo est Lectorum, quibus ex officio incumbit Prophetias legere coram populo, lectiones, & legendas in matutinis pronunciare; & illis itaque Episcopo oblatis, sic inquit, ipse, electi fratres charissimi, vt sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite, & implete: potens enim est Deus, vt augeat

augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectore enim oportet legere ei, qui prædicat, & Lectiones tam de Prophetis quam de Apostolis cãtare, & benedicere panem, & omnes fructus nouos (fit hoc ex more veteris Ecclesiæ, sicut, & adhuc obseruat Ecclesia Græca, & Gallicana, vt singulis diebus Dominicis benedicatur panis, sicut apud nos sal, & aqua) studete igitur, verba Dei, videlicet, lectiones sacras distinctè, etiam apertè ad ædificationem fidelium absque omni mẽdacio falsitatis, proferre. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis: quatenus auditores vestros verbo pariter, & exemplo vestro docere possitis; ideoque dum legitis in alto loco Ecclesiæ statis, vt ab omnibus audiamini, figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conuersari, vt cælestis vitæ formam eis præbeatis, quod in vobis Deus impleat per gratiam suã. Amen.

Deinceps Episcopus eis librum porrigit, & ait; Accipite, & estote verbi Dei relatores habituri (si fideliter & vtiliter impleueritis officiũ vestrum) partem cum ijs qui verbum Dei bene ministrauerunt ab initio. Ad extremũ præmissa oratione, Episcopus benedictione quoque absoluit hanc ordinationem. Ordinatus autem in lectorẽ, inquit Hugo, debet esse doctus, vt intelligenter, & distinctè possit legere scripturam. Gregorius Nazianzenus in lib. 10. c. 3. ait: quod hoc officio functus est Diuus Basilius. Et Ecclesiastica historia asserit hoc idem de Ioanne Chrysostomo qui fuit lector in Antiochia. & Iulianus Imperator qui fuit postea Apostata a fide functus est hoc officio aliquanto tẽpore, vt ait Theodoretus lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ: Tanta etiam, & tam clara debet esse eius vox, vt circumquaque omnium aures impleat. Lector a legendo dicitur secundum Isid. 21. dist. perlectis. Typum huius ordinis gessit in veteri testamẽto clamor prophetarum, qualis fuit hæc Isaiæ sententia, Clama, ne cesses, exalta vt tuba vocem tuam, & annuncia populo meo delicta, & domui Iacob scelera sua: quamuis hoc propriè pertinet ad Prædicatores. Libri traditio, & huiusmodi verba præmissa, sunt de essentia huius ordinis: cætera sunt solemnitatis. Hoc officio perfunctus est, & Dominus Iesus, quando in Nazareth ingressus Synagogam reuoluto libro cæpit legere illud Isaiæ: Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, &c. Extr. de Sacr. vnct. cap. vit. Isa. 61. & Luc. 4. Qua lectione docere volunt lectorem sacræ scripturæ debere habere vnctionem gratiæ Spiritus sancti, sicut intellexit Augu. lib. 1. de bap. paruu. c. 32.

Nomen lectoris desumitur ab officio, id est, a lectione: & est maior gradus quam Ostiariatus: quia iste procurat reuerentiam corporalem, & exteriorem, sacrificio Missæ: lectoratus verò spiritualem, quod maius est Catechis. ibidem num. 16. & Thom. 3. p. qu. 37. artic. 2. sup. Materia est liber in quo sunt ea, quæ ad hanc functionem pertinent. Forma sunt verba prolata ab Episcopo. Catechis. ibidẽ. Eius officium est, Primò libros noui, & veteris testamenti clara, & distincta voce recitare, vt tactum est, & præcipuè lectiones, matutinales. Secundò prima rudimenta Christianæ religionis fidelibus tradere. Catechis. ibidem. Tertiò ex pontificali benedicere panem, & nouos fructus, sed nõ est in vsu. Quartò ex eodem, exemplo, & moribus ædificare. Ad Missam excitat adstantes ad deuotionem: & debet; seruire sacro: ex Diuo Thom. vbi supra. Effectus huius ordinis quẽadmodum, & aliorum; primus est character, seu potestas tale ministerium exercendi. Secundus, gratia, id est, qualitas diuina qua dignè possit talia ministeria exercere. Catechis.

ibid. num. 34. Lectores insuper prohibentur psallere in habitu sæculari in Concilio Bracharen. 2. can. 29. vbi dicitur: Lectores in Ecclesia in habitu sæculari ornato, non psallant. Hinc fit, quod in Ecclesijs bene ordinatis, etiam cantores sæculares, & vxorati, induunt se dum cantant in Ecclesia, superpellitio. In canone verò sequenti illius concilij dicitur: extra psalmos veteris testamenti, nihil poeticè cōpositū in Ecclesia psallatur. Adde tu nisi fuerit ab Ecclesia cōprobatū, vt sunt hymni a sanctis patribus modulati.

De Exorcista. *Cap. 43.*

ET, quia aliqui sunt fideles, & instructi, sed habent impedimentum, ex dæmonum potestate vt energumeni, ideo ad hoc ministerium est exorcistatus. Tertius ergo ordo, est exorcistatus, ibi Episcopus primum admonet illos officijs sui, vt meminerint eijcere dæmones, & cum aqua ministrare in Ecclesia: hinc subiūgit: studete igitur, vt sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus, & corporibus vestris omnem immunditiam, & nequitiam eijciatis; discite per officium vestrum vitijs imperare, ne in moribus vestris aliquid sui iuris inimicus valeat vendicare. Tunc enim rectè in alijs, dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis, eorum multimodam nequitiam superaueritis.

Post hæc exhibet eis librum, in quo exorcismi sunt descripti, & ait. Accipite, & commendate memoriæ (nota quod oportet vt mandet memoriæ exorcismos) & habete potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue Cathecumenos: energumeni sunt, qui a dæmonibus obsessi sunt: vel lunatici, siue morbum caducum patientes. Sic dicti ab Ergon, quod est labor, & mene quod est defectus, & noys quod est mens, quia secundum defectum mentis in defectu Lunæ maximè patiuntur. Cathecumeni dicuntur in articulis fidei ante baptismum instructi. Postremo Episcopus, vt supra, oratione, & benedictione hunc quoque cōcludit ordinem. Libri acceptio & verba præmissa, sunt de substantia huius ordinis; cætera sunt solēnitatis.

Præcessit autem, & hunc gradum figura in veteri testamento, quando Rex Salomon inuenit modum vt refert Iosephus, quo dæmones coniuraret remanentes in templo Ierosolymitano, sicut etiam Hierony. commemorat in Mat. 12. & Beda in Homil. Luc. 11. Sed & Christus vsus est officio illo, nec semel neque raro, quoties obsessos a dæmonijs liberauit, præcipuè cum tetigit sputo suo aures, & linguam muti, ac surdi, dicens: Epheta, quod est aperire. Neque verò ipse tantummodò Christus vsus est hac potestate, sed eandem quoque dedit Apostolis, sicut in Matthæo, & Marco legimus. Apud Lucam quoque, sic dixit ad Iudæos; Si ego in Belzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideoque ipsi iudices vestri erunt, intelligens Apostolos, qui tunc erant exercistæ. In actibus quoque Apostolorum. c. 19. legimus, quoniā tentarunt quidam de circumeūtibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant Spiritus malos nomen Domini Iesu; erant autem septem qui hoc faciebant. Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimū, & dominatus amborum inuoluit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. Temerariè enim vsurparant isti officium sibi non contradictum, nec a quopiam commissum: contigit ergo eis condigna merces. Vide ibi. Exorcista Græcè, Latinè adiurans, siue increpans vocatur secundum Isid. ibidem. Decet habere Spiritum mundū, qui vult immundis imperare spiritibus; vt patet ex dictis.

Nomen Exorcistæ ab officio, id est, exorcismo, & adiuratione dæmonis desumitur Catechis. ibidem numero 17. & Diu. Thom. vbi supra. & est gradus altior lectore. Primò, quia lector exercet munus suum præcipuè in Catechumenos, id est, non instructos in fide, exorcista verò in ipsos fideles. Secundò. Ille tantum legit verbum Dei, iste authoritatiuè, & cum potestate inuocat, quod maius est. Tertiò, ille tantum docet, iste potestatem exercet. Quartò, Quia exorcizando, & dæmones eijciendo, quasi confirmat doctrinam a lectore recitatam, ideo est altior gradus.

Materia eius est liber exorcismorũ. Forma sunt verba ab Episcopo prolata in traditione libri. Catechismus ibidem. Officium eius est inuocare nomen Domini in eos qui vexantur a spiritibus immundis, qui energumeni dicuntur. Secundò (ait Pontificale) esse dicere his qui non communicant, vt recedant; Tertiò idem ait esse, aquã in ministerio fundere.

Hic notatione dignum est, quod clerici qui in adolescentia a demonibus cognoscuntur obsessi ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possunt: & habetur 33. distin. clerici. Vnde Glos. ait: ex hoc quod dicit sacri regiminis, videtur quod ad minores possunt promoueri: quod ideo fit ad Christi imitationem qui noluit dæmoniacum iam curatum ad suum discipulatum accipere: ne si facerent deinde miracula imputarẽtur cooperationi dæmonum. vide Luc. 8. Vita exorcistæ vt habetur ex Pontificali, debet esse primo expellere ab anima, & corpore suo omnem immunditiã, sicut dæmones expellit ab alijs. Secundò imperare vitijs, ne inimicus aliquid sui iuris in moribus valeat vẽdicare, & vt melius imperet diabolo, cum eius multimoda (vt etiam diximus) superarit nequitiam.

De Acolyto. Cap. 44.

QVartus autem ordo est Acolytorum. Longobardus post Isidorũ in Etymologia lib. 7. dicit Græcè Acolyti, Latinè, Ceroferarij dicuntur, a deportandis cæreis. Acolyteo, serui significat, & seruire (inquit Agricola medicus, & lector Græcè linguę) inde Acoluthos, sequens, consequẽs, minister, sectator, puer.

Acolytorum officium olim latè patebat. Sequebantur semper Episcopum, vnde & nomen habent.

Quomodo verò ad ceram flectatur, arbitror ita voluisse præfatos, non quod illa sit nominis interpretatio a Græco, sed quod voluerint adsignare morem Ecclesiæ Græcè, quæ Acoluthos appellat, quos in latina Ecclesia cæroferarios nominamus. Officium eorum accipitur ex ijs, quæ ad ipsos dicit Episcopus: Suscepturi charissimi Acolytorum officium, pensate quod suscipitis. Acolytum enim oportet cęroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum, & aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium dignè adimplere: non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inseruiatis: & per hoc alijs exempla perfidiæ præbeatis: studeatis potius fructibus lucis, qui sunt, Apostolo teste; in omni bonitate, iustitia, & veritate vt sic, & vos, & Dei Ecclesiam illuminetis. Tũc enim in Dei sacrificio dignè vinum suggeritis, & aquam, si vos ipsi Deo per sacrificium, per castam vitam, & bona opera oblati fueritis, quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam. Amen.

Deinde porrigit eis Episcopus candelabrum cũ lucerna extincta, & ait: Accipite cæroferarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda lumina Ecclesiæ mancipatos in nomine Domini:

ni: Mox, & vrceolum dat vacuum, dicens: Accipite vrceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistia sanguinis Christi in nomine Domini. Vltimo quoque præmissa oratione benedicit eos de ministerio quod sunt consecuti. Hi autem deferunt cæreos accensos, dum legitur Euangelium, aut offertur sacrificium, non vt tenebras aeris, cum sit dies, sed cordis, illuminent: & vt proximis opera lucis ostendāt. Sic enim ait Hugo, sicut visibile lumen manibus gestant, ita opera lucis ostendant, & more lucis, errantibus viam, in tenebris palpantibus ducatum præbeāt. Portant etiam cæreos ad demonstrandum signum lætitiæ vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostēdatur, de qua dicitur: Erat lux vera quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Verba Episcopi & vtensilia sunt huius ordinis essentialia: Cætera solemnitatis tantum.

Ordinis huius figura in veteri testamento ab Aaron, & filij eius sumpsit exemplum; iuxta illud Exod. 24. Præcipe filijs Aaron vt offerant oleum de arboribus oliuarum purissimum piloque contusum: vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij: & collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque mane luceat coram Domino. Quod igitur Sacerdotes tunc faciebant hoc nunc agunt Acolyti in ministerio cæreorum, & lucernarum; quoniam præparant luminaria in Sacrario. Dominus Iesus Christus hoc officium se habuisse testatus est quando dixit Ioan. 8. Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Hi sunt ergo quatuor ordines non sacri in Ecclesia Catholica ad illuminationem fidelium, & commemorationem eorum quæ in Ecclesia fiunt.

Acolytus & cæroferarius idem videntur sonare. Materia est duplex, nempè candelabrum cum cæreo extincto; & vrceoli ita Catechismus ibidem, numer. 18. Traditur autem duplex materia ad significandum duplicem potestatē, vna est in corpus Christi mysticum, & significatur per candelabrum. Alia in Corpus Christi verum, & denotatur per vrceolos. Traduntur illi primo candelabrum extinctum, deinde vrceoli vacui, ad significandum eius Officium esse accendere cæreum, & implere vrceolos.

Forma sunt verba ab Episcopo prolata. Si autem quæras quando imprimatur character respondetur, quod imprimitur potissimè in traditione vrceolorum, quia tunc traditur potestas in ordine ad corpus Christi verū, quod maius est.

Eius officium est primo parare materiam necessariam ad Eucharistiam in vasis non sacris. Secundò Subiaconos, & Diacones in Altari ministerio assectari, eisque operam dare. Tertiò deferre lumina & obseruare cum missæ sacrificium cælebratur, præcipue vero cum Euangelium legitur, quod ideo fit, vt excitentur fideles ad reuerentiam doctrinæ Christi: ex Catechismo ibidem. Et hæc est potestas in corpus Christi mysticum, scilicet, ad excitandos fideles, &c. Isti autem ritus seruantur in collatione huius officij & gradus, (ex eodem ibidem) primo, Episcopus diligenter admonet ordinandos officij sui. Secundo, Tradit cādelabrum: Tertiò, Vrceolos. Hic ordo maior est iam dictis, quia datur potestas in materiam pro Eucharistia conficienda. Ceterum primitiua Ecclesia agnouisse hos omnes ordines minores reuerentius ac longe sanctius quā in præsentiarum coaluisse patet. In primis siquidem ex vetustissima traditione accepimus, quod & argumenta illa nequaquam noua Apostolicis Epistolis præfixa testantur, Paulum Apostolum scripsisse vtramque ad Thessalonicenses ab Athenis per Tichicū Diaconem, & Onesymum Acolytum,

vt

vt vel hinc constet & pauli tempore Acolytos Ecclesiæ fuisse in Ecclesiæ ministerium ascitos: Multa quippe non solum in nouo, sed & in vet. testamento legis Moysi superaddita legimus, & mutata. Vnde Dauid in lib. 1. Paralip. cap. 23. dixisse narratur. Non erit officij Leuitarum, vt vltra portent tabernaculum & omnia vasa eius ad ministrandum.

De continentia quæ requiritur in illis qui sacris ordinibus sunt insigniti. Cap. 45.

ANtequã de sacris ordinibus aggrediamur dicendum est de continentia quę ad ordinatos in sacris requiritur. primo nota quod sequentes ordines, & sacri, & maiores dicuntur per antonomasiam. Maiores dicuntur quia circa maiora & digniora versantur. Sacri dicuntur a sanctimonia, id est, castitate, & continentia quã indicunt. 28. distinct. nullum. & capit. decernimus. Nota secundo quod Ecclesia Spiritu sancto edocta, & illuminata numquam permissit quod constitutus in ordine sacro post suam consecrationem duceret vxorem: nec impunè fuit ab aliquo hoc vnquam attentatum. Causa vero huius institutionis (ait Gratian. 31. distinct. §. 2.) munditia Sacerdotalis fuit, vt libere cunctis diebus orationi possint vacare. Si enim, (vt Paulus ait;) ab vxoribus est cessandum, vt expeditius orationi vacemus; ministri vtique Altaris quibus quotidiana necessitas orandi incumbit, numquam coniugali officio vacare permittitur. hæc ille. Vnde 27. canon. Apostolorum inquit: In nuptijs autem qui ad clerum prouecti sunt, præcipimus vt si voluerint, vxores accipiant, sed lectores, & cantores tantummodo. Ex quibus verbis conuincitur, ab ipsis Ecclesiæ primordijs non licuisse Diaconis, aut Præsbyteris post susceptos sacros ordines ducere vxores. Ad hoc extat lex lata in Concilio Agatẽsi anno Domini 429. quod Sacerdotes nuptias non adeant; quia illis nubere prohibitum est. Leo. 82. Epistola 444. docet carnale connubium illis prohibitum esse: idem dicunt de Diaconis. Alexander Tertius, sæpè statuit ne vllus in sacro ordine constitutus matrimonium contrahat: & si contractum fuerit, irritum sit: & quod coniugatus ad sacros ordines non admittatur, nisi vxor continentiam profiteatur. Hæc omnia in Concil. Trident. sess. 24. can. 9. confirmata sunt vbi sic dicitur. Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutis vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium cõtrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quã damnare matrimonium, posseque omnis cõtrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam vouerint, habere donum, anathema sit: cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.

Sixtus autem Pontifex in libr. 2. de castitate, in quo ferè totum caput septimum primæ ad Corinthios eruditissimè explanat: præcipit (inquit,) Apostolus coniugibus paruo tempore continentes esse, vt maiori spatio vacare possent: id enim significare ait illud, Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Vnde statim postquam dixit de abstinendo ab vxore propria, quia id ab oratione abducat, & retrahat, subdit: Non admittitur incontinentia ad officium Sacerdotij, sed potius necesse est, vt Sacerdotes continẽtes sint. Idem Sixtus post illa verba, cœpit Iesus facere, & docere, ait omnes eius discipuli aut continentes esse inueniuntur, aut virgines. Euturius cum Angelis comparans Sacerdotes, ait: quod Deo assistere, & Deo offerre

non nisi continentibus licet. Idem dicit Siricius in Epistola ad Imerium Tarraconen. quæ est quarta in ordine. Licuit tamen tempore Siricij vsque ad Gregor. Subdiaconis vti contracto matrimonio 87. distinct. quicumque: 82. distinct. proposuisti: qui Gregor. etiam Subdiaconibus simili modo indixit continentiam vt distinct. 31. cap. ante triennium: ideo hodie quia inter sacros ordines commemoratur, aliter est dicendũ, scilicet, quod si quis contraxerit post ordines sacros debet disiungi 27. distinct. præsbyteris. immo sunt ipso facto excommunicati, & matrimonium est nullum cap. 1. de Cler. coniug. cap. si quis eorum. cap. erubescant. Sanc. Thom. in quarto, & in addit. 3. par. quæst. 53. art. 3. ait, ordini sacro annexum est votum continentię. Item, Subdiaconatus ordo semper fuit inter sacros, licet non reputaretur. ait glos. in cap. à multis extr. de ætate & qualitat. ord. solos. adde nota. in cap. 2. extr. de bigamis. in verbo sacros in editione Romana.

Sed dices quomodo Ecclesia imponit alicui necessitatem continẽdi cum continentia sit res voti non præcepti, vt 32. quæst. 1. integritas? Respond. quod Ecclesia neminem cogit continere, sed in ordine quem dat, potest imponere legem quam vult, sicut quilibet alius in traditione rei suæ ff. de pac. in traditionibus. Item D. Bonau. in 4. distinst. 37. quæst. 3. ait quod Ecclesia hoc onus imposuit, quia potuit, quia decuit, & quia expediens fuit.

Potuit autem Ecclesia dupliciter, tum propter authoritatem Prælatorum, & maximè Summi Pontificis, tum propter consensum subditorum. Propter authoritatem namque potuit, quoniam & si omnia Sacramenta respiciant authoritatem in dispensante aliquo modo, tamen illud Sacramentum pręcipuè inter alia. In cuius signum in ordinis datione loquitur potestatem habens, ille, videlicet, qui ordines confert, dicens: Accipe potestatem, & cæt. Et ideo istud onus, quod voluit Summus Pontifex conformiter ad Apostolicam traditionem huic ordini, siue Sacramento, alligare potuit, & sibi licitum fuit: sed huic authoritati & potestati successit in Latinis voluntas obtemperandi, quia tale statutum super se libenter receperũt; & hæc duo fecerunt statutum firmũ. At Græci terga dederunt: & quia non senserunt in tam nobile, & sanctum statutum, vt vasa sua seruarent munda, ablatum est eis regnum, & intelligentia Scripturarum, & datum est genti facienti fructum eius. sic itaque patet quod potuit. & hoc infra in Missarum expositione historica, amplius & dilucidius patebit.

Decuit quoque, & hoc propter duo, quoniam in actu carnali, qui est vsus matrimonij, vt plurimum, est libido, & in cohabitatione, vt plurimũ est solicitudo. Libido vero siue carnalis delectatio reddit fœtidũ, & immũdum, & solicitudo reddit diuisum. Et quoniam Clericum in sacris ordinibus constitutum decet esse mundum, & castum, cum ferat vasa Domini. Isa. 3. similiter & esse solicitum, & attentum, vt soliciteè, & attentè, & diligenter seruiat Domino, & studeat quomodo placeat Christo; ideo decens fuit eos ab vxoribus separari, vt per omnia fierent idonei cultores ministri Altaris. Si enim illi, qui comedebant panes propositionis (vt alibí dicitur) vasa sancta & munda habere debebant, quanto magis illi, qui agno immaculato assistunt, & conficiunt, dispensant, & sumunt, omni puritate, & sanctitate debent fulgere? & vasa sua custodire in sanctificatione, & honore, non in desiderij potestate? Ipsi enim sic in sacris constituti sunt vasa Spiritus sancti, & omni tempore debent esse munda. Connubia enim licet careant peccato, tamen tempore carnalis commistionis, non adest Spi-

ritus sancti gratia: etiam si propheta esse videtur, qui officio generationis obsequitur, vt 32.qu. 2. connubia legitima: & Gratianus ibid. §.1. sic ait: non autem datur pręsentia sancti Spiritus tempore, quo coniugales actus geruntur.

Demum, expediens fuit, & hoc propter duo. Primò propter vitandũ irregularitatis periculum. Secundò, propter vitandum latrocinium. Propter vitandum irregularitatis periculum, quia, si mulier quæ est vxor alicuius, cognoscat alium (cum naturæ sint procliuiores ad libidinem secundum Philosophum) atque ille vir postea cognoscat eam, iam irregularis est: & ideo si vxor Sacerdotis Græci fornicatur, iam amplius nec cum illa, nec cum alia rem habere potest. Sed quia difficilè est talibus abstinere, ideo frequenter in irregularitatem inciderent, & cum periculo ministrarent. Secundò propter periculũ latrocinij, siue, propter vitandũ latrociniũ. Si enim Episcopi, & Prælati, ac Sacerdotes filios haberent, omnia bona Ecclesiastica furarentur, & diriperent. Cum enim modo congregent (cum pace bonorum) & ditẽt nepotes quasi gradibus incomputabilibus ab eis elongatos: quid facerent si haberent filios legitimos? Vnusquisque penset quantum esset periculum: ideo Spiritus sanctus hoc offendiculum auferre voluit: & Dei Consilio hoc statutum fuit in Ecclesia Sancta Dei, vt clerici ad Sacros ordines venientes nullo modo matrimonio vti possent. Vnde in Concil. Carthaginem. 4. can. 2. de cælibatu Sacerdotum, & Episcoporum, sic ait: Ita placuit, & concedit, Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab vniuersis Episcopis dictum est: Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, & diaconi, & qui sacramenta contractant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant. dist. 84. cum in præterito. & dist. 31. Episcopus. Ideo rectè Diu. Hieronymus ad Nepotianum de vita clericorum, & alibi ita ait: Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquã mulierum pedes terant: quia non potest toto corde cum Deo habitare qui fęminarum accessibus copulatur. Fæmina conscientiam secum pariter exurit. Deinde sequitur idem in eodem capitulo: Nunquam de formis mulierum disputes. Fęminæ nomen tuum nouerint: vultum nesciant. Fęminam, quam videris bene conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere. hæc omnia habentur etiam. 32. dist. ca. 17. Hospitiolum. Vnde Greg. ait; quod clericus in sacris ordinibus constitutus plus peccat in concupiscendo, quam laicus cognoscendo, quæ viderit: Differentia enim magna est inter peccatum Sacerdotum, & populi, quia Sacerdos nõ dicitur peccare per ignorantiam: non enim licet ei, Dei mandata ignorare: in populo autem secus est. Si ergo malum est arg. a cõtrarijs, quod si vnum est bonum, reliquum est malum: fallit tamen in prodigalitate, & auaritia. Item duo contraria quandoque inueniuntur bõna, vt muliere, & non muliere: quotidie communicare, & non communicare. 18.q.1. Si enim. Et de consec. distin. 2. quotidie. Item, dicitur 23. dist. His igitur. Frequentationem Virginum clerici fugiant: & Glos. ibidem ait: Nota solam frequentationem prohiberi: ex eo enim quod frequenter fit, præsumitur quod malè fiat. 81. dist. Clericus.

Amplius nota, quod Apostoli de continentia nihil constituerunt, sed

solo exemplo illam docuerunt, vt notat Glos. dist. 82. cap. 2. & dicit Hugo, quod quædam constituit Ecclesia, quæ non fuerunt statuta ab Apostolis, vt de continentia ministrorum 35. qu. 1. 9. hac itaque in fine. Quod autem dicitur 83. dist. quod, scilicet, Apostoli docuerunt: verum est exemplo 31. dist. omnino non constitutione. Prima autem constitutio fuit Siricij de continentia, vt quicumque vellet promoueri ad Sacros ordines, faceret hoc non tantum promissa, sed etiam præeunte continentia. Hoc innui videtur 77. dist. quicumque. Hæc Glos. ibidem. vnde cap. 1. suorum decretorum, ait Siricius: quod præsbyter si vxorem duxerit deponatur ab ordine: & ideo fuit primus qui indixit continentiam clericis: Deinde Innocentius hoc idem statuit. Quod verò dicitur de Subdiaconatu ab Innocentio quod olim non erat sacer ordo tempore Siricij qui antiquissimus fuit nempè anno Domini 384. dicitur etiã quod non poterat contrahere; vt patet 32. dist. Si quis eorum qui ad clerum. & cap. erubescant impij. Et licet Synodus Apostolorum Diaconatum, & Subdiaconatum non diuidit, cum secundus includatur in primo: non enim potest quis Diaconus consecrari, nisi prius sit hypodiaconus: Tamen Beatus Ignatius, qui fuit Apostolorum discipulus distinxit, & post eum infiniti alij patres. Vnde nota etiam quod mos fuit Apostolorum temporibus custoditus, Sacerdotes, & Episcopos oportere seruare cælibatum post susceptum semel ordinem sacrum, vt docet Beatus Hieronymus contra Iouinianum tradens aliquot Apostolos habuisse quidem vxores vt etiam affirmat San. Ignatius ad Ephesios quinto, sed quas ante Apostolatum acceperant, eas post Apostolatum reliquisse, quoad coniugale officium. Eusebius etiam dicit quod excepto Petro nõ est manifestè relatum de alijs Apostolis quod vxores habuẽrint; & cum de vno scriptum est, & ceteris tacitum, intelligere debemus eos sine vxoribus fuisse, de quibus nihil tale scriptura significet. Ex quo loco elicitur, quod etiam si habuissent, cum essent sacrati, continere tenerentur. De continentia Sacerdotũ, diaconorũ, & Subdiaconorũ patet 84. dist. cum in præterito & c. seq. Hæc omnia considerẽt qui ad Sacros ordines promoueri desiderant, deinde accedant.

Orientales autem clerici ab occidentalibus differunt, quia ipsi siue sint coniugati siue non, promouentur ad Sacros ordines non præmissa continentia 31. dist. quoniam. Sed occidentales nunquam promouentur nisi continentia præmissa 28. dist. nullum. & cap. assumi. Orientales ergo licitè vtuntur matrimonio contracto ante Sacros ordines: postea in Sacris Ordinibus contrahere non licet. 31. distin. quoniam, & cap. aliter & Extr. de cleric. cõiugatis. Cum olim. immo mortua illa vxor quæ ducta est in minoribus, cum qua aliquis factus est Sacerdos, si postea contrahit deponetur. Sed hoc erat antiquitus, nunc autem aliter dicendum. Siluester statuit anno Domini 315. ne Subdiaconi possent amplius ducere vxorem.

De Subdiacono. Cap. 46.

PRimus autem ordo maiorum, & quintus in ordine, ordo est Subdiaconorum, quorum officium ex ijs quę eis iniungit Episcopus poterimus colligere: primum enim iuxta ordinationem Ecclesiæ Romanæ sic ait ad illos: Fratres dilectissimi ad sacrũ subdiaconatus ordinem promouendi, iterum atque iterum considerare debetis attentè, quod onus hodie vltro appetitis: hactenus enim liberi fuistis, licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire: quod si hunc ordinem susceperitis, non licebit amplius

plius a proposito resilire, sed Deo (cui seruire regnare est) perpetuo famulari, & castitatem illo addiuuente seruare oportebit, atque in Ecclesiæ Ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est cogitate, & si in sancto proposito perseuerare placet in nomine Domini huc accedite. In canone autem 26. Concilij Colonien. pridie ordinationis, initiandi Sacris præcipitur quod ita sint admonendi, nempè a vicario in pontificalibus induto: ne se alligent ordinandi cui nō possint satisfacere: ne mentiantur spiritui sancto: & benè ac sanctè præcipitur, vt etiā atque etiā cogitēt. Adferāt ergo singuli ordinādi secū humerale, vestē albā, cingulū, & manipulū habeāt in sinistra, vna cū veste leuitica, in dextera autē cęreū. Quilibet tamen Episcopus habet suas cęremonias, dūmodo in essentialibus non differant.

Quantum pertinet ad ordinationē Subdiaconi, sanè sic ait Hugo libro 2. p.3. cap. 10. Patribus placuit, vt qui Sacra mysteria contrectant, legē obseruent continētię, sicut scriptum est; Isa. 52. Mundamini qui fertis vasa Domini. Atque Subdiaconum etiam Græci Hypodiaconum vocant, quod Diacono subditus esse debeat, & stare illius iussioni & in omnibus ei obedire. Post hāc primam admonitionem, & dicta Letania, Episcopus denuo exhortatur eos, & ait; Adepturi fratres charissimi officium Subdiaconatus sedulo attendite quale ministeriū vobis traditur; Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium Altaris præparare, Diacono ministrare, pallas Altaris, & corporalia abluere, Calicem, & Patenam in vsum sacrificij eidem offerre, de ipsis oblationibus tantum in Altari ponere quātum possit populo sufficere, ne aliquid putredinis in sacrario remaneat. Pallæ Altaris, & corporalia in alio vase lauentur, nam ipsa lotionis corporalium aqua in baptisterium mergi debet. Studete itaque vt ista visibilia ministeria nitidè, & diligentissimè complētes, inuisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quippe sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus vt Io. vidit in Apoc. 8. Estote ergo tales, qui sacrificijs diuinis, & Ecclesiæ Dei dignè seruire valeatis in vera, & Catholica fide fundati, quod ipse vobis præstare dignetur, qui viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Mox vnicuique Calicem porrigit Episcopus vacuum vna cum Patena, & Archidiaconus; quia illi velut in adminiculum ordinatur: dat ei vrceolos cum vino, & aqua, gutturnium cum mappula: Episcopus autem dans illi Calicem, dicit: Accipe calicem salutis in nomine Domini. Ad omnes verò Subdiaconos, sic ait: Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, quod Deo placere possitis. Postremo præmissa oratione, benedicit ordinatos. benedictione finita, Episcopus cuilibet imponit humerale, idest, amictum super caput, & tunicam leuiticā tradit induendam, librum quoque Epistolarum porrigit, & ait: Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei tam pro viuis, quam pro defunctis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Ad extremum iniungit singulis, vt orent quotidie Septem horas canonicas pro consuetudine diœcesis.

Subdiaconi, secūdum Isid. 21. dist. perlectis: debent in templo Domini oblationes a fidelibus suscipere: & leuitis superponendas Altaribus deferre: Calicem, & Patenam ad Altare Christi deferre leuitis tradere, & eis ministrare: vrceolum quoque cum vino, & aqua, manile, & manutergium tenere: corporalia, & substratoria lauare, de quibus rectè placuit patribus 31. dist. lex. & c. omnino.

Verba ergo supradicta Episcopi, &

vtensilia, sunt essentialia huius ordinis: cætera verò sunt de solemnitate. Imperator gerit officium Subdiaconi in die consecrationis suæ, receptus primò in canonicum, a canonicis sancti Petri, ministrat Sanctissimo Papæ in Missa in officio Subdiaconatus, parando calicem, & huiusmodi faciendo tantum. De hoc ordine dicitur in Epistola Ignatij Discipuli Euangelistæ Ioan. ad Ecclesiam Antiochenam: saluto Subdiaconos, saluto lectores, cãtores, Ostiarios laborantes, & exorcistas. Tempore ergo Apostolorum fuerunt Subdiaconi, vt 35. dist. Episcopus, quia ille canon est Apostolorum. Sed non fuit sacer ordo adhuc. Extr. de ætate, & qualitate. A multis.

Habuit, & hic ordo figuram in veteri testamento, si quidem Nathinei in hoc erant constituti a Dauide, & Principibus vt inseruirent Leuitis, sicut eorum 122. missi sunt ad Iudæos cum reuerterentur ex captiuitate Babylonica: Quemadmodum ergo nũc in Ecclesia Subdiaconi ministrãt Diaconis, & seruiunt ad omnem nutum; ita quondam Nathinei seruiebant Leuitis; nomen autem habuerunt Hebraicè Nathã quod est dare, eo quod illorum officium erat Leuitis porrigere ligna, aquas, & omnia necessaria in templo. Hugo enim, & post eum Petrus Longobardus, item, & Durandus interpretantur Nathinei, idest, in humilitate Deo seruientes, nos verò secuti sumus eos qui linguam sanctã nouerant, Christus hoc officium exercuit, quando cæna facta mittens aquã in peluim pedes discipulorum lauit. Io. 13. quia Apostoli erant vasa Spiritus sancti. Hinc est quod tenentur lauare vasa sacra, sicut fecit Christus qui lauit Apostolos qui erant vasa Spiritus sancti: sicut nunc sunt vasa quæ lauant ad vsum sacramentorum. Ad lauandum autem vasa Sacra, & purificatoria, & huiusmodi debet minister habere propria vasa vt præcipitur in Concil. Illerden. & citatur canon a Gratiano de cõsec. dist. 4. omnis presbyter. Dicens: statuitur quod Sacerdos ad baptizandi officium & ad vestimenta altaris lauanda, debet habere propria vasa. Nota secundum Catechis. & ita colligemus fragmenta ne pereant; ibidem num. 19. Subdiaconus inquit, significat quod eius officium est esse sub Diacono. Et primò diacono ad altare inseruire. Secũdò sacra lintea, vasa, panẽ, & vinũ ad sacrificij vsum necessaria parare. Tertiò, Episcopo, & Sacerdoti aquam præbere cum manus in Missæ sacrificio lauant. Quartò, Epistolam in Missa legere. Quintò, tanquam testis ad sacrũ adsistere, prohibereque, ne Sacerdos Sacra faciens a quopiam perturbari possit. Sextò. Ad ipsum quoque spectat deferre crucẽ in processionibus.

Materia huius ordinis item est duplex, altera est liber Epistolarum: altera autem calix cum patena. Character autẽm imprimitur in traditione calicis. Forma sunt verba ab Episcopo prolata. Onera subdiaconi sunt duo. Onus recitandi officium diuinum, & votum castitatis.

Multi ritus & maximè notandi seruantur in collatione huius ordinis. Primò examinantur quo ad scientiã, & requisita, maiori cum diligentia quam in alijs superioribus ordinibus, quia nequeunt amplius regredi. Secundò. Datur illis titulus, vel patrimonij, vel beneficij, vel paupertatis vt in religiosis, quod sufficit ad illorum sustentationem; quod ideo fit, vt habentes vnde viuant, possint sine cura, & solicitudine circa victum, semper Deo vacar, ecui in hoc ordine mancipantur. Nam vt dicit Glos. 70. dist. ver. ab Episcopis. Nullus ordinandus est sine titulo, id est, sine Ecclesia, vel Ecclesiastico beneficio; & si fuerit ordinatus debet deponi tam in iniuriam ordinantis, quam ordinati: quia permisit se sic promoueri 16.

qu 7. decernimus, & Extr. de præbendis. Dilectus. Extr. de filijs præsbyterorum proposuit. Ne illis dicatur: mendicat in plateis infelix Clericus. 93. distin. Diaconi. Sed hodie prouisum est, vt Episcopi prouideant eis. Extr. de præbendis Episcopus. & Concil. Triden. sess. 23. cap. 6. vbi præcipit ne quis ordinetur absque titulo. Tertiò, parantur cum alba, quæ significat puritatem vitæ, & cum cingulo, qui significat fortitudinem ad diuina officia exequenda, cui mancipantur. Amictum verò nunc non ponunt super caput. Quartò, Episcopus monet ordinandos, vt attentè cogitent onus, quod per hunc ordinem appetunt, nempè quod se ponunt in statu in quo tenentur seruare castitatem. Quintò, quod obligant se ad perpetuo Deo seruiendum, & præcipuè ad horas canonicas recitandas, vt dictum est. Sextò, quod se exponunt, vt in Ecclesiæ ministerio semper sint mãcipati. Et ideo Episcopus dat tempus cogitandi, si cum talibus oneribus suscipere volunt. Septimò, Post hoc, prosternunt se ordinandi maioribus ordinibus, & tamquam mortui decumbunt, vt ostendatur quod mundo moriuntur, vt Deo resurgant, & viuant. Octauò, Dum recumbunt fiunt præces a clero, & Episcopo super illos, & dicuntur Litaniæ, vt eligantur isti ministri a Deo per sanctorum intercessionem, Nonò, Surgunt & Episcopus tunc longa oratione admonet illos de officio ipsorum rectè peragendo. Decimò, Episcopus dat calicem cum patena & Archidiaconus (vt intelligatur Subdiaconũ Diacono subseruire; dat vrceolos aqua, & vino plenos, vna cum lebete, & linteolo, quo manus absterguntur. Vndecimò, Addunt aliæ præces, & Episcopus petit illis dona Spiritus sancti. Duodecimò, Episcopus amictum imponit super caput, dicens; significare castigationem vocis. Decimotertiò. Dat manipulum, dicens significare fructum bonorum operum. Quartodecimò. Imponit tunicellam, dicẽs significare tunicã iustitiç. Vltimò tradit librum Epistolarum. Hæc ex Catechismo: ibidem num. 19. & ex Pontificali, ac Diuo Thom. 3. part. q. 11. supplem.

Nota quod si quis ordinatus fuerit in Subdiaconum a Domino Papa ad superiores ordines sine licentia Papæ ab alio ordinari non debet: siue in subdiaconum, siue in alios ordines lib. 1. de tempor. ordina. cap. 11. & Glos. ibidem, vbi ait: quod ordinatus a Papa honoratur, & oneratur. Onus est, quia potest iudicari ab Episcopo suo: vt decr. per tuas. de maio. obed. Honoratur autem a Pontifice, qui dignatus est illum ordinare siue cõsecrare.

In multis autem est honor, quia non potest nisi pluribus testibus conuinci. 2. q. 4. præsul. & cap. nullam. Item, quia maior honor ei debetur quam alijs. ibidem per tuas. Item non potest cogi ab Episcopo recipere ordines. arg. de consec. dist. 2. c. vlt. Lucius I. Romanus anno Domini 254. Instituit ex decreto, vt duo Sacerdotes & tres Diaconos comitentur Episcopum tamquam testes vitæ ipsius. Et quod nullus clericus solus loquetetur cum fœmina sola.

De Diacono. Cap. 47.

NVllus dubitare potest ordinem Diaconatus, non esse ordinem sacrum cum sit verè sacer, & in scripturis fundatur, refert enim Lucas Act. 6. ita dicens: conuocantes duodecim multitudinẽ discipulorum dixerũt. Cõsiderate fratres viros ex vobis boni testimonij septẽ, plenos Spiritusancto, & sapiẽtia, quos constituamus super hoc opus, & elegerũt Stephano virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenã, &

& Nicolaum aduenam Antiochenũ: hos statuerunt ante cospectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Hęc autem fuit ordinatio. Lutherus iniquissimus conatur despoliare Diu. Stephanum hoc gradu ordinationis suæ, dicens: non esse hanc electionem factam ad opus aliquod diuini cultus, sed vt tantum ministrarent ad viduarum mensas. Quid autem ad hoc profuisset eis impositio manuum? Ministrasse quidem eos nullus negat, sed non in hoc tantum, verum etiam in cultu diuino, vnde non longè post electionem Diaconorum subdit Lucas, quia Stephanus plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Ecce quomodo hic non ministrauit tantum ad mensas, sed miracula magna fecit, nõ sine Doctrina, qm̃ omnes Iudęi non poterant resistere sapientię, & spiritui qui loquebatur per eum.

Hoc ipsũ constat ex Apostolo quoque 1. Tim. 5. Is enim post enumeratas Episcopi uirtutes, conditionẽ quoque Diaconi subinde describit, & inter alia, ait: Diaconi habent ministerium fidei in conscientia pura, & ij probentur primum, quia cum bene ministrauerint gradum bonum sibi acquirent, & multam fidutiam in fide, quæ est in Christo Iesu. Philippus item unus è septem a Luca uocatur Euangelista. Act. 21. Et sic sentit Ambrosius super Epistolam Pauli ad Ephes. 2. dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios uero Euangelistas, vbi Ambrosius putat per Euangelistas intelligi Diaconos: qui, & si non sint Præsbyteri, Euangelizare tamen possunt quamuis non in cathedra Doctrinæ, sicut Stephanus, & Philippus fecerunt. Apostolus quoque habuit Diaconum nomine Tychicum, per quem Epistolam suam misit Thessalonicensibus vt affirmat Hieronymus. Dionysius etiam ordinationem Diaconorũ describit, quanto cum apparatu sit olim exhibita temporibus Apostolorum: Clemens item Beati Petri Discipulus inter mysteria fidei meminit Diaconorum, & ait; Si nobis Episcopis non obedierint, omnes Præsbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & reliqui. Clerici, & cæt. Origines item author vetustissimus, inquit, super Num. Putasne qui Sacerdotio funguntur & in Sacerdotali ordine gloriantur secũdum ordinem suum incedunt, & agunt omnia quæ illo ordine digna sunt? Similiter autem, & Diaconi; putas secundum ordinem ministerij sui incedunt? Ergo erat Diaconorum status in primitiua Ecclesia. Hic ordo à Tribu Leui accepit exordium. Numer. 3. & 8. Præcepit enim Dominus Moysi vt post ordinationem Aaron Sacerdotis & filiorum eius rursus Leui Tribus in diuini cultus ministerijs ordinaretur & consecraretur Domino pro omnibus primogenitis, & seruiret pro Israel coram Aaron & filijs eius in tabernaculo Domini, excubans in templo die ac nocte, ipsisque gestarent arcam & Tabernaculum, & omnia vasa eius, &c.

Quid vero exigat officium Diaconorum, ex eorum ordinatione optimè colligitur: ita .n. ad eos dicit Episcopus. Prouehẽdi dilectissimi filij ad Leuiticũ ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiæ ascẽditis; Diaconum namque oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare. Curate vt quibus Euangelium ore annunciatis, viuis operibus exponatis, vt de vobis dicatur, Beati pedes Euangelizantiũ pacem, Euangelizantiũ bona. Habete pedes vestros calceatos Sanctorũ exemplis in præparatione euangelij pacis, quod vobis Dominus concedat per gratiã suam. Amen.

Et post hæc Episcopus alloquitur populum dicens, commune votum communis oratio prosequatur; hinc adhortatur omnes orare pro Diaconis:

nis: ipse quoque subiungit collectam piam cum præfatione, vbi,& imponit manum suam super caput Diaconi, & ait: Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini. Mox stolam adreptam induit illi dicens: Accipe stolam candidam de manu Dei, imple ministerium tuum, potens enim est Dominus vt augeat tibi gratiam suam, qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Ideo stola per quam Christi iugum significatur, accipit; quia Euangelium, in quo de ipso iugo lecturus est, continetur sicut, & Dalmatica vtitur, vt discat occultam rationem sublimium indagare. Deinde induit ei Dalmaticam, & ait: Induat te Dominus vestimento salutis,& circundet te semper indumento letitiæ in nomine Domini. Amen. Porro Episcopus porrigit illi librum Euangeliorum, dicens: Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis quam pro defunctis in nomine Domini. Vltimo concludit ordinationem hanc, cum benedictione, & collecta.

In primitiua Ecclesia pręter ea, quę Paulus scribit, plures fuerunt de Diaconis sanctiones, ait enim ita Clemēs de eis. Diaconi sint tamquam oculi Episcopi, oberrantes, & circumlustrātes cum verecundia actus totius Ecclesiæ, perscrutātes diligentius, si quē videant fieri vicinum præcipitio, & proximum esse peccato, vt hoc referant ad Episcopum, & ita Episcopo suggerere, quæ ad cultum Ecclesiæ, & disciplinam eius pertinent, Diaconibus cura sit. Sanctus quoque Euaristus qui vixit anno Domini 96. sub Traiano, ad Aphros, ita scribit; Diaconi (qui quasi oculi videntur esse Episcopi) in vnaquaque Ciuitate iuxta Apostolorum constituta septem debent esse, qui custodiant Episcopum prædicantem, ne aut ipse ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut lædatur a suis: hoc idem affirmat Platina in vita huius Pōtif. Officiū quoq; Diaconi est, vt adsistat præsbytero, illique in omnibus seruiat, quæ ad Sacramenta Ecclesiæ pertinent. Secundum Isidor. 31. distinct. lex. 21. distin. Cleros. Diaconi Græcè, Leuitæ Hebraicè, Latinè vero Ministri, siue assumpti; siue offerentes. Diaconos non posse ordinari, nisi habentes bonum testimonium, & in minoribus, ordinibus probatos, ac literis instructos: diebus vero saltem festis communionem accipere debere, statuit Sacrosancta Trident. Synodus. sess. 23. capit. 2. de reform.

Diaconus secundum Thom. 4. distinct. 5. quæst. 2. artic. 1. quol. 2. non est proprius minister baptismi nec alicuius Sacramenti, sed aliquorum Sacramentalium, sicut exorcismi, & expulsionis immundorum à Diuinis; vt cum dicit, si quis Iudæus est, abscedat: & eruditionis eorum qui ignorant qualiter se habere debeant ad diuina, vt cum dicit, flectamus genua, & humiliate vos ad benedictionem, vel aliquid huiusmodi: & ad eū pertinet prædicare Euangelium, & in Ecclesia recitare, quod est quasi loqui linguis: sed ad Præsbyterum pertinet interpretari. hæc ille, & 3. quæst. 67. art. 1. ait. Ad Diaconum nō pertinet quasi ex officio proprio tradere Sacramentum baptismi, sed in collatione huius, & aliorū assistere, & ministrare maioribus. Vnde Isid. ait: ad Diaconū pertinet assistere, & ministrare maioribus Sacerdotibus in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Christi in baptismo, scilicet, in Chrismate, in Patena, & Calice & habentur dist. 25. ca. perlectis. §. ad Diaconum.

Ad ipsum quoque pertinet officiū præcum, idest, recitare Litanias: & recitatio nominum eorum, qui ordinandi sunt, vel etiam baptizandi.

Manus super Diaconos imponuntur, quia donis Spiritus sancti in men-

te imbuti ad opera Christi mittuntur. Et etiam exemplo Apostolorum hoc fit: vt ibi legitur, loco citato, scilicet, Act. 6. Hos statuerunt, &c. In quo ostenditur non solum Episcopum, verum etiam præsbyteros tunc astantes debere manum super Diaconos dum ordinãtur, imponere. Numquid enim potest plus præcari solus Episcopus, quam plures Apostoli? Imponentes enim manus non dant Spiritum sanctum, sed orant, vt super eos veniat.

Cum igitur vsus omnium bonorũ non sit in vno, sed in pluribus: merito plures manus imponunt, vt vnusquisque Dominum depræcetur, vt partem de Spiritu suo tribuat ordinando ad instar Moysis, de cuius Spiritu Dominus dedit septuaginta viris.

Suspensio manuum fit, dum oratio super caput ordinandi effunditur, extra. de sac. non iter. cap. fi. & nota quoniam tunc, & super confirmatos in frontibus: & cum, sal, & aqua, pallæ Altaris, vestes Sacerdotales, & similia benedicuntur, quod ideo hæc manuũ suspensio fit; quia virtus quædam inest manibus consecratis, quę quasi suscitatur, dum benedictio cum huiusmodi manuum suspensione super res effunditur benedicendas. Vnde 1. Timot. 1. dicitur. Moneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Vt sicut corde per affectum: sic corpore per suspensionem manuum, excitetur deuotio. Non enim solũ in rebus animatis, verum etiam in inanimatis virtus consistit. Huiusmodi suspensio fit quoque in prolatione exorcismorum quasi Sacerdos ipso corporis actu, fugando diabolo virtute consecrationis manuum comminetur.

Diaconus vtitur Dalmatica, vt discat occultam rationem sublimium inuestigare. Diacono traditur stola cum ordinatur, & codex Euangelij, sub certis verbis, vt supra adnotauimus, quæ res, & verba sunt essentialia huius ordinis: cætera sunt solemnitatis. Christus hoc officium exercuit, quando post cœnam Sacramentum Corporis & sanguinis sui proprijs manibus Discipulis tradidit, & iterum quando hortatus est illos ad orãdum dicens: Vigilate, & orate ne intretis in tentationem. Mat. 13.

Typicè iam olim figurauit hunc ordinem, gradus Leuitarum, à tribu Leui filij Iacob. Leuitæ autem idest adsumpti sic uocabantur, quoniam adsumebãtur in auxilium Sacerdotum, vt Eleazar & Ithamar. Sic enim dicitur Num. 3. Dixit Dominus ad Moysem, applica tribum Leui & fac eam stare in conspectu Aaron Sacerdotis, & ministrent ei, & excubent, idest, uigilent & obseruent, quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo testimonij, & custodiant uasa Tabernaculi, seruientes in ministerio. Sicut enim in Sacerdote consecratio, ita in Diacono ministerij dispẽsatio debetur.

A quinquagesimo autem anno iussi sunt Leuitæ uasa custodire: & à uigesimo quinto anno, & supra, iussi sunt in Tabernaculo deseruire tamquam ætatis robustæ ad onera portanda qui possent arcam fęderis, mensam propositionis, & uasa Tabernaculi deportare. Quod, & in nouo testamento recolitur, cum Diacono supra sinistrum humerum stola imponitur: & in diebus ieiuniorum super eundem humerum casula complicatur: quia quicquid laboris in hac uita sufferimus tamquam in sinistra portamus, donec à sinistra transeamus in dexteram, in qua requiem habeamus. Hinc etiã Diaconi Cardinales mensam Lateranensis Altaris humeris suis in die Cœnæ ad sacrarium & in Sabbatho Sancto ad Altare deportant.

Subdiaconus tamen lecturus Epistolam, casulam deponit, qua lecta eam resumit, nempe in diebus ieiuniorum. & Diaconus lecturus Euangelium,

gelium, illam exuit: & eam decenter plicatam super sinistrum humerum imponit, & sub brachio dextro ligat, ita quod ad modum stolæ descendat: & sic eam tenet, donec dicatur vltima oratio, post communioné: tunc enim illam induit sicut prius. Hæc autem sunt plena mysterijs.

Portant planetas tempore ieiuniorum, ad ostendendum se teneri ad tãtam perfectionem illo tempore ad quantam tenentur Sacerdotes alijs temporibus; & ad notandum quod ex charitate, quæ per planetam significatur, ministrant: & non ex timore, pro vt fiebat in lege, quæ erat lex timoris, & quod sine charitate factum est, meritorium non est.

Ferrunt illas eleuatas ab anteriori parte, vt liberius valeant ministrare, & ad ostendendum quod ipsi, quæ retro sunt obliuiscuntur, & feruntur ad anteriora. Philip.3.

Portant etiam illas super brachia eleuatas, ad denotandum quod opere debent charitatem ostendere quam gerunt in mente: per manus enim, & brachia congruè designatur charitas.

Subdiaconus illam deponit lecturus Epistolam: quia ipse ex officio suo veterem legem repræsentat.

Vnde, & Epistolæ quandoque sunt de veteri testamento, sub quo seruiebatur ex timore. Quia ergo illud durauit quamdiu lex durauit: ideo ad hoc figurandum donec finiatur Epistola, non tenet planetam, quæ designat amorem, de quo agit nostra lex noua, quæ amoris & charitatis, est plena.

Diaconus verò non deponit eam legens Euangelium, sed iuxta modũ stolæ competentis suo officio, illam sibi adaptat: quia eius munus est Euãgelicam doctrinam docere, quæ est lex amoris: & hoc ex amore qui facit iugum Domini suaue; quod iugum, ex quo omnia mundana præmuntur, per stolam super sinistrum humerum significatur. Cingitur autem planeta, idest, charitate, ab sinistro in latus dextrum: vt sit ei suaue iugum Domini, in prosperis, & aduersis quæ per sinistram, & dexteram designantur.

Et quoniam Diaconus duplex gerit officium, scilicet, prædicandi, & ministrandi: ideo lecturus Euangelium propter prædicandi officium casulam deponit: & illam super humerum portat: quia Prædicator in præsenti vita opera populi debet portare: quod a legali Sacerdote tractum est: qui dum sacrificabat, summitates balthei, idest, cinguli super humerum reflectebat: ideo propter hoc pendent retro dalmaticæ lemnisci, qui vulgo, fiocchi, dici solent: tamen hodie more Romano non portantur, mendicantes autem antiquas tenent cęrimonias.

Pro officio autem ministrandi Sacerdoti, quia propter instantes necessitates, ire atque redire habet, dexteram debet habere liberam, & expeditam. Insuper Diaconus, & Subdiaconus lecturi suas lectiones, ille Euangelium, iste verò Epistolam, deponunt casulas quasi profitentes non esse propriam vestem: sed ob reuerentiam tẽporis recipere accommodatam.

In fine Missæ induunt Planetam, ad notandum, quod non sufficit inchoare opus suum in charitate, nisi etiam, & in charitate perficiatur.

Nota, quod Diaconus dicit, dominus vobiscum, tantum dum cantat Euangelium; & non quando recitat officium, quia tunc non fungitur officio Sacerdotis, siue Prædicatoris, vt fecit Booz, vt dicetur infra.lib.2.cap.34 in fine de salutatione.

Perfuncti sunt hoc ordine Apostoli post acceptum Spiritum sanctum, quando ordinarũt septem Diaconos: vnde postea ex hoc Apostolorum facto, natus est mos ille laudatus, qui a sanctis Episcopis institutus est, vt in qualibet Episcopali ciuitate sint Diaconi septem, qui & significati sunt per

Angelos septem tubis canentes in Apocalypsi: per candelabra septem, quę ante Deum vniuersam illustrant Ecclesiam; per voces septem tonitruum.

Ex Catechismo autem ibidem numero 20. dicitur quod hoc nomē Diaconus, idem est, quod minister, est enim minister Sacerdotis. Eius ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est, quam sit ministeriū Subdiaconi: ex Pontificali Subdiaconus enim seruit Diacono. Officiū autem Diaconi, est multiplex. Primò, in Episcopum. Secūdò, in Sacerdotem; Tertiò, in sacrificium Missæ. Quartò, in bona Ecclesiastica. Quintò in populum, in Catechumenos, & ordinandos adesse.

Primò ad eum pertinet Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique vel etiam Sacerdoti sacra facienti, vel alia sacramenta administranti præsto esse: & in Missæ sacrificio Euangelium legere, vt dictum est. Secūdò, olim fidelium animos sæpius excitabat, vt sacra attenderent. Tertiò, Sanguinem administrabat, vbi erat consuetudo sub vtraque Specie communicare, vt patet fecisse sanctus Laurentius. Quartò, Diacono, Ecclesiasticorum bonorum dispensatio cōmissa erat, vt vnicuique ad victū necessaria subministraret: vt patet de san. Stephano. 6. Acto. 5. Ad diaconū pertinet tamquam Episcopi oculum peruestigare quinam in Vrbe piè, & religiosè quique secus vitā traducant: qui ad sacrificium, & concionem statutis temporibus conueniant, qui rursus non conueniant, & de his certiorem facere Episcopū, vt statuat quid sit faciendum. Sextò, Catechumenorum nomina recitare debet, & eos qui ordinis sacramento initiandi sunt ante Episcopum statuere. Septimò, licet si absens sit Episcopus, & Sacerdos, Euangelium explanare, non tamen è superiori loco, vt intelligatur hoc eius proprium onus non esse. Hodie tamen hoc non obseruatur.

Materia huius ordinis est liber Euangeliorum. Forma sunt verba ab Episcopo prolata. Onera Diaconi sūt eadem quæ, & subdiaconi, scilicet, seruandi castitatem, & recitandi officiū. Ritus qui seruantur in collatione huius ordinis, sunt sequentes. Primò, sacræ literæ docent in Diacono requiri præcipuas virtutes, vt scribit Apost. ad Timot. & Catechis. ibid. num. 21. Secundò, Diaconus se induit & prosternit, &c. vt dictum est de Subdiacono, ex Pontificali. Tertiò, Episcopus, pluribus & sanctioribus præcibus ad diaconi, quam ad Subdiaconi ordinationem vtitur, & peculiaris, ad illum facit monitiones. Ex Catechis. ibidem. Quartò, vestis, illi peculiares dantur, stola, & dalmatica, ex Pontificali. Quintò, Episcopus super eum manus imponit, quod factū est ab Apostolis cum primo Diaconos instituerunt. Ex Catechismo ibidem.

His omnibus visis debent præponi hæc ordinandis. Primò, oportet, eos examinari, vt sic audiantur atq; probentur, sintne digni, & idonei, qui admittantur ad ordinem. cap. quando Episcopus. 24. dist. quatenus ita impleatur præceptum Pauli de nō imponendis facilè manibus cuiuis, sed dignis tantum.

Secundò: Non decet pecunia comparari ordinem aliquem sacrum, quia hoc foret Simoniacum, & quisquis in hoc casu, vel accipit, vel exponit, erit excommunicatus 1. q. 1. quicquid id enim aduersabitur Christi dicto, gratis accepistis, gratis date.

Tertiò: Non debet mancipium siue seruum ad ordines promoueri, saltem sine consensu Domini, & assertione in libertatem.

Quartò: Homicidæ quoque ordinari non debent. de æta. & qual. ord. ca. vltim.

Quintò: Nemo ordinetur, qui non habeat ætatem competentem, vt pa-

tet ex Concil. Tridentin. Sess. 23.

Sextò: Illegitimi similiter ab ordinibus arceantur. de filijs Presbyterorum cap. 1.

Septimò: Nullus ex aliena diœcesi sine permissione superiorum, similiter nullus Religiosus sine licentia sui Prælati. 71. dist. c. 1. cum seq.

Coniugati quoque prohibentur ab ordinibus: de sacris intellige: de Cle. coniug. capit. Sanè, 1. & 28. dist. nullum.

Nullus apostata siue scismaticus admittatur ad ordines: dist. 1. c. vlt. de Apost. cap. 1. & ca. vt periculosa ne cler. vel mona. lib. 6.

Nullus excommunicatus ordinari debet. cap. cum illorum. de senten. excom. Nullus quoque bigamus, nullus, qui vxorem habuit viduam est ordinandus.

Nemo mutilatus; Item, nullus furiosus, amens, puer, quod vsu rationis carent Catechis. num. 33. Debent ergo promoueri illi ad ordines qui vocati sunt a Deo tamquam Aaron; & ille dicitur a Deo vocatus tamquam Aaron qui a legitimæ Ecclesiæ ministris vocatus est. Secundò. Qui ad ordinem recto fine & intentione accedit; & non causa honoris, vel pinguium beneficiorum: quia isti non intrarent per ostium in ouile ouium, sed per fenestras: sunt & aliæ irregularitates apud canones.

De Officio Archidiaconi. Cap. 47.

ANtequam de Sacerdote dicamus, dignum ducimus dicere de Archidiaconi officio, ex titulo 23. lib. 1. decretal. Greg. 9. qui quidem titulus continet capita decem. Primum autem caput sumptum est ex libro Romani ordinis. Summa verò capituli est, quod ponit ea, quæ spectant ad officium Archidiaconi. Casus. dicitur ibi quod Archidiaconus est vicarius Episcopi in omnibus, quæ ad eius pertinent; similiter & causæ clericorum, & in vrbe, & extra vrbem ad ipsum pertinent: & conuersatio eorum, & onus & restauratio Ecclesiarum, & doctrina Ecclesiasticorum, & correctio excessuum. Item, de triennio in triennium cum Episcopus fuerit impeditus, debet totam visitare diœcesim, & ad vicem sui Episcopi corripere corrigenda.

Qualiter hodie visitent Archidiaconi tradit Concil. Tridentinum sess. 24. in decreto de reformatione. cap. 3. Nota ergo ex hac decretali, quod Archidiaconus est vicarius Episcopi, & quod potest corrigere.

In capitulo secundo ex Concil. Toletano ponuntur quædam quæ spectant ad officium Archidiaconi. Casus. dicitur ibi; quod ad officium Archidiaconi pertinet legere Euangeliũ quando voluerit, vel præcipere alicui diacono quod legat: & quando Episcopus debet Missam celebrare, præcipere debet Sacerdotibus, vt induant se vestibus sacris, vt Episcopo ministrent. vt bini honestè, & demisso vultu id faciant. Item, in Matrice Ecclesia nullus debet legere Respõsorium, aut Epistolam, aut lectionem cantare, donec primo ab ipso auscultentur: debet etiã ordinare Acolytos quis eorum debeat deferre candelabrum, & quis thuribulum. Nota ibi quod ad officium Archidiaconi pertinet Euangelium legere, & ad officia Ecclesiæ ordinare, & illos qui legere, vel cantare debent, in matrice Ecclesia, auscultare.

Gregorius verò Papa tertius Archidiacono Salonitano scribens, decreuit in capitulo tertio, quod custodia vasorum Ecclesiæ spectat ad Archidiaconum. Casus. Archidiaconus Salonitanus habuit custodiam vasorũ, & aliorum ornamentorum Ecclesiæ; Archiepiscopus Salonitanus significauit Domino Papæ, quod Archidiaconus negligens erat circa prædicta,

custodienda. Super hoc scribit Papa Archidiacono, dicens; quod districtè inquirat ab ipso de vasis Ecclesiæ, quę illic collecta sunt, qualiter custodiuntur: si aliquid ex negligentia vel fraude ipsius perierit, ipse in hoc punietur, & tenebitur ad restitutionem ipsorũ, cum ipse ad hoc ex officio teneatur. Nota in Pręlato negligentiam, & fraudem comparari.

In capitulo quarto scribit Alexander Papa Tertius Elien. Archidiacono, quod Archidiaconus sine mandato Episcopi, non committit curam animarum, id est non habet institutionem authorizabilem. Casus. Archidiaconus Eliens. sine licẽtia Episcopi sui committebat curam animarum, dicens; hoc ex consuetudine sibi licere, Episcopus conquæstus fuit Papæ de hoc; dicit Papa quod obtentu alicuius consuetudinis non debet facere contra institutiones Sanctorum patrum. Vnde præcipit ei quod nulli committat curam animarum sine licentia, & mandato suo Episcopi. Nota ibi quod ad Episcopum spectat cõmittere curam animarum non obstãte consuetudine, quæ præscripta non sit.

Idem Pontifex scribit in capitulo quinto Episcopo Vigoriensi, quod Archidiaconus de iure communi non potest excommunicare. Casus. Archidiaconi de iure communi non possunt in aliquos sententiam promulgare, nisi authoritate Episcoporum: secus tamen est de consuetudine. Not. ibi Archidiaconus non posse excommunicare nisi authoritate Episcoporum.

In capitulo autem sexto idem Pontifex scribit Episcopo Conuentren. & Abbati Cestren. quod Archidiaconus semel in anno (nisi necessitas exigat plus) visitat suam Prouinciam, idest, parochiam *sed de hoc vide Concil. Trident. eod. cap.* 1. Casus. Dicitur ibi quod semel tantum in anno debet Archidiaconus visitare suam parochiam, nisi necessitas exigat quod pluries uisitet. Vbi notatur ex illa decretali quod Archidiaconus non debet pluries in anno visitare, nisi ex causa rationabili.

In capitulo septimo. Innocentius Papa Tertius dicit primo quod sit officium Archidiaconi: & in quo per illud reueletur Episcopus. Et secundo dicit Decanos rurales per Episcopum, & Archidiaconum eligendos, & admonendos, si illorum vices communiter gerant. Casus. Quæsitum fuit à Papa quid pertineat ad officium Archidiaconi, & in quibus per ipsum cura Episcopalis solicitudinis releuetur. Respond. Papa secundum statuta Isidori, imperat Subdiaconis, & Leuitis & solicitudo parochiarum, & ordinatio earumdem pertinet ad ipsum: audire debet iurgia singulorum: Archipræsbyteri rurales, qui decani vocantur, subiacere debent eidem. Item secundum constitutionem Romani ordinis maior post Episcopum & eius Vicarium reperitur. Item in Epistola Beati Clementis Papæ, oculus Episcopi nominatur, & loco ipsius per Episcopatũ corrigit corrigenda, & emendanda emendat, nisi adeo ardua fuerint negotia, quod absque maioris sui præsentia nequeant terminari. Item, in quadam constitutione Innocentij continetur, quod ad Episcopum pertinet institutio corporalis tam in beneficijs quam in dignitatibus, & examinatio Clericorum, qui ad ordines promouentur ad ipsum pertinet, & ipse debet eos Episcopo præsentare. Quæsitum fuit insuper vtrum decani rurales, qui pro tempore instituuntur, debeant ad mandatum Episcopi, vel Archidiaconi, vel etiam vtriusque institui, vel destitui, si fuerint amouendi. Ad hoc respondet Papa, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, & ipsi decani commune officium vtriusque exercent, & ideo communiter

per eligendi sunt, vel etiam amouendi. Nota in quibus de iure communi cõsistit officium Archidiaconi. Secundò Archidiaconus imperat Subdiaconis & Leuitis. Tertiò solicitudo, & ordinatio parochiarum pertinet ad ipsum. Quartò debet Archidiaconus audire causas singulorũ. Quintò Decani rurales subsunt Archidiacono. Sextò Archidiaconus maior est post Episcopum, & eius Vicarium. Septimò Archidiaconus dicitur oculus Episcopi, & loco ipsius corrigit excessus subditorum. Octauò institutio corporalis in beneficijs, & dignitatibus, ad Archidiaconum pertinet. Nonò examinatio Clericorum, qui ad ordines promouentur, ad ipsum pertinet, & eos debet præsentare Episcopo. Vlti mo nota quod omnes tangit ab omnibus approbari debet.

Idem Pontifex ait in capitulo octauo, quod archidiaconus non dat commendatitias ad ordines. Casus. Archidiaconus sine consciẽtia Episcopi sui, & authoritate, literas suas promouendis non concedat, & ordinandi per literas Archidiaconi, promoueri non debent: quod si fecerint, Episcopus interdicat eis executionem ordinum taliter susceptorum. Nota ibi quod Archidiaconus non potest dare commendatitias literas promouendis.

Idem in capitulo nono scribit, quod Archidiaconus, examinat, & præsentat ordinandos, & ponit prælatos in sede. Casus. De iure communi ad Archidiaconum pertinet repræsentare ordinandos Episcopo, & illos examinare, ponere Abbates, & abbatissa in sede. Nota ex illa decretali quod de iure communi præsentatio ordinandorum, & eorum examinatio, & Abbatum, & abbatissarum instauratio pertinet ad archidiaconum.

Honorius autem Papa Tertius in capitulo decimo scribens Abbati Ariminen. Trecen. diœcesis & Archidiacono: & Decano Sancti Stephani Trecen. dicit, quod Archidiaconi in monasterijs iurisdictionem non habent, nisi quantum tribuit eis generalis, vel specialis consuetudo. Casus. Archidiaconus Senon. cõquærebatur, quod Abbas, & conuentus Sancti Petri Senon. denegabat sibi exhibere annuam procurationem, & alia quædam ratione sui Archidiaconatus ad ipsum spectantia. Causa ad ipsius Archidiaconi petitionem commissa fuit Abbati Sancti Crispini, & quibusdam alijs, coram quibus petijt idem Archidiaconus vt Abbas, & Monachi sibi obedirent in ijs quæ pertinent ad iurisdictionem, correctionem, & visitationem, spectantes ad ius Archidiaconi. cum monasterium ipsum sit situm intra terminos sui Archidiaconatus, videlicet, vt coram se respondeant conquærentibus de ipsis, & citati venirẽt ad præsentiam suam & eius mandata honesta audituri. *Quid præstare debent prælati in visitatione tradit Concil. Trident. sess. 24. de reform. capit. 3.* salua regula sua, & Abbatis sui disciplina. Petijt insuper ne de cætero facerent aliquos de Senon. bailliuia eo prætermisso coram officiali Archiepiscopi Senon. conueniri, dicens quod primo conueniri debent sub ipso, quã coram officiali Archiepiscopi exceptis specialibus causis ipsius Archiepiscopi, & hominum, & familiæ suæ: lite vero super prædictis contestata, iudices de consensu vtriusque partis, remiserunt causam ad Sedem Apostolicam: sed quia Papa nesciebat consuetudinem, qua vtitur Archidiacon. Senon. in alijs Abbatijs Senon. ordinis præfati monasterij, non potuit proferre sententiam: vnde commisit causam iudicibus præsentibus, mandans eisdem quatenus super his veritatẽ inquirant per canonicos Senon. qui de huiusmodi consuetudine debent habere notitiam pleniorem & nisi constiterit eis prædictum Archidiaconũ, vel eius antecessores de consuetud ine

sibi

si ibi pacifica sic obtēta, iurisdictionem aliquam in ipso monasterio vel in huiusmodi Abbatijs, hactenus habuisse, præfatum monasterium absoluantur ab impetitione Archidiaco. sibi super hoc perpetuum silentium imponendo. Si vero per eosdem canonicos cōstiterit de præmissis eandem iurisditionem adiudicent Archidiacono, quam in Monasterio vel in alijs Abbatijs constiterit habuisse, super alijs silentium imponentes eidem.

Nota quod iurisdictio Archidiaconi ex consuetudine in multis consistit, vt hic patet. De iure communi consistit in ijs, quæ dicuntur super eo. cap. 7. & 9. Item, veritas semper est inquirenda per illos de quibus magis verisimile est quod eam debeant scire. Arg. Testes antiquiores sunt præferendi cæteris. Tertiò nota, recurrendū est ad consuetudinem aliarum Ecclesiarum. Quartò consuetudo debet obseruari in vna Ecclesia quæ obseruatur in alijs eiusdem. & Nota demum quod nullus potest esse Archidiaconus nisi sit Diaconus, similiter non potest quis esse Decanus vel Archipræsbyter, nisi sit præsbyter 60. distin. innouamus.

De Officio Archipræsbyteri. Cap. 48.

QVoniam post Archidiaconum, Archipræsbyter gradum facit, ideo de eo dicetur quæ in titulo vigesimo quarto continentur: qui titulus quatuor capitulis concluditur. Primum caput sumptum est ex Concilio Toletano. Summa capituli est: quod Archiprẹsbyter ciuitatis subest Archidiacono: (& ideo tractato de Archidiacono sequitur de Archipræsbytero) & principaliter præest præsbyteris. & præsbyteralibus officijs. Casus. Dicitur ibi quod Archipræsbyter debet subesse Archidiacono, & ei sicut Episcopo obedire, & aliorum prẹsbyterorum curam agere debet, & in absentia Episcopi missam debet cantare in præcipuis festiuitatibus, aut ille cui ipse iniunxerit. Hic tria not. Primò Archiprẹsbyter subest Archidiacono. Secundò curam aliorum præsbyterorum agere debet. Tertiò, Vice Episcopi Missam celebrat.

Leo autem Papa in capitulo secundo dicit quod Archipræsbyter debet habere curam & solicitudinem de omnibus Sacerdotibus, vt Episcopi sui mandatis obediant.

In absentia autem Episcopi debet omnia officia Episcopi supplere, exceptis ijs quę sunt ei prohibita: Nota hic Ministros Ecclesiæ sibi ad inuicem suffragari debere.

Idem Leo in capitulo tertio declarat quod sit officium Ciuitatensis: & ponuntur multa quæ spectant ad officium Archipræsbyteri, vt patet. Casus. Officium Archipræsbyteri de vrbe constat, quando ibi pręsul defuerit, vice eius officium inchoare; benedictiones præsbyterales in Ecclesia dare (idest, in matutinis quando debent legi lectiones) Missam quando voluerit, cantare, vel cui de Sacerdotibus iusserit. Quando ergo Episcopus Missam canit, debet præcipere Sacerdotibus, vt induant se vestibus sacris, & qualiter ad Missam procedant. Debet enim præcipere custodi Ecclesiæ, vt in Sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit: debet infirmis prouidere, & prouidendo præcipere Sacerdotibus, ne fortè sine confessione vel confirmatione Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi moriantur: confessiones peccatorum eorum qui à foris veniunt (id est extra ciuitatem, tamen qui sunt de diœcesi) recipere cum omnibus Sacerdotibus, & exinde per prouisionem Pontificis magnam debet illis adhibere curam. Ad Christianos quoque faciendos, & baptizandos infantes, & ad succurrendum, omnia a Sacerdotibus per illius iussionem fiant.

Idem

Idem Pontifex ex Synodo Rauennæ habita, dicit; quod Archipræsbyter ruralis Præsbyterorum, & Laicorum plebaniæ suæ curam gerit: contra decretum tamen Episcopi nihil ordinare potest. Casus. Illud caput loquitur de ruralibus Archipræsbyteri & diuiditur in duas partes. Primò dicitur quod singulæ plebes habeant singulos Archipræsbyteros, qui non solum Laicos corrigant, sed etiam capellanos sub ipsis constitutos. Secundò dicitur, quod non putet Episcopos non egere plebem Archipræsbytero, quasi ipse solus sit ad omnia sufficiés: quia & si valdè idoneus sit, decet tamen vt sua onera partiatur: & sicut matrici Ecclesiæ præest Episcopus, ita plebibus Archipræsbyter; vt Ecclesia in nullo titubans videatur: cuncta tamen Episcopo refferre debet, & nihil contra eius præceptum ordinare præsumat. Nota duo: Primò. Solus Episcopus est ordinarius in sua diœcesi. Secundò onera & officia Ecclesiastica, sunt partienda.

De Officio Primicerij. Cap. 49.

QVoniam in choro absente Archipresbytero, Primicerius est primus: ideo in sequ. titulo vigesimo quinto agit de eo: qui titulus vnico capitulo concluditur, quod sumptum est ex libro Romani ordinis, & ponuntur ea quæ spectant ad officium Primicerij. ait Anto. de But. In quo cap. dicitur quod Primicerius subest Archidiacono: pertinet tamen ad eius curam præesse Diaconis, & alijs minoribus, & debet dare lectoribus lectiones, & cantoribus responsoria, ita quod omnes instruere debet, & castigare. Nota ex hoc cap. multa quę pertinent ad officium Primicerij. Primicerius est, qui primũ cæreum portat ante regem vel Episcopum: ia prius & cæreus: inde, hæc primiceria, pe nul. produc. ex mammotrepeo.

De Officio Sacristæ. Cap. 50.

IN sequenti titulo agitur de officio Sacristæ, qui & ipse titulus vnico concluditur capite, sumpto ex Concilio Toletano: Dicitur ergo hic, quod Sacrista subest Archidiacono, & custodia vasorum, & vestimentorum, spectat ad ipsum Sacristam siue Thesaurarium, & cura totius Thesauri, & luminaria, & incensum. Nota ex hoc capitulo multa quæ spectant, ad Thesaurarium, siue Sacristam.

De Officio Custodis. Cap. 51.

IN titulo vigesimoseptimo agitur de officio Custodis, continetq; duo capita. Custos enim est quasi minister Sacristæ, ideo de eo statim sequitur Sermo. Primum caput sumptum est, ex libro Romani ordinis: in quo ponuntur ea, quæ spectant ad officium custodis. Dicitur ergo: quod custos Ecclesię debet obedire Archidiacono, & ad eius mandatum canonicas horas pulsare, & ornamenta altaris, & cuncta vtensilia Ecclesiæ custodire: & circa lampades, & lanternas in accendendo, & extinguendo peruigil esse debet, ne nimis ardendo oleum depereat, nec minus incendendo obscurior reddatur Ecclesia. Si autem custos circa hoc negligens fuerit, per Archidiaconum corrigi debet. Hic duo not. primò quod discretio est mater virtutum. Secundò. Ineptus minister, ab Ecclesia ejci debet.

In secundo capitulo ex Cócilio Toletano sumpto, dicitur primò, quod custos debet esse solicitus de ornamentis Ecclesiæ, luminarijs, & incenso, & de pane, & vino ad Sacrificium & de pulsatione campanarum, & de eleemosinis, & decimis, & oblationibus colligendis, & cum consensu Archidiaconi diuidendis. Secundò dicitur, quod in his tribus consultis Sácta ma-

ter

ter Ecclesia, Archidiacono, Archipręsbytero, & custode: idcirco debent esse boni, & concordes. Hæc est causa quare de omnibus his per ordinem actum sit, nempè quia omnes subsunt Archidiacono vt visum est. ex hac decretali duo notantur: primum: quod patet ea quę spectant ad officium Custodis. Secundum Ecclesia consistit in tribus columnis, scilicet, Archidiacono, Archipræsbytero, & Custode.

De Sacerdote. Cap. 52.

DIcturi de Sacerdotio nouæ legis, dignum est, vt principio disseramus, quibus, & quam præclarè cæremonijs Sacerdotes ordinentur, nam per hoc facilè patebit, quod sit eorum officium, ministerium, & quanta dignitas. Primum itaque omnium vestiuntur illi, instar Diaconi, amictu, stola, Alba, Cingulo, Manipulo, & Casulam ferunt in humero conuolutam: ibi tum inuocata gratia Spiritus sancti, hoc cantico, Veni sancte Spiritus, incipit eos exhortari Episcopus vt sic dignè suscipiant Sacramentum huius ordinis, oportet enim Præsbyterum offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare, ideoque præparare se quisque debet ad dignè suscipiẽdum Sacramentum, sicut illi septuaginta, quos sibi adiũxit Moyses in auxilium ex præcepto Domini. Num. 11.

Tunc Archidiaconus adducit eum ad Episcopum, ipsumque orat loco totius Ecclesiæ, vt per eum isti ordinentur Pręsbyteri. Statim Episcopus quęrit, scis ne illos esse dignos? Qui, subdit, Archidiaconus: Quantum humana permittit nosse imbecillitas, testimonium perhibeo esse illos dignos, & idoneos suscipiendo muneri huius officij. Episcopus subiungit. Det Deus vt omnibus modis efficiantur digni, & iusti, talesque in suo cultu perseuerent.

Postea Episcopus imponit manus super ordinãdos, & vna cum eo etiam reliqui Præsbyteri præsentes: Episcopus autem ad singulos dicit: Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta erunt. Quod Sacerdotes imponant manus super capita ordinandorum iam olim constitutum est in Concilio Carthaginensi. 23. dist. Præsbyter. Hęc enim manuum impositio significat resuscitationem operum Spiritus sancti, si quidem caput designat animum, digiti dona Spiritus sancti, iuxta id Exodi cap. 8. Digitus Dei, (idest, Spiritus sanctus) est hic, & manus opera: iuxta id. Psalm. 9. In operibus manuum suarum, &c. & 137. opera manuum tuarum ne despiciat. item & alibi.

Quamuis autem Diaconis in ordinatione sua imponuntur manus ab Episcopo, qui mos ab Apostolis profectus est, tamen illa manuum impositio in alium finem fit, quia ad Sanctificationem ministerij: sed hic in Præsbyterio imponuntur ad opus longe sublimius, puta ad oblationem, & sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi: proinde sanctior est hæc manuum impositio in Sacerdotio.

Deinde Episcopus subiungit nonnullas orationes super ordinandos; ad finem præfationis stolam arripit Episcopus, quæ antea super sinistrum tãtummodo humerum fuit imposita, illius ergo partem posteriorem deflectit super humerum dextrum, & per modum Crucis complicat in anteriori parte, dicens: Accipe iugum Domini, iugum enim eius suaue est & onus eius leue. & ad significandum indui virtutem ex alto, quo possit Crucem Christi Domini, & iugum suaue legis Diuinæ perferre, eamque non verbis solum, sed sanctitate vitæ & exemplo bonorum morum tradere.

Post hac singulos induit casulas, & ait: Accipe vestem Sacerdotalem, per

quam

quam charitas; intelligitur; potens est enim Dominus augere tibi charitatem, & opus perfectum, Deo gratias. Et inde rursus incipit orare Episcopus, & petere à Deo gratiam diuinæ consecrationis & postulat virtutes ac dona Dei, quorum participes fieri ordinatos; testatur Paulus ad Titum, & ad Timotheum.

Inde incipit Chorus cantare, Veni Creator Spiritus, atque interim Episcopis intingit digitum suum in Oleũ Cathecumenorum, ordinãdis autem vtramque manum complicantibus Crucem obliquam Sancti Andreę per transuersum, consignat à pollice dextro vsque ad sinistrum indicem: similiter inungit, & volas manuum, dicens: Consecrare, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam sanctam vnctionem, & nostram benedictionem; vt quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque consecrauerint consecrentur, & sanctificentur in nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Porrò deinceps præparat Diaconus Calicem cum vino, & modica aqua, quæ omnia sic accipiens Episcopus, dat eis in manus dicens: Accipe potestatem offerrendi sacrificiũ Deo, Missasque cælebrandi, tam pro viuis quã pro defunctis in nomine Domini. Amen.

Hinc benedicens eis osculatur manus singulorum, & ait, Pax Domini sit vobiscum semper. Et sic solemnis Præsbyterorum ordinatio est consummata, licet aliqua alia sint, quæ non sunt hic recitata vt patet in Pontificali. Debet Sacerdos habere 25. annos; Fabianus tamen statuit anno Domini 139. habere 30. quod nunc non est in vsu: etiam si essent ante huiusmodi tẽpus doctissimi.

Initium Sacerdotij (& habetur in Epistola 2. Anacleti Papæ, & martyris, in qua de fide, & alijs causis rogatus respondit ad Episcopos Italiæ) fuit Aaron licet Melchisedech prius sacrificium obtulerit, & post Abraam, Isaac, & Iacob; sed hi spontanea voluntate, non Sacerdotali dignitate ista fecerunt. Quo loco contemplari oportet Aaron summum Sacerdotem, id est, Episcopum fuisse. Porrò filios eius præsbyterorum demonstrasse figurã. distinct. 21. cap. in nouo testamento, qui etiam Sacerdotes quia debent habere vnde viuant dicuntur comedere peccata populi eo quod suis orationibus pro populi salute quotidie sacra faciunt, & ita peccata delent. Vel forte, quia exemplo bonæ operationis, & verbo prædicationis, corrigunt homines, & ita quantum in se est delent. 36. distinct. §. Ecce. ver. ex quibus. solus enim Deus delet peccatum, id est, peccati reatum: Sacerdos pęnam infligendã pro peccato orationibus suis minuit, propter quod peccatum delerę dicitur. 13. quæst. 2. animæ. Hug. Vel. Illi dicuntur comedere peccata populi, qui de suis possunt sustentari, & tamen percipiunt de Ecclesiasticis. 12. quęst. 2. illud cum habenti dare. & 1. qu. 2. pastor.

Institutio, inquam, Sacerdotalis ordinis sumpsit principium suum in veteri testamento vt patet Exod. 40. Pręcepit enim Dominus Moysi, dicens: Applica fratrem tuum Aaron ad te cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio mihi fungantur. Moyses ergo vnxit Aarõ in maiorem Sacerdotem, filios vero suos in minores. Hinc est quod Psalm. 98. dicitur: Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, idest primi, & summi inter Sacerdotes fuerunt. Ipse tamen Moyses prior fuit quam Aaron ordine, & etiã maior administratione 22. distinct. sacro. in Glo. Vnde Moyses illũ instruebat, & tamquam minorem illum redarguebat. de pęnit. distinct. 5. inter hoc. Quantum vero ad consecrationem Sacerdotalẽ pares fuerunt. Moyses enim non offerebat Hostias, sed

tantum vota pro populo 36. distinct. si quis.vlt.78.dist.decreuit.

In nouo quoque testamento Christus maiores, & minores Sacerdotes constituit, videlicet duodecim Apostolos velut summos Sacerdotes, & Septuaginta duos Discipulos vt minores: illi vt Episcopi, isti vt Sacerdotes. Maiores itaque Sacerdotes, idest, Episcopi qui dicuntur summi obtinēt vices Apostolorum 1.quęst.7.accusatio. de consecr.dist.5.manus quoque. Minores vero, idest Præsbyteri obtinent vices Discipulorum. Petrum in summum Sacerdotem elegit, ei præ omnibus claues regni Cælorum tradens, & illum præ cæteris ponens caput, & fundamentum fidei, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam 21.distin. in nouo. Apostoli Episcopes, Præsbyteros, & Diaconos ordinarunt, vt diximus.

Præsbyter autem Grecè, Latinè Senior interpretatur, non modo pro ętate, vel decrepita senectute: sed propter honorem, & dignitatem quam acceperunt. Vnde Dominus ait Moysi Numer.11. Congrega mihi septuaginta viros de Senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri;& duces eos ad Ostium Tabernaculi fæderis, &c. Præsbyter secundum Hieron. nomen est ætatis. Episcopus vero dignitatis. Præsbyter olim idem erat quod Episcopus, & Ecclesię regebantur communi eorum consilio. & quia postea ortum est schisma, & vnus diceret ego sum Pauli, ego sum Cephæ. quasi sum melior te, ideo statutū fuit quod vnus de Præsbyteris præesset omnibus: sic ergo sola consuetudine pręsbyteri Episcopis subijciuntur, vt 93. distin. olim. quod dicitur consuetudine, dic communi: nihilominus ex institutione etiam vt ead.distin. legimus. porrò Moysi pręcipitur vt eligat pręsbyteros, idest seniores 88. distin. porrò. Primus præsbyter fuit Abraam ait Anacletus ibidem paulo superius in eadem Epistola, dicens: Ante Abraam nullus alius vocatus est Pręsbyter, idest Senior cū ab Adam vsque ad eundem, nongentos, & ampliùs annos multos homines vixisse legimus. Abraā verò multo paucioribus annis vixisse conuincitur. Vnde non propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam Sacerdotes pręsbyteri nominantur. Nonnulli dicunt Sacerdotē originem habere in lege naturę in Abel. Genes. 4. & in Melchisedech qui erat Sacerdos Dei altissimi offerens panem & vinum. Genes. 14. de consecr. dist. 2. cap. in calice.& cap. accipite. & in lege scripta in Aaron, qui institutus est Sacerdos a Deo cum omni sua posteritate. Exo.28.& 1. Paralip.24. Dauid elegit 24. Sacerdotes per vices totidem, quibus omnibus pręfecit vnum summum Sacerdotem. In lege autem Euangelica elegit Christus 12. Apostolos in maiores, & 72. in minores Sacerdotes sub vno Principe, scilicet, Beato Petro Apostolo & successoribus suis.

Duplex est differentia inter Præsbyterum, & Episcopum. Prima, quia Episcopi non debent constitui in paruis villis, & ciuitatibus, sed magnis: Præsbyteri vero per castella. Secunda differentia est, quia Episcopus non potest consecrari ab vno Episcopo & Præsbyter sic.80.dist.cap.3. Vnde dicitur Prouer. 2. Gloria senum est canicies.

Hæc vero canicies sapientiam designat: de qua scriptum est Dan. 13. canicies hominum prudentia est: ergo non propter decrepitam ætatem, sed propter sapientiam præsbyteri vocantur. Hinc est quod illi duo Iudices qui falso Susannam accusarunt, in nonnullis textibus, sub nomine præsbyteri, vocantur, quia senes, vt patet infra in expositione Missalis.

Hi autem Presbyter inter alia vitia;

tia; debent vitare cupiditatem, vt habetur 47. dist. virum Catholicum. Vbi Leo Papa hortatur clericos, & præcipuè Sacerdotes, ne alligentur vitio cupiditatis, dicente scriptura: Post cōcupiscentias tuas non eas. Nam mens potentiæ auida nec abstinere nouit, a vetitis, nec vti concessis, nec pietatem habet, & mens alligata vitio cupiditatis citò deuiat à vero, vt 96. dist. bene. in princi. & 83. dist. nihil. & qui cupiditatem a se non abscindit bonorum authori inhærere non valet. ead. dist. 47. bonorum. Vnde 88. dist. §. 1. prohibentur clerici, & Episcopi, suscipere negotia, sed non prohibentur opera pietatis viduis, & orphanis impendere. Excipit tamen ibidem cap. 1. duos casus, scilicet, propter curam miserabilium personarum, & propter curam Ecclesiasticam ab Episcopis sibi commissam, & quod curam talem debeant suscipere clerici, probatur ibidem duobus exemplis: scilicet, Moysi, & Angelorum ascendentium, & descendentium per scalam quam vidit Iacob ad instar quorum, Prælati Ecclesiæ debent ascendere contemplando, & descendere curam subditorum habendo. Quod autem non sit negotiandum a clericis, probat Gelasius Papa in cap. sequenti exemplo Christi, qui negotiatores de templo expulit; & duabus authoritatibus Pauli dicentis; 2. Tim. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. & Psalm. 70. Quoniam non cognoui negotiationes introibo in potentias Domini, negotiationes, idest, vt vilius emant, & carius vendant. Si quis verò negotiari voluerit, officio carere debet Sacerdotis. Vnde Hieronym. negotiare clericum, & ex inope diuitem, ex ignobile gloriosum, quasi quandam pestem fuge. ead. dist. ca. 9. & in can. Siluestri, & constant. ca. 16. dicitur. Nemo enim clericus, vel diaconus, aut Presbyter propter causam suam quamlibet intret in curiā; quoniam omnis curia a cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est. Item in can. 7 Apostolorum, idem pręcipitur.

Qui autem nunc Presbyteri vocantur, olim Principes nuncupabantur; vt Chore, Dathan & Abiron, vel Magistratus, aut magistri templi, sic Nicodemus, & Gamaliel, dicebantur. Presbyter dicitur, quasi alijs viuendi præbens iter: vel præbēs beatum iter: idest, prabens populo iter de exilio mundi ad patriam cælestem. & ideo in Concil. Tolet. 4. cap. 24. & habetur 38. dist. ignorantia. dicitur: Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium inpopulis susceperunt. Ideo frequenter debent legere sacras scripturas, vt admonet Apostolus 1. Tim. 4. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, & infra, subdit: semper permane in his: Vnde Leo ad clerum, & plebem Constantinopolitanæ vrbis Epist. 22. ait: Si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia; quanto magis in ijs qui præsunt. Ideo nec excusatione digna est, nec venia. ead. dist. ca. Si in laicis. Quare cum multi populi normam canonum, & decretorum non seruarent: & Episcopi cū canones ignorarent, eos non corrigebant: idcircò Cælestinus vniuersis Episcopis per Apuliam, & Calabriam constitutis Epist. 3. præcepit, vt nulli Sacerdotum & Episcoporum liceat canones ignorare, quatenus cum fuerit necesse, corrigant delinquentes. Ead. dist. nulli Sacerdotum.

Et Aug. Presbyteri oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi; quia viri iusti vita, lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo a peccato: iuxta illum qui dicebat. Psal. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, vt nō peccem tibi. Hæc sunt enim arma, videlicet, lectio, & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hęc sunt instrumenta, quibus æterna bea-

Angelos septem tubis canentes in Apocaly. 8. per candelabra septem, quę ante Deum vniuersam illustrant Ecclesiam; per voces septem tonitruum.

Ex Catechismo autem ibidem numero 20. dicitur quod hoc nomē Diaconus, idem est, quod minister, est enim minister Sacerdotis. Ejus ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est, quam sit ministeriū Subdiaconi: ex Pontificali Subdiaconus enim seruit Diacono, Officiū autem Diaconi, est multiplex. Primò, in Episcopum. Secūdò, in Sacerdotem; Tertiò, in sacrificium Missæ. Quartò, in bona Ecclesiastica. Quintò in populum, in Catechumenos, & ordinandos adesse.

Primò ad eum pertinet Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique vel etiam Sacerdoti sacra facienti, vel alia sacramenta administranti præsto esse: & in Missæ sacrificio Euangelium legere, vt dictum est. Secūdò, olim fidelium animos sæpius excitabat, vt sacra attenderent. Tertiò, Sanguinem administrabat, vbi erat consuetudo sub vtraque Specie communicare, vt patet fecisse sanctus Laurentius. Quartò, Diacono, Ecclesiasticorum bonorum dispensatio cōmissa erat, vt vnicuique ad victū necessaria subministraret: vt patet de san. Stephano. 6. Acto. 5. Ad diaconū pertinet tamquam Episcopi oculum peruestigare quinam in Vrbe piè, & religiosè quique secus vitā traducant: qui ad sacrificium, & concionem statutis temporibus conueniant, qui rursus non conueniant, & de his certiorem facere Episcopū, vt statuat quid sit faciendum. Sextò, Catechumenorum nomina recitare debet, & eos qui ordinis sacramento initiandi sunt ante Episcopum statuere. Septimò, licet ei si absens sit Episcopus, & Sacerdos, Euangelium explanare, non tamen è superiori loco, vt intelligatur hoc eius proprium onus non esse. Hodie tamen hoc non obseruatur.

Materia huius ordinis est liber Euangeliorum. Forma sunt verba ab Episcopo prolata. Onera Diaconi sūt eadem quæ, & subdiaconi, scilicet, seruandi castitatem, & recitandi officiū. Ritus qui seruantur in collatione huius ordinis, sunt sequentes. Primò, sacræ literæ docent in Diacono requiri præcipuas virtutes, vt scribit Apost. ad Timot. & Catechis. ibid. num. 21. Secundò, Diaconus se induit & prosternit, &c. vt dictum est de Subdiacono, ex Pontificali. Tertio, Episcopus, pluribus & sanctioribus precibus ad diaconi, quam ad Subdiaconi ordinationem vtitur, & peculiares ad illum facit monitiones. Ex Catechis. ibidem. Quartò, vestes, illi peculiares dantur, stola, & dalmatica, ex Pontificali. Quintò, Episcopus super eum manus imponit, quod factū est ab Apostolis cum primo Diaconos instituerunt. Ex Catechismo ibidem.

His omnibus visis debent præponi hæc ordinandis. Primò, oportet, eos examinari, vt sic audiantur atq; probentur, sintne digni, & idonei, qui admittantur ad ordinem. cap. quando Episcopus. 24. dist. quatenus ita impleatur præceptum Pauli de nō imponendis faciè manibus cuiuis, sed dignis tantum.

Secundò: Non decet pecunia comparari ordinem aliquem sacrum, quia hoc foret Simoniacum, & quisquis in hoc casu, vel accipit, vel exponit, erit excommunicatus 1. q. 1. quicqnid id enim aduersabitur Christi dicto, gratis accepistis, gratis date.

Tertiò: Non decet mancipium sine seruum ad ordines promoueri, saltem sine consensu Domini, & assertione in libertatem.

Quartò: Homicidæ quoque ordinari non debent. de ætat. & qual. ordi. c. vltim.

Quintò: Nemo ordinetur, qui non habeat ætatem competentem, vt patet

tet ex Concil. Tridentin. Seff. 23.

Sextò: Illegitimi similiter ab ordinibus arceantur. de filijs Presbyterorum cap. 1.

Septimò: Nullus ex aliena diœcesi sine permissione superiorum, similiter nullus Religiosus sine licentia sui Prælati. 71. dist. c. 1. cum seq.

Coniugati quoque prohibentur ab ordinibus: de sacris intellige: de Cle. coniug. capit. Sanè, 1. & 28. dist. nullum.

Nullus apostata siue scismaticus admittatur ad ordines: dist. 1. c. vlt. de Apost. cap. 1. & ca. vt periculosa ne cle. vel mona. lib. 6.

Nullus excommunicatus ordinari debet. cap. cum illorum. de senten. excom. Nullus quoque bigamus; nullus, qui vxorem habuit viduam est ordinandus.

Nemo mutilatus; Item, nullus furiosus, amens, puer, quod vsu rationis carent Catechis. num. 33. Debent ergo promoueri illi ad ordines qui vocati sunt a Deo tamquam Aaron; & ille dicitur a Deo vocatus tamquam Aaron qui a legitimæ Ecclesiæ ministris vocatus est. Secundò. Qui ad ordinem recto fine & intentione accedit; & non causa honoris, vel pinguium beneficiorum: quia isti non intrarent per ostium in ouile ouium, sed per fenestras: sunt & aliæ irregularitates apud canones.

De Officio Archidiaconi. Cap. 47.

ANtequam de Sacerdote dicamus, dignum ducimus dicere de Archidiaconi officio, ex titulo 23. lib. 1. decretal. Greg. 9. qui quidem titulus continet capita decem. Primum autem caput sumptum est ex libro Romani ordinis. Summa verò capituli est, quod ponit ea, quæ spectant ad officium Archidiaconi. Casus. dicitur ibi quod Archidiaconus est vicarius Episcopi in omnibus, quæ ad eū pertinent; similiter & causæ clericorum, & in vrbe, & extra vrbem ad ipsum pertinent: & conuersatio eorum, & onus & restauratio Ecclesiarum, & doctrina Ecclesiasticorum, & correctio excessuum. Item, de triennio in triennium cum Episcopus fuerit impeditus, debet totam visitare diœcesim, & ad vicem sui Episcopi corripere corrigenda.

Qualiter hodie visitent Archidiaconi tradit Concil. Tridentinum sess. 24. in decreto de reformatione. cap. 3. Nota ergo ex hac decretali, quod Archidiaconus est vicarius Episcopi, & quod potest corrigere.

In capitulo secundo ex Concil. Toletano ponuntur quædam quæ spectant ad officium Archidiaconi. Casus. dicitur ibi; quod ad officium Archidiaconi pertinet legere Euangeliū quando voluerit, vel præcipere alicui diacono quod legat: & quando Episcopus debet Missam celebrare, præcipere debet Sacerdotibus, vt induant se vestibus sacris, vt Episcopo ministrent. vt bini honestè, & demisso vultu id faciant. Item, in Matrice Ecclesia nullus debet legere Respōsorium, aut Epistolam, aut lectionem cantare, donec primo ab ipso auscultentur: debet etiā ordinare Acolytos quis eorum debeat deferre candelabrum, & quis thuribulum. Nota ibi quod ad officium Archidiaconi pertinet Euangelium legere, & ad officia Ecclesiæ ordinare, & illos qui legere, vel cantare debent, in matrice Ecclesia, auscultare.

Gregorius verò Papa tertius Archidiacono Salonitano scribens, decreuit in capitulo tertio, quod custodia vasorum Ecclesiæ spectat ad Archidiaconum. Casus. Archidiaconus Salonitanus habuit custodiam vasorū, & aliorum ornamentorum Ecclesiæ; Archiepiscopus Salonitanus significauit Domino Papæ, quod Archidiaconus negligens erat circa prædicta,

custodienda. Super hoc scribit Papa Archidiacono, dicens; quod districtè inquirat ab ipso de vasis Ecclesiæ, quę illic collecta sunt, qualiter custodiuntur: si aliquid ex negligentia vel fraude ipsius perierit, ipse in hoc punietur, & tenebitur ad restitutionem ipsorũ, cum ipse ad hoc ex officio teneatur. Nota in Prælato negligentiam, & fraudem comparari.

In capitulo quarto scribit Alexander Papa Tertius Elien. Archidiacono, quod Archidiaconus sine mandato Episcopi, non committit curam animarum, id est non habet institutionem authorizabilem. Casus. Archidiaconus Eliens. sine licẽtia Episcopi sui committebat curam animarum, dicens; hoc ex consuetudine sibi licere, Episcopus conquæstus fuit Papæ de hoc; dicit Papa quod obtentu alicuius consuetudinis non debet facere contra institutiones Sanctorum patrum. Vnde præcipit ei quod nulli committat curam animarum sine licentia, & mandato suo Episcopi. Nota ibi quod ad Episcopum spectat cõmittere curam animarum non obstãte consuetudine, quæ præscripta non sit.

Idem Pontifex scribit in capitulo quinto Episcopo Vigoriensi, quod Archidiaconus de iure communi non potest excommunicare. Casus. Archidiaconi de iure communi non possunt in aliquos sententiam promulgare, nisi authoritate Episcoporum: secus tamen est de consuetudine. Not. ibi Archidiaconus non posse excommunicare nisi authoritate Episcoporum.

In capitulo autem sexto idem Pontifex scribit Episcopo Conuentren. & Abbati Cestren. quod Archidiaconus semel in anno (nisi necessitas exigat plus) visitat suam Prouinciam, idest, parochiam *sed de hoc vide Concil. Trident. eod. cap.* 1. Casus. Dicitur ibi quod semel tantum in anno debet Archidiaconus visitare suam parochiam, nisi necessitas exigat quod pluries visitet. Vbi notatur ex illa decretali quod Archidiaconus non debet pluries in anno visitare, nisi ex causa rationabili.

In capitulo septimo. Innocentius Papa Tertius dicit primo quod sit officium Archidiaconi: & in quo per illud releuetur Episcopus. Et secundo dicit Decanos rurales per Episcopum, & Archidiaconum eligendos, & admonendos, si illorum vices communiter gerant. Casus. Quæsitum fuit à Papa quid pertineat ad officium Archidiaconi, & in quibus per ipsum cura Episcopalis solicitudinis releuetur. Respond. Papa secundum statuta Isidori, imperat Subdiaconis, & Leuitis & solicitudo parochiarum, & ordinatio earumdem pertinet ad ipsum: audire debet iurgia singulorum: Archipræsbyteri rurales, qui decani vocantur, subiacere debent eidem. Item secundum constitutionem Romani ordinis maior post Episcopum & eius Vicarium reperitur. Item in Epistola Beati Clementis Papæ, oculus Episcopi nominatur, & loco ipsius per Episcopatũ corrigit corrigenda, & emendanda emendat, nisi adeo ardua fuerint negotia, quod absque maioris sui præsentia nequeant terminari. Item, in quadam constitutione Innocentij continetur, quod ad Episcopum pertinet institutio corporalis tam in beneficijs quam in dignitatibus, & examinatio Clericorum, qui ad ordines promouentur ad ipsum pertinet, & ipse debet eos Episcopo præsentare. Quæsitum fuit insuper vtrum decani rurales, qui pro tempore instituuntur, debeant ad mandatum Episcopi, vel Archidiaconi, vel etiam vtriusque instituí, vel destitui, si fuerint amouendi. Ad hoc respondet Papa, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, & ipsi decani commune officium vtriusque exercent, & ideo communiter

ter eligendi sunt, vel etiam amouendi. Nota in quibus de iure communi cõsistit officium Archidiaconi. Secundò Archidiaconus imperat Subdiaconis & Leuitis. Tertiò solicitudo, & ordinatio parochiarum pertinet ad ipsum. Quartò debet Archidiaconus audire causas singulorũ. Quintò Decani rurales subsunt Archidiacono. Sextò Archidiaconus maior est post Episcopum, & eius Vicarium. Septimò Archidiaconus dicitur oculus Episcopi, & loco ipsius corrigit excessus subditorum. Octauò institutio corporalis in beneficijs, & dignitatibus, ad Archidiaconum pertinet. Nonò examinatio Clericorum, qui ad ordines promouentur, ad ipsum pertinet, & eos debet præsentare Episcopo. Vltimo nota quod omnes tangit ab omnibus approbari debet.

Idem Pontifex ait in capitulo octauo, quod archidiaconus non dat commendatitias ad ordines. Casus. Archidiaconus sine consciẽtia Episcopi sui, & authoritate, literas suas promouendis non concedat, & ordinandi per literas Archidiaconi, promoueri non debent: quod si fecerint, Episcopus interdicat eis executionem ordinum taliter susceptorum. Nota ibi quod Archidiaconus non potest dare commendatitias literas promouendis.

Idem in capitulo nono scribit, quod Archidiaconus, examinat, & præsentat ordinandos, & ponit prælatos in sede. Casus. De iure communi ad Archidiaconum pertinet repræsentare ordinandos Episcopo, & illos examinare, ponere Abbates, & abbatissa in sede. Nota ex illa decretali quod de iure communi præsentatio ordinandorum, & eorum examinatio, & Abbatum, & abbatissarum instauratio pertinet ad archidiaconum.

Honorius autem Papa Tertius in capitulo decimo scribens Abbati Ariminen. Trecen. diœcesis & Archidiacono: & Decano Sancti Stephani Trecen. dicit, quod Archidiaconi in monasterijs iurisdictionem non habent, nisi quantum tribuit eis generalis, vel specialis consuetudo. Casus. Archidiaconus Senon. cõquærebatur, quod Abbas, & conuentus Sancti Petri Senon. denegabat sibi exhibere annuam procurationem, & alia quædam ratione sui Archidiaconatus ad ipsum spectantia. Causa ad ipsius Archidiaconi petitionem commissa fuit Abbati Sancti Crispini, & quibusdam alijs, coram quibus petijt idem Archidiaconus vt Abbas, & Monachi sibi obedirent in ijs quæ pertinent ad iurisdictionem, correctionem, & visitationem, spectantes ad ius Archidiaconi. cum monasterium ipsum sit situm intra terminos sui Archidiaconatus, videlicet, vt coram se respondeant conquærentibus de ipsis, & citati venirẽt ad præsentiam suam & eius mandata honesta audituri. *Quid præstare debent prælati in visitatione tradit Concil. Trident. sess. 24. de reform. capit. 3.* salua regula sua, & Abbatis sui disciplina. Petijt insuper ne de cætero facerent aliquos de Senon. bailliuia eo prætermisso coram officiali Archiepiscopi Senon. conueniri, dicens quod primo conueniri debent sub ipso, quã coram officiali Archiepiscopi exceptis specialibus causis ipsius Archiepiscopi, & hominum, & familiæ suæ: lite vero super prædictis contestata, iudices de consensu vtriusque partis, remiserunt causam ad Sedem Apostolicam: sed quia Papa nesciebat consuetudinem, qua vtitur Archidiacon. Senon. in alijs Abbatijs Senon. ordinis præfati monasterij, non potuit proferre sententiam: vnde commisit causam iudicibus præsentibus, mandans eisdem quatenus super his veritatẽ inquirant per canonicos Senon. qui de huiusmodi consuetudine debent habere notitiam pleniorem & nisi constiterit eis prædictum Archidiaconũ, vel eius antecessores de consuetudine

si ibi pacifica sic obtēta, iurisdictionem aliquam in ipso monasterio vel in huiusmodi Abbatijs, hactenus habuisse, præfatum monasterium absoluantur ab impetitione Archidiaco. sibi super hoc perpetuum silentium imponendo. Si vero per eosdem canonicos cōstiterit de præmissis eandem iurisdictionem adiudicent Archidiacono, quam in Monasterio vel in alijs Abbatijs constiterit habuisse, super alijs silentium imponentes eidem.

Nota quod iurisdictio Archidiaconi ex consuetudine in multis consistit, vt hic patet. De iure communi consistit in ijs, quæ dicuntur super eo. cap. 7. & 9. Item, veritas semper est inquirenda per illos de quibus magis verisimile est quod eam debeant scire. Arg. Testes antiquiores sunt præferendi cæteris. Tertiò nota, recurrendū est ad consuetudinem aliarum Ecclesiarum. Quartò consuetudo debet obseruari in vna Ecclesia quæ obseruatur in alijs eiusdem. & Nota demum quod nullus potest esse Archidiaconus nisi sit Diaconus, similiter non potest quis esse Decanus vel Archipræsbyter, nisi sit præsbyter 60. distin. innouamus.

De Officio Archipræsbyteri. Cap. 48.

QVoniam post Archidiaconum, Archipræsbyter gradum facit, ideo de eo dicetur quæ in titulo vigesimo quatto continentur: qui titulus quatuor capitulis concluditur. Primum caput sumptum est ex Concilio Toletano. Summa capituli est: quod Archipręsbyter ciuitatis subest Archidiacono: (& ideo tractato de Archidiacono sequitur de Archipræsbytero) & principaliter præest præsbyteris, & præsbyteralibus officijs. Casus. Dicitur ibi quod Archipræsbyter debet subesse Archidiacono, & ei sicut Episcopo obedire, & aliorum pręsbyterorum curam agere debet, & in absentia Episcopi missam debet cantare in præcipuis festiuitatibus, aut ille cui ipse iniunxerit. Hic tria not. Primò. Archipręsbyter subest Archidiacono. Secundò curam aliorum præsbyterorum agere debet. Tertiò, Vice Episcopi Missam celebrat.

Leo autem Papa in capitulo secundo dicit quod Archipræsbyter debet habere curam & solicitudinem de omnibus Sacerdotibus, vt Episcopi sui mandatis obediant.

In absentia autem Episcopi debet omnia officia Episcopi supplere, exceptis ijs quę sunt ei prohibita: Nota hic Ministros Ecclesiæ sibi ad inuicem suffragari debere.

Idem Leo in capitulo tertio declarat quod sit officium Ciuitatensis: & ponuntur multa quæ spectant ad officium Archipræsbyteri, vt patet. Casus. Officium Archipræsbyteri de vrbe constat, quando ibi prętul defuerit, vice eius officium inchoare; benedictiones præsbyterales in Ecclesia dare (id est, in matutinis quando debent legi lectiones) Missam quando voluerit, cantare, vel cui de Sacerdotibus iusserit. Quando ergo Episcopus Missam canit, debet præcipere Sacerdotibus, vt induant se vestibus sacris, & qualiter ad Missam procedant. Debet enim præcipere custodi Ecclesiæ, vt in Sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit: debet infirmis prouidere, & prouidendo præcipere Sacerdotibus, ne fortè sine confessione vel confirmatione Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi moriantur: confessiones peccatorum eorum qui à foris veniunt (id est extra ciuitatem, tamen qui sunt de diœcesi) recipere cum omnibus Sacerdotibus, & exinde per prouisionem Pontificis magnam debet illis adhibere curam. Ad Christianos quoque faciendos, & baptizandos infantes, & ad succurrendum, omnia a Sacerdotibus per illius iussionem fiant.

Idem

Idem Pontifex ex Synodo Rauennæ habita, dicit; quod Archipræsbyter ruralis Præsbyterorum, & Laicorum plebaniæ suæ curam gerit: contra decretum tamen Episcopi nihil ordinare potest. Casus. Illud caput loquitur de ruralibus Archipræsbyteri & diuiditur in duas partes. Primò dicitur quod singulæ plebes habeant singulos Archipræsbyteros, qui non solum Laicos corrigant, sed etiam capellanos sub ipsis constitutos. Secundò dicitur, quod non putet Episcopos non egere plebem Archipræsbytero, quasi ipse solus sit ad omnia sufficiés: quia & si valdè idoneus sit, decet tamen vt sua onera partiatur: & sicut matrici Ecclesiæ præest Episcopus, ita plebibus Archipræsbyter; vt Ecclesia in nullo titubans videatur: cuncta tamen Episcopo refferre debet, & nihil contra eius præceptum ordinare præsumat. Nota duo: Primò. Solus Episcopus est ordinarius in sua diœcesi. Secundò onera & officia Ecclesiastica, sunt partienda.

De Officio Primicerij. Cap. 49.

QVoniam in choro absente Archipresbytero, Primicerius est primus: ideo in sequ. titulo vigesimo quinto agit de eo: qui titulus vnico capitulo concluditur, quod sumptum est ex libro Romani ordinis, & ponitur ea quæ spectant ad officium Primicerij, ait Anto. de But. In quo cap. dicitur quod Primicerius subest Archidiacono: pertinet tamen ad eius curam præesse Diaconis, & alijs minoribus, & debet dare lectoribus lectiones, & cantoribus responsoria, ita quod omnes instruere debet, & castigare. Nota ex hoc cap. multa quę pertinent ad officium Primicerij. Primicerius est, qui primū cæreum portat ante regem vel Episcopum: a prius & cæreus: inde, hæc primiceria, pe. nul. produc. ex mammotrepto.

De Officio Sacristæ. Cap. 50.

IN sequenti titulo agitur de officio Sacristæ, qui & ipse titulus vnico concluditur capite, sumpto ex Concilio Toletano: Dicitur ergo hic, quod Sacrista subest Archidiacono, & custodia vasorum, & vestimentorum spectat ad ipsum Sacristam siue Thesaurarium, & cura totius Thesauri, & luminaria, & incensum. Nota ex hoc capitulo multa quæ spectant, ad Thesaurarium, siue Sacristam.

De Officio Custodis. Cap. 51.

IN titulo vigesimoseptimo agitur de officio Custodis, continetq; duo capita. Custos enim est quasi minister Sacristæ, ideo de eo statim sequitur Sermo. Primum caput sumptum est, ex libro Romani ordinis: in quo ponuntur ea, quæ spectant ad officium custodis. Dicitur ergo: quod custos Ecclesię debet obedire Archidiacono, & ad eius mandatum canonicas horas pulsare, & ornamenta altaris, & cuncta vtensilia Ecclesiæ custodire: & circa lampades, & lanternas in accendendo, & estinguendo peruigil esse debet, ne nimis ardendo oleum depereat, nec minus incendendo obscurior reddatur Ecclesia. Si autem custos circa hoc negligens fuerit, per Archidiaconum corrigi debet. Hic duo not. primò quod discretio est mater virtutum. Secundò, Ineptus minister, ab Ecclesia eijci debet.

In secundo capitulo ex Cōcilio Toletano sumpto, dicitur primò, quod custos debet esse solicitus de ornamentis Ecclesiæ, luminarijs, & incenso, & de pane, & vino ad Sacrificium & de pulsatione campanarum, & de eleemosinis, & decimis, & oblationibus colligendis, & cum consensu Archidiaconi diuidendis. Secundò dicitur, quod in his tribus consistit Sācta ma-

ter Ecclesia, Archidiacono, Archipresbytero, & custode: idcirco debent esse boni, & concordes. Hæc est causa quare de omnibus his per ordinem actum sit, nempe quia omnes subsunt Archidiacono vt visum est. ex hac decretali duo notantur: primum: quod patet ea quę spectant ad officium Custodis. Secundum Ecclesia consistit in tribus columnis, scilicet, Archidiacono, Archipræsbytero, & Custode.

De Sacerdote. Cap. 52.

DIcturi de Sacerdotio nouæ legis, dignum est, vt principio disseramus, quibus, & quam præclarè cæremonijs Sacerdotes ordinentur, nam per hoc facilè patebit, quod sit eorum officium, ministerium, & quanta dignitas. Primum itaque omnium vestiuntur illi, instar Diaconi, amictu, stola, Alba, Cingulo, Manipulo, & Casulam ferunt in humero conuolutam: ibi tum inuocata gratia Spiritus sancti, hoc cantico, Veni sancte Spiritus, incipit eos exhortari Episcopus vt sic dignè suscipiant Sacramentum huius ordinis, oportet enim Præsbyterum offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare, ideoque præparare se quisque debet ad dignè suscipiēdum Sacramentum, sicut illi septuaginta, quos sibi adiūxit Moyses in auxilium ex præcepto Domini. Num. 11.

Tunc Archidiaconus adducit eum ad Episcopum, ipsumque orat loco totius Ecclesiæ, vt per eum isti ordinentur Pręsbyteri. Statim Episcopus quęrit, scis ne illos esse dignos? Qui, subdit, Archidiaconus: Quantum humana permittit nosse imbecillitas, testimonium perhibeo esse illos dignos, & idoneos suscipiendo muneri huius officij. Episcopus subiungit. Det Deus vt omnibus modis efficiantur digni, & iusti, talesque in suo cultu perseuerent.

Postea Episcopus imponit manus super ordinādos, & vna cum eo etiam reliqui Præsbyteri præsentes. Episcopus autem ad singulos dicit: Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta erunt. Quod Sacerdotes imponant manus super capita ordinandorum iam olim constitutum est in Concilio Carthaginensi. 23. dist. Præsbyter. Hęc enim manuum impositio significat resuscitationem operum Spiritus sancti, si quidem caput designat animum, digiti dona Spiritus sancti, iuxta id Exodi cap. 8. Digitus Dei, (idest, Spiritus sanctus) est hic, & manus opera: iuxta id. Psalm. 9. In operibus manuum suarum, &c. & 137. opera manuum tuarum ne despiciat. item & alibi.

Quamuis autem Diaconis in ordinatione sua imponuntur manus ab Episcopo, qui mos ab Apostolis profectus est, tamen illa manuum impositio in alium finem fit, quia ad Sanctificationem ministerij: sed hic in Præsbyterio imponuntur ad opus longe sublimius, puta ad oblationem, & sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi: proinde sanctior est hæc manuum impositio in Sacerdotio.

Deinde Episcopus subiungit nonnullas orationes super ordinandos, ad finem præfationis stolam arripit Episcopus, quæ antea super sinistrum tātummodo humerum fuit imposita, illius ergo partem posteriorem deflectit super humerum dextrum, & per modum Crucis complicat in anteriori parte, dicens: Accipe iugum Domini, iugum enim eius suaue est & onus eius leue. & ad significandum indui virtutem ex alto, quo possit Crucem Christi Domini, & iugum suaue legis Diuinæ perferre, eamque non verbis solum, sed sanctitate vitæ & exemplo bonorum morum tradere.

Post hac singulos induit casulas, & ait: Accipe vestem Sacerdotalem, per

quam charitas intelligitur; potens est enim Dominus augere tibi charitatem, & opus perfectum, Deo gratias. Et inde rursus incipit orare Episcopus, & petere à Deo gratiam diuinæ consecrationis & postulat virtutes ac dona Dei, quorum participes fieri ordinatos; estatur Paulus ad Titum, & ad Timotheum.

Inde incipit Chorus cantare, Veni Creator Spiritus, atque interim Episcopis intingit digitum suum in Oleũ Cathecumenorum, ordinãdis autem vtramque manum complicantibus Crucem obliquam Sancti Andreę per transuersum, consignat à pollice dextro vsque ad sinistrum indicem: similiter inungit, & volas manuum, dicens: Consecrare, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam sanctam vnctionem, & nostram benedictionem; vt quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque consecrauerint consecrentur, & sanctificentur in nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Porrò deinceps præparat Diaconus Calicem cum vino, & modica aqua, quæ omnia sic accipiens Episcopus, dat eis in manus dicens: Accipe potestatem offerrendi sacrificiũ Deo, Missasque cælebrandi, tam pro viuis quã pro defunctis in nomine Domini. Amen.

Hinc benedicens eis osculatur manus singulorum, & ait, Pax Domini sit vobiscum semper. Et sic solemnis Præsbyterorum ordinatio est consummata, licet aliqua alia sint, quæ non sunt hic recitata vt patet in Pontificali. Debet Sacerdos habere 25. annos; Fabianus tamen statuit anno Domini 139. habere 30. quod nunc non est in vsu: etiam si essent ante huiusmodi tẽpus doctissimi.

Initium Sacerdotij (& habetur in Epistola 2. Anacleti Papæ, & martyris, in qua de fide, & alijs causis rogatus respondit ad Episcopos Italiæ) fuit Aaron licet Melchisedech prius sacrificium obtulerit, & post Abraam, Isaac, & Iacob; sed hi spontanea voluntate, non Sacerdotali dignitate ista fecerunt. Quo loco contemplari oportet Aaron summum Sacerdotem, id est, Episcopum fuisse. Porrò filios eius præsbyterorum demonstrasse figurã, distinct. 21. cap. in nouo testamento, qui etiam Sacerdotes quia debent habere vnde viuant dicuntur comedere peccata populi eo quod suis orationibus pro populi salute quotidie sacra faciunt, & ita peccata delent. Vel fortè, quia exemplo bonæ operationis, & verbo prædicationis, corrigunt homines, & ita quantum in se est delent. 36. distinct. §. Ecce. ver. ex quibus. solus enim Deus delet peccatum, id est, peccati reatum: Sacerdos pęnam infligendã pro peccato orationibus suis minuit, propter quod peccatum delere dicitur. 13. quæst. 2. animæ. Hug. Vel. Illi dicuntur comedere peccata populi, qui de suis possunt sustentari, & tamen percipiunt de Ecclesiasticis. 12. quęst. 2. illud cum habenti dare. & 1. qu. 2. pastor.

Institutio, inquam, Sacerdotalis ordinis sumpsit principium suum in veteri testamento vt patet Exod. 40. Pręcepit enim Dominus Moysi, dicens: Applica fratrem tuum Aaron ad te cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio mihi fungantur. Moyses ergo vnxit Aarõ in maiorem Sacerdotem, filios vero suos in minores. Hinc est quod Psalm. 98. dicitur: Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, idest primi, & summi inter Sacerdotes fuerunt. Ipse tamen Moyses prior fuit quam Aaron ordine, & etiã maior administratione 22. distinct. sacro. in Glo. Vnde Moyses illũ instruebat, & tamquam minorem illum redarguebat. de pęnit. distinct. 5. inter hoc. Quantum vero ad consecrationem Sacerdotalẽ pares fuerunt. Moyses enim non offerebat Hostias, sed tan-

tia; debent vitare cupiditatem, vt habetur 47. dist. virum Catholicum. Vbi Leo Papa hortatur clericos, & præcipuè Sacerdotes, ne alligentur vitio cupiditatis, dicente scriptura: Post cōcupiscentias tuas non eas. Nam mens potentiæ auida nec abstinere nouit, a vetitis, nec vti concessis, nec pietatem habet, & mens alligata vitio cupiditatis citò deuiat à vero, vt 96. dist. bene. in princi. & 83. dist. nihil. & qui cupiditatem a se non abscindit bonorum authori inhærere non valet. ead. dist. 47. bonorum. Vnde 88. dist. §. 1. prohibentur clerici, & Episcopi, suscipere negotia, sed non prohibentur opera pietatis viduis, & orphanis impendere. Excipit tamen ibidem cap. 1. duos casus, scilicet, propter curam miserabilium personarum, & propter curam Ecclesiasticam ab Episcopis sibi commissam, & quod curam talem debeant suscipere clerici, probatur ibidem duobus exemplis: scilicet, Moysi, & Angelorum ascendentium, & descendentium per scalam quam vidit Iacob ad instar quorum, Prælati Ecclesiæ debent ascendere contemplando, & descendere curam subditorum habendo. Quod autem non sit negotiandum a clericis, probat Gelasius Papa in cap. sequenti exemplo Christi, qui negotiatores de templo expulit; & duabus authoritatibus Pauli dicentis; 2. Tim. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. & Psalm. 70. Quoniam non cognoui negotiationes introibo in potentias Domini, negotiationes, idest, vt vilius emant, & carius vendant. Si quis verò negotiari voluerit, officio carere debet Sacerdotis. Vnde Hieronym. negotiare clericum, & ex inope diuitem, ex ignobile gloriosum, quasi quandam pestem fuge. ead. dist. ca. 9. & in can. Siluestri, & constant. ca. 16. dicitur. Nemo enim clericus, vel diaconus, aut Presbyter propter causam tuam quamlibet intret in curiā; quoniam omnis curia a cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est. Item in can. 7 Apostolorum, idem præcipitur.

Qui autem nunc Presbyteri vocantur, olim Principes nuncupabantur: vt Chore, Dathan & Abiron, vel Magistratus, aut magistri templi, sic Nicodemus, & Gamaliel, dicebantur. Presbyter dicitur, quasi alijs viuendi præbens iter: vel præbēs beatum iter: idest, præbens populo iter de exilio mundi ad patriam cælestem. & ideo in Concil. Tolet. 4. cap. 24. & habetur 38. dist. ignorantia. dicitur: Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium inpopulis susceperunt. Ideo frequenter debent legere sacras scripturas, vt admonet Apostolus 1. Tim. 4. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, & infra, subdit: semper permane in his: Vnde Leo ad clerum, & plebem Constantinopolitanæ vrbis Epist. 21. ait: Si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia; quanto magis in ijs qui præsunt. Ideo nec excusatione digna est, nec venia. ead. dist. ca. Si in laicis. Quare cum multi populi normam canonum, & decretorum non seruarent: & Episcopi cū canones ignorarent, eos non corrigebant: idcircò Cælestinus vniuersis Episcopis per Apuliam, & Calabriam constitutis Epist. 3. præcepit, vt nulli Sacerdotum & Episcoporum liceat canones ignorare, quatenus cum fuerit necesse, corrigant delinquentes. Ead. dist. nulli Sacerdotum.

Et Aug. Presbyteri oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi; quia viri iusti vita, lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo a peccato: iuxta illum qui dicebat. Psal. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, vt nō peccem tibi. Hæc sunt enim arma, videlicet, lectio, & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hęc sunt instrumenta, quibus æterna bea-

erat quasi per se substantiuum; Sacerdotium, quasi adiacens, scilicet, adiectiuum; in nouo autem test. Sacerdotium ponitur è contrario substantiuè, & regnum adiectiuè; hoc est dicere, regnum in vet. test. erat dignius, & eminentius quam Sacerdotium. Vnde omnes Sacerdotes secũdum legem suberant regibus. In nouo autem test. Sacerdotium, idest, dignitas Apostolica siue papalis dignior est imperiali dignitate. In huius rei signum Papa habet coronare Imperatorem cũ suis pedibus. Et ratio huius est; quia Sacerdotium vet. test. erat transitorium: quod experientia patet, nam Iudæi nullum habent sacerdotem, Nostrum autẽ Sacerdotium stabit in æternum. Vnde Dan. 9. dicitur: cum venerit sanctus Sanctorum cessabit vnctio vestra. Quare Apost. ad Hebr. 7. dicit: Plures facti sunt Sacerdotes secundũ legem: eo quod morte prohiberentur permanere. Iesus autem eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium. Dignitas autem regia non manet in æternum: sed character Sacerdotij manet in æternum, quia per mortem non deletur. Vnde si Sacerdos noui test. moreretur & resurgeret, verus esset Sacerdos vt ante. Non autem sic est de sacerdotibus veteris testamenti, quia ibi non imprimebatur character vt hic in nouo testamento. Item notandum est, quod primum Sacerdotium fuit regale in Melchisedech, qui fuit rex & Sacerdos, secundum fuit in Aaron. Tertium fuit in Christo iterum regale, quia rex semper fuit, atque est factus Sacerdos, quando carnem assumpsit & se in sacrificium Deo patri obtulit. Sed sacerdotium nostrum, a Christo est translatum in Sanctum Petrum, dicente Domino. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Mat. 16. Item alibi. Hoc facite in meam commemorationem; vbi Christus omnes Apostolos (vt alibi diximus) ordinauit in Sacerdotes & in Episcopos; & dedit eis potestatem cõsecrandi sacramentum Eucharistiæ. de consec. dist. 11. nam in primitiua Ecclesia sine solemnitate ordinationis ad Sacerdotium sunt promoti, vt habetur dist. 80. Sed quod defuit in ordinibus hoc impleuit magna eorum sanctitas.

Item nota quod Sacerdotes sæpè in scripturis comparãtur canibus. Nam sicut in cane quatuor bona sunt iuxta hos versus.

In cane bis bina sunt lingua medicina.
Naris odoratus, amor integer atque latratus.

Sic etiam Sacerdotes idonei circa curam animarum, & soliciti in officio prædicationis & pænitentiæ, quatuor has proprietates similiter debent obseruare. Primò, quod sint in lingua medici, mulcẽdo videlicet, & lingendo vulnera peccatorum; modo durè, modo leniter, increpando peccata hominum: modo infundendo oleum, modo vinum; modo in prædicatione, modo in confessione, &c. Etenim diuersis morbis diuersa sunt adhibenda medicamenta. Nam vulnera siue vlcera quæ canis lambit, siue lingit, citius curantur. Secundò, sicut canis per odorem narium vulpem, vel leporem aut aliam feram quærit & inuenit; sic Sacerdos more canum, debet inquirere vulpinas peruersitates hæreticorum, & alia occulta hominum in venditionibus & emptionibus diuersis mercatorum & aliorum hominum fraudes, & nequitias, & eos inducere ad pænitentiam agendam, ne desperent de Dei misericordia, quoniam bonus est Deus. Tertiò canis fidelissimum animal dicitur: quia pro Domino suo & familia sua & pecoribus domini sui contra malos homines & etiã lupos vitam suam periculo ponit. Sic

& Sa-

Hoc ordine nullus in Ecclesia excelsior est. Episcopatui tamen quædam superaddita est potestas (vt dicetur in cap. de Episcopo) ne, si eadem potestas passim pænes omnes sit, obedientia soluatur, & scandalum generetur. 89. distin. ad hæc. Hoc alibi etiam ostenditur.

Illud notatione dignum est, quod ordinator ordinatum in Sacerdotem communicans deosculatur: Diaconus vero, vel Subdiaconus, ordinati, communicantes, osculantur manum ordinatoris. Ratio diuersitatis est, primo, vt per hoc notetur distinctio ordinũ. Secundò, quia Pontifex osculando Sacerdotem, denotat, quod ille ad ęqualitatem ordinis recipitur quantum ad Sacramentum Eucharistiæ consecrãdum, quod est Sacramentum amoris, qui per osculum significatur. Diaconus vero, & Subdiaconus, non recipiuntur ad talem æqualitatem, sed ad imitationem bonæ operationis, quæ ex charitate procedit: quod secũdum Gregor. per osculum manus designatur. Ei, qui in præsbyterum ordinatur traduntur sub certis verbis stola, & casula, calix cum patena, & etiam is inungitur: quæ res, & verba sunt de substantia huius ordinis: cætera vero præcedentia & sequentia sunt solemnitatis.

Sacerdotes a proprio Episcopo sunt ordinandi, ita quod & ciues & alij Sacerdotes consentiant. 68. dist. Nec debet Episcopus ordinare illos absolutè, idest, sine titulo certo alicuius Ecclesiæ in ciuitate, vel extra ciuitatem: & si ordinauerit aliquem Clericum sine titulo in opprobrium ordinantis, officij executione carebit: hoc olim fiebat quod deponebantur 70. distin. neminem. Nunc autem quoniam Episcopi hanc pęnam nullam reputabãt, prouisum est, vt remaneant promoti, & Episcopus, vel etiam eius successor, eis prouideat. extr. de præben. Episcopis. extr. eod. tit. cum secundum. Sed dicamus cum D. Clemente, melius est Episcopo paucos habere Sacerdotes, ac Ecclesiæ ministros qui possint dignè opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant.

Nonnulli etenim Doctores, dicunt: tria esse in rerum natura, nempè, lingua, Ecclesiasticus, & fæmina, quæ medium in bonitate, aut malitia tenere nesciunt, sed vbi limites suæ conditionis excedunt, ibi quendam apicem & supremum gradum in bonitate aut malitia vendicant. In bonitate quidem quando a bono reguntur Spiritu, vnde & optima sunt. In malitia vero, quando a malo spiritu reguntur, vnde & pessima efficiuntur. De lingua enim patet, cum eius ministerio plurima regna fidei Christianæ sunt subiugatæ: vnde & Apostolis Christi in igneis linguis Spiritus sanctus visus est. patet & in alijs sapientibus prædicationibus quotidie lingua canum, vulnera & vlcera languentis Lazari lingentes: iuxta illud Psalm. 65. lingua canum tuorum ex inimicis animas eripientes. Patet & ex quotidiana experientia quod vnius viri prudentis lingua interdum infinitorum hominum strages præpeditur; propter quę non immerito in eius commendationem Salomon Prouer. 10. plura cecinit. Labia iusti erudiunt plurimos, &c. & subdit causam: quia hominis est præparare animum. Et Dei gubernare linguam. Et iterum. In labijs sapientis inuenitur sapiẽtia. De mala vero lingua dicitur: Eccles. 28. lingua tertia multos commouit & dispersit illos a gente in gentem, ciuitates munitas destruxit, & domos magnorum effodit. Et dicitur lingua tertia, eorum, qui inter duas partes contrarias incautè, vel maculosè loquitur. De secundo .s. Ecclesiasticis, intellige Clericos & Religiosos in vtroque sexu. ait Chrysost. super illud, eiecit vendentes & ementes de templo.

Sanguinem Diuina virtute conuertit, dicens: Matth. 26. Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, &c. Excellentius vsus est hoc officio, quando in ara Crucis pro peccatis humani generis Deo patri se obtulit, idem Episcopus, Sacerdos, & Hostia: & adhuc gloriosius vtitur, dum sedens ad dexteram patris, pro nobis interpellat. Antiquitus Sacerdotes non promouebantur nisi attingerent triginta annos, & completos. 78. dist. vbi dicitur si quis triginta ætatis suæ annos non impleuerit nullo modo præsbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus: vbi glos. ait: quia in tali ætate Dominus baptizatus est, & prædicare cœpit, & quidam alij Prophetæ: sed quia & ante hoc tempus Prophetæ ad prædicandum missi sunt necessitate imminente, à vigesimo quinto anno ordinari potest. vt patet ead. dist. si triginta. Vide Concil. Trid. sess. 23. c. 12.

Sed quæret fortè aliquis quot sunt gradus in ordine Sacerdotali? Resp. Cathechis. ibidem num. 26. & ait: qui tametsi vnus est ordo Sacerdotalis, varios tamen dignitatis, & potestatis gradus habet. Primus est simplicium Sacerdotum: de quibus diximus. Secundus Episcoporum qui singulis Episcopatibus præpositi sunt, vt non solum cæteros Ecclesiæ ministros, sed fidelem populum regant, & eorum saluti summa cum vigilantia, & cura prospiciant; de quibus infra dicetur. Tertius gradus est Archiepiscoporum qui pluribus Episcopis præsunt, qui Metropolitani etiam dicuntur, quod illarum vrbium Antistites sunt, quæ tamquam matres habeãtur illius prouinciæ: quare superiorem quam Episcopi locum, ampliorem que potestatem habent; tametsi ab Episcopi ordinatione nihil differunt. Quartus gradus, est Patriarcharum qui & primates etiam dicuntur. 98. distin. sic dicti, quia sunt primi supremique patres, qui olim in tota Ecclesia præter summum Rom. Pontificem, quatuor tantum erant, non tamen dignitate pares. Primus erat Constantinopolitanus. Secundus Alexandrinus. Tertius Antiochenus. Quartus Hierosolymitanus. Vnde etiam notatione dignum est, quod Gẽtiles habebant tres ordines Sacerdotum, scilicet, primiflamines, Archiflamines, & flamines. loco primiflaminum, Petrus iussit poni Patriarchas, qui de maioribus aliorum Episcoporum causis cognoscunt. Loco Archiflaminum vel Proflaminum, Archiepiscopos: loco flaminũ Episcopos, qui in singulis ciuitatibus singuli esse debent dist. 80. cap. 2. in illis. Sed isti primatus & Patriarchæ non differunt realiter inter se, nisi tantum nomine. 96. distin. §. 1. quia sunt eiusdem officij.

Præter hos omnes, ait Catechis. Catholica Ecclesia Roman. Pontificem Maxim. quem in Ephesina Synodo Cirillus Alexandrinus, Archiepiscopum totius orbis terrarum patrem & Patriarcham appellat, semper venerata est: & reddens rationem ait: Cum enim in Petri Apostolorum Principis Cathedra sedeat in qua vsque ad finem sedisse constat, Summum in eo dignitatis gradum, & iurisdictionis amplitudinem, non quidem vllis Synodicis, aut alijs humanis constitutionibus; sed diuinitus datam agnoscit. Et concludẽdo ait: Quamobrem fidelium & Episcoporum, cæterumque Antistitum, quocumque illi munere, & potestate præditi sint, pater ac moderator vniuersalis Ecclesię, vt Petri successor Christique Dominus verus, & legitimus Vicarius in terris præsidet. Et ideo Summus & Maxim. omnium Sacerdotum hic gradus est. Catechis. ibid. Vnde ad similitudinem summi Sacerdotis Vet. testamẽti, qui tantum licebat ingredi Sancta Sanctorum solus ipse ad Altare ligneum vbi D. Petrus Missam cælebrasse fertur, ipse solus Missam facit, quod non

dicitur, quod corpus Christi est duplex, aliud verum & aliud mysticum. Corpus Christi verum, est illud quod in sacra Eucharistia continetur. Corpus autem mysticum, est Ecclesia. In sacramento ergo ordinis, datur potestas in corpus Christi verum, & in corpus Christi mysticum; (vt dicetur) Catechis. ibid. num. 5. & 6. Circa secundum dicitur, quod duplex est potestas quæ Ecclesiæ & eius ministris datur. Alia ordinis, & alia iurisdictionis. Ordinis est potestas, quę ad verum Christi corpus in sacrosancta Eucharistia refertur, idest, per hanc potestatem Sacerdotes, & ministri possunt facere, iuxta gradum suum, omnia, quæ facienda sunt ad hoc, vt sacra Eucharistia conficiatur, Deo offeratur, & fidelibus administretur. Catechis. ibi. nume. 6. & 7. & 12. Potestas iurisdictionis, est potestas data Sacerdoti super corpus Christi mysticum, & ad illum spectat Christianum populum gubernare, & moderari, & ad eternam beatitudinem dirigere. Primam potestatem contulit Dominus in vltima cœna, quando dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22. Hoc autem fecit quia Deus requirit gratitudinem, & ideo quotannis celebratur etiam Pascha, Natale, & huiusmodi in memoriam illorum beneficiorum acceptorum. Ingrati enim multum Deo displicent. Secundam contulit in die Resurrectionis, quando insufflauit dicens. Accipite Spiritũ sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Io. 20. Item, primam confert Episcopus ordinando cum tradit ei calicem cum vino & aqua pane superposito dicés. Accipe potestaté, &c. Secundam verò post pauca, cum ponit manus super caput dicens. Accipe Spiritum sanctum, &c.

Sed dicet aliquis, potestas ligãdi & soluẽdi quæ datur vnicuiq; Sacerdoti est ne ordinis aut iurisdictionis? Resp. Concil. Trid. sess. 14. c. 7. & Catechis. de pænitentia num. 56. potestas, ait, ligandi & soluendi dupliciter potest considerari: vno modo, quatenus hęc potestas datur sine materia, idest, sine populo, aut sine subditis in quos exerceat, & ita est potestas ordinis; & datur vnicuique Sacerdoti in sua ordinatione. Alio modo cõsideratur quatenus dictę potestati ordinis subijcitur materia, & populus, in quem talis potestas exerceatur, & hæc dicitur potestas iurisdictionis, & non datur cuicumque Sacerdoti, sed tantum illi, cui subijciunt fideles, & possint ab illo absolui, atque ita parochus non Sacerdos habet potestaté iurisdictionis & non ordinis. Sacerdos non parochus, nec admissus ad confessiones, habet potestatem ordinis, & non iurisdictionis: parochus qui sit Sacerdos habet vtramque. Circa tertium dicendum est, quod tres sunt claues, vna est clauis auctoritatis. Alia, est clauis excellentiæ. Tertia, est clauis, ministerij. Clauis authoritatis dicitur illa quam solus Deus habet, ipse enim solus est qui peccata delet. Is. 43. Ego sum ipse qui deleo iniquitates propter me. Clauis excellentiæ, dicitur illa, quam habet solus Christus qui peccata remittit per meritum suæ passionis; Clauis ministerij, est illa quam habet solus Sacerdos. Concil. Trid. sess. 14. c. 1. Clauis ministerij est duplex. s. ordinis & iurisdictionis de qua dictũ est. Clauis verò ordinis duplex est; scilicet, scientiæ & potentiæ, siue potestatis: neque sunt duæ, sed vna potestas: & ratio est: quia ad vnum effectum & finem ordinantur. Finis autem est aperire cælum, & a peccatis homines liberare.

Si vnus est effectus & finis; quare duæ sunt claues? Neque Catechis. ibi. num. 44. ad hunc finem obtinendum duo actus sunt necessarij in Sacerdote, vnus est vt examinet an iste vel ille dignus sit vt absoluatur, alter est, vt verè & efficaciter absoluat illum. Om-

etiam Grat. & Viual. de confess. numero 28.

De Vita & Moribus Parochiorum pariterque Canonicorum. Cap. 54.

HIc dicendum est de vita & moribus parochorum, antequam fiat sermo de Episcopo. Vita ergo parochi necessarium est vt conueniat doctrinæ. Nam qui vitam agit doctrinæ contrariam, plus exemplo destruit, quam ædificat verbo. Oportet enim & fieri sermonem non tantum dici, alioqui competet in parochum quod Seneca Platoni obiectum fuisse refert: aliter loqueris, aliter viuis. Et quod Christus Phariseis imputat: dicunt.n. & non faciunt: alligant onera importabilia in humeros vestros digito autem suo nolunt ea mouere. Apponatur ergo manus ori necesse est, ne sit vox quidem vox Iacob, manus autem Esau. Porro vox operum fortius sonat quam verborum. Intuendus est nobis pastorum princeps, cuius tota vita sua doctrina est: qui cæpit primum facere, postea docere. Siquidem, potens in opere & sermone: qui discipulos Ioannis de aduentu Messiæ rogantes, ad opera remisit dicens: ite, dicite Ioanni quæ vidistis & audistis. Qui denique non solum vocat oues suas nominatim, sed & vadit ante eas. Et eum tantum qui sic docuerit & fecerit, magnum in regno cælorum fore pollicetur.

Item, pastor siue parochus oportet vt sit exemplum gregis. Vnde Apostolus Ecclesiæ ministrum instituturus; Exemplum (inquit, 1. Timoth.4.) esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Itidem ad Titum. 2. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum irrepræhensibile, vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Sal enim terrę, & lux mundi, prædicator Euangelij dicitur, & lucerna super candelabrum posita, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic, vt videāt homines opera illius bona & glorificent patrem qui in cælis est. Quod si sal infatuatum fuerit in quo salietur? Ad nihilum enim valet vltra, nisi vt proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Apostolus itaq; hoc præceptum commendat Timoteo, vt, militet bonam militiam, habens non tātum fidem, sed & bonam conscientiā, quam quidem repellentes, circa fidē naufragauerunt, ex quibus tum erat Hymenæus, & Alexander, quos tradidit Sathanæ, vt discant non blasphemare. Interea verò ex eodem numero omnes hæretici fuere.

Item, in primis vitanda est parocho auaritia, vt docet Apostolus. Hospitales enim erunt, non turpis lucri cupidi, non opes, sed animas venantes, non auri sed hominum piscatores. Alioqui ex pastoribus fient mercenarij, & vertentur in lupos, audientque Dominū per Ezechiel. exprobrantem: cap.34. (lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, gregem autē meum nō pascebatis, quod infirmum fuit non consolidastis; & quod ægrotum erat nō sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, &c. quæ sequuntur. Qui enim volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia & nociua, quæ mergūt homines in interitum & perditionem 1. Timoth.6. Radix quippe omnium malorum, est cupiditas, quā quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu vero ò homo Dei; hæc fuge, sectare vero iustitiā, pietatem, fidem, & mansuetudinem.

Insu-

occasio vitanda est accessus ad eas sine causa vrgente & modestia. Fæminæ sunt multum curiosæ ad videndũ viros etiam bonos. Genes. penul. Filiæ discurrerunt per murum, scilicet, ad videndum Ioseph. Exemplum patet de sancto Bernardo cum hospite sua. Secunda occasio vitanda est frequentatio cum eis. Solent enim ex huius frequentia corda earum inflãmare in viros. Exemplum Genes. 39. de Domina quæ iniecit oculos in Ioseph, & ideo cauendum a talibus & ab earum frequentatione, vnde propter huiusmodi vitandum; monasteria duplicia, scilicet, virorum & mulierũm simul habitantium instituta a Beato Basilio mandamur separari & nõ amplius fieri. 18. q. 2. diffinimus. Tertia familiaritas quæ causatur ex multa & priuata locutione: familiaritas enim in omni re præbet audaciã, audacius, enim petitur aliquid a familiari quam ab extraneo. Sic & mulier audacius prorumpit in tentatione in familiarẽ. Vnde. 18. q. 2. peruenit. prohibentur Monachi facere sibi comatres ad tollendum huius familiaritatem. Et nota quod præceptoriẽ hoc prohibet Greg. in dicto cap. dicit tamen Glos. quod si Monachi habent Ecclesias curatas, non prohibentur baptizare, sed leuare de sacro fonte, quia ibi maior familiaritas contrahitur. Quod extenditur ad omnes religiosos, quia vbi eadem ratio, ibi idem ius. Quarta est ostensio affectionis per munuscula & dulces literas: affectus ergo mulieris erga bonos viros, licet sanctus de facili degenerat in carnalem, quia fragilis est naturæ, & ideo boni viri si ex aliqua causa vrgente habent ostendere familiaritatem, caueant sibi a verbis blandis & actibus ex quibus possit augeri affectus earum circa se. Vnde Hierony. crebra munuscula, sudariola, & dulces literas sanctus amor non habet. Quinta, est decor & compositio corporis. Et ideo boni religiosi deturpant corpus suum per mortificationem. Quod si sentiunt diligi a mulieribus fugiant ipsas, & asperè ac durè loquantur ad eas. Sexta, est aspectus earum, impudicus oculus, impudici cordis est nuncius; ait Aug. 32. q. 5. Nec solo. Exemplum Dauid videndo Bersabeæ. Vitandum est ergo consortium mulierum, primò propter periculum. Secundò propter infamiam quæ inde sequitur quæ est cauenda Arg. 11. q. 3. non sunt audiendi. & Tertiò propter notam exempli, quia minores, scilicet, subditi, vel alij, idẽ facere volunt, cum sint fragiles.

Item, meditabitur parochus quid ipsi Dominus per Ezechiel. cap. 33. & 34. Parabolaque speculatoris menti infigenda est: speculatorem, inquit, dedi te, & domui Israel. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se nõ custodierit veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sãguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Parochi siquidem sunt, quibus potissimum dictum est: fratres si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum; scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, seruabit animã eius à morte. Dura est nimis illa Prophetæ lamentatio: capit. 4. paruuli petierunt panem, & nemo dabat eis. Pasce ergo famę morientem: si non paueris, occidisti. At homo ex duabus partibus cõstat, ex carne, scilicet, & spiritu. Duplici ergo cibo opus est. Nam vt scriptura ait: Non in solo pane viuit homo (Matt. 4.) sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Cibus exterior, carnem tantum mortalem reficit, & intrans per os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Panis autem spiritus tam per verbum prædicationis; quam Sacramentaliter in veritate corporis & sanguinis dominici, in viua fide comestus, viuificat, reficit, ac vegetat

dormire, & iacere in vno conclaui, vt de consecr. distin. 5. in omnibus. Hinc est quod iuxta Ecclesias collegiatas (vt dixi) extant claustra. Quod autem huiusmodi claustra constituantur propè Ecclesiam præcipitur. 12. quæst. 1. cap. 4. necessaria. & in capit. sequ. dicitur, quod nulla ædificia in atrio, idest, in cœmeterio Ecclesiæ ponantur nisi tantum Clericorum. Hodie tamen canonici non simul, sed apud se habitant.

Quod vero canonici super cottam portent pellem illam super humeros, denotat puritatem carnis seu corporis: Sicuti super pelliceum, vel cotta, denotat puritatem animæ. Nam sicut illa pellis est de animalibus mortuis, ita ipsi canonici debent habere corpora mortificata, vt valeāt deuotius Deo seruire, qui quotidie assistunt. Vnde si non habent corpora munda & mortificata non portant tunc vere pellem. & quia Episcopus omni tempore, & omni hora debet esse purus & mundus vt pastor aliorum, hinc est quod semper rocchetum portat, quod significat puritatem & munditiam animæ.

De Episcopo & eius munere ac qualitatibus, Cap. 54.

CÆremoniale Rom. nouum in cap. 1. libro 1. de habitu & alijs agendis per Episcopos, hæc verba habentur: nempe.

Cum aliquis certior factus fuerit se alicui Ecclesiæ Cathedrali, vel maiori à Summo Pontifice in concistorio præfectum, statim curabit sibi amplam coronam in capite decenter formari, &c. quæ sequuntur.

Episcopi munus præcipuè in duobus consistit, primum in impositione manuum, quæ est ordinum Ecclesiasticorum collatio ac institutio ministrorum. Deinde in visitatione Dioceseos. Vtrumque Apostolus scribens ad Titum discipulum suum, complectitur, dicens: Huius rei gratia, reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per Ciuitates Præsbyteros, sicut & ego disposui tibi. Alterum verò idem Apostolus, cum à Mileto discessum maturaret profecturus Hierosolymam, ac certus quod ampliùs haud visurus esset faciem eorum omnium, per quos transiuit, prædicans regnū Dei, vocatis illo ad se ab Epheso, Ecclesiæ præsbyteris Apostolica vehementia inculcat, cum ait: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et quoniam scio, (inquit) quod intrabunt post digressionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se, propterea vigilate; Cui muneri, vt ambo illa Apostolici ordinis eximia luminaria, nimirum Petrus & Paulus, satisfacerent, alter transiuit & inuisit vniuersos, alter perambulauit Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum, nimirum non tantum verbo, sed & exemplo, Episcopos commonentes, vt qui speculatores in Dei Ecclesia constituti sunt, ac appellantur prouinciæ sibi mandatæ, vigilantissimè intendant fidem, conuersationem, mores, & vitam singulorum explorent, examinentque, ac prouideant, ne alicubi quis in ea vocatione, ad quam à Deo vocatus est, torpescat.

Sed quis est eligendus in Episcopum? Respond. quicumque non prohibetur. Hostien. sum. de elect. prohibentur autem multi, vnde versus.

Anni triginta, Sacerdos, pura voluntas.
Et morum grauitas, sapientia, sponsa parentis.
Concurrens forma, decus hoc dant Pontificale.

Anni triginta, scilicet, completi ita quod nec dies desit: ratio est, quia Christus cuius vicarius est Episcopus, in tali ætate baptizabat & prædicabat. 38. distinct. præsbyter. Pura voluntas, per hoc excluditur seruus. Sponsa parentis, idest, legitimè natus. Concurrens fama, quia in nullo fama sua debet vacillare. cætera patent.

Responsio illius qui ad Episcopatum petitur, non dicet expresse nolo; quia tunc mentiretur. 22. quæst. 2. cum humilitatis. Nec debet se statim ingerere, sed dicat vt dixit Mutinensis Episcopus: nolens volo, & volens nolo. 16. quæst. 1. vos autem. vbi ait Aug. dignitates non esse eas auidè appetendas, nec respuendas cum necesse est: sed miti corde obtemperandum est: quia si otium necessitatibus Ecclesiæ semper dignus præponeretur, nullus inueniretur, per quem renasceretur Ecclesia. Et Glos. in cap. in scripturis vestris 8. quęst. 1. ver. plene. & Gul. ait: quod Episcopus postulatus ad Ecclesiam sic debet respondere: nec consentio, nec dissentio: sed in hoc voluntate Domini Papę suppono: vt refert Glos. de elec. & electi potestate. lib. 1. tit. 6. vnde 8. qu. 1. olim iustus. redarguuntur electi & digni qui nolunt recipere pręlaturas, dicens ibidem: in veteri lege præcipiebatur, quod frater duceret vxorem fratris sui defuncti, vt ei sobolem suscitaret, quam, soboles defuncti diceretur: quod si recusabat, in faciem eius conspuebatur, & scalciabatur vno pede. Exinde domus eius vocabatur domus discalciati. Sic vnusquisque prædicator, vel prælatus, debet Christo qui pro nobis mortuus est, filios suscitare: qui Christiani à Christo vocentur. Quod si recuset, respuitur ab Ecclesia tamquam vno pede discalciatus: & portabit opprobrium illius, non figuratum, sed figurans: quia hęc significat opprobrium illius. Qui autem hoc adimplet, vtroque pede dicitur calciatus.

Debet autem Episcopus, primo, habere bonum testimonium (1. Tim. 3.) & ab his qui sunt intus: & ab his qui sunt foris: vt cortina, idest, fidelis, cortinam trahat, idest, infidelem trahat ad fidem: & qui audit, scilicet, addiscendo, & credendo, dicat veni, scilicet, prædicando. Et sicut dicitur de alijs beneficijs, ita & de hoc dicendū est, scilicet, quod ad promouendum aliquem ad beneficium curatum, quatuor requiruntur: videlicet ætas, mores, scientia, & ordo. Glos. in 6. de præben. lib. 3 tit. 4.

Sacri autem canones inter ordines connumerant ordinem Episcopatus. 21. dist. cleros. in principio. Extr. de purg. cano. quo. Animaduersione dignum est (secundum Viguer.) quod dupliciter ordo accipitur. Vno modo vt est sacramentum: & sic omnes ordines ad sacramentum Eucharistiæ ordinantur: & hoc modo accipiendo Episcopatus non est ordo distinctus a Sacerdotio, quia Episcopus nullam habet potestatem supra corpus Christi verum, quam non habeat Sacerdos. Alio modo potest considerari ordo secūdum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum, & sic cum Episcopus habeat potestatem in omnibus actibus Hierarchicis respectu corporis mystici, quam non habet Sacerdos, sequitur quod Episcopatus est ordo: quia ordo est disparitas, gradus in Spiritualibus dispensandis: unde Dionys. in lib. Ecclesiastic. Hierarch. assignat tres ordines, scilicet, Episcopum, Sacerdotem, & ministrum: intelligendo per ministrum, Diaconum & inferiores

ordines, qui eminenter sunt in Diacono. Item, ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. de Sacram. ordinis, vbi videtur constitui distinctus ordo a Sacerdotio, vt obseruat Nauar. & Valentia. Deinde quoniam in ordinatione Episcopi imprimitur character, & datur potestas conferendi confirmationem & ordinem, & ad alia munera, quæ gratiam peculiarem requirunt; patet quod sit ordo distinctus. Confirmatur hæc sententia, ex munere Episcopali, quod est longè excellētius, quam sint ea, quæ ad ordines minores, imo quæ ad Subdiaconatum, & Diaconatum spectant; tamen hi sunt ordines distincti: ergo multo magis Episcopatus.

Nomen autem Episcopi plus sonat oneris quam honoris. Nam Episcopos Græcè, Latinè superintendens interpretatur: speculatoris officium gerens. 21. distinct. Cleros. Vel. Episcopus Græcè, Latinè supra & scopos, quod est intentio: quasi superintendens, scilicet, curæ subditorum. Aug. 8. quæst. 1. qui Episcopatum. Item & præpositus in Ecclesijs speculator dictus est, iuxta id Ezech. 3. fili hominis speculatorē dedi te domui Israel, &c. vt plebi sibi commissæ non negligenter incumbat, sed vitam, & mores eorum, & cuncta diligenter prospiciat. Et quoniam Episcopus speculator est, ideo ex institutione Clementis Primi, locus eius in Ecclesia altior est: vt superintendat & populum custodiat, omnesque conspiciat, & illum omnes videant, sicut vinitori locus altior est pro vinea custodienda. Apost. autem 1. Timoth. 3. volens ostendere qualis esse debeat Episcopus, ita inquit. Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat 8. quæst. 1. qui Episcopatū: non dicit honorem, vel bonas opes, sed opus: quia Episcopus non tam vt præsit, quam vt prosit eligitur. Potest desiderari sic vt non se ingerat ff. de procu. l. quæ omnia. Deinde qualitates proponens quas Episcopus habere debet subdit, dicens: oportet ergo Episcopum irrepræhensibilem esse, idest, sine peccato, vt ait ad Tit. capit. 1. oportet Episcopum sine crimine esse: deinde subdit (in prima ad Timoth. 3. postquam dixit irrepræhensibilem esse) vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem; non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum: sed suæ domus bene præpositum. Hæc omnia declarabuntur.

Primò, ait; oportet enim Episcopū irrepræhensibilem esse; & ad Titum, ait: sine crimine, quod idem sunt, idest, sine mortali intelligendum: quod non solum de Episcopo (ait Gratian. 81. dist. §. 1.) sed etiam de quolibet electo ad aliquam præposituram Ecclesiæ oportet intelligi, vt sit sine crimine, quod sit accusatione dignum, vt homicidium, adulterium, & huiusmodi. Ipse enim est ciuitas supra montem posita: & est lux, quæ sic lucere debet, vt subditi videant opera eius bona, & glorificent Deum Patrem, qui in Cælis est. Nec intelligendum est quod omnino sit sine peccato, quia dicitur. 1. Io. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c. Nec est dicendum sicut nonnulli dixerunt, quod quicumque peccauit mortaliter post Baptismum, non est idoneus, quia pauci essent tales: sed irreprçhensibilis, id est, non subiectus alicui peccato, vnde ab alijs repræhendi possit, quia indecens est, vt repræhensibilis sit repræhensor: etenim pro occulto crimine nemo repellitur ab Episcopatu post pœnitentiam, (nisi in homicidio, vt dicit noua decret. extrauag. de tempore ord. cap. vlt.) nam pœnitentia peracta potest quis ad superiores gradus ascendere. Maria soror Moysi quia murmurauit contra Moysen lepra percussa est, & deinde facta pœnitentia recepit sanitatem & gratiam prophetandi. Aaron post conflatum

vitulū, etiā in summum Sacerdotem consecratus est. Dauid post adulterium, & homicidium, spiritum prophetiæ recepit, & in proprio remansit gradu. Petrus negauit Christum, & tamen postquam fleuit amarè, Princeps Apostolorum factus est. Paulus Stephanum lapidauit, & tamen a Deo in Apostolum est electus. Multi quoque ab hæresi ad vnitatem Catholicę fidei reuertētes in suis ordinibus sunt recepti: alij vero ad Episcopalem gradum etiam sunt promoti, vtpote Augustinus & alij complures. Gratian. 50. dist. §. econtra. Gregor. autem ait: ead. dist. ferrum. Ferrum de terra tollitur cum fortis propugnator Ecclesiæ à terrena, quam prius tenuit actione, separatur. Non ergo in eo debet despici quod fuit, quia iam incipit esse quod non fuit. Vult probare Gregor. quod postquam prælatus separatus est per pœnitentiam à peccatis, debet lucidus reputari: nec debet ī eo id quod fuit, sed quod modo est, ad instar ferri, quod dum est sub terra, obscurum est: sed postquam separatur ab illa fit lucidum & vtile ad secādum, sic prælatus ad prædicandum, & ad verba diuina declarandum. Intellige tamen de veris pœnitentibus, quia si timor adest in aliquibus amittendi gradum, hi non odium criminis, sed proprium commodum facit eos pænitere: idem dic de ambitiosis, & vilibus & huiusmodi: quia verè non egerunt pęnitentiam, sed fictè: vt probat ibid. Grat. in principio. distinct. immo cum eligendus est aliquis potius est eligendus qui peccauit & postea pęnituit, quam qui semper fuit bonus, quia magis scit compati peccantibus. distin. 50. considerandum, nam infirmus fortior resurrexit, de pęnit. distinct. 1. potest. & ibidem distinct. 3. ille intellige tamen de pœnitentibus non solemnibus & bigamis, quia illi ex eluduntur. Grat. dist inct. 50. §. 5. & quoniam regulariter laici, & inuidi, sunt semper parati contra religiosos, in accusationē, inquisitio contra aliquem non est facienda nisi ita publica sit infamia, quod vlterius sine scandalo non possit tolerari, vt extra. de accusat. qualiter. Item, in peccato occulto ait Vgo, non potest quis accusari, vel puniri: quia peccata occulta non habent vindictam, vt 32. quæst. Christiana. & 6. quæst. 1. si omnia: Ait Anacletus, quod si omnia peccata occulta & manifesta accusarētur, & iudicarētur in hoc seculo, in futuro nil Deo reseruaretur, cui soli occulta relinquuntur: & illi qui cōtrafaciunt sunt impudentes quia volunt Deum adiuuare, sed plus stimulis inuidiæ quam amore charitatis agitantur. Deinde sequitur.

Vnius vxoris virum, idest, monogamum, quod idem est. Hic excludun tur bigami, vel, digami, qui in casu necessitatis promouentur ad Subdiaconatum vsq. 34. dist. Lector. Hæc vox componitur, à bis, & gamos; siue, à dia & gamos: bis, siue dia Græcè, Latinè, duo: gamos Græcè, Latinè, nuptiæ dicuntur. Bigamus ergo dicitur ille qui bis matrimonio copulatus siue iunctus est. Et Monogamus, qui semel. Assignantur autem quatuor rationes quare bigamus non possit promoueri ad Sacerdotium, ergo multo minus ad Episcopalem dignitatem. Vna, propter defectum Sacramenti, quia non est ibi Sacramentum vnitatis, cum carnem suam diuiserit in plures. 26. distinc. Acutius. vbi nota quod in matrimonio triplex designatur Sacramentum: coniunctio animorum per verba de præsenti, designat coniūctionem fidelis animę ad Christum; sed coniunctio carnis, designat coniunctionem Christi & Ecclesiæ. extra. de bigamis. debitum. Item, designatur ibi vnio deitatis cum humanitate. de consecr. dist. 2. in Christo. Et illum designat coniunctio corporum. Secunda ratio cur bigamus non possit promoueri est propter prærogatiuam ordinum.

dinum. in ead. distin. vna. Tertia, propter signum incontinentiæ. 82. distin. proposuisti. Quarta, ex eo quod non habet frontem hortandi viduitatem. dist. 26. cap. vna. in fine. Et non repellitur, quia peccauit, sed propter defectum Sacramenti qui est in eo. extr. de bigamis. A nobis. Idem est iudicium de Cathecumena corrupta ante Baptismum, post vero non potest consecrati inter virgines. Sed quæret quis, quare non potest consecrari inter virgines, cum sit minor dignitas quam Episcopalis, & Episcopis corruptus, etiam si post mortem vxoris habuerit concubinam, vt 33. distinct. habuisse. & 34. distinct. fraternitatis. potest cõsecrari? Respond. quod virgo sacra, significat Ecclesiam triumphantem, vbi non est macula, neque ruga 21. distinct. quamuis. Sed Episcopus significat Ecclesiam militantem vbi sunt boni & mali. distinct. 31. quoniam. 11. quæst. 3. audi. Si dicatur quod Baptismus delet omnia mala; dic quod delet peccata, sed non matrimonia: neque quæ implicant contrarietatẽ, vt quod corrupta sit virgo. Tollit tamen Baptismus non tantum peccata, sed etiã infamiam & irregularitatem præcedentem ex proprio delicto prouenientem, sine pœnitentia & satisfactione. de consecr. dist. 4. fine. vt patet de Paulo qui ante Baptismum fuit homicida 50. distinct. §. contra. Secus dicitur de infamia quæ non prouenit ex peccato sed ex constitutione Ecclesiæ. ibidem dist. 26. cap. 2. vt est, contrahere cum ancilla sua, licèt sit virgo. 34. distinct. si quis viduam, aut eiectam. Si dicatur quod sit libera, cum ducitur. vt ca. de la. li. col. authen. ad hoc. Respond. quod nihil refert. sed quare ancilla Virgo hoc facit? Respond. Glos. ibid. si quis viduam. propter prerogatiuam Sacerdotij. Vel ideo quia non videtur ibi esse plenum Sacramentum. Vel hoc ideo contingit, quia vilis persona præsumitur qui contrahit cum ancilla sua. Vel quia nimis incontinens videtur, non considerans personam tam vilem.

Item, per illa verba vnius vxoris virum, intelligunt quidam, idest, vnius Ecclesię sponsus: quod quidem statuit Euaristus Papa & martyr anno Domini 113. & etiam statuit quod Episcopus non possit accusari a populo. In his verbis damnatur renunciatio: si fiat sine legitima causa: vnde ipsemet Euaristus, in Epistola secunda ad Episcopos Ægypti, ait: sicut vir non debet adulterare vxorem suam, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, idest, vt dimittat illam ad quam sacratus est, absque ineuitabili necessitate, aut Apostolica, aut regulari mutatione, neque alteri se ambitus causa coniungat.

Et velut vxor quæ sub manu viri est, obedire debet viro suo, eumque diligere & amare, sic Ecclesia Episcopo suo in omnibus obedire, & amare vt animam suam debet, quia illud carnaliter, illud vero spiritualiter. 7. q. 1. sicut vir. Solus enim Papa agit de eorum renuntiatione. 6. quæst. 3. denique & de eorum mutatione. 7. quæst. 1. mutationes. Et de eorum exemptione, vt 16. quæst. 1. Frater. Ideo auaritia, aut presumptione, aut proprię voluntatis causa, non sunt Episcopi mutandi de ciuitate in ciuitatem, sed vtilitatis & necessitatis, & cum authoritate Apostolica. Ponũtur tamen quædam causæ ab Innoc. 3. vnde ipse scribens Archiepiscopo Calaritano, (vt patet de renunc. tit. 9. cap. 10.) sex sunt causæ ex quibus Episcopi possunt petere & Papa consueuit concedere cedendi licentiam: quæ sex causæ his uersibus compræhenduntur ex glos.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis:
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Debilis, ſcilicet, primò poteſt cedere propter debilitatem corporis, nempè propter infirmitatem incurabilem, vel ſenectutem, ex quibus redditur impotens ad exequendum officiũ paſtoralem. Secundò, propter ignorantiam, ſcilicet, ex defectu ſcientiæ: nã ſcientia circa adminiſtrationem Spiritualium & corporalium eſt, valdè neceſſaria. Tertiò, malè conſcius, ſcilicet, propter conſcientiam criminis: ſed non propter conſcientiam cuiuſlibet criminis, ſed illius propter quod executio officij etiam poſt peractam pænitentiam impedit, quod ſi pro quolibet crimine quis cederet, pauci vel nulli remanerent. Quartò irregularis, ſcilicet, propter irregularitatem debet petere ceſſionem, vt ſi ſit bigamus, vel maritus viduæ. Vel ſi non eſt de legitimo matrimonio natus tamen ſi factum eſt occultum, poteſt cum eo miſericorditer diſpenſari. Quintò, quem mala plebs odit, ideſt, propter malitiam plebis cedere debet prælatus videlicet, quando plebs adeo mala exiſtit, vt proficere nequeat apud ipſam: & quanto magis prælatus laborat, tanto deterior fit. Vnde Apoſtoli dixerunt Iudæis; Ecce conuertimur ad gentes, quia verbi Dei vos feciſtis indignos. Sextò, dans ſcandala, ſcilicet, pro ſcandalo licitum eſt Epiſcopo petere licentiam cedendi, cum aliter ſcandalum ſedare non poteſt: ne plus corporalem honorem videatur eff ctare, quam ſalutem æternam. Subdit deinde Apoſtolus.

Sobrium. Ebrietas enim obſtat vigilijs. Deinde ſequitur ornatum, procul dubio compoſitione geſtuum, actionum, eloquij, & alijs bonis moribus. Poſtmodum ſequitur, prudentẽ: quia hæc eſt regina omnium virtutũ: nam Epiſcopus eligitur vt alios regat. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Sequitur.

Pudicum, vnde dicitur de Ambroſio, quod quoſdam ordinare nolebat, quia diſſolutè incedebant. Item, quãdoque contingit quod occurrunt alicui aliqua turpia in alijs agentibus, vel dicentibus, & ad hæc debet habere pudicitiam, vt verecundetur ſi videat, aut audiat. Aug. Impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius. Euſebius ſtatuit anno Domini 307. vt Epiſcopi contenti ſint moderato cibo. Itẽ, & quod laici non poſſint accuſare. Epiſcopum ſuum niſi in caſu hæreſis. Sequitur.

Hoſpitalem, ſcilicet, peregrinorũ, & hoſpitum. Iob. 31. Oſtium meum viatori patuit, & foris non manſit peregrinus. Et ad Tit. 1. ait Apoſt. Hoſpitalem. vnde Hierony. ait: numquã legi hominem pium in pauperes feciſſe malum finem: & licet aliquis ſit malus, tamen (ſi eſt pius,) de facili ad Deum conuertitur: quare ſi vidua in Eccleſia recipi prohibetur quæ pauperes non recepit hoſpitio (1. Tim. 5.) quæ pedes ſanctorum non lauit, quæ omne opus bonum non eſt exequuta, multo magis ſunt prohibendi a Sacerdotio qui ab opere pietatis ſunt alieni. Gratian. 42. diſt. §. 1. Quare Io. Euãgeliſta in ſua canonica tertia, quemdam Diotrephem excõmunicat, qui nec pauperes recipiebat, & recipientes de Eccleſia eijciebat. Ergo auaritia promouendum impedit. 42. diſt. §. 1. Etenim domus clerici debet eſſe omnibus communis. 16. quæ. 1. quoniam. Et in hoſpitalitate non eſt habenda acceptio perſonarum, ſed omnibus indifferenter quibus poſſumus illam exhibere debemus, vt diſt. 44. c. quieſcamus. Si tamen petatur pro neceſſitate, vt ſit de Eleemoſynis quotidianis. Nota tamen quod Eleemoſyna danda eſt ordinatè iuxta id Cantic. 2. Ordinauit in me charitatem. Et dicit Ambroſ. Ordinata eſt charitas, vt primo Deus, ſecundo parentes, deinde filij, poſtea domeſtici, vltimo extranei diligantur. Et alibi ait: quod

delectus personarum debet esse in misericordia impendenda. Vt 86. distin. non satis. Et Hieronym. dicit. Quod in pauperibus non tam paupertas quã religio est attendenda. vt. 16. q. 1. quoniam quidquid. Ideo, quia sunt nonnulli qui quasi ex debito petunt vt prædicatores & Prælati, & alij pro sustentatione corporis: Si ergo quis petat ratione officij, vel ex debito, quia dicit se ad hoc missum vt ibi prædicet, & tale officium constat ei commissum esse, recipiendus est: si est incognitus est examinandus an ita sit, vt patet in dicto cap. quiescamus. Si autem petit pro nutrimento, tunc omnibus indistinctè danda est eleemosyna etiã peccatoribus secundum Thom. 2. 2. Subueniendum est, vt eorum natura sustentetur. Et Aret. in cap. quiescamus. 42. dist. Subdit deinde.

Doctorem, idest, populum suum docere: ait quidam. Doctorem inquit, quia hoc est officium proprium ipsius Episcopi & omnium prælatorum. Doctorem inquam, non Laureatum, (ait Gaietan.) sed scientia sufficientiæ ad docendum populum commissum, decoratum; Extra de elect. cum a nobis olim. Scientia enim eminens bene desideranda est in Episcopo, competens tamen toleranda est: quia multa scientia inflat sed eius imperfectum supplet perfectio charitatis, vt de renun. nisi cum pridem. §. pro defectu. & Glos. in cap. vilissimus. 1. qu. 1. ait: Sufficit enim quod sit bonus. & Hug. in cap. licet. 8. q. 1. temperat dicens: Sufficit quod bonus eligatur. Est autem aliquis bonus eo ipso quod non est malus. Extr. de præsun. dudum. Est ergo necessaria scientia eminens, aut competens, quia latratu canum, idest, prædicatione, & baculo pastorum, idest, baculo comminationis, lupi sunt arcendi Gratian. distin. 43. Quod si Prælati per prædicationem non corrigunt suos subditos, Sanguis subditorum de prælatorum manibus requiretur. Debent ergo seminare verbum Dei, & non tantum seminare verbo, sed etiam opere; & præcipuè ille qui nequit verbo: quia nemo in Ecclesia magis nocet quàm prælatus delinquens: eo quod nullus audet eum redarguere propter ordinis reuerentiam: & alij sumunt ab eo exemplum delinquendi, 83. dist. nemo. & delicta maiorum alios corrumpunt. 11. q. 3. præcipere. & ideo Episcopus qui non corripit oues, magis dicendus est canis impudicus, quã Episcopus. Imò, aliqui gloriantur laudibus malorum, qui ex hoc facto maxima oritur pernicies circa subditos: quia talis prælatus qui laudibus gloriatur, timet corrigere delinquentes: ead. dist. cap. nihil. & sicut nouerca odit priuignum, ita negligentia correctionem, & disciplinam. Glos. ibid. Item, culpæ inferiorum imputantur prælatis negligentibus, vt 86. dist. inferiorum. & per culpam subditorum, probatur negligentia prælati, 18. dist. propter. & cap. peruenit. Vnde nota tres gradus innoçentiæ 23. q. 4. ita planè. Primus est malum non facere. Secundus est, facientibus non consentire; Tertius est, peccantes, (si potest) corrigere. 45. dist. cap. tria. & cap. duo. Si vero facimus quod in nobis est, non imputatur nobis malitia subditorum. Vnde Anacletus epistola, idest, omnibus Episcopis, & habetur 43. dist. scimus. ait: quod non debent a prædicatione cessare, nec a recta æmulatione, idest, dilectione, propter hoc, quia infestabantur a suis subditis. quia, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Vnde not. vers. qui valet ad multas expositiones: & est Bar.

Aemulor, inflatur, amat, inuidet, ac imitatur.

Nec recedere debet a prædicatione, propter subsanationes: vt 11. q. 3. nolite. nam pastor non corrigens subditus,

ditos, videtur eos occidere. Ideo Nicolaus Papa ad Michaelem Imperator. Epistola 3. ait: dispensatio est nobis cęlestis seminis iniuncta: væ si non sparserimus: væ si tacuerimus, scilicet, si subditis non prædicauerimus. ead. dist. dispensatio. Sed dignis, & non indignis prædicare debemus, & omnibus paratis corrigi. Nam quæsitum fuit ab Origene vtrum indifferēter secreta fidei sint cuilibet reseranda? Respon. quod non, duabus rationibus. Prima est, quia Christus præcepit vt intrantes ciuitatem examinemus, quis sit in ea dignus, vt apud eū cibū sumamus, multo fortius est hoc faciendum in cibo spirituali, cum non debeamus proijcere Margaritas nostras ante porcos. Secunda est, quia si fidelis est, & bonus paratus corrigi, reserare sibi debemus, vt quod in eo deficit, per nos suppleatur, vt si qua in eo macula fuerit, emendetur: Si autem præfidus est & incorrigibilis, nulla secreta fidei ei sunt reuelanda, sed monendus est vt resipiscat. Si verò nos prouocet dicere quod non decet ipsum audire; debemus eum prudenter eludere, (scilicet transferendo nos callidè ad alienam materiam) ne si nil respondeamus putent auditores inopia responsionis nos declinare certamen. Ead. dist. in mandatis, scilicet, Domini. Vnde nota dolum esse bonū contra hostem. Sic. 22. q. 2. vtilem. Si dicas, opera Originis non sunt recipienda. Respo. quod sic: quædam tamen, nempè illa, quæ à D. Hieronym. sunt recepta, Ecclesia etiam recipit: alia verò sunt vna cum suo authore damnata. Insuper doceat Episcopus gratis. Vnde Glos. super illud Genes. 41. Aperuit Ioseph vniuersa horrea, ait: Designatur quod homo literatus cui dedit Dominus gratiam docendi, nulli debet claudere horreum doctrinæ suæ, seu consilij: sed omnibus liberaliter aperire. Quia dicit Dominus Mat. 10. Gratis accepistis, gratis date. Et paucis interiectis, subdit: Docentium pretium non est aliud quam labor discipulorum in addiscendo & reuerentia ad magistrum: & sustentatio eius si indigeat, quantum ad victum & vestitum. Sequitur.

Non vinolentum. minus dicit & plus significat. Ephes. 5. Nolite inebriari vino in quo est luxuria commessationes & ebrietates sunt noxiæ non solum Episcopis & Sacerdotibus, verum etiam laicis: quia dies festiuos celebrare non putant, nisi commessationibus & potationibus deseruiant. Apost. Ergo ait: Ordinādum oportet esse non vinolentum: sed sobrium: Neque enim ebrietas prohibetur & voracitas permittitur. Vtrūque enim inter opera tenebrarum Apost. enumerat alibi: non in commessationibus & ebrietatibus. Rom. 13. Argum. quod vno prohibito, vel permisso, idē erit in connexo sibi. dist. 4. denique. & 1. q. 1. Sicut Christus. & est hic Arg. quod si Papa, vel Episcopus scienter aliquem ordinat, videtur restituere ipsum famæ, cum fama & Sacerdotiū sibi sunt annexa. Ioan. ergo ordo purgat infamiam. Sufficere igitur debet clerico, quod viuat, idest, sola necessaria habeat: & arctatur illa necessitas tantum ad victum & vestitum. 12. q. 1. Episcopus. 44. autem dist. non oportet. habetur quod clerici omnes generaliter, & qui votum continentiæ fecerūt, prohibentur ingredi tabernas, nisi causa necessitatis: item nec habere stationem ibi ead. dist. nulli clerico. & si ibi prohibetur ingredi, quanto magis alijs ministrare in eam. Ibid. cap. nulli. Quando autem Sacerdotes & Episcopi comedunt debent primo benedicere mensam, & aliquis illorū legere debet aliquid de Sacra Scriptura. Similiter post resurrectionem ab illa debent dicere hymnum, ad exemplum Domini. Ead. dist. quando autem. Illis autem prohibetur quod non faciant conuiuium de Symbolis, id-

est,

est, de confertis. ead. dist. non oportet. & cap. non liceat. Nec oportet clericos, vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire conuiuia. ibidem. eod. cap. non liceat. Quare hæc prohibentur? quia vēter pinguis, (ait Hieronym. in Epistola ad Nepotianum) crassum sensum generat: atque ideo edacitatis vitio obnoxij in Sacerdotes vngi non debent. Gratian. ibi. §. vltim. sequitur. Non percussoré. Ebrij enim de facili percutiunt. & Glos. 5. quæst. 1. circunciliones. §. at Episcopis. ait: nō tamen manibus proprijs, (scilicet, verberare) hoc facere potest. 86. distin. non liceat. & Glos. in margin. dicit: Episcopus nec per se, nec per laicum verberet Clericos. extr. de senten. excom. vniuersitatis. nisi sit incorrigibilis. extra. de senten. excom. vt fame. & nisi pro maioribus, vel enormibus criminibus. 45. distin. cum beatus. Nota, quod percussio est duplex, scilicet, spiritualis, & corporalis. Spiritualis est cum quis indiscreto sermone corrigit aliquos: ista prohibetur dist. 45. sed illud. Corporalis est illa, quæ manu fit: & ista vbi fit ex ira vel odio, vel ad hoc vt magis timeat, peccatum est: sed si fit causa correctionis, licita est ei qui habet potestatem in eum. ead. dist. cum beatus. Item, distinguendum est circa qualitatem ipsarum personarum, quæ corrigendæ sunt, & etiam circa quantitatem criminum: nam qui sunt in minoribus ordinibus constituti, licitè verberantur, etiam pro minoribus criminibus, ead. dist. §. Salomon. Sed maiores non sunt verberandi, nisi pro magnis criminibus, vt diximus, vnde bene attendendum est illud quod. ibid. dicitur in ead. distin. cap. 1. Pastores etenim facti sumus non percussores: & egregius prædicator, ait: argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina. Et authoritas Concilij patet, in quo statuitur, vt nullus Clericus percutiatur: qui contrafecerit triduo suspendatur. ead. dist. neminem. Ideo fiat id quod in ead. dist. dicitur in cap. licet. nempè plus agat beneuolentia, quam seueritas; plus cohortatio, quam comminatio; & plus charitas quam potestas. Nam sententia quæ misericordiā vetat fugienda est. 50. dist. ponderet. Et Dominus si Petrum post trinam negationem statim iudicasset, non tantum frutum ex eo recepisset eod. cap. licet plerumque. & iuxta illud sapientis. Leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti sequitur.

Sed modestum, idest, patientem: Christus passus non percutiebat. Vel modestum, idest, humilem. Discite à me quia mitis sum, (inquit Christus) & humilis: non tamen ita humilis sit vt contemnatur 86. distinct. quando nam humilitas nimia prælatorum cōtemnitur sequitur.

Non litigiosūm. & 2. Timoth. 2. seruum Dei non oportet litigare: oportet, inquit, Episcopum non esse litigiosum. Nam cum discordantes debeat concordare, & oblationes diffidentiū non recipere; non debet esse talis vt inter alios discordiam ponat. 90. dist. §. 1. & cap. discordantes. & cap. oblationes. intellige tamē de oblatiouibus volontarijs quod non debet recipere, non de decimis & primitijs. extra. de decimis. de terris. 16. quæst. 1. decimę. Nihil enim deterius est arrogantia Prælatorum incompositorum: vnde rusticis comparantur qui garrulitatem authoritatem putant: & parati ad lites, timide in subditos intonant: quod ex superbia prouenit. Gratian. 46. distinct. §. sequitur. Qui ergo litigiosus est, duplici de causa prohibetur ordinari. Vna, quia cum talis sit arrogans, nescit humiliter docere: vnde subditi vilipendunt eius doctrinam. Item, alia ratione, quia consueuerunt tales distemperati esse in moribus. Solent enim esse adulatores, proditores, & detractores, maledici, inuidi, ad vlciscendas iniurias suas

prompti. Ead. dist. hoc habet. & cap. seq. Vnde clericus qui adulationibus, & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur, vt dicitur in cap. 3. ead. dist. proditor dicitur, qui propter timorem non defendit veritatem: & qui tacet eam 11. q. 3. nolite. Item, qui rem sibi commissam hostibus exponit. 22. q. 5. de forma. Item, qui iussa veritatis contemnit. 11. q. 3. abijt. Alia vitia manifestantur ibid. ead. dist. per capitula sequentia, scilicet, vt non sint vsurarij, &c. nam si quis clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari, & abstinere, scilicet, a Sacramentis quousque pœniteat. 47. dist. Si quis. Vnde Anicetus ad cauendum omnem litem Episcopi statuit anno Domini 173. vt Episcopus nō posset accusare Archiepiscopum suum nisi apud summum Pontificem. Sequitur.

Nō cupidum: quia ponitur iudex, & ordinator Ecclesiæ, qui si sit cupidus, de facili declinat a iustitia: imò si oblationes, & decimæ ex quibus viuere debet, deficiunt, ad instar Pauli quærant sibi victum de aliquo artificiolo: dummodo propter hoc officia sua non negligant, nisi essent infirmi. 91. §. 1. Sed Episcopi hodie non sunt tam pauperes, quod opus sit eis laborare manibus: potest bene parcius vitam ducere in tali casu, & tenet etiā officiare Ecclesiam pauperem, licet ipse pauper sit: & ita dicere cum Paulo, scio & abundare & esurire 41. dist. quod dicit, & ministrent ei manus. 21. qu. 1. Clericus. Si autem damnificaret Ecclesiam, Ecclesia tunc habet recursus ad res suas, 12. q. 4. quicumq. omnes enim res clerici, sunt obligatæ suæ Ecclesiæ, sicut res mariti, vxori, Extr. de pignor. ex literis, & C. qui pot. in pign. l. vlt. Sicut & res tutoris, pupillo. vnde qui minor est. 25. annis non debet esse Prælatus cum res ipsius nō possint obligari Ecclesię. C. de leg. tut. l. vlt. Item sequitur deinde.

Oportet Episcopum esse suę domui bene præpositum, idest, si in laicali habitu vxorem & filios habuit, vt a vitijs ad virtutum studia, & verbo & exēplo prouocet, vt quod postea pręcepturus est populis prius exigat a domesticis. Ostendit etiam hic quod in hoc debet esse prouidus, vt sicut in domo sæculari diuersa officia vni personæ non committuntur sed pluribus: sic Episcopus in Ecclesiasticis officijs obseruabit, singula officia singulis cōmittendo. Ita tamen quod administrationem rerum Ecclesiæ laicis non committat. Nam sicut in vno corpore humano, singula membra suū habent officium: ita in Ecclesia Dei (secundum Apost.) singuli singula debent habere officia: nec vni personæ quātūcumque exercitatę vno tēpore sunt plura officia committenda: Item nec etiam propinquis: vt ait Gratian. 89. distin. §. 3. vt iam dicetur, & sicut varietas membrorum per officia diuersa præstat corpori fortitudinem, & uenustatem, sic personarum varietas per singula officia distributa, Ecclesiæ præstat fortitudinem & venustatem: alioquin esset ibi confusio: habentur hæc ead. 89. dist. cap. 1. per oculos intelligūtur maiores, & ita de alijs, &c. Greg. & Bonifac. dicunt ead. dist. ca. vlt. quod ideo est constitutum vt diuersa officia diuersis committantur personis; quatenus ex obedientia minorum, & ex dilectione maiorum erga minores, recta fiat administratio singulorum officiorum: aliter enim vniuersitas rerum rationabiliter gubernari non posset. Et quod in Ecclesia Dei debeant esse officia diuersa, probatur ad instar curiæ cælestis, vbi quidam angeli sunt minores, & quidam maiores. Dicit enim Apost. dum mundus iste durabit homines pręerunt hominibus, dæmones dæmonibus, angeli angelis. Cum autem erit Deus omnia in omnibus, cessabit omnis prælatio, non tamen ordo, vel maioritas:

ioritas: aliquis enim erit maior alio, nam in domo patris mei, &c. de pæn. dist. 4. in domo. Sed non præerit ei: hæc ergo diuersitas ordinum propter concordiam est statuta, 45. dist. licet.

Deinde Apost. Scribens ad Timo. cum dixisset, suæ domui bene præpositum, statim subiunxit, habentem filios sibi subditos in omni castitate: non in accusatione luxuriæ. Nō enim talium cohabitator frontem habet alios redarguendi. Vnde legitur de B. Iob, quod quotidie offerebat holocausta pro filijs. Econtra Eli nolebat corripere filios, vnde dictum est ei voce diuina: Honorasti magis filios tuos quam me. Item, quia Dauid benignitatem in filios exercuit, vnus stupro corrupit sororem suam, alius occidit fratrem propter hoc: deinde tulit regnum patri, ac ad eius concubinas ingressus est. Si verò ordinandus corripuit filios quantum in se fuerit ei, non imputatur si non sunt boni. Ex Gratian. & Glos. 47. dist. §. 3. necesse. Vnde, quia Aug. corrigebat Vincentium Donatistam, ille ei obijciebat, tu non debes me corrigere, cum monachos tuos corrigere non possis: & Aug. Respon. dicens: non inueni meliores, quam qui in monasterio profecerūt: nec deteriores quam qui in monasterijs defecerunt; quos licet corrigere non valeam meis verbis, mihi tamen imputari non debes. Et hoc probat tribus exemplis, scilicet, arcæ Noe, vbi inter octo homines, vnus reprobus inuentus est, scilicet, Cham. Et domus Abrahæ, vbi dicitur de duobus filijs, Iacob dilexi, Esau autē odio habui, scilicet, quia præuidi quod esset futurus malus. Et domus Isaac, vbi legitur, quod Ioseph accusauit fratres de crimine pessimo. ead. dist. quantumlibet. Ergo quia isti rectores, & patres, fuerunt sancti, patet quod per se non stetit vt boni fierent. Vbi notare debes, quod difficilè aliqui inueniuntur meliores quam monachi (vt ibid. patet) siue religiosi in monasterijs: item, neque deteriores malis monacis.

Item prohibentur in Episcopos ordinari, neophiti. Dicitur autem neophitus nouellus in fide, vel in religione: & prohibentur tales ordinari, duplici de causa, scilicet, ne incidant in superbiam, putantes quod fides Christiana multum eis indigeat; vel, quia nondum expertus est statum Ecclesiæ, vnde nescit se alijs conformare: & vt ait Gratian. 48. dist. §. prohibentur. Momentaneus Sacerdos, nescit habere humilitatem, obseruare modos personarū, vel se contēnere: nō ieiunauit, nō fleuit, non se correxit, non pauperibus errogauit. Et paucis interiectis, subdit: & sicut Innocentius, ait: miserum est eum fieri magistrū qui nec dum didicit esse discipulus. Hæc ille. Si tamen aliquando propter necessitatem fit aliquid, videtur quod illud licitè fit: quia quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: Extr. de reg. iur. quod non est licitum. Item, necessitas legem non habet. de consec. dist. 1. Sicut non. Ergo fit contra regulam? Respon. Glos. in cap. quoniam. 48. dist. necessitas, quæ reperitur in authoritate, vt necessitas vitæ; excusat, vt Extr. de Iur. si quis per necessitatem. de consec. dist. 5. discipulos. Sed in adulterio, necessitas non excusat. ff. de ritu. nupt. palam. §. nō est. Nam potius debemus quælibet mala tollerare, &c. 32. q. 5. itane. Nota quod Neophiti hodie appellantur, propositum sacræ religionis nouiter assumentes. Vnde Greg. ait: quod sicut Neophitus tunc dicebatur, qui initio sanctæ fidei erat eruditione plātatus, sic modo Neophitus habendus est, qui de nouo intrauit religionem, & statim vult ad honores promoueri. Et probat similitudine parietum: qui nisi prius solidentur, & a nouitatis suę humore siccentur, tignorum pondera non accipiunt: & si apponantur, fa-

brica tota diruitur. Ergo nouiter in monachali habitu existens; Talis non est eligendus in prælatum. Extr. de elect. cum causam. Diuus autem Ambros. in Epistola 82. ad Vercellenses de seipso, ait: neophitus prohibetur ordinari, ne extolletur in superbiam: sed si non deest humilitas competens Sacerdotio; vbi causa non hæret, vitium non imputatur. 61. dist. neophitus. q. d. Si humiles inueniantur, possunt ordinari: quia cessante causa debet cessare effectus. Gratian. ead. dist. §. his omnibus. Vnde Occidentales Episcopi electionem suam legitimam esse iudicarunt: & Orientales eam exemplo approbarunt; qui multas tales elegerunt. Ead. dist. ca. neophitus. Item, ista electio, (scilicet, Ambrosij, Similiter Nicolai & Seueri) Facta fuit diuina inspiratione. 4. qu. 3. §. vlt. vel dic: quod isti postulati fuerunt. Postulatur autem qui est alteri subditus laicus, vel clericus: & fit hoc simplici petitione. Ille verò eligitur qui est in sacris ordinibus constitutus: & est de eodem Episcopatu. Laicus primo est postulandus, deinde eligendus. Item, electio est clericorum, petitio plebis. 62. dist. §. breuiter. Si autem Episcopus in sede Metropolitana non fuerit ordinatus, intra tres menses a tempore ordinationis conspectui Metropolitani se repræsentet, vt ab illo doceatur quid debeat obseruare; quod si negligat Episcopus in Synodo corrigatur. Si verò non potest ire, in hoc studeat suis literis indicare 65. dist. Si quis. idem dic si inscio Metropolitano consecratus fuerit. Sed ordinati a Papa debent se præsentare cõspectu eius singulis annis 93. dist. iuxta sanctorũ. Amplius, in electione primo requirũtur & examinantur electi de propria Ecclesia quam de extranea. Insuper, examinatur prius maior quam minor vt puta Archidiaconus; quam Diaconus: quia maiores & seniores, sunt præferendi in electione ipsis minoribus. 74. dist. Episcoporum, & 75. dist. cap. vlt. & 85. dist. Archidiaconum.

Faldistorium Episcopi spiritualem iurisdictionem annexam pontificali dignitati designat: quoniam exercere definiendo non debet, nisi pro tribunali sedens: quod probatur ex verbis Domini Mat 23. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, quæcumque dixerint facite. 19. dist. 2. 3. q. 8. §. fi. per scabellum verò temporalis potestas designatur, quæ subiecta debet esse spirituali, sicut probat Gelasius Papa. Extr. de maior. & obedientia solitæ. 96. dist. 2. & cap. sequ. Et Innoc. 3. in sua Epistola decretali. Et a spirituali per disciplinam correctionis conculcatur, quando a vero exorbitat per peccatum. Extr. de iudic. noui. 63. dist. Valentinianus.

Pontifex, est princeps Sacerdotum, quasi pons & via sequentium factus. 20. dist. cleros. Ipse enim & summus Sacerdos, & Pontifex maximus nuncupatur. Ipse efficit Sacerdotes, & Leuitas. Ipse officia, & Ecclesiasticos ordines distribuit, & disponit: & præordinator est in cunctis. Ipse ostendit quid vnusquisque facere debet. Antea autem Pontifices, etiam & reges erant. Maiorum enim hæc erat consuetudo vt rex & Sacerdos Pontifex esset. Vnde & Romani Imperatores Pontifices dicebantur. Hodie tamen solus Papa appellatur summus Pontifex, licet olim Episcopi omnes. de cõsec. dist. 5. c. 4. Nota quod ex. 25. dist. perlectis sanctitatis: quatuor dignitates debent esse sub Episcopo in Ecclesia maiori, scilicet, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, & Thesaurarius. De officijs siue muneribus harum dignitatum, dictũ fuit supra.

Sed dicet aliquis, quid agendum est de corepiscopis? Dic quod quæsitum fuit a Damaso Papa, quare ordo corepiscoporum sit hodie prohibitus. & Resp. 68. dist. corepiscopi. Propter duas rationes. Prima, quia sibi ... pro

bẽ

bè vsurpabant officia Episcoporum. Secunda, quia tantum fuisse duos ordines legitur inter discipulos Christi, scilicet, 12. Apostolorum, & 72. discipulorum: & cum non possit ratio reddi vnde iste tertius ordo processerit, ideo merito extirpari debet. Nota tamen quod olim corepiscopi alij erant verè Episcopi, scilicet, coadiutores ordinariorum, & isti conferebant ordines: alij erant solum Sacerdotes simplices, & isti nō conferebant ordines, Suar. Tom. 1. disput. 11. Henriquez. lib. 10. c. 23. & 24.

Episcopus, dicitur quoque Præsul, quia præsidet in concilio. Extr. de tempor. ord. quod translationem.

Dicitur, Antistes, quia ante alios stans prçeminet populo; vel dicitur ab anti, Græcè, quod est contra, quia hæreticis contradicit, vt pastor lupis. Nota etiam quod Episcopus non debet deuiare a regulis Romanæ Ecclesiæ, vnde Calixtus Papa primus scripsit omnibus Episcopis, (& habetur dist. 12. cap. 1.) vt ipsi tanquam membra Romanæ Ecclesiæ quæ est caput, non discedant sine discretione: (argu. a contrario sensu) sed voluntatem eius faciant, veluti suæ matris: sicut Christus venit facere voluntatem patris.

Consecratio Episcopalis datur semper in Dominica die, & hora tertia fit. 65. dist. cap. 1. quoniam ipsi Episcopi vicem Apostolorum obtinent quibus in die Pentecostes & hora tertia Spiritus sanctus datus est. Item, quia tali hora debet missa celebrari publicè, de consec. dist. 1. nocte. Sine qua missa non potest consecrari, quia nec Ecclesia sine missa consecratur. de consec. dist. 1. omnes. Item, quia tali die & hora Apostoli consecrarunt Paulum & Barnabam. Et quia tali hora Christus est crucifixus. 75. dist. quod die. Non tamen potest quis in Episcopum consecrari die illa, in qua ordinatur in presbyterum. Et iuxta canonum statuta 28. dist. Si forte. Episcopus cū ordinatur comprouinciales Episcopi conuenire debent cum Metropolitano: & duo Episcopi portant & tenent Euangeliorum librum super caput & ceruicem eius; siue super humeros: vno super eum semper fundente benedictionem, reliqui verò omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput eius tangunt. 23. dist. Episcopi. Siquidem tenet liber super caput eius, primo vt dominus firmet Euangelium in corde ipsius. Secundò, vt per hoc intelligat cui labori & oneri subijciatur: quia omne quod hic eminet, idest, omnis prælatus, plus mæroribus afficitur, quā honoribus gaudeat. 22. dist. Verum. Tertiò, ad significandū quod pondus Euangelicæ prædicationis eum circumquaque ferre pigere non debet. Nam doctrina Episcopi, debet consistere secundum Glos. dist. 86. §. doctorem: in disciplina correctionis, & in sermone prædicationis. In disciplina vt corrigat ex charitate, & cum lenitate: nam ex odio, nec modum excedat in correctione: Sed si excesserit, veniam non cogitur a subditis postulare. In sermone prædicationis: scilicet, vt prædicet scientiam Sacræ scripturæ, non humanæ: infra ead. cum multa. Nec simplicitas, nec aliud potest excusare Sacerdotis imperitiam, 38. dist. si in laicis. Ergo multo magis Episcopi. Nam Episcopus non debet aliorum doctrina egere, quoniam alios debet instruere, 1. q. 7. conueniētibus. Si tamē minus eruditus sit, ab alio edoceri non contemnat, vt patet 18. dist. non oportet. & 22. dist. de Constantinopolitana. & 20. q. 3. Si habet. Etiam si sit senex, a iunioribus: Si nobilis, ab ignobilibus discat: quia contrafaciens non est mēbrum Christi, sed potius diaboli, & potius est infidelis, quam fidelis: ita ait Clemens Epistola 3. & habetur 38. dist. nullus Episcopus.

Sed quæritur an Episcopus debeat habere scientiam siue peritiam sæcu-

sæcularium scientiarum? Dic, quod si delectationis causa & voluptatis, vult libros Gentilium legere, quod prohibitum est, & illicitum, 37. dist. Episcopus. Si verò legat vt sciat per eos rectè loqui, & discernere verum a falso, possunt. Et ratio est quare prohibentur, quia non benè sonant laudes Iouis in ore Pontificis, inquit Gratian. 38. dist. §. 3. in doctrina. Idem, est de legibus imperialibus, nempè studere illis; qui si id faciat vt per eas melius intelligantur canones, potest. Ergo non necessitas, sed sola voluptas prohiberi videtur. Item, Beda in 2. Reg. 9 & habetur 37. dist. turbatur. quoniam quidam prohibebant Christianos ne legerent libros gentilium, ait: quod possunt legi sine peccato, vt vtilia inde sumātur, instar Moysi, & Danielis, & Pauli qui in suis Epistolis inseruit versus Poetarum, vt Cretenses malæ bestiæ: &c. & est Epimenidis poetæ. Et illud Menandri. Sæpè bonos mores corrūpunt colloquia praua 28. q. 1. sæpè. Item, vsus est illo versiculo, odero si potero, si non inuictus amabo. Et bene: nam vtilè vitiatur per inutile. 17. q. 4.

Item, oportet Episcopos esse prudentes in negotijs sæcularibus, vt sua cautela reddantur Ecclesiæ indemnes & cuique necessaria pro suo modulo ministrentur: & hoc patet exemplo Domini, qui turbas sequentes nō solum verbis spiritualibus, sed etiam corporalibus alimentis reficiebat, vt ait Gratian. 39. dist. §. Ecce plenariè. Demum si quis vult Pontifex non tā vocabulo esse quam merito, imitetur Moysen, imitetur Aaron. 36. dist. in. Si quis. Tria sunt opera quæ Moyses & Aaron faciebant, scilicet, legere, docere, & orare. Hæc omnia debet facere Episcopus. Nam si orauerit Episcopus, vincet populus eius dæmones, sicut populus Israel Amalechitas orāte Moyse. Itē, legebat, vt patet Exod. 24. assumensque volumen fœderis, legit audiente populo, &c. Item, docebat, vt patet Deuter. 4. Mihique mandauit in illo tempore vt docerem vos cæremonias, & iudicia quæ facere deberetis in terra quam possessuri estis. Doceat ergo, ac legat, & oret indesinenter, nempè, statutis horis, vt dicitur, 21. qu. 3. Hi qui. & de consec. dist. 5. numquam. Quartò admonendum vt magis solito iugo subiaceat & obediat Euangelio.

Trium autem Episcoporum ad minus præsentia in consecratione Episcopi requiritur: ratione & exemplo probatur. Ratione, ne videatur furtiuè tantum beneficium sibi fuisse concessum: & vt pro illo pariter præces ad Deum effundant. Exemplo, quia Iacobus frater Domini a Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis ordinatus est Episcopus Ierosolymitanus. 66. dist. porro. Item, authoritate conciliorum potest probari. Extat enim primus canon Apostolorum, sic dicens: Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur. Item, can. 4. Concil. Nicen. Episcopus, ait, oportet ab omnibus Episcopis, (si fieri potest) qui sunt in prouincia eius, ordinari, si verò hoc difficilè fuerit, vel aliqua vrgente necessitate, vel itineris longitudine, certè tres Episcopi debent in vnum esse congregati, ita vt etiam cæterorum, qui absentes sunt, consensum literis teneant, & ita faciant ordinationem. Potestas sanè, vel confirmatio pertinebit per singulas prouincias ad Metropolitanum Episcopum. Extat etiā Epistola secunda Anacleti Papæ in qua de fide, & alijs causis rogatis respondit ad Episcopos Italiæ. Primò, de ordinatione Episcopi habetur ex eius decretis, & dist. 64. & 75. cap. ordinationes. quod per tres Episcopos fiat consecratio reliquis consentientibus. Hic Pontifex vixit anno Domini 101. Item, Concilij Aurelian. can. 6. nota, quod est differentia inter ordinationē Episcopi & Archiepiscopi, vt patet

dist.

distin.66. cap. 1. & Glos. ibid. quia in consecratione Archiepiscopi debet esse interuentus omnium Episcoporum illius Prouinciæ: nec debet hoc mutari: quia qui omnibus Episcopis debet præesse, debet ab omnibus approbari & constitui: quod si aliter factum est, vel fuerit, irritum erit: nisi fiat consecratio à Summo Pontifice. Episcopus verò sufficit si a tribus tantum Episcopis ordinetur, & debent tres vltra rationes allatas superius, quia in tribus est fidei fundamentum: quam puris & simplicibus verbis confiteri tenentur. 23. distinct. qui Episcopus. & 24. distinct. quando.

Manus verò impositio exordium sumpsit ab Isaac qui dum Iacob benedixit, imposuit ei manum. Genes. 27. & Moyses ipsi Iosue, cum eum populo præfecit. Num. 27. & Dominus Apostolis, cum eos Principes constituit.

Circa ordinationem sciendum est, quod Sabbatho hora Vespertina de moribus examinatur, de statu præteritæ vitæ, vbi ter benedictio petitur, vt sancta Trinitas in ordinatione præesse monstretur. Mane verò sequenti examinatur de futura conuersatione, & fidei primitiuæ Ecclesiæ institutione: propter suspectos in fide, moribus, & conditione.

In Pontificali Romano tamen habentur hæc in rubrica de consec. Episcopi. Inconueniens quippe videtur & omnino absurdum, vt quæ a Summo Pontifice ac sacro Senatu statuta, approbata, atque examinata sunt, a minoribus tribunalibus iterum examinentur. Circa examen vero priuatum a Domino Clemente VIII. renouatum, non est necessarium in omnibus, nisi erga incognitos: vt patet 24. distin. cap. 2. nullus ordinetur. & 47. distinct. De Petro. iste erat Neapolitanus, sed incognitus a Summo Pontif. ideò præcepit vt examinaretur. Sed de his supra satis dictum est.

Vngitur caput Episcopi, & manus; deinde datur ei mitra in capite, in signum quod benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmauit super caput eius. Datur enim ei baculus & anulus: singula autem cum proprijs verbis traduntur & fiunt: quæ verba, & capitis & manuum vnctio, & policum confirmatio, baculi & euangelij traditio sunt de substantia Sacramenti, cætera solemnitatis tantum.

Consecratur autem Episcopus inter Epistolam & Euangelium extra. de electione; ipse tamen non posset tunc ordines cælebrare, quia ipse non cælebrat, sed concælebrat principaliter cælebranti; Papa tamen quia ante hymnum Angelicum cõsecratur, hæc posset; quia ipse missarum solemnia perficit consecratus. Sicut presbyteri à filijs Aaron sumpserunt exordium, ita Episcopi ab ipso Aaron.

Debent autem Episcopi ordinari in ciuitate, nam in Concil. Tolet. 12. ita dicitur: vt in villulis nullus ordinetur Episcopus. Item, in Sardicen. Concil. ca. 26. in Laodicen. 57. in Cartaginen. 3. cap. 11. & habetur 80. distinct. Vrbes: & cap. 5. non debet. Ratio autem huius esse potest: ne nomen Episcopi vilescat: de alijs Sacerdotibus nihil refert. ead. distinct. capit. 3. Nota hic quod in vna ciuitate non debet esse nisi vnus Episcopus: de Augustino & Valerio fuit priuilegium speciale, vt 7. quæst. 1. Sed quid de Venetis, qui Patriarcam & Episcopum habent? Dic quod non est Patriarca Venetorum, sed Grandensis, qui locus multum distat à Venetijs. Glos. in capit. 2. dist. 80.

Pertinet ad Episcopum, scilicet, Clericos ordinare, Pontifices consecrare, manus imponere, basilicas dedicare, degradandos deponere, sinodos cælebrare, Chrisma conficere, vestes ac vasa sacrare, in fronte Chrismate signare,

re,& similia. 25. dist. per lectis. 68. distinct. quamuis.

Hoc officium exercuit Christus, quando manus super caput discipulorum eleuans benedixit eis dic. Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Et adhuc gloriosius implet apud patrem: vt dicitur Hebr. 4. Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit cęlos Iesum Filium Dei: teneamus confessionem, &c.

Post collationem Episcopatus & præter ea, quæ in cæremoniali Romano continentur, ad vnum obligatur Episcopus ex Concil. Trident. sess. 23. capit. 2. de reformatio. & 75. distinct. quoniam. & ibid. Gratia. § 2. tempus. vt intra tres menses proximos suscipiat consecrationem, quam nisi susceperit omnis redditus pro rata illius tẽporis restituere tenetur. Quod si inter tres alios, non susceperit, ipso iure sit Episcopatu priuatus. Hoc, tamen non credo obligare ad mortale, nisi adsit cõtemptus. Si quis tamen multo tempore consecrationem non suscipiat cũ possit, non excusaretur a mortali cum redditus suscipiat, non exercens officium, pro quo ipsi dantur. Hic canon comprehendit etiam Episcopos Cardinales.

Post vero consecrationem vt suum possit exercere officium, ad multa tenetur. Quorum primum est, in propria Ecclesia personaliter præsidere, & hoc patet ex cap. illo de residentia in Concil. Triden. sess. 23. ibi enim tria continentur. Primum est, peccatum nolentium residere. Secundum est, pœna tali peccato imposita. Tertium est, causæ propter quas potest ad tempus non residere in Ecclesia propria. In primis peccatum est nimis graue non residere absque causa. Per verbum Episcopus, hic intelligere oportet non tantum Episcopos, sed Archiepiscopos, Patriarchas, & Superiores, etiam Cardinales Episcopos. Pœna autem a concilio imposita est, vt toto tempore quo non residerint, omnes integros redditus pro rata perdãt, sintque reddendi, vel fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, & absque vlla declaratione, vel sententia, sed ipso facto teneantur, in conscientia ipsos reddere.

Circa autem causas non residendi, nota esse duplicem absentiam. Alteram quæ ad modicum tempus fit, & reputatur pro non absentia, & hanc permittit Concil. cum quatuor conditionibus. Prima est, vt sit rationabilis aliqua causa absentiæ. v. g. si est recuperandæ sanitatis causa, vel excipiendi aliquem magnatem, vel alicuius negotij causa, vel quid simile. Nulla enim rationabili causa existente, nulla permittitur absentia. Secunda est, vt inde non sequatur detrimentum ouibus. Tertia est, vt ipsa absentia sit ad summum duorum aut trium mensium, siue continuè fiat, siue interpollatè. Omnes enim absentiæ si multæ fiant, simul sumptæ non debent tale tempus excedere. Quarta, quantum fieri potest ista absentia non sit temporibus Aduentus, Natiuitatis, Quadragesimæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi: his enim temporibus oues maximè pastoris præsentia delectantur. Altera absentia est longa, quæ verè pro absentia reputatur; quæ fit per plures tribus prædictis mensibus. Talis absentia debet fieri tribus conditionibus. Prima est, vt sit cum vna saltem harum quinque causarum, quæ sunt, Christiana charitas, vrgens necessitas, euidens Reipublicæ vtilitas: eiusdem etiam Ecclesiæ vtilitas, & debita obedientia. Secunda, vt talis causa prius à Papa approbetur, vel à Metropolitano, & hoc deficiente, à suffraganeo Seniore residente, & talis approbatio in scripto contineatur: nisi sit causa publicæ manifesta, qualis est Ecclesiæ, vel Reipublicæ euidens vtilitas. Tertia

tia est, vt in tali absentia maximè prouideatur, vt Ecclesia ex ea nullum patiatur detrimentum. His stantibus licita erit absentia, licet longa sit.

Per Christianam charitatem, oportet intelligere proximorum vtilitatem. v. g. Aliqua Ecclesia versatur in magno periculo hæresis, & Episcopus iste multum potest prodesse alteri, tūc relicta propria potest in aliena morari: dum non sequatur in propria notabile damnum spirituale. Per vrgentem necessitatem, intellige, cum nimirum imminet periculum Episcopo vitæ, nisi discedat ab Ecclesia, vel ob infirmitatem, aut persecutionē alicuius tyranni, vel propter simile huiusmodi: tunc potest ad tempus recedere, dummodo non sequatur notabile detrimentum gregis: quia tunc bonus pastor debet ponere animam suam pro ouibus suis. Per euidentem Reipublicæ necessitatem, intellige totius regni, vel Prouinciæ temporalem vtilitatem. Tamen ista causa debet esse cum necessitate.

Per euidentem Ecclesię vtilitatem, intellige, cum propria Ecclesia indiget Episcopi absentia, ad aliquid pro ea procurandum. Similiter in vtilitatem vniuersalis Ecclesię, vt cum Concilium generale, vel Prouinciale congregatur. Similiter cum legatione aliqua fungitur in beneficium totius Ecclesiæ, quæ non ita bene nisi per Episcopum fieri potest.

Per debitam obedientiam, intellige, cum Papa imponit aliquod negotium Episcopo, quod requirit absentiam ad tempus, tunc abesse potest.

Tenetur etiam ordines per seipsum conferre, si potest, vt habetur eadem sess. cap. 3. & etiam Sacramentum confirmationis. Insuper, singulis annis Synodum diœcesanam tenetur cælebrare. Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. & visitare suum Episcopatum, qui si non potest totum, saltem maiorē partem, ita vt biennio totus visitetur, si autem iuste impeditus fuerit, id faciat per Vicarium. Concil. Trident. ead. sess. cap. 3. Insuper, tenetur bonos constituere ministros, tam in foro interiori, quam in foro exteriori. Hoc imponitur Episcopis in distinct. 89. cap. decenter: nec consanguineis tradant beneficia. Ratio autem quare prohibet hoc de propinquis, est, (ait Glos. ibid.) quia proni sunt Episcopi ad dandum magis cōiunctis personis, quam alijs. Sic sępius & fortius prohibetur fornicatio; quia sępius peccatur hoc genere peccati. 50. distinct. quia tua. Item, sicut magis punitur qui interficit vxorem, quam qui matrem: quia proniores sunt homines ad illud faciendum. 33. quæst. 2. admouere. Item, sicut hac ratione subuenitur mulieri cum intercedit, non tamen cum dat: quia pronior est ad intercedendum, quam ad dandum vt. ff. ad Velleian. lib. 4. Item, & alia ratione prohibetur dare propinquis: quia semper præsumitur quod res Ecclesiæ latenter lædantur per eos. 1. quęs. 3. peruenit. & 10. quęs. 2. Episcopus. Vnde illis impræcatur Abac. 2. dic. Vę his qui ædificant Sion in sanguinibus, idest, Ecclesias conferunt consanguineis suis. Et hoc dico, nisi digni inueniantur. Dominus enim consanguineos suos in Apostolatum promouit; vt patet in DD. Iacobo, & Ioanne fratre eius qui fuerunt filij sororis Mariæ semper Virginis. Teneturque eps facere eleemosynas. Sed circa hoc notandum est, quod bona, seu redditus Episcopi possunt esse in duplici discrimine. Quædam sunt, quæ titulo aliquo seculari habet, vel hæreditario iure à parentibus; vel donatione aliqua; vel aliqua alia causa. Quędā sunt iure Ecclesiastico habita.

Sed prius nota, quod in primitiua Ecclesia vsque ad tempora Hieronymi & Augustini, Episcopum & Clerum solitos esse viuere in communi manifestum est. Vnde bona, quæ vel ex decimis, vel ex deuotione fide-

lium offerebantur, erant indiuisa, & subdebantur distributioni Episcopi, & partim ipsi, partim Clero, partim fabricæ, partim pauperibus obueniebant: postea vero, quod quisque per se vixit, talia bona sunt diuisa in quatuor partes; prima Episcopo seruata, secunda clero, tertia, fabricæ, quarta, pauperibus, & sic in omnibus ferè locis valet ista diuisio. Hoc autem sumitur ex canonibus Siluestri & Constantini quod facultas Ecclesiæ quadripartienda est, nempè can. 4. vbi dicitur: commoneo autem vobis omnibus mihi consortibus monimentum hoc, vt de redditibus Ecclesiæ quatuor partes fiant, quarum vna cedat Pontifici ad sustentationem. Altera presbyteris & Diaconis, & omni Clero. Tertia templorum & ecclesiarum reparationi. Quarta pauperibus, & infirmis, & peregrinis.

Hoc stante, de bonis iure seculari habitis, non magis tenetur Episcopus eleemosinas facere, quam alius Princeps, aut Dominus secularis: quod ita non est de illis ecclesiasticis bonis; quia tenetur subuenire pauperibus iuxta posse suum.

Qualis autem debeat esse status Episcopi, & victus; attende Concil. Carthag. 3. can. 15. in hæc verba: Episcopus vilem supellectilem, (quod vulgo massaricia domus dicitur) mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem in fide, & vitæ meritis, quærat. Qui can. in Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. renouatus est parum mutatis verbis, sic; exemplo patrum nostrorum in Côcil. Carthag. non solum iubet, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo, caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, & quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.

Item, qualis esse debeat domus Episcopi audi Concil. Matisconen. 2. can. 13. dicens: volumus igitur quod Episcopalis domus, quia ad hoc instituta est, vt sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiat, canes non habeat, ne fortè hi qui in ea miseriarum suarum leuamen habere confidunt, dum infestorum canum morsibus laniantur detrimentum versa vice suorum sustineant corporum. Hæc ego non intelligerem de catulis, qui animi gratia tenentur ad otium aliquando fugiendum. Custodienda est igitur domus seu Episcopalis habitatio, hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morsibus venenosis. Vbi igitur Dei est assiduitas cantilenæ, monstrum est, & dedecoris nota, canes ibi, vel accipitres habitare. Hęc sunt Concilij verba. In can. autem. 2. prohibet vt nulla mulier ingredi permittatur in suo cubiculo absque testibus sub his verbis: vt nulla mulier in cubiculo Episcopi absq. duobus presbyteris, aut certè Diaconis ingredi permittatur. Hoc Concil. sub Pelagio Papa cælebratum fuit. Et in Concil. Sardicen. sub Iulio Papa primo can. 15. præcipitur quod non liceat Episcopo à sua Ecclesia plus tribus hebdomadis abesse. Hæc omnia attendunt Episcopi.

Circa vero bona Ecclesiastica; non consanguineos, nec nepotes augere possunt; hoc enim nullo modo sibi licere Conc. supradicta docent, quamuis possint, si pauperes sint, mediocriter eis prouidere. Et hæc omnia etiam dicta, volunt de Cardinalibus esse intelligenda. Ex his fit vt Episcopi, licet testamentũ condendi à Papa habeant facultatem, non possint aliter de bonis his disponere, quam in vita poterant. De hoc vide Nauar. cap. 25. numer. 119.

Insuper potest Episcopus vbicumque cælebrare, & cælebrari facere cũ Altari portatili; vt in cap. fin. de priuileg.

uileg.lib.6.& similiter tempore interdicti cælebrare potest, & cælebrari facere, quod limita, vt in ca. quod nonnullas. de priuileg. scilicet, exclusis interdictis, submissa voce, ianuis clausis, & campanis non pulsatis: & si ipse spiritualiter non sit interdictus, vel non fuerit causa interdicti.

Debet autem Episcopus dominicis diebus in Episcopali Ecclesia diuinis interesse officijs in qua Sacerdotali more præcipitur residere. qu. 1. & de consecr. distinct.3. cap.4. peruenit ad nos. Item cogendus est cum clericis suis apud Ecclesiam suam communiter habitare, vt ait Glos.41. distinct. Episcopus vilem. Don Alphonsus Hispaniarum Rex qui regnauit anno Domini 772. fuit primus qui ædificauit domos Episcoporum apud Ecclesias Cathedrales, vt Episcopi tam in æstate quam in hyeme interessent Diuinis Officijs, ne haberent excusationem de nimio calore in æstate, aut frigore in hyeme, quasi impotentes: quia sic non possunt se excusare. Ex his habes quare apud Ecclesias collegiatas sunt ædificata ac constructa claustra.

Amplius, Episcopus in aliena Ecclesia in vestibus Episcopalibus exercebit officium Sacerdotale non Episcopale, nisi inuitatus sit.92. distinct. c.4. & maior reuerentia exhibebitur ei quam simplici Sacerdoti, & hoc in memoriam dignitatis. ff. de decur. l. vltim.

Item, notandum est tantam esse dignitatem Episcopi quod cum iurare illi necesse sit, ex priuilegio non tangit Euangelium, sed tantum à longè manus eleuat versus ipsum. extra. de iur. calu. ca. vltim. quod iuramentum antiquitus dabatur in Ecclesia ante Sanctorum reliquias, quia cum maiori reuerentia præstabatur vt constat ex D. Hieronym. cap. habemus. 229.1.& D. Chrysostom. Homil. 15. ad populum. Et D. Gregor. Epistola.79. lib.7. cap. quæ de causa.2. quæst.5. & Eutichius Papa. ca. Episcopus.35. quæst.6.

Illud quoque animaduersione dignum, quod omnes Episcopi sunt æquales in iurisdictione, sub moderatione tamen Diui Petri, vel eius successores, ad quem pertinet iurisdictionem limitare. Et ideo, si Episcopus cõfirmet vel ordinet non subditum, peccat, licet eius ordinatio teneat: quod non est de potestate Sacerdotis, qui si absoluere tentaret non subditum, non esset absolutus: & ita character Episcopi magis se extendit, quam character Sacerdotij.

Authoritas Episcoporum semiplena est, authoritas vero Papæ plena: & ratio est quia Episcopi in partem sollicitudinis sunt vocati non in plenitudinem potestatis, 2. quęst.6. qui se scit. Sed quantum ad ordinem omnis Episcopus est par Apostolico & quantum etiam ad rationem consecrationis. 25. quæst.1. loquitur in princ.& 21. ca.2. vbi dicitur: cæteri vero Apostoli cum eodem Petro, pari consortio honorem & potestatem acceperunt ipsumque Principem eorum esse voluerunt: qui etiam iubente Domino in toto orbe dispersi Euangelium prædicauerunt. Petrus tamen fuit maior alijs Apostolis in administratione. 2. quęst.7. puto. potest enim aliquis esse maior alio in ordine, sed tamen minor in administratione, vt Archipręsbyter maior est Archidiacono. 25. distinct. per lectis. Demum quia Episcopi debent esse constantes, maturi, atque prudentia & cõsilio pleni, vtuntur vestibus violaceis: iste enim color hanc habet significationem.

Nota etiã, quod fratres mendicãtes ad Episcopatũ aliasue pręlaturas promoti prius se consecrari facientes quã suæ Religioni libros suos renuncient & resignent; sunt ipso iure suspensi. per Clem. IV. in priuileg. prouidentia. suspensio. 23. Demum nota quod sub pedibus Episcoporum sternuntur tapeta varijs coloribus depicta & cõ-

textra eo quod mundana penitus pedibus calcare debeant. Et cum faciũt mistum vtuntur mendacio cum parua candela? literaliter propter magnitudinem: vel propter maiorem authoritatem. Moraliter quia Episcopi vtuntur oculo alterius. Nã omnia videre nequeunt: & quia alij in narrando aliorum opera, multoties mentiũtur: Hinc est quod illud instrumentum vocatur mendacium. Quod verò ratio limitet, patet, quia etiam in meridie quando Sol valdè splendet vtuntur huiusmodi instrumento.

De Cardinali ac eius munere. Cap. 55.

ILlos Cardinales nominamus (ait Card. de Turrecremata lib. 3. sum. de Eccle. cap. 8.) qui principaliter assistunt summo Pontifici in regimine & administratione vniuersalis Ecclesiæ, cooperando, & labores cum illo sustinendo, & ipsi consulendo, vt in congregationibus omnium negotiorum manifestum est Romæ quibus nonnulli ex ipsis intersunt, & presunt.

Nomen Cardinalatus, sicut & hoc nomẽ Papa, nec tempore Christi, nec tempore Apostolorum fuit in vsu, sed longo tempore post eos. Quidam autem dicunt quod hoc nomen fuit illis impositum a Pontiano papa, qui vixit anno Domini 221. Alij verò tempore Siluestri cœpit esse in vsu hoc nomen Cardinalis, propter proprietatem officij a Christo instituti. Quod nomẽ, & officium, ab Anna Samuelis matre pronunciatum fuit 1. Reg. 2. Domini enim sunt cardines terræ & posuit super eos orbem. In his enim verbis tria ostendit. Primò, eorum institutionẽ, nempè, quia Domini sunt, hoc est, cõstituti a Domino. Secundò, eorum dignitatem describit, quando dicit, cardines terræ, eoquod Romanæ Ecclesiæ, deseruiunt, quæ Ecclesia est caput, & cardo omnium Ecclesiarum; vt ait Anacletus, & recitatur in cap. Sacro sancta. 12. dist. Vel, ideo dicuntur cardines terræ, quod sicut ostium in cardine vertitur, & per eum regitur, ita cõsilio & assensu cardinalium Summus Pontifex regit Ecclesiam vniuersalem. Et sicut Cardo inhæret firmiter ostio; sic Cardinales Christo, qui est ostium, vel, dicuntur Cardinales, a cardine; quia sicut in cardine regitur ostium, ita per istos debet in Ecclesia regi officium: vnde etiam dicuntur Cardinales, quia per eos regitur vniuersalis Ecclesia. Glos. in lib. 1. decret. c. ministerium. Tertiò, describit vniuersitatem authoritatis eorũ, quando dicit, & posuit super eos orbem. Nam alij prælati sunt in partem solicitudinis; vt habetur 2 qu. 6. Isti verò Cardinales, in adiutorium gubernationis totius orbis, & in plenitudinem potestatis. & propter hoc dicuntur esse in plenitudine potestatis. Ex institutione Nicolai 2. anno Domini 1059. ad illas solum spectat eligere Summum Pontificem. Status, & officium Cardinalium fuit figuratum in veteri testamento per seniores quos Moyses elegit in adiutorium regiminis populi Israel, & in Sacerdotibus leuitici generis, vt habetur Deuter. 17. Si difficilè & ambiguum iudicium apud te esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram, & non lepram, & iudicium videris intra portas tuas verba variari, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venies & ad Sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. q. d. ambigua sententia ad summos iudices est deferenda.

da. Quem tex. Innoc. 3. (vt habetur in cap. per venerabilem Extr. qui Filij sunt legitimi:) sic exponit: sanè cum Deuter. lex secundo interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur in nouo test. debeat obseruari. Locus enim quem elegit Dominus, Apostolica sedes esse cognoscitur, cum enim Petrus fugiens; vrbem exiuisset, volens eum Dominus ad locum quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo, Domine quo vadis? Respon. Venio Romam iterum crucifigi; quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reuersus. Sunt autẽ Sacerdotes leuitici generis fratres nostri, qui nobis iure leuit. in executione Sacerdotalis officij coadiutores existunt. Postmodum idẽ status & officium fuit a Domino nostro Iesu Christo, (si non sub hoc nomine Cardinalatus) institutum, & fundatur eius institutio super illud Luc. 6. elegit 12. (nempè ad sustinendum secum) quos Apostolos nominauit. Isti ergo principaliter attiterunt Christo; atque cum eo sustinuerunt labores: vnde ait illis; Luc. 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, vnde & Thomas dixit; Io. 11. Eamus & nos & moriamur cum illo. Et Christus; & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus, regnum: vt edatis & bibatis super mensam in regno meo & sedeatis super thronos iudicantes 12. tribus Israel: hoc est vniuersitatẽ fidelium. Ex prę habitis apparet statum Cardinalium institutum fuisse ante Sacerdotium: quia Sacerdotium nõ fuit institutum nisi in vltima cæna, sed status Cardinalium longo tempore ante cænam, nempè in electione 12. Apostolorum. Amplius, status Cardinalium fuit institutus antè statum pastoralem, qui fuit institutus post resurrectionem, quando Christus dixit Petro, Io. 21. Pasce oues meas. Et quamuis potestas clauium ante Christi passionem promissa fuerit, non tamen fuit data, sed tantum promissa, & supposita authoritate Ecclesiæ quæ data fuit Petro post resurrectionem, & sub eius potestate ac iurisdictione & limitatione alijs Apostolis, cum dixit: Euntes in mundum vniuersum Mar. vltim. post ergo diuisionem Apostolorum Diuo Petro eos mittente, prædicta verba Christi promissoria, quæ recitantur Mat. 16. & 18. habuerunt effectum.

Amplius satis clarum est ex historijs quod post diuisionem & dispersionem Apostolorum Diuus Petrus habuit aliquos adiutores lateri suo assistentes in iudicio maiorum causarũ, & regimine vniuersalis Ecclesiæ, & hi fuerunt Linus, Cletus, & Clemens, qui omnes fuerunt eius successores vnus & item alter. Et Linus qui fuit primus Successor elegit duodecim Episcopos, & octodecim præsbyteros sibi assistentes & coadiutores. Cletus deinde ei succedens, fertur instituisse vigintiquinque titulos. Anacletus qui successit D. Clementi septem Diaconos Cardinales in Vrbe instituit: vt ait Godefredus Viterbiensis. Constat ergo de officio Cardinalatus, licet non ita apertè de nomine sit manifestum: quod neque curandum cum sit incertum. Notandum etiam est secundum Viguer. cap. 17. ver. 11. quod Domini Cardinales sunt successores Apostolorum. Ad cuius euidentiam sciendũ est, quod Apostoli possunt tripliciter considerari. Primò secundum quod Christo principaliter ante passionem astiterunt. Secundò, pro vt ante diuisionem eorum in mũdum vniuersum Diuo Petro vices Christi gerenti assistebant in administratione totius Ecclesiæ vniuersalis. Tertiò, prout post dispersionẽ ad prædicandum singuli singulas prouincias in sortem prædicationis acceperunt. Secundum primam & secundam considerationem, Cardinales succedunt Apostolis, & repræsentant Apostolorum statum, in

hoc quod sunt principales assistentes ipsi Pontifici Vicario Christi. Sicut & Apostoli Christo. Et post ascensionem Christi ante dispersionem assistebant Petro Christi Vicario, vt patet in Actibus Apostol. vbi dum Petrus verba faciebat, omnes tacebant. Quantũ ad tertiam considerationem, repræsentantur per Episcopos qui dicuntur esse Apostolorum successores; vt habetur in cap. in nouo. 21. distin. Cum autem status importet obligationem perpetuam ad ea quæ sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate, consequens est quod Cardinales sint in statu perfectionis. Obligant enim se ex dilectione Dei ad perpetuo defendendum fidem Catholicam, & religione Christianam vsque ad sanguinis effusionem, cum eorum & totius Ecclesię principe. In cuius rei euidens testimonium capello rubeo quasi professionis habitu seu signaculo (præstito iuramento ipsi Summo Pontif. aut eius legato: maximè de fideli assistentia in regimine vniuersalis Ecclesiæ) publicè & solemniter insigniuntur.

Ex dictis patet primo quod non est de necessitate status & officij Cardinalatus quod Cardinalis sit Episcopus, imò nec præsbyter, cum Apostoli, prius fuerint Cardinales quam Sacerdotes, aut Episcopi. Secundò patet quod status Cardinalium præstat & honorari debet præ alijs post Summum Pontificem, cum sint in culmine dignitatis, & de corpore peculiaris Concilij Pontificis. Vnde D. Augu. Scribens ad D. Hieronymum presbyterum Cardinalem, (vt recitat capit. quamquam 2. q. 7.) dicit: quamquam secundum vocabula quæ vsus obtinuit, & Episcopus sit præsbytero maior, scilicet, ordine: Aug. tamen Hieronymo minor est, administratione & dignitate. Culmen & sublimitas dignitatis Cardinalium super Episcopos & Archiepiscopos apparet ex potestate eligendi summum Pontif. cuius electio ad solos Cardinales spectat; vt habetur in cap. vbi periculum, de elect. lib. 6. & licet secundum antiqua iura concessum esset ab Ecclesia Romanis ius eligendi Summum Pontificem, vt habetur in cap. Ludouicus 63. dist. quodam etiam tempore concessum fuit ab Adriano Papa in Synodo tale ius eligendi, vel saltem, requisitio & assensus Imperatoris, eo quod tunc Imperatores iuuabãt Ecclesiam contra hæreticos & schismaticos, vt habetur in historia Ecclesiastica, & recitatur in cap. Adrianus 63. distin. Verũ, quia postmodum Romani Imperatores abutebãtur tali priuilegio, vt habetur in cap. quia Sancta Rom. Ecclesia. §. verum. & cap. cum Adrianus. 63. dist. ideo illa concessio reuocata fuit: nam ad Summum Pontif. De fratrum consilio pertinet de huiusmodi electione ordinare, & futuris scandalis prouidere. Ideo circa electionem Summi Pontificis decretum fuit vt habetur in dicto cap. vbi periculum de elect. lib. 6. dicens: Hoc sacro concilio approbante statuimus, vt si eundi Pontificem in ciuitate, in qua sua curia residebat diem claudere contingat extremum: Cardinales qui fuerint in ciuitate, &c. vbi apertè patet electionem ad ipsas pertinere. Ibi etiam habetur & modus & forma eligendi Summum Pontif. Sed quid agendum si Cardinales omnes essent mortui ad quem spectabit electio Papæ. Host. Refert duas opiniones. Quidam dicunt quod ad clerum Romanum, ar. in c. in nomine Domini. Alij dicunt quod ad Concilium generale sicut pertinebat de iure antiquo. 79. dist. quasi per totum. Hostien. ait: quod prima opinio est tutior, secunda verò iustior. Nam difficilè est congregare Cõcilium. Si autem mortui sunt omnes præter duos, illi poterunt eligere, & vnus poterit eligere alium, dummodo alius consentiat electioni suæ. Si verò vnus solus remansit ille habe-

habebit electionem, iuxta no. in cap. gratum, non tamen poterit eligere seipsum, vt in cap. per nostras, de iu. pat. putarem tamen (ait Panor.) quod iste nomine totius collegij poterit dare hanc potestatem alteri, & ille tamquam compromissarius poterit eligere istum, seclusa tamen omni fraude & ambitione.

Cardinales a sanctissimo appellantur fratres, vt patet in Extrau. Io. 22. tit. 3. de præbend. & dignita. & Glos. ibid. vbi ait: collige hic quod cum Papa de Cardinalibus loquitur, indefinitè vel promiscuè appellat eos omnes, fratres. ibid. Paulo superius nomē ponit Cardinalium priuilegia. In sede vacante non sunt sine capite, licet sit mortuus Papa, quia tunc pro capite habent ipsum Christum. Glos. in 6. lib. 5. tit. 3. & aliter sentire erroneum est.

Tanta est pręeminentia & dignitas Cardinalium quod notat Panor. in de testamentis & vltimis voluntatibus. c. cum esses. quod requiruntur 82. testes quando agitur contra Episcopum cardinalem, vt habetur in c. præsul. intellige tamen tex. illum, quando testes non sunt omni exceptione maiores: Secus autem si essent laudibilis vitæ, quia tunc sufficerent duos testes, vt dic. Gratian. in c. fi. Eadem causa. & qu. Quot autem requiruntur ad accusandum Episcopum, & Sacerdotem, vide. 2. q. 5. præsul.

Amplius licet tanta sit dignitas & authoritas Cardinalium, tamen mortuo Papa, licet possint creare Papam, non possunt creare Cardinalem, vt not. Hostien. in c. licet. contra Hug. 79. dist. nullus. Et notat etiam Glos. in tit. 3. de elect. & elect. potestatem, contra prædictum Hug.

Hæc est altera Cardinalium dignitas, quod Cardinalis qui bene notus, est in aliqua prouincia credendum esset sine literis: maximè cum non contingat Cardinalem vnquam abesse nisi legationis causa: Ioan. & Glos. distin. 97. §. nihilominus. quod de alijs aliter dicendum esset.

Nota secundum Glos. in Extra. tit. 3. de præben. & dignitatibus cap. 1. §. seruiendo. Cardinales dici seruitores Ecclesiæ: nec mirum cum & Papa seruire ei dicatur, quare se seruum appellat: & Imperator seruum vltimum Ecclesiæ se vocat. C. de offi. præfer. præ. l. quos gratias. §. 1. cupiens Dei Ecclesiæ seruitium adimplere. Ead. l. §. hoc etiam. Ordo enim seruiendi est in humana creatura, vt inferior superiori deseruiat, aliter enim vniuersitas nulla poterit ratione subsistere, nisi ex diuersitate graduum ordo diuersitatem in ea seruaret. 89. dist. ca. ad hoc. & quia Cardinales debent esse parati defendere Ecclesiam vsque ad sanguinis effusionem (vt diximus) hinc est quod vtuntur vestibus rubeis. Innocentius Papa 4. Genuensis fuit primus qui dedit Cardinalibus capellum rubeum & Paulus 2. vestes rubeas more Procuratorum Venetorum; qui & ipse fuit Venetus.

De Imperatore ac eius munere. Cap. 54.

Dicto de Cardinali antequam accedamus ad tractandum de Summo Pontifice, nonnulla sunt dicenda de Imperatore. Imperator autem præest omnibus principibus sæcularibus dignitate ac omnes eorum causæ ad ipsum pertinent si aliqua egent discussione: inferior tamen est Episcopo glos. in dist. 10. cap. 3. §. submittere. Imperatores autem a Iulio Cesare originem traxerunt: hinc est quod omnes dicuntur Cæsares.

Imperator triplici coronatur corona, vt notat Glos. in Clemen. lib. 2. de iure iurando ver. vestigijs. non tamen vtitur regno cum tribus coronis vt facit Summus Pontifex. Prima est ferrea, quam recipit ab Archiepiscopo

po Colon. in Aquisgrano eiusdem dioecesis: ferrum autem fortitudinem designat, qua vincere debet rebelles, & infideles conculcare. Secunda est argentea, quam ingressus Italiam recipit a Mediolanēsi Archiepiscopo in villa Modicen. eiusdem dioecesis: tamen Henricus recepit illam Mediolani, in Ecclesia Sancti Ambrosij: Argentum autem quod designat munditiam, & charitatem, significat ipsum principem talem esse debere. Vel significat sapientiam & prudentiam propter sonum & claritatem. Tertia est de puro auro qua coronatur per Papam in Ecclesia sancti Petri ad altare sancti Mauricij; & designat quod aurum, quod omnibus metallis est excellētius, ipsum Imperatorem alijs regibus & principibus in potentatu & iustitia excellentiorem esse debere. Vel significat benignitatem. Sic olim in his tribus metallis dabatur tributum Romanis. Hæc triplex corona triplici carmine adnotatur in Glos.

Ferrea Romani gestant diademata Reges.
Est argentea post hæc his oblata corona.
Hinc aurum capiti fuluum datur Imperiali.

Qui quidem Imperator non ita de facili deponitur. Nec est similis depositioni clericorum, qui pro quolibet magno peccato deponi possunt 81. distin.c.1. quia vbi maius scandalum & periculum timetur agendum est benignius. 50. dist. vt constitueretur. Deponitur tamen pro quolibet peccato, si est incorrigibilis 15.q.6. Alius.

Ipse Imperator est Ecclesiæ filius: & imperium diuinitus consequutus est 96. dist. ca. 10. a solo enim Deo & non a Papa habet imperium. Et verus Imperator est iste noster non autem Constantinopolitanus vt quidam asserunt. Glos. 96. dist. diuinitus. nam Ecclesia Romana trāstulit imperium vt patet ibidem.

Imperium prius Francorum fuisse legitur, sed postea Theutonici virtutibus promeruerunt imperium. 28.q. 1.§. Ex his. in quos hodie translatum est imperium. Extra. de elect. venerabilem. & 15. quæst. 6. cap. 3. Sed dicet quis quare electores sunt de Alemania, & quis eos instituit? Respon. quod Papa hos elegit: nam sicut Papa potest eligere Imperatorem (non vt singularis persona, sed vt successor Petri & vicarius Christi) ita potuit electores Imperatoris instituere, & institutos mutare ex rationabili causa. 28. qu. 1. §. Ex his. Sic etiam Imperatorem electum potest non confirmare, & confirmatum deponere. 96. distinct. duo, & c. Si Imperator. Item, facta Pontificum iudicare non debet, dist. 96. cap. 8. in Scripturis. Nam debent pontificibus subesse non præesse, Eadem dist. c. 9. Si Imperator.

Nota quod Gregor. 5. tempore Othonis Imperatoris conuocatis & requisitis principalibus Alemaniæ septē instituit officiales ipsius curiæ imperialis, quatuor laicos, scilicet, Regem Boemiæ, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, & Marchionem Brandeburgensem, & tres clericos, scilicet, Archiepiscopum Maguntin. Colonien. & Treuerensem. Causa autem quare de Alemania solum prædicti electores sunt assumpti communiter, triplex assignatur. Vna fuit, quia de Alemania fuerunt illi Principes qui liberauerunt Ecclesiam de seruitute Longobardorum & ipsorum Romanorum. Secunda, fuit deuotio illius populi ad sanctos Apostolos quod apparet in eorum continua peregrinatione ad visitandum Ecclesias ipsorū Apostolorum. Tertia, fuit voluntas Gregor. 5. qui de Theutonia fuit natus, & Othonis consanguineus. Sicut autem Romani ante Christi Aduentum quia fuerunt patriæ zelotes, Re-

publi-

publicæ amatores, & legis & iustitiæ reseruatores, ideo imperium in toto orbe obtinere meruerunt, vt habetur ex 1. Macab. & per Aug. 5. de ciu. cap. 2. ita postmodum cum obscuratum fuit aurum, mutatus color optimus, & armis contrarijs ad virtutes fuerũt armati, merito tam imperium quam eligẽdi Imperatorem potestatem perdiderunt: quamuis Imperator dicatur Rex Romanorum. Hæc Aug. de Anch. & sicut ab Apostolica Sede hoc illis est concessum, ita cum expediret vtilitati & paci Christianitatis posset immutari extra. de elec. cap. venerabilem. Nec hoc esset leuitati ascribendum, Vnde scribitur Hester. 16. prouidendum est paci omnium prouinciarum, nec debetis putare, si diuersa iubeamus ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, vt Reipub. poscit vtilitas ferre sententiam.

Imperator dicitur Augustus, quia illius propositi debet esse, quod augeat; sic & filius potest dici Augustus, quia & hoc propositum debet habere, cum habebit Imperium. Et dicuntur Augusti filij Imperatorum, quia speratur quod sint futuri Imperatores, & quasi per augurium hoc speratur. Glos. in distinct. 63. capit. 2. ver. Augustos.

Imperator non debet esse nisi vnus: & si legantur aliquãdo duo: dic quod erant duæ personæ, sed tamen erat loco vnius. Vel fortè vnus habuit dignitatem, alter vero administrationem. Glos. in 21. distinct. cap. 7. ver. Diocletiani.

Imperatores multa perdiderunt priuilegia: partim quia renuntiarũt: partim vero propter abusum: partim vero, quia aliqua illis fuerunt concessa ex causa, ideo cessante illa, cessauit effectus. Glos. in 63. distinct. cap. 23. ver. affici.

Imperator autem cum sit filius Ecclesiæ inferior est Episcopo, Glos. in 10. dist. cap. 3. ver. submittere. Et excommunicari potest ab ipso, vt innuitur. 63. dist. Valentinianus. ver. submittamus. Et 18. distinct. quoniam quidem. Dicunt quidam quod debet habere ordinẽ Subdiaconatus, quod non est verum, quia habet characterem militarem, 1. quæst. 1. quod quidam. Gerit tamen officiũ Subdiaconi, cum ministrat Episcopo.

Amplius Imperator non dicitur nisi corona suscepta: ita Glos. in decr. Innocen. tamen ibidem ait: quod si non possit recipere coronam in loco debito, nihilominus authoritatẽ administrandi recipere potest ab ipso Archiepiscopo Colonien. ad quem spectat: vel ex ipsa electione habet illam secundum Eund. vt refert Hostien. de ver. signific. super quibusdam, quod vidit in Alemania per Principes iudicari, quod Rex Romanorum post electionem concordem habeat omnem potestatẽ, quam Imperator, & quod vnctio nihil addit. Et facit quod not. Ioan. 93. dist. legimus.

Imperator non potest iura Pontificis, nec Pontifex iura regia vsurpare. 96. dist. cum ad verum. vbi Pontifex repræhendit Michaelem Imperatorem qui præcepit vt Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus deponeretur: dicit quod nec facere potuit, nec debuit: quia in veteri testamento eadem persona Rex erat & Sacerdos, & temporalia simul cum spiritualibus administrabat. Sed postquam Christus venit in Mundum, præcepit vt Rex tantum terrenis præsideret: Pontifex vero cælestia dispensaret: ne propter superbiam vtriusque dignitatis alteruter superbiret: sed sibijnuicem (si necesse fuerit) auxilium præbeant. Ergo cum istæ duæ potestates sint diuisę, constat, quod Imperator non habet gladium à Papa vt in ead. distinct. in scripturis. & cap. duo. immo & hic quoque, scilicet, in c. arg. quod Imperator consequutus est Imperium diui-

nitus.&c. si Imperator.& 93.distinct. legimus. Christus tamen quædam gessit vt Imperator, quædam vt Rex, & quædam vt Sacerdos. Vt Imperator cum eiecit de templo vendentes & ementes. 2. quęst. 7. accusatio. Vt Rex, cum coronam de spinis gessit in capite: quod est signum regni. 12. quæst. 1. duo. Vt Sacerdos, quando seipsum obtulit in ara Crucis pro Sacrificio. Et hoc ideo vtrumque gessit officium Sacerdotis & Imperatoris per se, vt notaret quod ex eodem fonte processerunt. 21. distin. cleros. in fin. nam dicit lex quod summa nobis dona à Deo concessa sunt, scilicet, Sacerdotium & Imperium. in authen. quomodo oportet Episcopus in prim. coll. 1. vnde patet quod Christus humilitate sua omnes erexit: & ne demergamus in Infernum per superbiam noluit omnes omnia officia habere: quia tunc si omnia officia haberemus, superbiremus.

Amplius, non potest Imperator punire Clericos delinquẽtes, quod idem Pontifex ostendit ibidem cap. seq. non esse faciendum immo debet potius illos defendere, & peccatum eorum celare: quod probat duobus exemplis Constantini, scilicet, qui combussit crimina scripta Episcoporum, & exemplo filiorum Noë, scilicet, Sem, & Iaphet, qui verenda patris operuerunt: & præcipuè de peccatis occultis: quia talia non habent vindictam: & sic solue contrarium illud 83. dstinct. cap. 3. illud autem in manifestis in quibus etiam non deberet eum prodere. vt no. 2. q. 1. si peccauerit.

Episcopi ergo cum sint patres, principibus & regibus ac Imperatoribus non sunt subijciendi: vt patet etiam ex Gregor. 7. ad Hermanum Metensem Episcopum, vbi hoc idẽ probat duobus similibus, scilicet, filij, qui insani reputantur si velint sibi patrem & magistrum subiugare. ead. distin. quis dubitet. & 21. distin. nolite. Sic in authen. de nup. §. si vero. coll. 4. vbi dicit, quod erubescit lex filios esse correctores patrum. Si tamen pater caderet in furorem filius daretur tutor vt eum regeret. ff. de tuto. & cura. da. ab his. l. his qui. 6. quæst. 1. oues. & capit. Sacerdotes.

Item, quia Anastasius Imperator contendebat cum Gelasio Papa de præeminentia vnius ad alterum, & de præeminentia dignitatum, Gelasius ostendit in ead. distin. duo sunt. Quod authoritas Pótificalis longè maior est, quam cu men imperiale. Et hoc probat duabus rationibus. Prima ratio est; quia Papa de anima Imperatoris, & aliorum, redditurus est rationem. Secunda est; quia colla Regũ & Principum submittuntur genibus Sacerdotum. Et hoc probat duobus exemplis, scilicet, Innocentij, & Ambrosij: qui vnus Archadium, & alter Theodosium propter suos excessus excommunicarunt. Zacharias quoque Papa regem Francorum deposuit, & in locum eius Pipinum substituit, vt in 15. quæst. 6. alius. Item Imperator quia volebat iudicare de causis clericorũ, Papa probat quod ipse facere non debet: quia ipse filius est Ecclesiæ non præsul: & quia Deus voluit seculi Principes si fideles sunt, esse Ecclesiæ suæ subiectos. Si vero contra hanc Dei dispositionem facere voluerit Imperator tanquam ingratus prodat potestatem, quam ab ipso est consecutus, vt ead. distin. 96. Si Imperator. immo ex Glos. ibid. habetur, quod antequam esset aliqua constitutio, etiam Clerici non erant de iurisdictione seculari, vt de omnes constitutiones, quæ emanarunt, quod clerici non sint iudicandi, nisi iuris declaratio, &c. Ioan. Et ideo Marcellus Papa Maxentio dixit: dist. 96. cap. 16. Boni Principis, ac Religiosi est, Ecclesias contritas atque concissas restaurare, nouas ædificare, & Dei Sacerdotes honorare, &c. Papa, ait D. Thom. libr. de regimine Principum, dum coronat Imperatorem, pede

finistro coronat, in signum subiectionis.

Quod autem Imperator aliquando pingitur cum duplici corona, hoc initium duxit à Guiliemo rege Siciliæ, qui ab Adriano IV. coronatus fuit vtriusque regni, scilicet, vltra citraque Farum, tempore Côradi, & Federici primi. ex Plat. in vita Adriani IV. ita nûc Boemorum & Vngarorum.

Corona Imperatoris decoratur lapidibus prætiosis, & hoc sumpsit initium a Constantino Magno, nam antea vtebantur tantum corona laurea, quæ arbor dicata dicebatur Apollini: Constantinus vt Christianus, & cognoscens etiam se gerere personam Christi in suo officio, ne videretur se velle sequi idolatrarum superstiones vsus fuit corona gemmis ornata, non ignorans scripturam de Christo dicentem Psalm. 20. posuisti in capite eius coronam de lapide prætioso.

De Summo Pontifice, ac eius electione, & qualitatibus. Cap. 55.

IVs autem eligendi aliquem in Summum Pontificem a Christo domino nostro deriuatum est. Ipse enim Christus primum denominatione successorem instituit, nempe Petrum, dicens illi: pasce oues meas. Ioan. 21. & ea ratione Petrus nominauit etiã Clementem in successorem sibi: quod tamen ita creditur si a Senatu Ecclesiæ Romanæ admitteretur. Senatus autem Romanæ Ecclesiæ à Beato Petro diuina inspiratione institutus est; cum quo omnia ardua negotia Ecclesiæ explicaret, ac referret: videlicet collegium 24. Senatorum, ex præsbyteris & Diaconibus Romanæ Vrbis, instar 24. seniorum, quos Agnus Dei Christus & Saluator noster in Apocal. Ioa. ca. 4. astantes habere perhibetur. Hos itaque Petrus loco assistentium Apostolorum post eorũ per orbem diuisionem elegerat ac designarat, atque cõsiliarios Romanæ Ecclesiæ coadiutoresque atque Romani Pontificis electores instituit. Pattes autem cognoscentes huiusmodi denominationis formam grauiter in futurum Ecclesiæ posse nocere, non Clementem, sed Linum elegerunt, & illum post Petrum præesse Pontificatui voluerunt, licet Clemens postea fuerit electus post Linum, & Cletum. Hos itaque patres tempore Siluestri Papæ primi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sunt appellati: qui tot sunt quot Summo Pontif. placet: licet numerus præcisus dicatur esse 72. loco 72. Discipulorum Christi. Hæc ex cæremoniali antiquo libr. 1. capit. 2. qui quidem Cardinales vtuntur vestimentis rubeis nunc: vt supra ostensum est.

Papa vtitur vestimentis Albis, quia sponsus Ecclesiæ, quæ à Christo Virgo electa est. 2. Cor. 11. Despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo: vbi patet quod Diu. Paulus nominat Ecclesiam Virginẽ. Vide Diu. Thom. super hunc locum. Episcopi autem vtuntur tantum galesis viridi coloris propter spem, quã semper debent habere circa cælestia; fertur enim in capite. Crux quæ portatur ante Pontificem significat quod iugem ac assiduam memoriam passionis Christi debet habere. Eadem est ratio de Archiepiscopis.

Nota tamen quod illa Crux Summi Pôtificis, est ex triplicibus brachijs respicientibus ex obliquo: & ratio esse potest (saluo semper meliori iudicio,) quia ampliorem habet dignitatem, quam Archiepiscopi. Nam Crux Christi significat eius dignitatem, vt patet ex D. Paulo. ad Philip. 2. Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorũ. & Abacuc. 3. cornua in manibus eius.

cornua, ideſt, fortitudo, potentia, & regnum in manibus Chriſti: hoc regnũ erat crux, quia regnauit a ligno. Et Chriſtus ipſe, vt ſignificaret hanc dignitatem, & hoc regnum auferre a Iudæis; dedit illam Cyrenæo Gentili in ſua paſſione, qui in nomine totius Gentilitatis, poſt Chriſtum illam portauit: vt patet Math. 27. Marc. 15. & Luc. 23.

Item, triplicibus brachijs crux ſummi Pontificis eſt decorata, quia habet poteſtatem ſuper omnem dignitatem, quę deſignatur per numerũ ternariũ: & præcipuè ſuper Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Sacerdotes: hæ autem tres dignitates, ſunt potiſſimè in Eccleſia. Illa verò Archiepiſcopi duplicibus brachijs ex obliquo reſpicientibus, tantum quia habent poteſtatem ſuper Epiſcopos, & Sacerdotes. Solũ Epiſcopi autem ſi deferunt crucẽ ante ſe, vt faciunt legati, eſt ſimplex. Vel. Si fiat quod deferatur propter memoriam paſſionis Chriſti, id ſignificabat, quod maiori aſſiduitate debet cogitare ac ſe occupare circa paſſionem Chriſti Summus Pontifex, quam Archiepiſcopos, & Archiepiſcopus quã Epiſcopus, & Epiſcopus quam ſimplex Sacerdos. Hinc eſt quod propter hanc cauſam, aliqui religioſi deferũt crũcem, ſcilicet, Cruciferi in manibus; clerici verò nonnulli regulares, qui Infirmarij nuncupantur, ſuper veſtes crucẽ portant. Vel ideo huiuſmodi crux Põtificis eſt multiplicibus brachijs, ad modum triplicis crucis, quia ſtatus, vel poteſtas Summi Pontif. eſt plena crucibus. Vnde ad hoc clarius ſignificandum ſummus Patriarcha Æthiopiæ, qui vulgò Prete Gianni, dicitur, vna cum cruce (quæ eſt lignea ſed aureata,) portatur quoque vas aureum plenum vino, ad notandum id quod legitur de Chriſto Mat. 23 nempe quod dederunt ei bibere vinum cũ felle mixtum. Item, antefertur crux vt Pontifex non vereatur ſe crucifixũ ſequi in omnibus ſuis actionibus. Giã (ait Io. Boem. de moribus Gentium) vult dicere potẽs: dignitates omnium Sacerdotum ſunt in poteſtate ſua; quia habuit hãc authoritatem a ſummo Pontif. Rom. tamen ipſe non eſt Sacerdos, nec habet aliquam dignitatem Sacerdotalem. Cum autem principes vel prælati ſui exeunt è domo, præit crux, vna cum vaſe aureo pleno terræ: vt videndo vas plenum terræ, cognoſcantur ſe mortales, & videndo crucem recordentur paſſionis Chriſti.

Ex his & alijs authoritatibus patet primatum Petri, diuini iuris eſſe: nã in illo loco citato paſce oues, ita ait Chryſoſt. Chriſtus Eccleſiæ primatũ gubernationemque Petro per vniuerſum mundum tradidit, quodque omnium eſt ſublimius, oſtendit eum nobis ad dominum maiorem Apoſtolorum omnium charitatem habuiſſe. Inſuper, Chriſtus ad Petrum Luc. 22. Simõ ecce ſatanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquãdo conuerſus, confirma fratres tuos. Et Epiphanius contra Alogos ait, Deus, qui nouit vocationes cordium, & ſcit qui dignus ſit primo loco locari, elegit Petrum vt eſſet dux ſuorum diſcipulorum. De ſucceſſore autem Petri ſic ait Aug. contra Epiſt. Parmen. lib. 1. cap. 2. Sedenti in cathedra Eccleſiæ Roman. totus orbis Chriſtianus in tranſmarinis & longè remotis terris ſubiectus eſt, & Ambroſ. lib. 2. de vocatione gentium, ait: Roma habet apoſtolici Sacerdotij principatum: & D. Cypria. in tractatu de ſimplicitate prælatorum, & Epiſtola, 3. lib. 1. ait: quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, ſicut me miſit Pater & ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum: Si cui remiſeritis peccata remittuntur illi: ſi cui tenueritis tenebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem origi-

nem

nem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erunt vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstraretur. Et post pauca. Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum atque indiuisum probemus. hæc ille. In summa, canones passim prohibent cæteros Episcopos vocatos esse in partem solicitudinis, solum vero Romanum Pontif. in plenitudinem potestatis, quod dispensatione diuina cunctarum Ecclesiarum curam gerat capit. cuncta per mundum. 9. quæst. 3. & vt vnitatis & disciplinæ conseruandæ gratia primatas Romani Pontif. necessario statuendus est: ita & Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur: quem velut caput existiment, vt nihil amplius præter conscientiam eius gerant, quam illa sola singuli, quæ parochiæ propriæ, & villis quæ sub ea sunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid in eorum parochijs. Sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto, quemadmodum can. 35. Apostolorum habet.

Pro hac aũt dignitate primo notandum, secundum Card. Monilian. de Sacramento ordinis capit. 57. quod quędam sunt necessaria ad simpliciter esse Papam, quædam ad bene esse solum, quæ talia sunt, vt illis seclusis Papa esse possit, sed non bonus Papa: & hæc sunt scientia rerum diuinarum, prudentia rerum gerendarum, charitas feruentissima, & id genus. Ad vero esse Papam simpliciter necessaria sunt duo: quorum primum est solum necessarium ad fieri: & hoc est voluntas ipsius electi, per quam consentit electioni de se factę: ipso enim inuito nõ potest fieri Papa. Postquam tamen semel consensit electioni iam eius voluntas non est necessaria ad esse Papam: quia & si eum pœniteat voluntatis præteritæ & nolit esse Papa, & renunciet papatui, nihilominus adhuc est Papa, quousque ab his, quibus cõpetit, sit eius renunciatio accepta. c. 1. de renunciat. libr. 6. Et ratio est, quia quilibet & si possit renũciare iuri suo, non tamen alterius. Ecclesia autem eligens. N. nullum adhuc ius habet in eo, quousque cõsentiat. Postquam autem consensit electioni de se factæ: sicut ipse acquisiuit ius super Ecclesiam ad regendum eam: ita illa acquisiuit ius super ipsum, vt ab illo petere possit doctrinam, & alia, quæ ex officio Papali tenetur tribuere Ecclesiæ. Est enim mutuus contractus inter electores, & electum initus, quo mutuo se inuicem obligarunt: electus ad reddendum Ecclesiæ debitum pastoralis officij; Ecclesia vero ad debitam obedientiam illi exhibẽdam. Et hinc euenit, vt cum primo electus est quis in Summum Pontificem, possit renunciare electioni de se factæ: quia tunc soli renunciaret iuri suo. Cum autem semel iam consensit electioni, & factus est Papa: tunc iam non potest sine Ecclesiæ consensu Papatui renunciare.

Consecratur autem ex institutione Marci. 1. ab Episcopo ostiensi: qui vixit anno Domini 338.

Quatuor autem leguntur eidem renunciasse: Clemens primus, propter causam iustam, ne videlicet in Ecclesia, Pontifices eligerent sibi successorem. Cyprianus, qui se associuit martyrio vndecim millium Virginum. Marcellus, qui renunciauit in Concilio propter idololatricam operationem. Et Cælestinus, qui cessit ex humilitate, propterea quod indignum se reputauit tali honore. Et credendum est quod in manu Cardi-

nalium

nalium: qui in omnibus, quæ ad Papam spectant, repræsentant vices Ecclesiæ, saltem postquam electi consenserunt electioni de se factæ ob causas supradictas. Ex quibus patet, quod voluntas electi in Papam licet sit necessaria ad fieri Papam, non tamen est necessaria ad Papatus conseruationē: quia inuitus potest esse Papa.

Alterum est necessarium ad esse Papam in fieri, & in facto esse, & hoc est fides. Nec loquor de fide formata, quæ per dilectionem operatur, ad Galat. 5. Cum existens in mortali possit in Papam eligi: alioquin incideretur in errorem Vualdensium, & Io: Hus. dicentium: omnem Ecclesiasticam dignitatem amitti per quodcumque mortale: quod est erroneum: & error iste fuit damnatus in Cōcil. Constan. Sess. 15. Sed loquor de fide habituali a spe & charitate distincta, quæ datur in Baptismo: & hæc ita necessaria est ad esse Papam, quod sine illa, nec potest fieri Papa, nec conseruari in papatu. Hanc potestatem Christus promisit primò Petro quando sibi dixit illud Mat. 16. Tibi dabo claues regni cælorum: quo in loco, inquit Origenes, Christum his verbis maiorem promisisse ligandi & soluendi potestatem, quā postea cæteris Apostolis dederit, aut promiserit. Vnde priusquā Christus Petro promitteret hanc potestatem, interrogauit omnes Apostolos quid sentirent de seipso: cui quidem interrogationi, solus Petrus respondit: Tu es Christus Filius Dei viui: ideo Dominus illicò subiunxit remunerationem, dicens: Beatus es Simon Bar iona, &c. & tibi dabo claues regni cęlorum & promisit quod super eum ædificaret Ecclesiam suam. In quo loco Theophilatus nos docet, fidem esse fundamentum totius Ecclesiasticæ structuræ. Et si quid super illud ædificatum fuerit, necesse est, vt illo fundamento ablato ruat. Igitur deficiente in aliquo fide Catholica, quæ est præfatum fundamentum; non potest in eo Papalis dignitas fundari, quę est primus lapis in illa structura post fidem. Immo nulla alia dignitas Ecclesiastica a Christo instituta, siue Sacerdotalis, siue Episcopalis; & alia queuis, poterit in illo fundari, qui fidem non habet: nec character baptismalis potest esse tale meritum vt propter illud tanta mercede Christus Petrum donaret. Nam in confessione Petri adfuit multum meriti. Et licet Baptismus dicatur fundamentū esse, hoc intelligitur respectu aliorum Sacramentorum; cum nullus possit ordinari nisi sit Baptizatus. Christus tamen dicit expresse, se super fidei cōfessionem fundaturum Ecclesiam, & propter talem cōfessionem fidei, promisit Petro, se daturum illi in præmiū claues regni cælorum: nam ait Theophilat. alijs Apostolis tacentibus solus Petrus confessus est: Tu es Christus filius Dei viui. Nec Petrus respondit pro omnibus cum nō adhuc haberet potestatē super alios Apostolos: quod patet, quia dixit in singulari: Ego dico tibi, quia tu es Christus filius Dei viui. Vnde postquam Spiritum sanctum acceperunt, & Petrus constitutus est aliorum caput, dixit hunc in modum, Act. 2. non enim sicut vos æstimatis hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. Illa enim verba dixit Petrus vt aliorum caput, vt patet ibidē.

Innocentius autem Papa tertius, l. 1. de sac. alt. mysterio cap. 8. de primatu Romani Pontificis, ait: quod omnibus Apostolis Christus vnum præposuit, videlicet, Petrum, cui totius Ecclesiæ principatum commisit, & hoc ter, nempè ante passionem, circa passionem, & post passionem. Ante passionem cum dixit, Mat. 10. Tu es Petrus & super hanc pet. ædif. Ecclesiam meam, & portæ inferi non præual. aduers. eam; & tibi dabo claues regni cælorum. Licet enim vniuersis Apostolis communiter dixerit: quorū

remiseritis peccata remittuntur eis,& quorum retinueritis retenta sunt. Io. 20. principaliter tamen Petro concessit. Quodcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis. Petrus igiturpotest ligare cæteros, sed ligari a cæteris minimè potest. Etenim illis particulariter dictum est, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: huic autem dicitur, quodcumque ligaueris, &c. commisit illi Ecclesiam secundò circa passionem cum pluraliter dixisset de omnibus: Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Luc. 22. Hoc est, expetiuit vos tentare. Vnde Theophil. ait: Hæc dixit Petro, eo quod fortior alijs erat. Singulariter deinde pro Petro subiunxit: ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Statimque pręcepit: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ad eum igitur tamquam ad magistrum pertinet cæteros confirmare, cuius fides in nulla tentatione deficit.

Post passionem autem, cum tertio quæsisset a Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Io 21.& ille tertio respondit: Domine tu scis quia amo te: tertio præcepit, pasce oues meas: statimque subiunxit, sequere me. Petrus enim sequutus est Christum non solũ in genere martyrij, sed & in ordine magisterij: quod Christus ostendit cũ ait: tu vocaberis Cephas. Licet enim Cephas secundum vnam linguam interpretatur Petrus; secundum alterã tamen exponitur caput vt patet in extrau. Nam sicut caput habens plenitudinem sensuum in se, cætera verò membra partem recipiunt plenitudinis: ita cæteri Sacerdotes vocati sunt in partem sollicitudinis: sed Summus Pontifex assumptus est in plenitudinẽ potestatis. Hinc est quod non sine magni mysterij sacramento, cum Christus vniuersos interrogasset Apostolos: vos autem quem me esse dicitis? solus Petrus quasi primus & potior respondit pro omnibus: tu es Christus Filius Dei viui. Cumque timore periculi cuncti simul exterrerentur Apostoli, solus Petrus descendit intrepidus, vt super vndas maris ad dominũ ambularet. Similiter cum multi discipulorum abijssent retro, dicentes; durus est hic sermo: dixit Iesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Respondit Petrus: Domine ad quẽ ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Similiter cũ omnes Apostoli fugam arriperent, solus Petrus educens gladium percussit seruum Pontificis Luc. 22. & dexterã eius abscidit auriculam. Et etiam cũ post resurrectionem alij discipuli nauigio venissent ad dominum, Petrus succingens se, misit se in mare, vt citius ad ipsum ambularet. Quapropter & Christus cum resurrexisset a mortuis prius se Petro, quam cæteris Apostolis ostendit: quia secundum Apost. 1. Cor. 15. Visus est Cephæ: post hoc vndecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul. hæc ille.

Circa autem nomẽ, nota quod mutatur alicui cum eligitur in Summum Pontificem propter tria. Primò, quia tũc vices Dei gerit in terris cum prius esset persona priuata. Secundò, quia tunc fit successor Diui Petri, cui Christus mutauit nomen cum dixit. Ioan. 1. Tu es Simon Filius Iona: tu vocaberis Cephas. Ideo autem fecit, vt ostenderet Petro, quod munus adquod eligebatur est tantæ rei, & ponderis, vt alter homo, necesse esset fieri. Tertiò, quia poterat habere nomen turpe a prima impositione. Et aduerte quod hoc post 400. annos ab Incarnatione & vltra ordinatum fuit vt, scilicet, in creatione Summi Pontificis mutaretur nomen proprium: nam antea retinebant sibi nomen proprium, Sum. Anton. p. 3. tit. 23. cap. 2.

Papa item appellatur Episcopus: & hoc ideo facit, quia denominat se ab ordine,

ordine, tamquam a digniori, & non ab officio. Nam super Episcopatum non est dare alium ordinem, licet reperiatur maior dignitas. de quo vid. Glos. in pro. 6. in principio: hinc est quod in motibus dicitur, N. Episcopus seruus seruorum Dei, &c. & vocat etiam se seruum a seruiendo Reipublicæ.

Zona cum septem sigillis pendentibus & totidē clauibus (vt cinctus erat Paschalis Secundus) designat authoritatem ligandi & soluendi in tota Ecclesia, in qua septiformis gratia Spiritus sancti datur.

Gregorius autem magnus, qui est primus huius nominis, fuit ille qui hanc clausulam adinuenit; nempè, N. Episcopus seruus seruorum Dei; vt cognoscat se maximè illum cuius vicarius est, dominum, scilicet, Iesum Christum habere in humilitate imitari, qui ait discipulis. Qui maior est vestrum sit minister. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Mat. 20. & in vltima cœna dixit eis, ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.

Postquam deinde Papa est creatus, primum eius officium est confirmare reliquos in fide; ideo Christus præuidens discipulorum fugam dixit Petro, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, in fide, scilicet, firmando. Secundum eius officium est pascendi oues Christi, Catholica videlicet doctrina. Nam quando Christus Papalem tradidit Petro authoritatem, dixit: pasce oues meas Io. vlt. Ex his enim verbis constat omnes Christianos oues esse, & Papam esse pastorem. (Ergo cum sit pastor omniū neminem odio habere debet, immo pacem cum omnibus 11. quæ. 3. inter verba. Et si inimicus, est, est inimicus actibus 86. dist. odio.) Vnde B. Aug. ad Vincentium Donatistam ait: Eum qui pastor ouium Christi, si fiat hæreticus, iam non esse pastorem ouium, sed suorum hædorum: qui enim a fide Ecclesiæ separatur consequens est, vt & a corpore ipsius separetur: quia sicut (iuxta illud Ephes. 4.) vna est fides; ita vna est Ecclesia: & vnitas Ecclesiæ ex vnitate fidei pendet, ait Hugo de san. Vict. per fidē accipimus vnionem, & per charitatem, viuificationem.

Si verò Papa est hæreticus, nullam prorsus habet in Ecclesia iurisdictionem; vt patet ex B. Thom. 2. 2. qu. 39. ar. 3. vbi ait: potestatem iurisdictionis non esse in hæreticis: ac inde deducit, quod non possunt a peccatis absoluere, nec alios excommunicare, aut indulgentias dare. Idem ait: Hug. super Io. qui extra Ecclesiam est, nullam habet ligandi & absoluendi potestatem. Ioannes autem de TurreCrem. addit: ad hæc quod Papa hæreticus effectus, iure diuino eo ipso est papatu priuatus. Gaietanus idem sub alijs verbis asserit, videlicet: eum qui hæresim mentalem concepit, & illi pertinaciter adhęsit, quam, etiam nullo exteriori actu manifestauit, esse verum hęreticum. Ecclesia tamen haud dubiè illum tandiu tolerabit quousque constet sibi illum iure diuino esse depositum, aut meritò deponendum: quod non potest esse per solam hęresim mētalem, nisi illa per aliquam actionem externam innotescat: cum sit regula iuris: quod quilibet præsupponendus est bonus, donec probetur contrariū. Episcopi tamen per solam hæresim mentalem in foro fori non priuantur potestate iurisdictionis: eo quod per illam non subduntur iuri humano, sed per manifestam, per quam subdūtur iuri positiuo. Papa tamē vt persona publica & communis in dando toto populo Christiano fidei decretis licet (vt religiosè creditur) errare non possit: vt tamen priuata persona & errare potest, & hæreticum fieri nonnulli opinantur. Vnde Papa delinquens debet sine venia puniri, sicut diabolus,

qui

qui maximus comparatione aliorum creatus est, de pænit. dist. 2. principium. & 40. dist. Si Papa cap. 6.

De Potestate Papæ quæ est maior omni Creata. Cap. 56.

POtestas autem Papæ quæ est maior omni alia creata post potestatem Christi, aliquo modo se extendit ad cælestia, terrestria, & infernalia, quę quidem tria sigillatim dicemus: & primo quod cęlestia, vtrum Papa sit maior angelo in iurisdictione, & videtur quod non, quia natura spiritualis habet iurisdictionem super naturam corporalem, ex suæ naturæ cōditione: sed angelus est naturæ spiritualis: ergo habet iurisdictionem supra Papam qui est naturæ corporalis. Sed in contrarium est quod dicitur. Hebr. 2. in persona Christi cuius papa vicarius existit, non angelis subiecit, Deus orbem terræ futurum ei de quo loquimur. Ad hoc respond. Augu. de Ancon. in tractatibus suis de potestate papę, quod maior est iurisdictio Papæ quam cuiuslibet Angeli. Est enim triplex regimen secundum Philosophum. Primum est Ethicum, & morale: secundum est familiæ & paternale. Tertium, est politicum & regale. Primum respicit curam vniuscuiusque hominis in se per virtutum regulationem. Secundum respicit regimen domus & familiæ per paternalem monitionem. Tertium respicit regimen prouinciarum & regnorum per pęnarum comminationem. Primum regimen commissum est Angelis, quia vnaquæque anima ab ortu suæ natiuitatis habet angelum ad sui custodiam & exercitium secundum Hieronym. lib. 3. Cōmētar. super Mat. Secundum cōmissum est Archangelis, quorum est familias & ciuitates dirigere & gubernare. Requisitus Archangelus a Tobia an sciret viam eundi ad ciuitatem Medorum, dixit se itinera omnia illius, frequenter ambulasse. Tertium conuenit principatibus quorum est prouincias & regna miro ordine disponere. Vnde angelus, qui loquebatur ad Danielem dixit: Princeps regni Persarum restitit mihi. 21. diebus. Dan. 10. Nulli ergo angelo commissa est iurisdictio & cura totius orbis, sed Papæ totius mundi iurisdictio & cura commissa est, non solum vt nomine mundi importatur terra, sed etiam vt nomine mundi importatur cælum, quia super cælum & terrā iurisdictionem accepit, vnde dicitur quod cælestis & terreni imperij Petro Christus iura concessit dist. 22. omnis. Ad quod facit quod Chrysost. ait in lib. de laudibus Pauli, præfert enim Paulum cuilibet Angelo in iurisdictione, dicens: quod angelis diuersarum gentium commissa est cura, sed nullus eorum ita creditum sibi populum gubernauit, vt Paulus vniuersū orbem, nam Michaeli commissa est gens Iudæorum, Paulo verò terræ & maris atque vniuersi orbis habitatio, ipsumque desertum. Si ergo iurisdictio Pauli maior fuit iurisdictione omnium angelorum, multo fortius intelligendum est hoc de Petro, cuius papa personam repræsentat. Et idem Chrys. super Io. dicit: Petrum totius orbis ordinat magistrum & doctorē, qui potestatem dedit vniuersorum. Ad argum. autem respondetur, quod licet angelus secundum gradum naturæ sit superior homine, etiam Papa & ipsius naturæ conditione, diuina tamen authoritate & commissione, potest ad plura se extendere iurisdictio hominis & præcipuè Papæ quam angeli.

Amplius Papa est maior angelo in administratione sacramentorum. Administratio enim sacramentorum nō est commissa angelis de lege communi, sed Sacerdotibus, & Episcopis; de singulari aūt mandato Dei posset angelus bonus sacramenta ministrare,

vt baptizare, & Ecclesiam consecrare, sicut legitur de Ecclesia Sancti Michaelis ab ipso Archangelo consecrata; & quamuis communiter dicatur, quod talis non deberet iterum baptizari, nec Ecclesia iterum consecrari, quando egisset bonus angelus, tamen quia Satanas transfigurat se in angelum lucis, tutius esset quo ad baptismum illum iterare, & licet in doctrina, & in his quæ se tenent ex parte intellectus homo reducatur aliquando in Deum per angelos, vt patet de apparitionibus & reuelationibus factis per angelos patribus, tamen in charitate, & in his, quæ se tenent ex parte affectus homo reducitur in Deum immediatè per ipsum et principaliter, & ministerialiter, per Papam, & alios ministros Ecclesiæ qui sunt administratoris sacramentorum, in quibus gratia nobis confertur. Origo autem administrationis ipsius est in Papa.

Item, in cognitione aliquo modo Papa est maior Angelo. Vnde super illo verbo, Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuel. tibi, sed pat. meus, dicit Glos. vere beatius, quia tale quid reuelatum est Petro cuius Papa successor existit, quod nec Angelus, nec homo scire potuit. De ministerio enim incarnationis, & passionis, angelis accreuit aliqua cognitio, per prædicationem Apostolorum quorum caput fuit Petrus, cuius Papa est successor; licet enim Angeli scirent filium Dei concipiendum de virgine, tamen modus concipiendi, vel grauidationis eos latuit. Sed prædicantibus Apostolis multa cognouerunt circa illud mysterium, quæ ante ignorabãt, quod etiam notat Apost. Ephes. 3. & Hieron. dicit, Angelicas virtutes mysterium incarnationis ad plenum non intellexisse, donec passio Christi per Apostolos fuit prædicata. Et quãuis Dionys. dicat primam Hierarchiã illuminare secundam, & secundam tertiam, & tertiam homines, vnde & Papam, tamen ex hoc ordine communi non arctatur Spiritus sanctus, quod non possit docere, & illuminare, & perficere homines absque tali ordine. In multis enim Apostoli immediate edocti fuerũt a Spiritu sancto, & hoc concludit.

De potestate Papæ erga inferiores .s. existentes in purgatorio morantes continere in afflictionibus pœnarum, subiecit etiam Deus eos ipsi Papæ.s. ad subueniendum eis per indulgẽtias, vt facit quotidie. Vnde D. Tho. in 4. dicit quod, indulgentiæ possunt extẽdi ad eos qui sunt in purgatorio: si autem quæratur vtrum Papa possit per communicationem indulgentiæ totum purgatorium expoliare? Respon. Aug. de Anc. vbi supra per triplicem distinctionem, videlicet, quia aut hoc intelligitur quantum ad eius absolutam iurisdictionem, aut quantum ad eius ordinatam executionẽ, aut quantum ad diuinam acceptionem, ita vt si faceret quod Deus acceptaret. Primò modo putat quod potest expoliare purgatorium quantum ad illos omnes qui subijciuntur iurisdictioni suæ secundum meritum conditionale, vt sunt aliqui, qui faciunt pro illis de purgatorio ea propter quæ ordinatæ sunt indulgentiæ valere. Si qui ergo essent in purgatorio, qui non recepissent sacramentum Baptismi, vt adulti, qui recedentes cum Baptismo flaminis, cum non sint propriè sub iurisdictione Papæ, & illi etiam qui non habent amicos facientes pro eis id pro quo datur indulgentia istis non valeret. Quantum autem ad omnes alios posset Papa purgatorium expoliare, quod sic probatur, quia Papa potest omnium illorum pœnam tollere per satisfactionem, & communicationem indulgentiæ, in quibus potest vti clauibus Ecclesiæ in omnibus qui sunt in purgatorio sibi subiectis, & simpliciter dicit Christus Petro. Tibi dabo claues regni cælorum. Probat etiam

hoc, arguendo a fortiori per factum Gregorij erga Traianum qui absoluit eum a pœna inferni, quæ est infinita: ergo multo fortius Papa per communicationem indulgentiæ potest absoluere omnes qui sunt in purgatorio a pœna illa quæ est finita. Sed ad hoc potest responderi quod illud fuit præter legem communem ait D. Anton. 3.p. tit. 22 §. 7. Loquendo verò de potestate Papæ quantum ad ordinatam eius executionem Papa potest, nec debet illud facere. Ratio est, quia potentia Papæ iusta & rationabilis non reducitur, nec reduci debet ad actum per voluntariam affectionem, sed per rationabilem rationem: sed si per talem potentiam reduceret ad actum, vt quod totum purgatorium spoliaret, non esset ibi legitima ratio; sed potius voluntaria affectio; ergo tali legitima potestate non potest, nec debet purgatorium spoliare. Sed tertio modo, scilicet, quantum ad diuinam acceptionem hoc est si Papa illud faceret, volendo totum purgatorium expoliare per indulgentiam, an Deus haberet acceptum, dicendum quod ignotum est nobis, & etiam ipsi Papæ: D. Thom. in 4. dicit simpliciter Papam non posse per indulgentiam purgatorium expoliare, quia ad indulgentiam requiritur causa rationabilis & discreta ad hoc vt valeat; illa autem videtur irrationabilis, & indiscreta, cum nec ipse Christus descendens ad inferos purgatorium expoliauit, secundum Thom. in 3. p. quod et tenet ipse Aug. de Anco. Pueris autem qui sunt in limbo non potest Papa communicare indulgentias, vt sint participes earum, secundum August. de Anco. & ratio est, quia non habuerunt personalem indulgentiam in mundo, cum non habuerunt vsum liberi arbitrij, nec Sacramẽtalem, quia sine Baptismo mortui sunt, sed sine gratia non potest quis esse particeps indulgentiæ. Ergo, &c. & multo minus hi qui sunt in inferno. Ergo quod dicitur de anima Traiani, est historia haud ab omnibus admissa, & præcipuè a Baronio tom. 2. sub anno Domini 119. immo fuit vir nequissimus & impurus, & venia indignus.

De potestate Papæ erga eos qui sũt in terra, scilicet, Paganos, Iudæos, & hæreticos. Quod autem pagani subsint Papæ, probat Augu. de Anc. vbi supra sic: Papa præest mundo vice Christi, Christus autem habet plenã iurisdictionem super omnem creaturam, cum in nomine eius, omne genu flectatur cælestium, terrestrium & inferiorum Philiph. 2. Christus enim per passionem suam meruit iudiciariam potestatem super omnẽ creaturam, vnde ipse resurgens ait Mat. vltim. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Cum autem vicarius Christi, sit ipse Papa, nullus potest seipsum subtrahere ab obedientia eius de iure, sicut nullus de iure potest se subtrahere ab obedientia Dei. Et sicut recepit Christus ducatum a Patre & sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israel egrediens super omnẽ principatum & potestatem, & super omne quodcumque est, vt ei genua cuncta curuentur, sic ipsi Petro, & successoribus eius, plenissimam potestatem commisit: vt ait Cyrillus Patriarcha Alexandr. in lib. Thesaurorum.

De potestate Papæ in Iudæos patet. Nam & prohibuit nulla officia publica iniungi Iudæis distinct. 54. nulla, & statuit pœnam in contrafacientes. Extr. de Iudæis: Item, prohibuit eos emere mancipia Christiana distinct. 54. mancipia. Quod si secus fecerint quam pœna incurrant vide ibi. in tex. & in Glos. Item, prohibet Christianis, vt Iudæorum conuiuia vitent, nec eos ad sua conuiuia recipiant, vt 28. quæst. 1. omnes. Secundò, ne cum eis cohabitent, aut in

eodem balneo se lauent. Tertiò, ne in suis infirmitatibus Christiani Iudæos vocent; vel eorum medicinas suscipiant, nec eorum azima comedent. 18. quæst. 1. nullus. Quartò, nec testamento eis aliquid relinquant. Quintò, vt diebus lamentationum, & dum dominicæ passionis ludibria recitantur, fenestras & ostia aperta non teneant; & ipsi in publico non appareant in pœnam crucifixionis Christi. Sextò vt, vtriusq; sexus in omni Christianorum prouincia, omni tempore, habitus in qualitate publicè ab alijs distinguantur: extra. de Iudæis: in nonnullis. Septimò, vt testimoniũ ipsorum contra aliquem Christianum, non recipiatur in die Sabbathi. Octauò, ne nutrices, vel seruientes Christianos habeant eod. tit. & si Iudæos, contrarium facientes puniri possunt, non quidem pœna excommunicationis cũ sint extra Ecclesiã, sed pœna tẽporali, vt pecuniaria, vel corporali vt flagellationibus deputentur. 28. quæs. 1. sepè. Indirectè autem punire potest Ecclesia Iudæos pœna spirituali, excommunicando, scilicet, Christianos Principes, quibus ipsi Iudæi subduntur si negligunt punire eos pœna temporali, quando ipsi in Christianos forte faciunt.

De potestate Papæ in hereticos, patet; quia subijciuntur Papæ ad puniendum eos quadrupliciter, scilicet, excommunicatione, depositione, rerum temporalium ablatione, & militari persecutione. Hi enim sunt Christiani qui resistunt veritati; falsa enim credunt de doctrina quæ pertinet ad ædificationem fidei.

De potestate Papæ in schismaticos, patet; nam Papa potestate iurisdictionis priuat schismaticos, auferens ab eis oẽm iurisdictionẽ in subditos. potestate vero ordinis seu cõsecrationis priuat eos quãtum ad executionem, hoc est; quod non debeant vti actibus ordinum suorum, tamen talis potestas ab homine auferri non potest, quia character qui imprimitur in ordinatione, quæ est ipsa talis potestas, est indelebilis. Vnde quantuncumque Sacerdos vel Episcopus consecret hostiam, vel conferat ordines, verè conficit, & veros ordines confert, (seruata tamen forma Ecclesiæ:) sed ad sui perniciem, & recipientium à talibus sacramenta si scienter facit, vt 1. quæs. 1. cap. quod quidam. Et in multis alijs cap. Dicuntur autem schismatici omnes resistentes Papæ, non quomodocumque modo; sed per spontaneam intentionem, ac manifestam rebellionem, & eius iudicialis sententiæ recusationem, non recognoscendo ipsum, vt caput Ecclesiæ. Sed si per alicuius commodi temporalis consecutionem, vel periculi euitationem resistat præceptis Papæ, & non obediat, talis, & si grauiter peccet; non tamen dicitur schismaticus, schisma enim importat diuisionem ab vnitate fidei, & charitatis Ecclesiæ.

De potestate Papæ in Christianos: & præcipuè Imperatores patet: quod Papa potest eligere Imperatorem: Augustinus de Ancona vbi supra sic probat. Imperator est minister Papę eo ipse quod est minister Dei cuius vices gerit. Vnde Apost. ad Ro. 13. dicit: quod non sine causa gladium portat, quia Dei minister est in iram ei qui malefacit. Deputauit enim Deus Imperatorẽ tãquam ministrũ summi Sacerdotis.

Papatus enim, secundum eund. aliquo modo fuit prius Imperio. Sed pro declaratione huius animaduersione dignum est, quod de dominio Regali, vel Imperiali, possumus loqui dupliciter. Primo modo, vt est vsurpatum, & tyrannicum. Secundo vt est naturale politicum.

Primum, scilicet, tyrannicum, permissum est in pœnã damnantium, & pœnam peccantium. Et hoc fuit ante Sacerdotium, nam secũdum Aug. 15. de ciu. cap. 1. primus regum terræ fuit

Cayn,

Cayn, qui prius condidit ciuitatem, in qua regnaret, vocans eam nomine filij, scilicet, Enoc. & sic omnes ex eo geniti vsurpatiuè dominium habuerũt. Et post diluuium, renouatum videtur istud dominium tyrannicum à Nembrot, de quo dicitur Genes. 10. quod cępit esse robustus, venator coram domino, idest, oppressor hominum permittente domino; sub quo ædificata est turris Babel, & linguæ confusæ. Secundum dominium naturale est, & politicum, scilicet, ad coercendum ipsum & pacem iustorum procurandam, & istud secutum est sacerdotium.

Incæpit enim sacerdotium in persona Melchisedech significantis Christum, & Summum Pontificem; Erat enim Sacerdos Dei summi: vt dicitur Genes. 14. & hunc tradunt Hebræi, fuisse Sem primogenitum Noè, & post eum, omnes primogeniti pro Sacerdotibus habebantur, vsque ad legem Mosaicam. Sub lege vero scripta magis expressum & solemnizatum fuit summum Sacerdotium vsque ad Christum in gente Hebræorum. Nam aliæ nationes idolatriæ deditos, habebant, & ipsæ suos sacerdotes maiores, & minores idolis sacrificãtes, ait Isid. distinct. 21. cap. 1. perfectionatum autem fuit in Christo, qui Põtifex factus futurorum bonorum per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Repræsentatum autem & delegatum in Petro Christi vicario. Exaltatum autem in sua vniuersali iurisdictione, manifestatũ in Siluestro Papa. Dominium autem temporale iusto titulo acquisitum initiũ habuisse videtur in Moyse Duce populi Israel, constituto à Deo, post quem sequuti sunt Iudices: vt patet in lib. Iudicum, per totum. Et deinde talis modus regendi mutatus est in regnum, seu regale sceptrum in Saul: vel potius in Dauid. Monarchia autem, idest, principale dominium mũdi, primo cœpit ab Assyrijs sub Nino rege Niniue: & ab Assyrijs translatum est ad Medos, & ad Persas sub Cyro & Dario: & de Medis & Persis, translatum est ad Græcos sub Alexandro Magno: & à Gręcis translatum est huiusmodi dominiũ ad Romanos sub Octauiano. Quod dominium demum subiugatum est & subditum Christo; vt habetur in uisione Danielis c. 2. signatum per lapideam statuam illam in puluere redigentem, & ostensum fuit Octauiano Imperatori per Sibillam, die qua natus est Rex regum, & Dominus dominantium.

Postmodum translatum est Imperium sub Constantino conuerso ad fidem, sub Romanis ad Gręcos, annuẽte Papa Siluestro, & exinde à Græcis ad Alemanos sub Carolo Magno disponente Papa Adriano, nam & ipse Carolus Magnus, Dominus erat Franciæ, & Alemaniæ: dicitur tamen Imperator etiam nunc, Romanorum Rex, propter dignitatem ratione deriuationis, quia inde deriuatum est Imperiũ, & ratione confirmationis, quia à Romano Pontif. habet confirmari, & ratione coronationis, quia Romæ debet communiter coronari.

Quod Papa sit maior Imperatore in dignitate, patet, non solum ex authoritate Ambrosij, quod non tam aurum est pretiosius plumbo, quam regia potestate sit Põtificalis authoritas, vt habetur dist. 96. cap. duo. Sed etiam per exempla Imperatorum Gentilium potest ostendi. Nam vt narrat Mag. in hist. schol. cum Alexander Imperator veniret in Iudæam, cum proposito exterminandi eam, ex visione quam habuit terribili obuiam Ioiadæ summo Sacerdoti ad eum venienti, induto Pontificalibus, de equo descendit, dignissimèque eum veneratus est, & adorauit, dicens principibus secum comitantibus se, non ipsum adorasse, sed Deum, cuius principatum, & vicem gerebat in terris.

Et

Et de Sibilla Tiburtina narratur ab historiographis, quod cum ostendisset Octauiano Imperatori, quem Romani uolebât Deum uocare circa solem circulum, & in medio eius virginem pulcherrimum puerum gestantem in gremio, & dixisset illum puerum maiorê eo, scilicet, Christum adorauit, & prohibuit se Deum uocari. Cum ergo Papa sit Vicarius Christi, patet dignitatem eius maiorem esse imperiali. Patet etiam hoc ex similitudine, quæ inducitur extra de maio. & obed. solite. vbi Papatus, seu Pontificalis dignitas assimilatur soli, & regalis potestas lunæ. Sol autem dicitur pater omnium planetarum, & Dominus; & sicut luna recipit lumen a sole, ita imperialis dignitas suam iurisdictionem a Papa. Insuper Imperator debet confirmari per Papã, & habetur extr. de elect. c. venerabilem, quod confirmatus, debeat per Papam inungi, & cõsecrari, & confirmari; patet extra de sac. vnc. c. cum venisset, & quod confirmatus, & inunctus debeat per Papam coronari; patet de elec. c. venerabilem. Nec obstat, quod Cõstantinus Imper. imposuit coronam Siluestro Papæ, quia hoc fecit, non sicut dominium, & Authoritatem præbens; sed sicut minister obsequens, cuius signũ fuit quod tenens equum eius, stratoris officium sibi exhibuit. Et in coronatione Imperator iuramentum præstat fidelitatis, ut patet dist. 63. tibi Domino. Si maior est Papa Imperatore, multo magis cæteris regibus, & principibus: & ideo potest illos excommunicare, & deponere.

Vltimo præest omnibus clericis, & religiosis, & cæteris omnibus, immo est de necessitate salutis subesse Romano Pontifici: ita D. Tho. in lib. de erroribus Græcorum, cap. 72. vbi sic ait: ostenditur etiam quod subesse Romano Pontif. sit de necessitate salutis. Dicit enim Cirillus in lib. Thesaurorum. Itaque fratres mei, si Christum imitamur, vt ipsius oues vocem audiamus manentes in Ecclesia sancti Petri Apostoli. Non influemur vẽto superbiæ, ne forte tortuosus serpẽs propter nostram contemptionem nos eijciat, vt Euam olim do Paradiso. Est autem hæreticum, dicere nõ esse obediendum statutis Papalibus, secundũ D. Tho. in lib. contra impugnan. religio. ut in decreta. dist. 22. Dicitur: omnis qui Romanæ Ecclesiæ priuilegiũ ab ipso summo Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, proculdubio in hæresim labitur, & infra. Fidem quippe violat, qui aduersus illã agit, quæ est fidei mater.

De primatu Petri. Cap. 57.

DE Papa Catholico loquitur Cõcil. Flor. sess. vlt. dicens: Sancta Apostolica sedes, & Romanos Pontifex in uniuersum orbem tenet Principatum: ipseque Pontifex Romanus successor est B. Petri principis Apostolorum, & verus Christus Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum pater, & Doctor: & ipse in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo, plena potestas tradita est. Quod autẽ Rom. Pontifex præfertur omnibus, probatur in cap. 3. 21. dist. duabus rationibus. Prima est, quia Christus dedit ei primatum, & authoritatem voce sua dicens: Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. Secunda est, quia Petrus, & Paulus vna die gloriosa morte in Vrbe Roma, sub Cęsare Nerone coronati, Romanam consecrarunt Ecclesiam; & eã alijs sui præsentia prætulerunt: sic enim Ecclesia consecratur sanguine alicuius, sicut aliquis baptizatur in sanguine suo, de consecr. dist. 4. Baptismi uicem. Et licet dicatur Romana Ecclesia prima, non habens maculam, neque rugam; tamen Ecclesia

clesia Antiochena præcessit istam. 24. quæ. 1. Rogamus. Dicitur autem prima, quia firmata sanguinem horum duorum Apostolorum. Et Cyrillus Episcopus Alexand. ait: Vt membra maneamus in capite nostro Apostolico Rom. Pontifice: a quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus: ipsum veneramur, ipsum rogantes præ omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, statuere, soluere, & ligare loco illius, qui ipsum ædificauit & nulli alij, quod suum est plene, sed ipsi dedit cui omnes iure diuino caput inclinant: & primates mundi tamquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt. Id enim expresse habemus ex Euangelio: nam soli Petro, & successoribus promisit Christus claues regni cælorum, hoc est, Ecclesiæ militantis primatum, dicens: Tu es Petrus, non Ioannes, non Andreas, & super hanc Petrum ædificabo, (loquitur de futuro) Ecclesiam meam, &c. Vnde Dominus comparans Petrum alijs, dixit: Simon Ioannis diligis me plus his? Respon. ei, etiam Domine tu scis, quia amo te: pasce agnos meos, idest, imperfectos, siue perficiendos. Dixit ei iterum, & tertio: Simon Ioannis diligis me? Resp. Petrus, Domine tu scis, quia amo te, dixit ei, pasce oues meas, per quas intelligit perfectos, prout erant inter cæteros ipsi Apostoli: (differentiam autem inter agnos & oues, potest vnusquisque ex se considerare.) Soli tamen Petro, & successoribus dedit illas, committendo eidem pasturam, & gubernationem nō solum agnorum, sed etiam ouium, ideo qui non est subiectus Petro, non est de ouili Christi.

Non obstat, quod B. Petrus esset ouis Christi, cum vltra hoc fuerit constitutus pastor omnium aliarum ouiū nec ei fuerit deputatus alius pastor particularis. Quod ipse B. Petrus exēplo declarauit in primo Concilio: vt patet Act. 15. vbi dicitur; conuenerūt Apostoli & seniores ad Petrum de circumcisionis obseruatione, & aliorum legalium: cumque magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: viri fratres vos scitis, quod ab antiquis diebus in nobis elegit per os meum, gentes audire verbum Euangelij, & credere, &c. vbi manifeste explicauit, & affirmauit ad se resolutionem; & fidei decisionem pertinere: & nihilominus cum Petrus dixisset, Deum elegisse Gentes audire verbum Euangelij per os suum & credere, non est ausus Paulus se illi æquare; nec eum reprehendere, prout fecit in illa simulatione Antiochię, quod vtique fecisset si Petrus verum non dixisset: sed ipse cum tota multitudine recognouit Petrum, & superiorem omnium. Vnde dicitur in textu. Tacuit omnis multitudo audita Petri resolutione, dicentis; Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Quam resolutionem B. Iacobus Episcopus Ierosolymitanus de licentia & authoritate Petri publicauit. Vnde eidem ait Dominus Luc. 22. Et tu aliquando cōuersus confirma fratres tuos, idest, Apostolos, quo ad potestatem, & soliditatem fidei.

Petrus ergo pro se & suis successoribus sumpsit authoritatem. Quare negantes primatum Petri sunt schismatici. Et licet Greg. prohibeat se vocari vniuersalem Episcopum, hoc facit secundum Tho. 2. 2. qu. 39. quia non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ, vt proprius, & specialis illius Ecclesiæ rector. Est igitur Papa caput totius Ecclesiæ, (vt ait Bernar. ad Eugenium) & paranymphus, & amicus secundum determinatum statum, vt videlicet, est viator. Omnes quoque reges, & principes sunt Summo Pontif. subiecti, vt inquit idem sanctus in tractatu de rege lib. 1. cap. 14. Ipse autem super omnes est, nisi se alicuius

iudicio

iudicio submittat, vt 2.qu.7.nos si. Et in causa hæresis 40. distin. Si Papa. vt diximus. Et cum submittit se confessori suo, tenetur ei parere: & ligabit eum sententia illius: & ad hoc ostendendum dat confessario duas claues aureas paruas, quas confessarius illi restituit post auditam confessionem, & proprius Sacerdos Papæ, est ille, quem ipse eligit in confessorem. Qui authoritate diuina habet potestatem non ab ipsomet Papa concessa: vt probat Nauar. cap. 27. num.60. & tenetur illi obedire & pænitentiam implere, etiam si præcipiat renunciare papatui. Bald. in cap. dilectus. collo. 2. de appell.

Potest etiam ratione naturali probari, (secundum Viguer.cap. 16.v.5.) Christum vnum dimisisse pastorem. Nam cum Christus sit sapientia Patris, necesse est dicere ipsum perfectiorem instituisse politiam in Ecclesia sua, quam fuerit aliqua politia humana. Sed euidenter constat politiam regalem, in qua præsidet vnus esse omnibus alijs perfectiorem, vt probat Philos. 12. Metaph. & nos ibidem. Et ideo negantes huiusmodi dignitatem Papæ quam Christus commendauit, & pro ea orauit, sunt hæretici. Patet etiam quod inter Episcopum, & Papam sunt alij gradus dignitatum, correspondentes gradibus vnionis diœcesum, prouinciarum, & regnorum secundum quos vna congregatio, vel communitas includit aliam, & communitas totius mundi includit communitatem omnium regnorum: & sic sunt Archiepiscopi, primates, Patriarchæ. Nec obstat quod in Sacerdotio leuitico erat tantum vnus Pontifex, hoc est, princeps Sacerdotum, scilicet, Aaron; quia ritus Iudæorum non erat diffusus in diuersis regnis, sed in vna gente tantum: & ideo non oportebat quod sub eo qui habebat potestatem principalem alij Pontifices distinguerentur.

Romanus ergo Pontifex succedit B. Petro in ea potestatis perfectione, & dignitate vicariatus Christi, qua ipse B. Petrus a Christo in Ecclesia est sublimatus, ait D. Thom. in tractatu contra errores Græcorum cap.69. Vnde canon Concil. Calcedon. concludit. si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatiss. Episcopum antiquæ Romæ: quoniam habemus Petrum petram refugij, & in ipso solo libera est potestas loco Dei, & eius discernendi Episcopi infamiam, secundum claues a Domino tibi datas: & ideo omnia deffinita ab eo teneantur tamquam a Vicario Apostolici throni tradita. Dicit Antiquæ Romæ, ad differentiam Constantinopolis quã Constantinus illuc sedem suam transferẽs & priuilegijs Vrbis Romanæ excellens nouam Romam voluit appellari.

Papa, licet ab hominum electione quis habeat quod sit Papa: tamen, postquam electus est, non ab hominibus; sed a Deo, habet plenam super totam Ecclesiam potestatem: & ideo non potest per quodcumque crimen deponi, nisi constet ex eodem iure diuino Ecclesiæ propter tale crimen Papa deponendum esse.

Hic notatione dignum est, secundum Glos. in Extrau. lib. 1.§.est autẽ hæc authoritas.(Vbi ostendit quomodo sit humana, & quomodo diuina, dicens.) quod hæc authoritas est humana, quia data est homini, & est humana, quia exercetur per hominem: tamen non est humana, quia sit data ab homine sed potius est potestas diuina, quia data est a Deo: nam de ore diuino Petro est data sibi, suisque successoribus. Est etiam hæc authoritas diuina, quia firmata in ipso Christo petra, quam Petrus confessus fuit dicente Domino ipsi Petro, Quodcumque ligaueris, &c. hæc ex textu. Vnde Glos. ibid. ait: quod hæc authoritas dupliciter est humana, & dupliciter

diuina: humana, quia exercetur per hominem: sed est diuina: quia est data a Christo, qui erat Deus, & est diuina, quia firmata est in petra firma in Christo, qui erat verus Deus. Notandum est etiam, quod omnia ista quatuor possunt haberi ex Euangelio: nam quod sit humana, quia data est homini habetur ex Euangelio, vbi dicitur: tibi dabo claues, &c. quod etiã sit humana, quia exercetur ab homine; patet ex Euangelio, dum dicitur. Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, &c. Quod sit diuina, quia data a Deo, patet ex Euãgelio, quia ipse Christus qui erat Deus loquebatur quando dixit. Tibi dabo. Et quod sit diuina, quia fundata in eo; patet ex Euangelio, quia ipse Christus, qui erat Deus, loquebatur quando dixit: Tibi dabo: Item, quod sit diuina, quia fundata in eo: patet etiam ex Euangelio, quia ipse Christus, qui erat Deus, loquebatur alibi, dicens; Super hanc petrã, idest, super meipsum, qui sum petra, & qui significor per petram, ædificabo Ecclesiam meã. Nota etiam quod licet omnes Apostoli piscatores essent, & æquales, quia piscati sunt omnes cum retibus, tamẽ Mat. 11. Dominus præcepit soli Petro vt cum hamo piscaretur: duplex est enim genus piscationis, scilicet, cum rete & hamo, vt 24. qu. 1. cap. 8. per hamum intellige iurisdictionem, ait Glos. ibidem, qua Petrus præfuit alijs: quia hamo, idest, ferro resecantur omnes putridę carnes. Et ideo solus Petrus piscatur hoc genere piscandi: ipse enim habet potestatem ligandi atque soluendi præ alijs. Per retẽ intelligitur inquisitio sapientiæ. De his clauibus dicitur dist. 20. cap. 1. arg. quod omnis Episcopus est par Apostolico quantum ad ordinem & rationem cõsecrationis. 24. qu. 1. loquitur. Petrus tamen fuit maior administratione vt 2. qu. 7. puto. potest enim aliquis esse minor in ordine, sed tamen maior in administratione, vt Archipresbyter maior est Archidiacono vt 25. distinc. perlectis.

Demum nota quod Papa cum scribit, ait, salutem & Apostolicam benedictionem. Et Cletus primus fuit qui vsus fuit his verbis anno Domini 81.

De Nonnullis Casibus ad Papæ potestatem, & electionem spectantibus. Cap. 58.

MVlta sunt quæ potest Papa cum habeat plenitudinem potestatis. Primò, potest derogare constitutionibus prædecessorum suorum, non obstante quod par in parem non habet imperium. ff. de arb. l. nam magistratus. Et est ratio: quia eadem persona censetur cum eo qui succedit, & nemo potest sibi hanc legem imponere, ne liceat sibi a prima voluntate discedere. ff. de leg. 3. Si quis. in princip. & Glos. in de sum. Trin. in exord. ff. resecatis.

Secundò potest canonizare aliquẽ, scilicet, approbando & manifestando alicuius hominis sanctitatem, & toti Ecclesiæ proponere, & eorum venerationem mandare, nam inter puros homines Papa est caput Ecclesiæ; tria autem sunt de canonizatione alicuius sancti. Primum, sanctitatis eius approbatio. Secundum, sanctitatis eius acceptæ a populo Christiano veneratio. Tertium, fide totius Ecclesiæ beneficia illius sancti poscentis confirmatio. Hęc enim tria pertinent solum ad Sũmum Pontificem. Et ideo in cap. 1. Extr. de reliquijs & veneratione sanctorum, prohibetur ne aliquis absque authoritate Rom. Ecclesiæ pro Sancto veneretur. Et licet Papa (vt particularis persona) possit errare: quia non est confirmatus, nec præseruatus ab errore: tamen vt Papa non potest errare: quia tunc pronunciat vt Summus Pontifex: & hoc facit quãdo obseruat ritum in Concilijs Apostolorũ,

& sanctorum patrum diffinitionibus obseruari solitum, nempè, quando vocat concilium seniorum, hoc est, Episcoporum, & instat instareque facit orationibus, & inuocat Spiritum sanctum, cuius assistentia, Ecclesiæ promissa est, immo & ipsemet Christus se talibus congregationibus affuturum pollicitus est, & non patietur ipsum errare. Et hoc fit fundamentum, vt patet ex prædictis Nec obstat illud Augu. dicentis. Multa corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciātur in inferno: quia nō loquitur de sanctis canonizatis, sed de Gentilibus.

Tertiò, potestas condendi Symbolum ad Summum Pōtificem spectat: quia ad eum pertinet toti communitati, siue Ecclesiæ in necessarijs prouidere. Ergo cum noua Symboli editio aliquando fit vtilis, & necessaria, nempè cum errores insurgunt, sequitur quod ad illum pertineat noua Symboli editio, & Sacræ Scripturæ interpretatio, ad quem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. Et pertinet ad illum eo modo quo Paulo ante dilucidauimus.

Hic potest quæri vtrum Papa possit nouos articulos fidei facere per suū decretum vel constitutiones: Respon. Archid. in Rosario dist. 15. in 1. cap. quod articulus fidei potest accipi dupliciter. Vno modo strictè pro his, qui continentur in Symbolo, quos oportet omnes fideles explicitè credere, & debent scire: de consec. dist. 4. ante. & sic Papa non potest facere, vel addere nouos articulos, sicut etiam nec noua sacramenta secūdum Thomam. Alio modo potest dici articulus fidei largius, Talis, scilicet, quod credere oporteat quod prius non oporteret: & sic comprehendit articulus, diffinitiones factas a Papa, vel concilijs super quæstionibus motis. Et sic Papa potest facere nouos articulos, quia potest declarare aliquid esse firmiter credendū, & oppositū esse hæreticū, quod prius non erat necessarium ita credere: vt factū est, & patet in ca. canones dist. 15.

Quartò, potest diem sanctificare, idest, declarare talem diem solemnizandum esse, Sicut & de sanctis. Item, est immediatus prælatus omnium fidelium, non obstante quod Episcopus & Sacerdos parochialis sint etiam immediati: quia bene inconuenit, secundum Thom. dist. 17. quod duo æqualiter super eamdem plebem constituantur: sed non quod vnus sit principalior, & alius minus principalis.

Item, Solus Papa habet plenitudinem potestatis, (quia plenariè vicem Christi gerit in tota Ecclesia secūdum eund.) dispensandi, in votis dispensabilibus. Alij autem participant de hac potestate, quantum eis concessum est, & præcipuè in votis, quæ communiter fiunt, vt habeant de facili homines ad quos recurrant. Vota maiora, & terræ sanctæ, reseruantur Papæ.

Vnde quæritur hic, vtrum possit dispensare in monacho habens votum solemne professionis: (nam de eo, qui est tantum in ordinibus sacris constitutus non est dubium) Respon. quod est quæstio inter doctores satis grauis. Alex. Alens. in 3. p. in materia de voto: & D. Thom. 2. 2. qu. 88. ar. 11. & D. Bonnau. & alij negant. Dicit enim D. Tho. quod licet possit Papa dispensare in voto continētię annexo ordini sacro, cū hoc ex statuto Ecclesiæ, non tantū in voto continētiæ annexo essentialiter statui religionis: per quam homo totaliter Dei seruitio mancipatur: vt habetur in cap. cum ad monasterium, de statu monac. vbi dicitur: nec æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis a Deo est annexa regulę monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licētiam indulgere. Ricar. Scot. Duran. & nonnulli alij dicunt quod possit.

possit. Pro qua dubitatione, sit ista cõclusio: quod quando Ecclesiæ vtilitati maximè conueniret, vt religiosus aliquis matrimonium contraheret, Roman. Pontifex tunc cum eo dispensare posset. Et hoc patet exemplo Cælestini 3. qui dispensauit cum Constantia sanctimoniali Regis Rogerij filia, vt cum Imperatore Henrico sexto cõtraheret. Exemplo alterius Pontificis qui (vt Palud. refert) dispensauit cum quodam monaco filio regis Aragoniæ Romiro nomine: propterea quod bonum particulare bono totius Ecclesiæ præferre, esset contra charitatem. Nã si toti Ecclesiæ conueniret, quæ Deo dicata sunt ad humanum vsum transferre; liceret. ex hoc infertur quod propter bonum peculiare tantum, dispensare non posset.

Sextò ad Papam spectat concedere indulgentias per totum orbem. Non potest tamen de plenitudine potestatis concedere indulgentias existentibus in peccato mortali. Et ratio est, quia indulgentia est applicatio passionis Christi ad satisfaciendum pro peccatis commissis, & passio Christi, non membris mortuis, sed amicis, & viuis, idest, in gratia existentibus, applicatur.

Septimò Summus Pontifex, quoniam ad eum vniuersalis Ecclesiæ cura pertinet, vbique prædicare potest 19. dist. can. in memoriam. Et de eadem plenitudinis potestate cuilibet potest prædicandi munus committere: de offic. deleg. cap. quoniam Apostolicam.

Octauò, nota quod duplex est potestas: nempè ciuilis & Spiritualis. Et hæ sunt distinctè, atq; habẽt diuersos fines: Etenim finis ciuilis potestatis est pax, & tranquillitas Reipublicæ: Finis verò spiritualis potestatis est super naturalis, nempè manuducere hominem ad perpetuam beatitudinem. Et hæc præstantior est ciuili potestate: quia finis ciuilis potestatis ad finẽ spiritualis potestatis ordinatur. Et finis præstantior est ijs, quæ ad finem referuntur.

Nonò secundum Thom. 2. 2. q. 87. ar. 4. Papæ exigenti, clerici omnes tenẽtur decimas soluere: quam veritatem deducit hoc modo, videlicet: quod in veteri lege primitiæ debebantur Sacerdotibus, decimæ autem leuitis: & quia sub Sacerdotibus leuitæ erant, Dominus mandauit, vt ipsi loco primitiarum soluerent Summo Sacerdoti decimam decimæ. Vnde nunc eadem ratione tenentur clerici Summo Pontifici decimam dare, si exigeret. Naturalis ratio etiam dictat, vt illi, qui habet curam vniuersalem, de communi multitudinis statu prouideatur, vt possit exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. Et licet non omnes, Pontifices etiam rita ordinatione sedentes in Apostolorum, cathedra, habeans Spiritum, quo sanctificati sint, & iusti: omnes tamen quandiu ab Ecclesia tolerantur, habent Spiritum sanctum, per eorum ministeria in Ecclesia remittentem peccata.

Amplius Papa tenet altiorem gradum, quam Moyses suo tempore tenuerit: quia Moyses vicem gerebat ipsius Dei solum super populum Hebræorum, Papa verò vicem gerit Dei super omnes homines, & potest absoluere, & ligare plenissimè ex potestate clauium, quæ apud eum totaliter est, quod non poterat facere Moyses. Et in hoc, etiam excedũt Sacerdotes nostri temporis, Sacerdotes veteris legis; & excedunt prophetas; quilibet namque Sacerdos simplex huius temporis, est perfectioris status, quantum ad hoc, quam Moyses qui erat eximius, & maximus prophetarum; Deuter. 34. & quam Aaron, qui erat Summus Sacerdos. Nam quilibet Sacerdos simplex subditum sibi confitentẽ a peccatis absoluere potest: quod non poterãt Moyses & Aaron nec quilibet Proph.

Item, ad Papam in nouo testamento, & ad Summum Sacerdotem & Iudices veteris testamenti pertinebat diffinire in omnibus in quibus lex nõ diffinierat. Vnde circa ea, quæ sunt iurisdictionis magis standum est Papæ, quam alicui viuenti: sed quantum ad determinationem veritatis, etiam in Sacra Scriptura, magis standum est dictis doctorum virorum, quam dictis Papæ: quia non est inconueniens quod aliquis sit insignitus maiori sciẽtia quam Papa: sed bene est inconueniens dari alicui maiorem authoritatem, & potestatem, quam Papæ: & licet Papa possit errare, vt homo, aliquid asserendo, non tamen sequitur quod ius erret.

Papa, non potest eligere successorẽ, vt notat Glos. in cap. Apostolica. §. his omnibus. 8. qu. 1. & sequitur Io. And. hic. & Archid. in cap. Si transitus. 79. dist. & tenetur hoc communiter per doctores. Et ratio est, quia effectus huiusmodi electionis, refertur ad tempus quo non est futurus Papa; l. cum tt. de iur. omn. iu. Item, quia hoc nec Moyses potuit. 8. q. 1. Moyses. Nec est dicendum quod Petrus elegit Clemẽtem, 8. qu. 1. cap. 1. quia & ad eius vmbram curabantur infirmi. De hoc dici consueuit 1. q. 1. Petrus. Electio ergo Sum. Pont. soli Deo reseruatur, licet electio a Cardinalibus fiat. vt ead. distinct. cap. vlt. Si dicatur quod facit constitutionem super electione, ergo multo magis hoc potest; dicitur quod hoc admittitur, quia prouidet futuris scandalis; & in casu, quo alius præter eum prouidere non potest. Posset tamen Papa dare potestatem alicui prẹlato eligendi sibi successorem, vt in c. petisti 7. q. 6. & tunc fit electio authoritate Papæ, & non propria.

Item, posset de successore cum Cardinalibus deliberare: sed non testari: nã aliud est deliberare & aliud est ex testamento quasi dignitatis suæ hæredem substituere, quod penitus prohibetur 39. dist. Si transitus Papæ.

Sed quid faciendum si essent duo Apostolici? Resp. ex c. 8. dist. 79. quod Bonifacius Papa rogauit Imperatorẽ Honorium vt conderet legem, qua doceretur quid faciendum esset, si duo Apostolici temerariẽ certantium eligantur: & tunc Honorius constituit quod neuter illorum duorum sit Papa: sed noua electione communi consensu tertius eligatur; si verò sint duo quod vnus tamen sit a pluribus electus quam alius, tunc ille ordinetur, nisi fuerit simoniacè electus. Glos. in cap. Si transitus 79. dist. cap. 10. Insuper Nicolaus Papa 2. constituit quod si quis pecunia, vel alio modo illicito vsurpet Sedem Apostolicam, non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur: & liceret Cardinalibus cum anathematizare, & laicorum auxilio cum repellere: & si electio successoris intra Vrbem fieri non potest, fiat extra: & electus plenam habeat potestatem disponendi res in vtilitatem Ecclesiæ, & faciendi omnia quasi esset inthronizatus. Ex eod. cap. si quis pecunia.

Amplius, Papa omnia potest præter quam in duobus casibus. Primus est, si agat in manifestum damnum, & decolorationẽ status Ecclesię vniuersalis: nam quantum ad hoc, nihil potest. 2. Cor. 13. Datá est nobis potestas in constructionẽ, & non in destructionem. Secundus casus, est, quando intẽtio Papæ se fundat super falsitatem: quia intentio ipsius se fundare debet supra veritatem; vt testatur Apostolus ibid. contra veritatem nihil possumus sed pro veritate. Omnes alij ministri Ecclesiæ sicut habent potestatem per leges Ecclesiasticas, ita habent iurisdictionem limitatam per illas.

De Summo autem Pontifice peccante, nullus iudicat, vt patet ex can. 18. Siluestri & Constantini dic. Nemo enim iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam

tiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Et subscripserunt 284. Episcopi, & 40. Diaconi, & duo sequentes Augustus Constantinus, & mater eius Helena, & fixit canonem hunc Siluester Episcopus in Vrbe Rom. & omnibus Episcopis aspersit & scripsit.

Actum in Traianas Thermas, tertio Kalen. Iulij, Domino Constantino Augusto tertio, & Prisco consule. Hoc etiam patet ex decretis Marcellini Papæ & Martyris multo ante, vbi existẽs in Concil. clara voce dixit: peccaui coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum, quoniam auarus me corrupit auro. Et subscripserũt in eius damnationem & damnauerunt eum extra ciuitatem, dicentes: quia ore suo condemnatus est, & ore suo anathematizatus, accepit Maranatha. Nemo enim vnquam iudicauit Pontificem, quoniam prima sedes non iudicabitur à quoquam. Et licet Xistus Papa, qui accusatus fuit à quodam Basso se expurgauit sponte, vt. 2. q. 5. mandastis, patet: tamen nõ tenebatur, nec ibi dat formam cæteris pontificibus se purgãdi si noluerint: quia Papa à nullo potest iudicari, 9. qu. 3. aliorum. præterquam in hæresi 40. dist. si Papa. Item, nec ab vniuersali Concilio. 17. dist. §. hinc etiam. Idem fecit, & statuit Leo 3. 2. qu. 5. auditum. Item, secundum Glos. in. 6. de renunc. tit. 7. lib. 1. cap. 1. §. insufficientem. nõ potest deponi nec propter insufficientiam: quia propter solam hæresim deponitur. Sed alij prælati propter insufficientiam bene deponuntur, & ecclesiastici & seculares. 18. qu. 2. si quis Abbas. 15. qu. 6. alius. & propter negligentiam. 81. dist in. dictum. Supra de hæret. excommunicamus. in fi. nam papatus à solo Deo est: & quæ à Deo sunt vel committuntur: ab inferiori tolli non possunt: est enim vicarius Dei: & cũ dicitur quod est vicarius Petri, vt 63. dist. ego Ludouicus. 1. qu. 1. non æquales. & quæst. 7. quoties. Est impropria locutio: vel exponitur, idest, gerit vicariam quam gessit Petrus: vicarius enim non dat vicariam. de offic. vica. Clericos.

Papa non incidit in canonem communicando cum excõmunicato, quia non ligatur a canone. Extra. de elec. innotuit. nec eo ipso illum absoluit, nisi communicaret ei hac intentione absoluendi. ff. de manumis. l. apud.

Papa habet potestatem de qualibet parte mundi monachos, vel clericos seculares, & regulares ad se vocare, & opportunitatibus exigentibus inuitare ad ordinem, vel dignitatem, vel officium aliquod. 9. quæst. 3. per principalem.

Papa cum portatur, portãtur etiam duo flabelli compositi de cauda pauonis, quæ pars est vltimum illius animalis, & pulchrius, nam pedes non eduntur, nec sunt vltima pars illius vt patet: quæ cauda multis oculis ornatur.

Expositio literalis siue materialis huius cærimoniæ, est; (saluo semper saniori iudicio,) quod hoc animal, siue aliqua penna huius animalis, significat optimũ finem: & verè optimum finem adeptus fuit, quicumque inuentus est dignus creari in Summum Põtificem. Sunt flabelli pleni oculis, ad ostendendum, quod talis qui assumptus est ad tantam dignitatẽ, dignus est, vt ab omnibus videatur, & admiretur. Et sicut color iste est perpetuus, non sicut color florum campi, qui hodie pulcher, & cras fænum efficitur: ita honor, & gloria Pontificis, æterna, & perpetua erit.

Moralis expositio. Oculi isti a parte dextera & sinistra, denotant quod æquali oculo diligat omnes filios, tam illos qui sunt in dextera prosperitatis, quam in sinistra aduersitatis. Nã pauperes si sunt virtuosi, ad dignitates sunt admittendi, sicut & diuites. Vel vtitur summus Pontifex illis flabellis,

vt

vt semper mens sua sit attenta in Deũ: ne muscæ venientes perdant suauitatem vnguenti. Vel sic. vtitur illa cauda talium animalium, quia est forma circulari, vt cęlum: plena oculis, quasi stellis; denotans & significans Pontificem, totum debere esse cælestem. Nã aliam vitam, & alios mores postulat ille status: & propter hoc mutatur nomen Pontificis: licet aliqui aiunt fieri propter aliquos, qui turpia nomina habuerunt. Nonnulli tamen dicunt de his flabellis, quod ideo fuit introductus talis vsus, quia cum quidam Pontifex sacra faceret, quædam musca ingressa est in ore Pontificis cum communicaret se, & statim mortuus est. Sed hæc ratio mihi videtur friuola: tum quia hoc periculum ad omnes Sacerdotes se extenderet: & ad cauendũ hoc inconueniens, necessarium esset vt vnusquisque sacerdos flabellis vteretur, dum sacra faceret ob tanti Sacramenti reuerẽtiam: tum etiam, quia in hyeme non reperiuntur muscæ, & tamen in Natiuitate Domini portantur huiusmodi flabelli coram ipso; & extra Ecclesiam, quando muscæ omnino nec videntur, nec inueniuntur propter aeris frigiditatem. Huius autem cærimoniæ, sicut & multarum aliarum significationem & expositionem minimè vidi: si cohęrebunt expositiones omnes Deo omnium expositionum authori, dabitur laus, qui gratiam tribuit vnicuique, illamque diuidens singulis prout vult.

De qualitatibus ordinandorum ad Sacerdotium vel Episcopatum.
Cap. 59.

HIs visis de omnibus, scilicet, ordinibus paulo supra narratis, videamus nunc, quæ habere debent, qui ordinandi sunt. Circa institutionem ergo ministrorum, nempè Sacerdotum & Episcoporum consideranda sunt hæc quatuor, videlicet separatio, electio, lotio, & vestitio.

Primò consideranda est separatio. Nam ministri Dei præcipiũtur ab alijs separari, scilicet, a non ministris, id est, specialiter ad ministerium diuini cultus præ alijs non deputatis. vt ait Tho. 1.2. & hoc est etiam quod dicitur Nume. 8. Tolle leuitas de medio filiorum Israel. Ex quo verbo sumuntur duæ conditiones ordinandorum. Prima est, quod ordinandus sit de medio, idest, de numero Ecclesiæ, scilicet, fidelis: quia nullus infidelis ordinari potest. Secunda conditio ordinandi est, quod sit Clericus; vnde dicitur Num. ibid. Tolle leuitas, qui soli erant deputati ad ministerium Dei. Et Numer. 4. Extraneus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.

Secundò, ex his sequitur secunda conditio, scilicet, quod nullus debet accedere qui non sit vocatus. Iuxta id Hebr. 5. Nec quisquam sumat tibi honorem; sed qui vocatur a Deo tanquã Aaron. Glos. Qui rectè eligitur, a Deo vocatur.

Circa autem electionẽ prælati, tria sunt consideranda, modi varietas, loci congruitas, & eligendi qualitas. Primo circa electionem prælati consideranda est modi varietas, nam diuersis temporibus facta est electio tribus modis, scilicet, per signa, per sortes & per voces. Primò, in lege veteri fiebat electio per signa: vt patet in Aaron, qui per virgæ signum fuit in Sacerdotem supremum electus. Nume. 17. Accipe ab eis virgas, &c. vbi ex præcepto Domini Moyses quatuordecim virgas assumpsit, vnam communem; & duodecim secundum numerum tribuum Israel, & aliam Aaron: & posuit eas in tabernaculo corã Domino. Et subditur, quod Moyses die sequenti inuenit germinasse virgam Aarõ in domo Leui, & fronduisse, & floruisse, & fructum, scilicet, amigdalas protulisse: quod fuit signum proprium electionis

Aaron

Aaron in summum Sacerdotem: in quo potestas & dignitas Sacerdotalis exprimitur, quæ debet esse arida ab omni honore terrenorum dessiccata, germinare per bonam intentionem frondem, prædicatione florere per bonæ famæ odorem, fructificare amigdalas per bonam operationem. Vel aliter. Per virgam, intelligitur Prælatus qui debet esse rectus, fructuosus, amarus, & dulcis. Primò debet esse rectus vt virga, ne sit acceptator personarum, ne improperetur sibi illud Malac. 2. Accepistis faciē in lege. Secundò, debet esse fructuosus in bona operatione: vnde Ierem. 17. dicitur de prælato bono. Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, ne aliunde designat facere fructum. Tertio debet esse vt nux amarus, scilicet, seuerus in corripiendo cōtumaces. 1. Cor. 4 Quid vultis in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? Quartò, debet esse dulcis alios consolando Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis.

Secundò, electio successit, & facta fuit p sortes, vt patet de Mathia Act. 1. & Luc. 1. dicitur quod Zacharias sorte exijt, vt incensum poneret. Tertiò, loco istarum successit, & facta est canonica electio: in qua nihil fraudis debet fieri, sicut vel in alijs. Hęc Vgo Cardin. in postilla super illo verbo, quem cumque elegerit ipse, &c.

Secundo, circa electionem prælati, consideranda est loci congruitas, vel testimonij firmitas; ita dicitur Leuit. 8. Congregabis, (scilicet, in electione Pontificis vel Secerdotis) omnem cætum ad ostium tabernaculi. Et subditur: congregataque omni multitudine ante fores, &c. ex quo verbo elicitur, quod in electione Pontificis assensus desideratur plebis. Sed forte dices, an in electione Pontificis, vel Sacerdotis requiratur præsentia populi ad consensum huius? Dicēdum quod olim in lege veteri electio, & consecratio Pontificum fiebat cum assensu populi fidelis. Ita dixit Dominus Moysi; Numer. 6. Applicabis Leuitas coram tabernaculo fæderis conuocata omni multitudine filiorum Israel. Cuius rationem assignat Herony. in Glos. ibid. dicens: Conuocatur synagoga, quia in ordinando Sacerdotē requiritur præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, doctior, sanctior, & virtute eminentior eligitur, idest, eligi debet, in Sacerdotem. Modo autem requiritur pręsentia populi, vt scilicet, electio non clam, vel in priuato fiat: ne si eligendus in aliquo defectuosus, vel vitiosus esset, contingeret sub silentio præteriri. Idem ait Vgo super Leuit. Congregata omni multitudine.

Tertiò, consideranda est eligendi qualitas. Nam in prælato, vel Sacerdote requiritur vitæ bonitas. Eligendo enim scienter pręlatum indignum: & promouens ad ordines indignum: & suscipiens ordines indignus: mortaliter peccat. Vbi nota tamen secūdum Thom. in 4. dist. 24. quod sanctitas, vel bonitas vitæ, requiritur in suscipientibus ordines de necessitate præcepti: non autem de necessitate Sacramenti: vnde si malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato mortali. Nam legitur Leuit. 21. homo de semine Aaron, qui habuerit, maculam, non offerat panes coram Domino. Nec accedat ad ministerium eius. Sed per maculam, vt dicit ibi. Glos. intelligitur ille, qui est aliquo peccato mortali irretitus: ergo ille qui est aliquo peccato mortali, vel vitio irretitus, nec eligi, nec promoueri ad ordines, nec vti suscepto ordine sine peccato mortali potest. B. Thom. exponens prædictam authoritatem, dicit: quod maculæ, vel defectus corporales, a quibus Sacerdotes debent esse immunes, signant diuersa vitia,

& pec-

Et de Sibilla Tiburtina narratur ab hi storiographis, quod cum ostendisset Octauiano Imperatori, quem Romani uolebãt Deum uocare circa solem circulum, & in medio eius virginem pulcherrimum puerum gestantem in gremio, & dixisset illum puerum maiorẽ eo, scilicet, Christum adorauit, & prohibuit se Deum uocari. Cum ergo Papa sit Vicarius Christi, patet dignitatem eius maiorem esse imperiali. Patet etiam hoc ex similitudine, quæ inducitur extra de maio. & obed. solite. vbi Papatus, seu Pontificalis dignitas assimilatur soli, & regalis potestas lunæ. Sol autem dicitur pater omnium planetarum, & Dominus, & sicut luna recipit lumen a sole, ita imperialis dignitas suam iurisdictionem a Papa. Insuper Imperator debet confirmari per Papã, & habetur extr. de elect. c. venerabilem, quod confirmatus, debeat per Papam inungi, & cõsecrari, & confirmari; patet extra de sac. vnc. c. cum venisset, & quod confirmatus, & inunctus debeat per Papam coronari; patet de elec. c. venerabilem. Nec obstat, quod Cõstantinus Imper. imposuit coronam Siluestro Papæ, quia hoc fecit, non sicut dominium, & Authoritatem præbens: sed sicut minister obsequens, cuius signũ fuit quod tenens equum eius, stratoris officium sibi exhibuit. Et in coronatione Imperator iuramentum præstat fidelitatis, ut patet dist. 63. tibi Domino. Si maior est Papa Imperatore, multo magis cæteris regibus, & principibus: & ideo potest illos excommunicare, & deponere.

Vltimo præest omnibus clericis, & religiosis, & cæteris omnibus, immo est de necessitate salutis subesse Romano Pontifici: ita D. Tho. in lib. de erroribus Græcorum, cap. 72. vbi sic ait: ostenditur etiam quod subesse Romano Pontif. sit de necessitate salutis. Dicit enim Cirillus in lib. Thesaurorum. Itaque fratres mei, si Christum imitamur, vt ipsius oues vocem audiamus manentes in Ecclesia sancti Petri Apostoli. Non influemur vẽto superbiæ, ne forte tortuosus serpẽs propter nostram contemptionem nos eijciat, vt Euam olim de Paradiso. Est autem hæreticum, dicere nõ esse obediendum statutis Papalibus, secundũ D. Tho. in lib. contra impugnan. religio. ut in decreta. dist. 22. Dicitur: omnis qui Romanæ Ecclesiæ priuilegiũ ab ipso summo Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, proculdubio in hæresim labitur, & infra. Fidem quippe violat, qui aduersus illã agit, quæ est fidei mater.

De primatu Petri. *Cap.* 57.

DE Papa Catholico loquitur Cõcil. Flor. sess. vlt. dicens: Sancta Apostolica sedes, & Romanos Pontifex in uniuersum orbem tenet Principatum: ipseque Pontifex Romanus successor est B. Petri principis Apostolorum, & verus Christus Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum pater, & Doctor: & ipse in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo, plena potestas tradita est. Quod autẽ Rom. Pontifex præfertur omnibus, probatur in cap. 3. 21. dist. duabus rationibus. Prima est, quia Christus dedit ei primatum, & authoritatem voce sua dicens: Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. Secunda est, quia Petrus, & Paulus vna die gloriosa morte in Vrbe Roma, sub Cęsare Nerone coronati, Romanam consecrarunt Ecclesiam; & eã alijs sui præsentia prætulerunt: sic enim Ecclesia consecratur sanguine alicuius, sicut aliquis baptizatur in sanguine suo, de consecr. dist. 4. Baptismi uicem. Et licet dicatur Romana Ecclesia prima, non habens maculam, neque rugam; tamen Ecclesia

clesia Antiochena præcessit istam. 24. quæ. 1. Rogamus. Dicitur autem prima, quia firmata sanguinem horum duorum Apostolorum. Et Cyrillus Episcopus Alexand. ait: Vt membra maneamus in capite nostro Apostolico Rom. Pontifice: a quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus: ipsum veneramur, ipsum rogantes præ omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, statuere, soluere, & ligare loco illius, qui ipsum ædificauit & nulli alij, quod suum est plene, sed ipsi dedit cui omnes iure diuino caput inclinant: & primates mundi tamquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt. Id enim expresse habemus ex Euangelio: nam soli Petro, & successoribus promisit Christus claues regni cælorum, hoc est, Ecclesiæ militantis primatum, dicens: Tu es Petrus, non Ioannes, non Andreas, & super hanc Petrum ædificabo, (loquitur de futuro) Ecclesiam meam, &c. Vnde Dominus comparans Petrum alijs, dixit: Simon Ioannis diligis me plus his? Respon. ei, etiam Domine tu scis, quia amo te: pasce agnos meos, idest, imperfectos, siue perficiendos. Dixit ei iterum, & tertio: Simon Ioannis diligis me? Resp. Petrus, Domine tu scis, quia amo te, dixit ei, pasce oues meas, per quas intelligit perfectos, prout erant inter cæteros ipsi Apostoli: (differentiam autem inter agnos & oues, potest vnusquisque ex se considerare.) Soli tamen Petro, & successoribus dedit illas, committendo eidem pasturam, & gubernationem nō solum agnorum, sed etiam ouium, ideo qui non est subiectus Petro, non est de ouili Christi.

Non obstat, quod B. Petrus esset ouis Christi, cum vltra hoc fuerit constitutus pastor omnium aliarum ouiū nec ei fuerit deputatus alius pastor particularis. Quod ipse B. Petrus exēplo declarauit in primo Concilio: vt patet Act. 15. vbi dicitur, conuenerūt Apostoli & seniores ad Petrum de circumcisionis obseruatione, & aliorum legalium: cumque magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: viri fratres vos scitis, quod ab antiquis diebus in nobis elegit per os meum, gentes audire verbum Euangelij, & credere, &c. vbi manifeste explicauit, & affirmauit ad se resolutionem; & fidei decisionem pertinere: & nihilominus cum Petrus dixisset, Deum elegisse Gentes audire verbum Euangelij per os suum & credere, non est ausus Paulus se illi æquare; nec eum reprehendere, prout fecit in illa simulatione Antiochię, quod vtique fecisset si Petrus verum non dixisset: sed ipse cum tota multitudine recognouit Petrum, & superiorem omnium. Vnde dicitur in textu, Tacuit omnis multitudo audita Petri resolutione, dicentis; Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Quam resolutionem B. Iacobus Episcopus Ierosolymitanus de licentia & authoritate Petri publicauit. Vnde eidem ait Dominus Luc. 22. Et tu aliquando cōuersus confirma fratres tuos, idest, Apostolos, quo ad potestatem, & soliditatem fidei.

Petrus ergo pro se & suis successoribus sumpsit authoritatem. Quare negantes primatum Petri sunt schismatici. Et licet Greg. prohibeat se vocari vniuersalem Episcopum, hoc facit secundum Tho. 2.2. qu. 39. quia non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ, vt proprius, & specialis illius Ecclesiæ rector. Est igitur Papa caput totius Ecclesiæ, (vt ait Bernar. ad Eugenium) & paranymphus, & amicus secundum determinatum statum, vt videlicet, est viator. Omnes quoque reges, & principes sunt Summo Pontif. subiecti, vt inquit idem sanctus in tractatu de rege lib. 1. cap. 14. Ipse autem super omnes est, nisi se alicuius

indicio

iudicio submittat, vt 2.qu.7.nos si. Et in causa hæresis 40. distin. Si Papa. vt diximus. Et cum submittit se confessori suo, tenetur ei parere: & ligabit eum sententia illius: & ad hoc ostendendum dat confessario duas claues aureas paruas, quas confessarius illi restituit post auditam confessionem, & proprius Sacerdos Papæ, est ille, quem ipse eligit in confessorem. Qui authoritate diuina habet potestatem non ab ipsomet Papa concessa: vt probat Nauar. cap. 27. num.60. & tenetur illi obedire & pænitentiam implere, etiam si præcipiat renunciare papatui. Bald. in cap. dilectus. collo. 2. de appell.

Potest etiam ratione naturali probari, (secundum Viguer.cap. 16.v.5.) Christum vnum dimisisse pastorem. Nam cum Christus sit sapientia Patris, necesse est dicere ipsum perfectiorem instituisse politiam in Ecclesia sua, quam fuerit aliqua politia humana. Sed euidenter constat politiam regalem, in qua præsidet vnus esse omnibus alijs perfectiorem, vt probat Philos. 12. Metaph. & nos ibidem. Et ideo negantes huiusmodi dignitatem Papæ quam Christus commendauit, & pro ea orauit, sunt hæretici. Patet etiam quod inter Episcopum, & Papam sunt alij gradus dignitatum, correspondentes gradibus vnionis diœcesum, prouinciarum, & regnorum secundum quos vna congregatio, vel communitas includit aliam, & communitas totius mundi includit communitatem omnium regnorum: & sic sunt Archiepiscopi, primates, Patriarchæ. Nec obstat quod in Sacerdotio leuitico erat tantum vnus Pontifex, hoc est, princeps Sacerdotum, scilicet, Aaron; quia ritus Iudæorum non erat diffusus in diuersis regnis, sed in vna gente tantum: & ideo non oportebat quod sub eo qui habebat potestatem principalem alij Pontifices distinguerentur.

Romanus ergo Pontifex succedit B. Petro in ea potestatis perfectione, & dignitate vicariatus Christi, qua ipse B. Petrus a Christo in Ecclesia est sublimatus, ait D. Thom. in tractatu contra errores Græcorum cap.69. Vnde canon Concil. Calcedon. concludit. si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatiss. Episcopum antiquæ Romæ: quoniam habemus Petrum petram refugij, & in ipso solo libera est potestas loco Dei, & eius discernendi Episcopi infamiam, secundum claues a Domino tibi datas: & ideo omnia deffinita ab eo teneantur tamquam a Vicario Apostolici throni tradita. Dicit Antiquæ Romæ, ad differentiam Constantinopolis quā Constantinus illuc sedem suam transferēs & priuilegijs Vrbis Romanæ excellens nouam Romam voluit appellari.

Papa, licet ab hominum electione quis habeat quod sit Papa: tamen, postquam electus est, non ab hominibus; sed a Deo, habet plenam super totam Ecclesiam potestatem: & ideo non potest per quodcumque crimen deponi, nisi constet ex eodem iure diuino Ecclesiæ propter tale crimen Papa deponendum esse.

Hic notatione dignum est, secundum Glos. in Extrau. lib. 1.§.est autē hæc authoritas.(Vbi ostendit quomodo sit humana, & quomodo diuina, dicens.)quod hæc authoritas est humana, quia data est homini, & est humana, quia exercetur per hominem: tamen non est humana, quia sit data ab homine sed potius est potestas diuina, quia data est a Deo: nam de ore diuino Petro est data sibi, suisque successoribus. Est etiam hæc authoritas diuina, quia firmata in ipso Christo petra, quam Petrus confessus fuit dicente Domino ipsi Petro, Quodcumque ligaueris, &c. hæc ex textu. Vnde, Glos. ibid. ait: quod hæc authoritas dupliciter est humana, & dupliciter

diuina:

diuina: humana, quia exercetur per hominem: sed est diuina: quia est data a Christo, qui erat Deus, & est diuina, quia firmata est in petra firma in Christo, qui erat verus Deus. Notandum est etiam, quod omnia ista quatuor possunt haberi ex Euangelio: nam quod sit humana, quia data est homini habetur ex Euangelio, vbi dicitur: tibi dabo claues, &c. quod etiã sit humana, quia exercetur ab homine; patet ex Euangelio, dum dicitur. Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, &c. Quod sit diuina, quia data a Deo, patet ex Euãgelio, quia ipse Christus qui erat Deus loquebatur quando dixit. Tibi dabo. Et quod sit diuina, quia fundata in eo; patet ex Euangelio, quia ipse Christus, qui erat Deus, loquebatur quando dixit: Tibi dabo: Item, quod sit diuina, quia fundata in eo: patet etiam ex Euangelio, quia ipse Christus, qui erat Deus, loquebatur alibi, dicens; Super hanc petrã, idest, super meipsum, qui sum petra, & qui significor per petram, ædificabo Ecclesiam meã. Nota etiam quod licet omnes Apostoli piscatores essent, & æquales, quia piscati sunt omnes cum retibus, tamẽ Mat. 11. Dominus præcepit soli Petro vt cum hamo piscaretur: duplex est enim genus piscationis, scilicet, cum rete & hamo, vt 24. qu. 1. cap. 8. per hamum intellige iurisdictionem, ait Glos. ibidem, qua Petrus prẹfuit alijs: quia hamo, idest, ferro resecantur omnes putridẹ carnes. Et ideo solus Petrus piscatur hoc genere piscandi: ipse enim habet potestatem ligandi atque soluendi præ alijs. Per retẽ intelligitur inquisitio sapientiæ. De his clauibus dicitur dist. 20. cap. 1. arg. quod omnis Episcopus est par Apostolico quantum ad ordinem & rationem cõsecrationis. 24. qu. 1. loquitur. Petrus tamen fuit maior administratione vt 2. qu. 7. puto. potest enim aliquis esse minor in ordine, sed tamen maior in administratione, vt Archipresbyter maior est Archidiacono vt 25. distinc. per lectis.

Demum nota quod Papa cum scribit, ait, salutem & Apostolicam benedictionem. Et Cletus primus fuit qui vsus fuit his verbis anno Domini 81.

De Nonnullis Casibus ad Papæ potestatem, & electionem spectantibus. Cap. 58.

MVlta sunt quæ potest Papa cum habeat plenitudinem potestatis. Primò, potest derogare constitutionibus prædecessorum suorum, non obstante quod par in parem non habet imperium. ff. de arb. l. nam magistratus. Et est ratio: quia eadem persona censetur cum eo qui succedit, & nemo potest sibi hanc legem imponere, ne liceat sibi a prima voluntate discedere. ff. de leg. 3. Si quis. in princip. & Glos. in de sum. Trin. in exord. ff. resecatis.

Secundò potest canonizare aliquẽ, scilicet, approbando & manifestando alicuius hominis sanctitatem; & toti Ecclesiæ proponere, & eorum venerationem mandare, nam inter puros homines Papa est caput Ecclesiæ; tria autem sunt de canonizatione alicuius sancti. Primum, sanctitatis eius approbatio. Secundum, sanctitatis eius accepta a populo Christiano veneratio. Tertium, fide totius Ecclesiæ beneficia illius sancti poscentis confirmatio. Hẹc enim tria pertinent solum ad Sũmum Pontificem. Et ideo in cap. 1. Extr. de reliquijs & veneratione sanctorum, prohibetur ne aliquis absque authoritate Rom. Ecclesiæ pro Sancto veneretur. Et licet Papa (vt particularis persona) possit errare: quia non est confirmatus, nec præseruatus ab errore: tamen vt Papa non potest errare: quia tunc pronunciat vt Summus Pontifex: & hoc facit quãdo obseruat ritum in Concilijs Apostolorũ,

& sanctorum patrum diffinitionibus obseruari solitum, nempè, quando vocat concilium seniorum, hoc est, Episcoporum, & instat instareque facit orationibus, & inuocat Spiritum sanctum, cuius assistentia, Ecclesiæ promissa est, immo & ipsemet Christus se talibus congregationibus affuturum pollicitus est, & non patietur ipsum errare. Et hoc sit fundamentum, vt patet ex prædictis Nec obstat illud Augu. dicentis. Multa corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciãtur in inferno: quia nó loquitur de sanctis canonizatis, sed de Gentilibus.

Tertiò, potestas condendi Symbolum ad Summum Pótificem spectat: quia ad eum pertinet toti communitati, siue Ecclesiæ in necessarijs prouidere. Ergo cum noua Symboli editio aliquando sit vtilis, & necessaria, nempè cum errores insurgunt, sequitur quod ad illum pertineat noua Symboli editio, & Sacræ Scripturæ interpretatio, ad quem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. Et pertinet ad illum eo modo quo Paulo ante dilucidauimus.

Hic potest quæri vtrum Papa possit nouos articulos fidei facere per suũ decretum vel constitutiones: Respon. Archid. in Rosario dist. 15. in 1. cap. quod articulus fidei potest accipi dupliciter. Vno modo strictè pro his, qui continentur in Symbolo, quos oportet omnes fideles explicitè credere, & debent scire: de consec. dist. 4. ante. & sic Papa non potest facere, vel addere nouos articulos, sicut etiam nec noua sacramenta secũdum Thomam. Alio modo potest dici articulus fidei largius, Talis, scilicet, quod credere oporteat quod prius non oporteret; & sic comprehendit articulos, diffinitiones factas a Papa, vel concilijs super quæstionibus motis. Et sic Papa potest facere nouos articulos, quia potest declarare aliquid esse firmiter credendũ, & oppositũ esse hæreticũ, quod prius non erat necessarium ita credere: vt factũ est, & patet in ca. canones dist. 15.

Quartò, potest diem sanctificare, idest, declarare talem diem solemnizandum esse, Sicut & de sanctis. Item, est immediatus prælatus omnium fidelium, non obstante quod Episcopus & Sacerdos parochialis sint etiam immediati: quia bene inconuenit, secundum Thom. dist. 17. quod duo æqualiter super eamdem plebem constituantur: sed non quod vnus sit principalior, & alius minus principalis.

Item, Solus Papa habet plenitudinem potestatis, (quia plenariè vicem Christi gerit in tota Ecclesia secũdum eund.) dispensandi, in votis dispensabilibus. Alij autem participant de hac potestate, quantum eis concessum est, & præcipuè in votis, quæ communiter fiunt, vt habeant de facili homines ad quos recurrant. Vota maiora, & terræ sanctæ, reseruantur Papæ.

Vnde quæritur hic, vtrum possit dispensare in monacho habens votum solemne professionis: (nam de eo, qui est tantum in ordinibus sacris constitutus non est dubium) Respon. quod est quæstio inter doctores satis grauis. Alex. Alens. in 3. p. in materia de voto: & D. Thom. 2. 2. qu. 88. ar. 11. & D. Bonnau. & alij negant. Dicit enim D. Tho. quod licet possit Papa dispensare in voto continẽtię annexo ordini sacro, cũ hoc ex statuto Ecclesiæ, non tantũ in voto continẽtiæ annexo essentialiter statui religionis: per quam homo totaliter Dei seruitio mancipatur: vt habetur in cap. cum ad monasterium, de statu monac. vbi dicitur: nec æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis a Deo est annexa regulę monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licẽtiam indulgere. Ricar. Scot. Duran. & nonnulli alij dicunt quod

possit.

possit. Pro qua dubitatione, sit ista cõclusio: quod quando Ecclesiæ vtilitati maximè conueniret, vt religiosus aliquis matrimonium contraheret, Roman. Pontifex tunc cum eo dispensare posset. Et hoc patet exemplo Cælestini 3. qui dispensauit cum Constantia sanctimoniali Regis Rogerij filia, vt cum Imperatore Henrico sexto cõtraheret. Exemplo alterius Pontificis qui (vt Palud. refert) dispensauit cum quodam monaco filio regis Aragoniæ Romiro nomine: propterea quod bonum particulare bono totius Ecclesiæ præferre, esset contra charitatem. Nã si toti Ecclesiæ conueniret, quæ Deo dicata sunt ad humanum vsum transferre; liceret. ex hoc infertur quod propter bonum peculiare tantum, dispensare non posset.

Sextò ad Papam spectat concedere indulgentias per totum orbem. Non potest tamen de plenitudine potestatis concedere indulgentias existentibus in peccato mortali. Et ratio est, quia indulgentia est applicatio passionis Christi ad satisfaciendum pro peccatis commissis, & passio Christi, non membris mortuis, sed amicis, & viuis, idest, in gratia existentibus, applicatur.

Septimò Summus Pontifex, quoniam ad eum vniuersalis Ecclesiæ cura pertinet, vbique prædicare potest 19. dist. can. in memoriam. Et de eadem plenitudinis potestate cuilibet potest prædicandi munus committere: de offic. deleg. cap. quoniam Apostolicam.

Octauò, nota quod duplex est potestas: nempè ciuilis & Spiritualis. Et hæ sunt distinctè, atq; habẽt diuersos fines: Etenim finis ciuilis potestatis est pax, & tranquillitas Reipublicæ: Finis verò spiritualis potestatis est super naturalis, nempè manuducere hominem ad perpetuam beatitudinem. Et hæc præstantior est ciuili potestate: quia finis ciuilis potestatis ad finẽ spiritualis potestatis ordinatur. Et finis præstantior est ijs, quæ ad finem referuntur.

Nonò secundum Thom. 2. 2. q. 87. ar. 4. Papæ exigenti, clerici omnes tenẽtur decimas soluere: quam veritatem deducit hoc modo, videlicet: quod in veteri lege primitiæ debebantur Sacerdotibus, decimæ autem leuitis: & quia sub Sacerdotibus leuitæ erant, Dominus mandauit, vt ipsi loco primitiarum soluerent Summo Sacerdoti decimam decimæ. Vnde nunc eadem ratione tenentur clerici Summo Pontifici decimam dare, si exigeret. Naturalis ratio etiam dictat, vt illi, qui habet curam vniuersalem, de communi multitudinis statu prouideatur, vt possit exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. Et licet non omnes, Pontifices etiam rita ordinatione sedentes in Apostolorum cathedra, habeans Spiritum, quo sanctificati sint, & iusti: omnes tamen quandiu ab Ecclesia tolerantur, habent Spiritum sanctum, per eorum ministeria in Ecclesia remittentem peccata.

Amplius Papa tenet altiorem gradum, quam Moyses suo tempore tenuerit: quia Moyses vicem gerebat ipsius Dei solum super populum Hebræorum, Papa verò vicem gerit Dei super omnes homines, & potest absoluere, & ligare plenissimè ex potestate clauium, quæ apud eum totaliter est, quod non poterat facere Moyses. Et in hoc, etiam excedũt Sacerdotes nostri temporis, Sacerdotes veteris legis; & excedunt prophetas; quilibet namque Sacerdos simplex huius temporis, est perfectioris status, quantum ad hoc, quam Moyses, qui erat eximius, & maximus prophetarum; Deuter. 34. & quam Aaron, qui erat Summus Sacerdos. Nam quilibet Sacerdos simplex subditum sibi confitentẽ a peccatis absoluere potest: quod non poterãt Moyses & Aaron nec quilibet Proph.

Item, ad Papam in nouo testamento, & ad Summum Sacerdotem & Iudices veteris testamenti pertinebat diffinire in omnibus in quibus lex nõ diffinierat. Vnde circa ea, quæ sunt iurisdictionis magis standum est Papæ, quam alicui viuenti: sed quantum ad determinationem veritatis, etiam in Sacra Scriptura, magis standum est dictis doctorum virorum, quam dictis Papæ: quia non est inconueniens quod aliquis sit insignitus maiori sciẽtia quam Papa: sed bene est inconueniens dari alicui maiorem authoritatem, & potestatem, quam Papæ: & licet Papa possit errare, vt homo, aliquid asserendo, non tamen sequitur quod ius erret.

Papa, non potest eligere successorẽ, vt notat Glos. in cap. Apostolica. §. his omnibus. 8. qu. 1. & sequitur Io. And. hic. & Archid. in cap. Si transitus. 79. dist. & tenetur hoc communiter per doctores. Et ratio est, quia effectus huius modi electionis, refertur ad tempus quo non est futurus Papa; l. cum it. de iur. omn. iu. Item, quia hoc nec Moyses potuit. 8. q. 1. Moyses. Nec est dicendum quod Petrus elegit Clemẽtem, 8. qu. 1. cap. 1. quia & ad eius vmbram curabantur infirmi. De hoc dici consueuit 1. q. 1. Petrus. Electio ergo Sum. Pont. soli Deo reseruatur, licet electio a Cardinalibus fiat, vt ead. distinct. cap. vlt. Si dicatur quod facit constitutionem super electione, ergo multo magis hoc potest; dicitur quod hoc admittitur, quia prouidet futuris scandalis, & in casu, quo alius præter eum prouidere non potest. Posset tamen Papa dare potestatem alicui prelato eligendi sibi successorem, vt in c. petisti 7. q. 6. & tunc fit electio authoritate Papæ, & non propria.

Item, posset de successore cum Cardinalibus deliberare: sed non testari: nã aliud est deliberare & aliud est ex testamento quasi dignitatis suæ hæredem substituere, quod pẽnitus prohibetur 79. dist. Si transitus Papæ.

Sed quid faciendum si essent duo Apostolici? Resp. ex c. 8. dist. 79. quod Bonifacius Papa rogauit Imperatorẽ Honorium vt conderet legem, qua decerneretur quid faciendum esset, si duo Apostolici temerariè certantium eligantur: & tunc Honorius constituit quod neuter illorum duorum sit Papa: sed noua electione communi consensu tertius eligatur; si verò sint duo quod vnus tamen sit a pluribus electus quam alius, tunc ille ordinetur, nisi fuerit simoniacè electus. Glos. in cap. Si transitus 79. dist. cap. 10. Insuper Nicolaus Papa 2. constituit quod si quis pecunia, vel alio modo illicito vsurpet Sedem Apostolicam, non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur: & liceret Cardinalibus cum anathematizare, & laicorum auxilio eum repellere: & si electio successoris intra Vrbem fieri non potest, fiat extra: & electus plenam habeat potestatem disponendi res in vtilitatem Ecclesiæ, & faciendi omnia quasi esset inthronizatus. Ex eod. cap. si quis pecunia.

Amplius, Papa omnia potest præter quam in duobus casibus. Primus est, si agat in manifestum damnum, & decolorationẽ status Ecclesię vniuersalis: nam quantum ad hoc, nihil potest. 2. Cor. 13. Datã est nobis potestas in constructionẽ, & non in destructionem. Secundus casus, est, quando intẽtio Papæ se fundat super falsitatem: quia intentio ipsius se fundare debet supra veritatem; vt testatur Apostolus ibid. contra veritatem nihil possumus sed pro veritate. Omnes alij ministri Ecclesiæ sicut habent potestatem per leges Ecclesiasticas, ita habent iurisdictionem limitatam per illas.

De Summo autem Pontifice peccante, nullus iudicat, vt patet ex can. 18. Siluestri & Constantini dic. Nemo enim iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam

tiam

tiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Et subscripserunt 284. Episcopi, & 40. Diaconi, & duo sequentes Augustus Constantinus, & mater eius Helena. & fixit canonem hunc Siluester Episcopus in Vrbe Rom. & omnibus Episcopis aspersit & scripsit.

Actum in Traianas Thermas, tertio Kalen. Iulij, Domino Constantino Augusto tertio, & Prisco consule. Hoc etiam patet ex decretis Marcellini Papæ & Martyris multo ante, vbi existẽs in Concil. clara voce dixit: peccaui coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum, quoniam auarus me corrupit auro. Et subscripserũt in eius damnationem & damnauerunt eum extra ciuitatem, dicentes. quia ore suo condemnatus est, & ore suo anathematizatus, accepit Maranatha. Nemo enim vnquam iudicauit Pontificem, quoniam prima sedes non iudicabitur à quoquam. Et licet Xistus Papa, qui accusatus fuit à quodam Basso se expurgauit sponte, vt. 2. q. 5. mandastis, patet: tamen nõ tenebatur, nec ibi dat formam cæteris pontificibus se purgãdi si noluerint: quia Papa à nullo potest iudicari, 9. qu. 3. aliorum. præterquam in hæresi 40. dist. si Papa. Item, nec ab vniuersali Concilio. 17. dist. §. hinc etiam. Idem fecit, & statuit Leo 3. 2. qu. 5. auditum. Item, secundum Glos. in. 6. de renunc. tit. 7. lib. 1. cap. 1. §. insufficientem. nõ potest deponi nec propter insufficientiam: quia propter solam hæresim deponitur. Sed alij prælati propter insufficientiam bene deponuntur, & ecclesiastici & seculares. 18. qu. 2. si quis Abbas. 15. qu. 6. alius. & propter negligentiam. 81. distin. dictum. Supra de hæret. excommunicamus. in fi. nam papatus à solo Deo est: & quæ à Deo sunt vel committuntur: ab inferiori tolli non possunt: est enim vicarius Dei: & cũ dicitur quod est vicarius Petri, vt 63. dist. ego Ludouicus. 1. qu. 1. non æquales. & quæs. 7. quoties. Est impropria locutio: vel exponitur, idest, gerit vicariam quam gessit Petrus: vicarius enim non dat vicariam. de offic. vica. Clericos.

Papa non incidit in canonem communicando cum excõmunicato, quia non ligatur a canone. Extra. de elec. innotuit. nec eo ipso illum absoluit, nisi communicaret ei hac intentione absoluendi. ff. de manumis. l. apud.

Papa habet potestatem de qualibet parte mundi monachos, vel clericos seculares, & regulares ad se vocare, & opportunitatibus exigentibus inuitare ad ordinem, vel dignitatem, vel officium aliquod. 9. quæst. 3. per principalem.

Papa cum portatur, portãtur etiam duo flabelli compositi de cauda pauonis, quæ pars est vltimum illius animalis, & pulchrius, nam pedes non cednuntur, nec sunt vltima pars illius vt patet: quæ cauda multis oculis ornatur.

Expositio literalis siue materialis huius cærimoniæ, est; (saluo semper saniori iudicio,) quod hoc animal, siue aliqua penna huius animalis, significat optimũ finem: & verè optimum finem adeptus fuit, quicumque inuentus est dignus creari in Summum Põtificem. Sunt flabelli pleni oculis, ad ostendendum, quod talis qui assumptus est ad tantam dignitatẽ, dignus est, vt ab omnibus videatur, & admiretur. Et sicut color iste est perpetuus, non sicut color florum campi, qui hodie pulcher, & cras fænum efficitur: ita honor, & gloria Pontificis, æterna, & perpetua erit.

Moralis expositio. Oculi isti a parte dextera & sinistra, denotant quod æquali oculo diligat omnes filios, tam illos qui sunt in dextera prosperitatis, quam in sinistra aduersitatis. Nã pauperes si sunt virtuosi, ad dignitates sunt admittendi, sicut & diuites. Vel vtitur summus Pontifex illis flabellis,

vt

vt semper mens sua sit attenta in Deũ: ne muscæ venientes perdant suauitatem vnguenti. Vel sic. vtitur illa cauda talium animalium, quia est forma circulari, vt cęlum: plena oculis, quasi stellis; denotans & significans Pontificem, totum debere esse cælestem. Nã aliam vitam, & alios mores postulat ille status: & propter hoc mutatur nomen Pontificis: licet aliqui aiunt fieri propter aliquos, qui turpia nomina habuerunt. Nonnulli tamen dicunt de his flabellis, quod ideo fuit introductus talis vsus, quia cum quidam Pontifex sacra faceret, quædam musca ingressa est in ore Pontificis cum communicaret se, & statim mortuus est. Sed hæc ratio mihi videtur friuola: tum quia hoc periculum ad omnes Sacerdotes se extenderet: & ad cauendũ hoc inconueniens, necessarium esset vt vnusquisque sacerdos flabellis vteretur, dum sacra faceret ob tanti Sacramenti reuerẽtiam: tum etiam, quia in hyeme non reperiuntur muscæ, & tamen in Natiuitate Domini portantur huiusmodi flabelli coram ipso; & extra Ecclesiam, quando muscæ omnino nec videntur, nec inueniuntur propter aeris frigiditatem. Huius autem cærimoniæ, sicut & multarum aliarum significationem & expositionem minimè vidi: si cohęrebunt expositiones omnes Deo omnium expositionum authori, dabitur laus, qui gratiam tribuit vnicuique, illamque diuidens singulis prout vult.

De qualitatibus ordinandorum ad Sacerdotium vel Episcopatum. Cap. 59.

HIs visis de omnibus, scilicet, ordinibus paulo supra narratis, videamus nunc, quæ habere debent, qui ordinandi sunt. Circa institutionem ergo ministrorum, nempè Sacerdotum & Episcoporum consideranda sunt hæc quatuor, videlicet separatio, electio, lotio, & vestitio.

Primò consideranda est separatio. Nam ministri Dei præcipiũtur ab alijs separari, scilicet, a non ministris, id est, specialiter ad ministerium diuini cultus præ alijs non deputatis. vt ait Tho. 1.2. & hoc est etiam quod dicitur Nume. 8. Tolle leuitas de medio filiorum Israel. Ex quo verbo sumuntur duæ conditiones ordinandorum. Prima est, quod ordinandus sit de medio, id est, de numero Ecclesiæ, scilicet, fidelis: quia nullus infidelis ordinari potest. Secunda conditio ordinandi est, quod sit Clericus; vnde dicitur Num. ibid. Tolle leuitas, qui soli erant deputati ad ministerium Dei. Et Numer. 4. Extraneus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.

Secundò, ex his sequitur secunda conditio, scilicet, quod nullus debet accedere qui non sit vocatus. Iuxta id Hebr. 5. Nec quisquam sumat tibi honorem; sed qui vocatur a Deo tanquã Aaron. Glos. Qui rectè eligitur, a Deo vocatur.

Circa autem electionẽ prælati, tria sunt consideranda, modi varietas, loci congruitas, & eligendi qualitas. Primo circa electionem prælati considerãda est modi varietas, nam diuersis temporibus facta est electio tribus modis, scilicet, per signa, per sortes & per voces. Primò, in lege veteri fiebat electio per signa: vt patet in Aaron, qui per virgæ signum fuit in Sacerdotem supremum electus. Nume. 17. Accipe ab eis virgas, &c. vbi ex præcepto Domini Moyses quatuordecim virgas assumpsit, vnam communem; & duodecim secundum numerum tribuum Israel, & aliam Aaron: & posuit eas in tabernaculo corã Domino. Et subditur, quod Moyses die sequenti inuenit germinasse virgam Aarõ in domo Leui, & fronduisse, & floruisse, & fructum, scilicet, amigdalas protulisse: quod fuit signum proprium electionis

Aaron

Aaron in summum Sacerdotem: in quo potestas & dignitas Sacerdotalis exprimitur, quæ debet esse arida ab omni honore terrenorum dessiccata, germinare per bonam intentionem frondem, prædicatione florere per bonæ famæ odorem, fructificare amigdalas per bonam operationem. Vel aliter. Per virgam, intelligitur Prælatus qui debet esse rectus, fructuosus, amatus, & dulcis. Primò debet esse rectus vt virga, ne sit acceptator personarum, ne improperetur sibi illud Malac. 2. Accepistis faciē in lege. Secundò, debet esse fructuosus in bona operatione: vnde Ierem. 17. dicitur de prælato bono. Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, ne aliunde designat facere fructum. Tertio debet esse vt nux amarus, scilicet, seuerus in corripiendo cōtumaces. 1. Cor. 4 Quid vultis in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? Quartò, debet esse dulcis alios consolando Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis.

Secundò, electio successit, & facta fuit p sortes, vt patet de Mathia Act. 1. & Luc. 1. dicitur quod Zacharias sorte exijt, vt incensum poneret. Tertiò, loco istarum successit, & facta est canonica electio: in qua nihil fraudis debet fieri, sicut vel in alijs. Hęc Vgo Cardin. in postilla super illo verbo, quem cumque elegerit ipse, &c.

Secundo, circa electionem prælati, consideranda est loci congruitas, vel testimonij firmitas; ita dicitur Leuit. 8. Congregabis, (scilicet, in electione Pontificis vel Secerdotis) omnem cætum ad ostium tabernaculi. Et subditur: congregataque omni multitudine ante fores, &c. ex quo verbo elicitur, quod in electione Pontificis assensus desideratur plebis. Sed forte dices, an in electione Pontificis, vel Sacerdotis requiratur præsentia populi ad consensum huius? Dicēdum quod olim in lege veteri electio, & consecratio Pontificum fiebat cum assensu populi fidelis. Ita dixit Dominus Moysi; Numer. 6. Applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis conuocata omni multitudine filiorum Israel. Cuius rationem assignat Herony. in Glos. ibid. dicens: Conuocatur synagoga, quia in ordinando Sacerdotē requiritur præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, doctior, sanctior, & virtute eminentior eligitur, idest, eligi debet, in Sacerdotem. Modo autem requiritur pręsentia populi, vt scilicet, electio non clam, vel in priuato fiat: ne si eligendus in aliquo defectuosus, vel vitiosus esset, contingeret sub silentio præteriri. Idem ait Vgo super Leuit. Congregata omni multitudine.

Tertiò, consideranda est eligendi qualitas. Nam in prælato, vel Sacerdote requiritur vitæ bonitas. Eligendo enim scienter prelatum indignum: & promouens ad ordines indignum: & suscipiens ordines indignus: mortaliter peccat. Vbi nota tamen secūdum Thom. in 4. dist. 24. quod sanctitas, vel bonitas vitæ, requiritur in suscipientibus ordines de necessitate præcepti: non autem de necessitate Sacramenti: vnde si malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato mortali. Nam legitur Leuit. 21. homo de semine Aaron, qui habuerit, maculam, non offerat panes coram Domino. Nec accedat ad ministerium eius. Sed per maculam, vt dicit ibi. Glos. intelligitur ille, qui est aliquo peccato mortali irretitus: ergo ille qui est aliquo peccato mortali, vel vitio irretitus, nec eligi, nec promoueri ad ordines, nec vti suscepto ordine sine peccato mortali potest. B. Thom. exponens prædictam authoritatem, dicit: quod maculæ, vel defectus corporales, a quibus Sacerdotes debent esse immunes, signant diuersa vitia, & pec-

& peccata, quibus Sacerdotes carere debent. Prohibetur enim esse cæcus, idest, ne sit ignorans. Ne sit claudus, idest, instabilis, & ad diuersa se inclinans; ne sit paruo, vel grandi, vel torto naso: idest, per defectum discretionis, vt in plus, vel in minus excedat, vel etiam aliqua praua exerceat; per nasum enim discretio signatur: quia est discretiuus odoris. Ne sit fracto pede, vel manu, idest, ne amittat virtutem tantum operandi, vel procedendi in virtute. Repudiatur si est gibbus ante vel retro, per quem significatur superfluus amor terrenorum. Si est lippus, idest, per carnalem affectum eius ingenium obscuratur; contingit enim lippitudo ex fluxu humoris. Repudiatur etiam si habeat iugem scabiem, idest, petulantiam carnis, & si habeat impetiginem, quæ sine dolore corpus occupat, & membrorum decorem fœdat, per quam auaritia designatur. Hæc Thom. 2. 2. quæst. 102. art. 5. sed vide huiusmodi vitijs & defectibus; vide. 49. distin. hinc etenim; per totum. Quare ex his sequitur, quod oportet Sacerdotem promouendum esse decorum, & sine macula: quod ad tria reduci potest, scilicet, decorus in scientia, in fama, & in vita.

Primò in scientia triplici æternorum, scilicet, quæ est lumen contemplationis, & donis sapientiæ; scripturarum, quæ est per donum intellectus; & prudentiæ conseruandi se in medio prauæ, & peruersæ nationis, quæ est donum scientiæ.

Contra hæc tria, ponitur triplex macula. Primò enim contra lumen æternorum, ponitur cæcitas oculorum, seu in oculo, quæ priuat visum; vt dicitur Leuit. 21. Si cæcus. nam Sacerdos dicitur esse cæcus per ignorantiam Isa. 42. Quis cæcus nisi seruus meus? & ibid. 56. speculatores eius cæci omnes, est enim Sacerdos oculus Christi, & Ecclesiæ: cantic. 5. oculi tui columbarũ. Christum ergo, & Ecclesiam excæcãt, qui ibi ponunt cæcum, vbi videns ponendus est. Secundò, contra secundũ donum, scilicet, contra intellectum scripturarum ponitur claudicatio in pede: vnde dicitur, si claudus in pede, idest, in fide: claudus enim nequit rectè incedere: sic qui in fide claudicat, idest, dubitat: nequit rectè intelligere. 3. Reg. 18. vsquequo claudicatis in duas partes? Vel, claudus est affectus Sacerdotis absque notitia scripturarum: eo quod nequit rectè agere quãtum ad officium Sacerdotis: quod in doctrina, & in discretione iudicij debet esse. Vnde Bernar. Deridendus est speculator cæcus, præcursor claudus, pastor esuriens. Tertiò, contra prudentiam conuersandi, quæ est per donum scientiæ, ponitur macula, vel defectus nasi: nam per nasum, qui est discretiuus odoris, discretio designatur. Contra discretionẽ autem quam nasus significat, ponitur triplex macula. Vna est prauitas quæ est simplex fatuitas. Secunda magnitudo, quæ est præsumptio, vel curiositas; Tertia est turpitudo praui iudicij.

Secundò oportet Sacerdotem esse decorum, & sine macula in fama, cõtra quam ponitur fractura pedis, vel manus; per quæ duo designatur defectus cõtemplationis, & actionis; nam per fractus nequit incedere rectè; manus fracta nequit operari. Et ideo dicit; Si fracto pede vel manu per bonæ voluntatis & operationis deformationem; quod est quando non complet prælatus quod docet; contra quos Isa. 35. confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.

Tertiò, oportet Sacerdotem esse decorum in vita, & quo ad actus intrinsecos cordis, & quo ad actus extrinsecos operis. Primò, quo ad actus intrinsecos cordis, vt habeat appetitus ordinatos; contra quod opponitur triplex macula, scilicet, triplicis concupiscentiæ. Prima est concupiscentia oculorum, quę inflectit hominem, & incur-

uat ad terrena. Ideo dicit, si gibbus. Gibbosus est, qui nescit respicere cęlestia, sed semper terrena. Secunda concupiscentia, est carnis quemadmodum fluxus vitiosi humoris, qui oculum mentis vitiat: ideo contra hanc dicit: si lippus: nam lippus est, (ait Isid.) cuius pupillæ sanæ sunt, sed oculi noxio humore defluunt: & ideo talis, debiliter videt: per quem intelligũtur, quia mala bene sciunt facere, sed bona malè. Ierem. 4. Sapientes sunt, vt faciant mala; bona autem facere nesciũt. Tertia autem concupiscentia, est superbia vitæ, seu vanitatis, quæ est in animo sicut albugo in oculo: & contra hanc dicit, si albuginem habens. Albugo enim est tela in oculo. Spiritualiter albuginem habet, qui se credit videre lumen Christianitatis, sed arrogantia elongatur. De quibus dicitur, Ioan. 9. In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videãt, & qui vident cæci fiant. Et Rom. 1. Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Secundo oportet esse Sacerdotem decorum & sine macula quantum ad actus extrinsecos operis: & hoc tripliciter. Primò, vt non appareat feruor luxuriæ; & propter hunc, dicit: si iugem scabiem habeat. Nam secundum Glos. ibid. scabies prouenit ex feruore viscerum, qui ad cutem trahitur, & prouenit. Secundò, vt non appareat deturpatio auaritiæ, quæ dicitur impetigo: & cõtra hãc dicitur: nec impetiginem habens in corpore. Vt enim dicit Isid. in libr. Etymol. Impetigo est sicca scabies, quæ sine dolore corpus occupat, & membrorum decorem fędat; ex flegmate salso proueniens, & significat auaritiam. Tertiò, vt non appareat tumor superbiæ: & contra hanc, dicit: nec herniosus: hernia enim est morbus ex descensu viscerum in vesicam ex inflatione testiculorũ proueniens: vnde herniosus, idẽ est quod ruptus, habens intestina in regione virilium: & significat superbiam, cuius tumor ex inflatione humorum procedit. Hæc habet Hugo Cardin. in postil. Leuit. 21.

Tertiò quod erat principaliter considerandum circa institutionem ministrorum, erat lotio, siue aspersio. Vbi notatione est dignum, quod ordinandi, siue promouendi in Sacerdotes in lege veteri, debebant prius aspergi, radi, & ablui.

Primò, debebant aspergi, & purificari: ita dicitur Num. 8. loquutus est Dominus Moysi, dicens: Tolle Leuitas de medio filiorum Israel; & purificabis eos iuxta hunc ritum: aspergantur aqua lustrationis, idest, purgationis: lustrare enim idem est quod purgare; vnde dicitur lustrum spatium quinque annorum; quia Romani Vrbem suam lustrauerant, purgantes eã in spatio quinque annorum. Mundatio enim ab irregularitate, lustratio vocatur: vt enim habetur Numer. 19. quod erat ibi aqua lustrationis, quæ fiebat de cineribus vitulæ rufæ, ad expiandas, vel purgandas *immunditias*, ex quibus homo contrahebat irregularitatem. Vbi nota, quod *in lege vet.* erant quædã irregularitates indespensabiles, vt habetur Leuit. 21. & quædam dispensabiles; à quibus aspersus aqua expiationis, vel purgationis mũdabatur, vt patet ibidem. *Sic* etiam in lege noua sunt quædam *irregularitates* indispensabiles, & quædam dispensabiles. Et dispensatio in dispensabilibus vocatur aqua lustrationis, & expiationis.

Secundò in lege vet. ordinandi in *Sacerdotes* prius debebant radi. Ita subditur. Num. 8. Radant omnes pilos carnis suæ. Super quo verbo Gregor. in Glos. interlin. & colla sic ait; pili carnis sunt quælibet superfluæ humanæ carnis, vel vitæ veteris cogitationes. oportet ergo Leuitas omnes pilos carnis radere; quia qui in Dei obsequijs assumitur, a cunctis carnis cogitationibus mundus debet apparere;

ne illicitas, & superfluas cogitationes mens proferat; & pulchram animi speciem, quasi pilis fructificantibus deformem reddat. Et subdit; pili præcipiuntur radi, non euelli, vt dicit Glos. quia rasis pilis in carne radices manent, & crescunt, & iterũ rescindũtur; ergo magno studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed funditus amputari non possunt nec extirpari; quia semper remanet fomes, ex quo habent nasci; & propter hoc etiã monaci se radunt, & nonnulli alij religiosi. Et subdit; Omnes pilos, quia omnes cogitationes immundæ radendæ sunt; non medietas tantum vt nonnulli faciunt, quod turpe est; de qua turpitudine habetur. 2. Reg. 10. vbi dicitur; quod Rex Amon tulit seruos Dauid, & rasit dimidietatem barbæ ipsorum. Ex quibus verbis manifestũ est quod non solum intendit excludere ab ordinandis superfluitatem temporalium exteriorum, sed etiam cogitationum.

Tertiò, ordinandi in Sacerdotes, primo debent lauari: ita subditur; Numer. 8. cumque lauerint vestimenta sua, & mundati fuerint, tollẽt bouem de armento quod verbum Glo. interlin. exponens; loquendo de mũditia, quæ exigitur in ordinandis, sic ait; Cũ lauerint, idest, mundauerint vestimẽta sua, id est opera sua, vt in conspectu Dei sit conuersatio eorum munda, & coram hominibus irrepræhensibilis. Tollat bouem, idest, corpus dominicum de armento, idest, de progenie patriarcharum, & Prophetarum. Et iterum Num. 19. lauabit vestimenta sua, & corpus. Glos. interlin. idest, exteriora opera, & mentem interiorem. Nam lotio vestimentorũ, & corporis, mundatio est exterior, & interior. Ex præmissis igitur patet, quod in Sacerdotibus ordinandis requiritur munditia mentis & corporis à peccato, saltem à mortali; & quod dicitur de Sacerdotibus, idem est iudicium de Episcopis.

De Vestimentis Sacerdotalibus veteris testamenti. Cap. 60.

CVm inter cætera latriæ opera, quæ homines ad Deum habent, potissimum est sacrificare, quia magis attestatur deitatem, cum talis cultus soli deitati debeatur, & consequenter alia genera ministrationum, quæ fiebant in sanctuario; ut igitur istę ministrationes in magna haberentur reuerentia, uoluit Deus ministros eorũ ualdè distingui ab alijs in apparatus excellẽtia; nam si in uestibus communibus, & sine aliquo alio apparatu, ministrationes istæ fierent, uilipenderentur; cum autem Sacerdotes uestibus prætiosis fulgent, saltem ipse ministrorum ornatus, ministerium eorum reuerendum esse facit. Et propter hoc Deus uoluit esse distinctionem inter Sacerdotes & alios populares, quantum ad quædã; uetans populares eiusdem rebus uti, quibus Sacerdotes uterentur, ut patet de unguento facto ad ungendum omnia tabernaculi uasa, & uestes Aaron, & filiorum eius, & ipsum Aaron cum filijs.

Postquã ergo prę dicti abluti erant, uestiebantur & ornabantur quibusdam specialibus uestimentis pertinentibus ad ipsorum dignitatẽ designandam. Ratio autem quare ministri legis ueteris prætiosioribus uestimentis utebantur, est duplex .s. literalis, & figuralis. Prima est literalis. Intentio enim ueteris legis erat inducere ad reuerentiam diuini cultus, & hoc dupliciter. Vno modo excludendo à cultu diuino omne illud quod poterat esse contemptibile. Alio modo, apponendo illud, quod poterat esse honorabile. Et ideo, si fuit institutum, ut tabernaculum, & uasa, & animalia offerenda, sine macula essent, multo magis in ministris diuinis erat hoc obseruandum; unde ad hoc quod in maiori reuerentia haberentur, institutum fuit

in le-

in lege vt ex certa prosapia secundum successionem generis assumerētur, & quod vestimenta specialia eis adhiberentur. Secundò, excludendo omne illud, quod erat contemptibile. Præcipit enim Deus fieri Sacerdotibus gloriosa vestimenta, ne qui fuerant in Ægypto & viderant Sacerdotes Apis, & aliorum Idolorum fulgere pretiosis vestibus, ministerium suum contemnerent, & a cultu veri Dei resilirent.

Secunda ratio horum vestimentorum est figuralis, & spiritualis; quia ornatus vestimentorum exteriorum in ministris, significat ornatum interiorem morum, & virtutum, quem ministri haberent. Et sicut a Sacerdotibus Idolorum habebantur & distinguebantur vestimenta secundum diuersitatem Idolorum; ita in lege veteri erat præceptum vt ministri haberent diuersa vestimenta propter varietatem virtutum. Debent enim ministri Dei diuersis ornari virtutibus sicut vestimentis. Et quia quidam sunt in maiori dignitate constituti, vt Pontifices; ideo pluribus vestimentis vtuntur, vt etiam pluribus virtutibus decorentur.

Item, quod etiam inter Sacerdotē magnum & Sacerdotes minores, esset differentia in vestibus, ratio hæc erat; quia Sacerdos magnus assumebatur ad maiorem, & solemniorem ministrationem: minores vero Sacerdotes, ad minores ministrationes: ideo decebat maiorem Sacerdotem pretiosioribus vestibus adornari. Quod vero istæ vestes sic aptarentur, vt iā dicetur, scilicet, quod illæ quæ minus pręciosæ erant infra ponerentur, quæ autem pulchriores erant, cæteris superiacerent, causa erat quæ superius allata est, scilicet, ornatus ministrorum: non enim esset decens ornatus, prætiosiores vestes latere, & simpliciores superponi: hinc est quod Ecclesiæ Sacerdos non statim induit casulam, nec Subdiaconus tunicellam, nec Diaconus Dalmaticam, sed prius albam: & propter hoc etiam monachi & fratres mendicantes acumen amicti super ponunt alijs vestimentis, vt etiam Ecclesia Romana olim, & quidem meis temporibus, faciebat: ac Sacerdotibus seruiui, & sub Gregorio XIII. desijt iste vsus.

Hic igitur primo notatione dignū est, quod quædam ornamenta deputabantur summo Pontifici; quædā verò maioribus Sacerdotibus, quædam verò minoribus, quædam verò erant specialia vestimenta, quædam verò communia omnibus.

Secundò, notādum etiam est, quod Sacerdotes minores vet. testamenti solis candidis vestimentis vti licebat, hoc nihil aliud erat & significabat, quam eos, qui minores in ministratione diuinorum sunt, ad hoc solum obligari, vt puritatem in omnibus suis actionibus insectentur: maior autem Sacerdos ex conditione officij sui ad maiorem obligabatur perfectionem. Non solum mundus esse debebat, sed etiam cælestibus contemplationibus inseruire tenebatur: & ideo merito totus cādidus, et totus hyacintinus erat.

Hinc est quod in Ecclesia qui non sunt insigniti sacris, sed tantum minoribus ordinibus, solum super pelliceo, & non alijs prætiosioribus vestimentis seu ornamentis vtuntur: vt sciant se prius ad puritatem acquirēdam teneri, vt deinde ad maiores gradus & virtutes admitti possint. Nam hi ad continentiam tenentur, sed non ex voto, vt Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes. Ideo propter hoc Sacerdotes minores vet. legis in capite mitram lineam albam habebant; & in toto corpore tunicam lineam: ita vt Sacerdos magnus totus hyacintinus videretur: Sacerdotes autē minores, totaliter cādidi. Et in hoc conuenientissima ratio est, quia candor vestis significat puritatem morum, quia nullus color ita

purus ac sincerus est, vt iste, & in eo macula non est. Ille ergo totus candidus est, qui in tota vita sua compositus est, ita vt ex nulla parte macula vitiorum subappareat: tales oportet esse Sacerdotes: iuxta illud Isa. 52. Mũdamini, qui fertis vasa Domini. Et iste candor in capite est, & in toto corpore, quia ex capite cogitationes sunt. Debent autem cogitationes nostræ esse castæ, & totum corpus nostrum lucidum iuxta Saluatoris sententiam. Nam cum in cæteris secundum animam peccetur, in hoc autem secundum corpus peccatur: quia vt ait Apostol. 1. Cor. 6. Qui fornicatur in corpus suum peccat, quia anima eius totaliter carni ĩ illo actu subijcitur, ita quod non possit aliud cogitare ait D. Tho. ibid. in commen. Vnde Sacerdotes in vet. testamẽto quãdo ministrare debebant, non solum arcebantur ab illicito coitu adulterino, vel alteriusmodi, a quo omni tempore cauendum erat. Sed etiam a coitu illicito, qui erat cũ vxore, & ab hoc tempore quo ministrare debebant, manebant in templo non euntes ad domos suos, vt non haberent occasionem accedendi ad vxores. Expleto autem tempore ministrationis redibant in domos suas, & poterãt licitè commisceri vxoribus suis. Item, non poterant panem propositionis comedere eo tempore quo vtebantur vxoribus: vt colligitur ex 1. Reg. 21. Sacerdos autem magnus, quia totus cælestis esse debebat: ideo totus hyacinthinus erat, tam in capite, quã in reliquo corpore (vt diximus,) quia hyacinthus color, est cælestis. In capite autem, quia omnes cogitatiões suæ de rebus cælestibus esse debent, ita vt totum desiderium sit in bona æterna. In corpore autem, quia in omnibus operationibus, totaque vitæ habitudine siue complexione, apparere debebat, quod solam vitam æternam desiderabat, & inter cæteros quasi quoddam exemplar vitæ cælestis atque futuræ beatitudinis sit: ita vt possit dicere cum Apost. Colos. 2. Cupio dissolui & esse cum Christo. Et licet Sacerdos magnus totus hyacinthinus sit, non tamẽ tollitur quin candidus quoque sit: est enim candidus eodem candore quo & Sacerdotes minores: nam lineam tunicam & byssinam mitrã habet. Ex hoc enim sumptũ est quod Cardinales omnes in capella habent mitram lineam, & Papa sericam siue alterius materiæ compositam propter eandem rationem, quia est in maiori gradu constitutus: licet albam omnes tam Papa quam Cardinales habeant. Intellige tam de ratione literali, quã mystica. s. quia in maiori est dignitate constitutus: & quia maioribus virtutibus debet esse insignitus.

Primò autem dicendum quod Pontifex in speciali octo habebat ornamẽta, scilicet, vestem lineam, tunicam hyacintinam, in cuius extremitate versus pedes ponebantur tintinabula quædam, & mala punica facta ex hiacynto, & purpura, & cocco bistincto: vt audiretur sonus cum Pontifex ingrederetur sanctuarium ne fortè moreretur. Tertiò, habebat superhumerale, quod ornamentum tegebat humeros, & anteriorem partem vsque ad cingulum quod erat ex auro, & hyacinto, & bysso retorta, & super humeros habebat duos onicinos, in quibus erant scripta nomina filiorum Israel. Quartum erat Rationale ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & coniungebatur superhumerali. Et in hoc Rationali erant 12. lapides pretiosi distincti, per quatuor ordines; in quibus erant sculpta nõia filiorum Israel, quasi ad signandum quod ferret onus totius populi, per hoc quod habebat nomina eorum in humeris; & quod iugiter debebat de eorum salute cogitare, per hoc quod portabat nomina eorum in pectore. In quo rationali erat doctrina & veritas secundum

nostram

nostram trãslationem. In Hebræo habetur: Vrim & tumim: & in idem redit. Vrim enim pertinet ad doctrinã. Tumim significat integritatem, quod pertinet ad veritatem, scilicet, quod integret verba sua. Secundum Iosephum ista doctrina & veritas siue Vrim & Tumim erat quidam fulgor procedens de lapidibus Rationalis, qui designabat Deum placatum, & responsum prosperum: & quod sic compleretur in effectu sicut a Pontifice petebatur. Dicit etiam Iosephus quod iste splendor cessauit per 200. annos antequam scriberet librum antiquitatum quem scripsit Titi & Vespesiani tẽpore. Rab. Sal. ait: Quod Vrim & Tumim, siue doctrina, & veritas, erat nomen Domini Tetragrammaton positum in Rationali sub lapidibus: virtute cuius manifestabatur veritas de interrogatis ipsi Sacerdoti quãdo cõsulebat Dominũ. Quintũ ornamentum fuit Baltheus, idest, cingulum quoddam factum ex prędictis coloribus. Sextum, erat thiara, idest, mitra quædam de bysso. Septimum erat lamina aurea pendens in fronte eius, in qua erat nomen Domini. Octauum autem erant fæmoralia linea: vt operirent carnem turpitudinis, quando accederet ad sanctuarium vel altare. Ratio figuralis vel moralis, siue spiritualis horum ornamẽtorum est, quia varietas vestimentorum designat varietatem virtutum, quibus oportebat Pontificem esse munitum.

Primò enim fæmoralia significabãt continentium: figurans quod Sacerdos mundatis operibus & affectibus lachrymis pænitentiæ, debet assumere continentiam, vt offerat hostiam immaculatam, sanctam, Deo placentem: noster autem Pontifex, qui iugẽ debet habere continentiam nõ induit fæmoralia; sed sandalia; ac si dicatur: qui lotus est, non indiget nisi vt pedes idest, affectus lauet. Etenim in veteri lege Sacerdos hoc ordine induebatur, lotis prius manibus & pedibus, induebat manastasim, idest, fæmoralia.

Secundò tunica byssina, siue linea, quæ multis tonsionibus peruenit ad candorem propter mortificationem carnis significat munditiam exteriorem: siue innocentiam, denotãs quod Sacerdos debet induere innocẽtiam: vt quod sibi non vult fieri, alij ne faciat.

Tertiò baltheus .i. cingulum, qui stringit ventrem, significat abstinentiam, vel castitatem, qua circa lumbos debet accingi vt restringat concupiscentiam. Vnde Saluator ait: Luc. 12. sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.

Quartò tunica hyacinthina, quę est exterior, & aerei coloris, designat conuersationem cælicam: significans quod Pontifex debet induere perseuerantiam: qui preseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Mat. 9. per talũ enim propter extremitatem perseuerantia designatur, secundum illud Genes. 3. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. Dependebant ante pro fimbrijs mala granata cum tintinabulis aureis. Per malagranatum intelligitur operatio: per tintinabulum prædicatio, quæ duo debent in Sacerdote coniungi, ne sine illis ingrediens sanctuarium moriatur. Cæpit enim Iesus facere, & docere Act. 1. Sacerdotibus relinquens exemplũ vt sequãtur vestigia eius 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, vt sit honestas in conuersatione: nec inuentus est dolus in ore eius, vt sit veritas in prædicatione.

Quinto cingulum, quo tunica stringitur, designat conuersationis modestiam. Sextò, superhumerale designat mandatorum obedientiam: vel significat quod Pontifex debet induere patientiam; vt in patientia sua possideat animam suam: humeris enim supportamus, secundum illud Genes. 49. supponit humerum suum ad portandum,

randum, factusq; est tributis seruiẽs. Habebat autem duas oras, idest, extremitates coniunctas in vtroque latere, significans, quod Pontifex debet habere arma iustitiæ a dextris, & a sinistris, vt non erigatur prosperis, nec deprimatur aduersis. Habebat & duos lapides onychinos insertos humeris, in quibus erant sculpta nomina filiorum Israel, sex in vno, & sex in altero. Per duos onychinos, significatur veritas, & sinceritas. Veritas per claritatem, sinceritas per soliditatem. Per filios Israel, significantur sancta desideria, & sancta opera: secundum illud Deuter. 7. Maledictus homo qui non reliquerit semen in Israel. Per senarium significatur perfectio, pro eo quod Deus sexto die protecit cælum, & terram, & omnem ornatum eorũ. Quod autem sex nomina filiorum Israel sculpta erant in vno lapide, & sex in altero: significabant quod desideria Sacerdotis, & opera perfici debẽt, non in fermento malitiæ & nequitiæ; sed in azimis sinceritatis & veritatis; vt sinceritas formet intentionem, & veritas finem.

Habebat & duas catenulas auri purissimi, sibi inuicem cohærentes, quæ duobus inserebantur oncinis. Significans quod Pontifex, debet habere duos charitatis affectus, ad Deum, scilicet, & ad proximum: de quibus præcipitur. Deuter. 6. & Mat. 12. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsũ. Sicut enim aurum præeminet vniuersis metallis, ita charitas excedit super vniuersas virtutes: de qua 1. Cor. 13. dicitur: Horum maior est charitas.

Habebat & duos oncinos: duo oncini sunt intentio & finis, quibus catenulæ inseruntur, vt tam Deum quã proximum diligat: Deum propter seipsum, & proximum propter Deum: ex puro corde & conscientia bona, & fide non ficta.

Septimò, rationale designat diuinã scientiam: induebatur Pontifex legion, siue Rationale, significans quod debet habere discretionem per quam discernat inter lucem & tenebras, inter dextram & sinistram: quia nõ est conuentio lucis ad tenebras, neque Christi ad Belial. Erat autem rationale quadrangulum, significans quod Pontifex debet discernere inter quatuor. Inter verum & falsum, ne deuiet in credendis: & inter bonum & malum, ne deuiet in agendis. Erat & duplex, quia debet discernere pro duobus, pro se, videlicet, & pro populo: ne si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadant.

Habebat & quatuor ordines lapidum, significans quod Pontifex debet habere quatuor principales virtutes, iustitiam, fortitudinem, prudentiam, & temperantiam. In singulis ordinibus habebat tres lapides, significans quod Pontifex in primo debet habere fidem, spem, & charitatem. In secundo modestiam, mansuetudinem & benignitatem. In tertio pacem, misericordiam, & largitatem. In quarto, vigilantiam, sollicitudinem, & longanimitatẽ. Per lapides enim figurantur virtutes, iuxta illud 1. Cor. 3. Alius superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, &c.

Octauò verò thiara, idest, mitra, quæ designat intentionem bonæ voluntatis. Supremum itaque capitis ornamentum erat cydaris vel thyaris, seu mitra, quam vltimo Pontifex assumebat, significans humilitatem de qua Dominus ait Luc. 18. omnis, qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur. Hanc autem gestabat in capite, significans quod Pontifex debet gerere humilitatem in mente, exemplo Capitis nostri dicentis. Mat. 11. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Per caput enim mẽs intelligitur, secundum illud ibid. Vnge caput tuum & faciem tuam laua.

Nonò

Nonò lamina aurea, cui nomen Dei inscribitur memoria seu iugis meditatio Dei figurabatur. Lista autem de cydari dependebat a fronte, significans etiam sapientiam, qua præcellere debet Pontifex, secundum illud Canti. 5. caput eius aurum optimum. In qua quidem lamina erat scriptum nomen Domini Thetagrammaton, idest, quatuor literarum. Hæ, Ioth, Het, Vau, idest, principium passionis vitæ istæ: ac si diceretur apertius: ille cuius Pontifex iste gerit personam, scilicet, Christus, est principium, idest, author vitæ passionis, idest, vitæ restauratæ per passionem, quia mortem nostram moriendo destruxit & vitam resurgendo reparauit.

Erant autem hæc indumenta pro maiori parte contexta opere polymito idest, vario, propter varietatem virtutum. De qua dicit Psal. 44. Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato circumdata varietate. Contexta vero erant de quatuor pretiosis coloribus: purpura, cocco, bysso, & hyacinto. Per purpuram regiæ dignitatis, significatur pontificalis potestas, quæ via regia debet incedere, ne declinet ad dexteram, vel deuiet ad sinistram: ne liget dignos, aut soluat indignos. Per coccum coloris ignei, qui & bis tinctus fuisse narratur, significatur pontificalis doctrina, quæ sicut ignis lucere debet, & vrere. Lucere debet, per promissionem, vt: omnis qui reliquerit domum aut patrem & matrem, &c. centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Vrere debet per commutationem, vt: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum exeidetur & in ignem mittetur. Per byssum candoris eximij, significatur præclaritas famæ, quæ debet esse retorta, vt Pontifex habeat bonum testimonium, secundum Apost. & ab his, qui sunt intus, & ab his, qui sunt foris. Per hyacinthum coloris aerei significatur serenitas conscientiæ, quam intra se Pontifex debet habere secundum quod dicit. Apost. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Hæc ex Innoc. 3. lib. 1. de sac. altar. mysterio.

Ex his autem ornamentis minores Sacerdotes habebant quatuor, scilicet, tunicam lineam, femoralia, baltheum, & thiaram. Ratio autem horum figuralis, siue spiritualis, est, quia omnibus ministris quatuor sunt necessaria. Primò, castitas, quæ per fæmoralia designatur. Secundò, vitæ puritas, vel munditia, quæ per tunicam lineam designatur. Tertiò, moderatio discretionis, quæ per cingulum designatur. Quartò, rectitudo intentionis, quæ per thiaram designatur, quasi mitram protegentem caput. Sed præ his Pontifices debent habere quatuor. Primò iugem Dei memoriam in contemplatione, quam significat lamina aurea habens nomen Dei in frõte. Secundò, tolerantiam vel sufferentiam infirmitatis populi; quod significat superhumerale. Tertiò, beneuolentiam erga populũ, quod signatur per rationale, scilicet, quod habeant populum in corde, & in visceribus per similitudinem charitatis. Quartò, cõuersationem cælestem per perfectionis opera. Quod significatur per tunicam hyacintinam: vnde & tunicę hyacintinæ adiunguntur in extremitate tintinabula aurea, per quæ significatur doctrina diuinorum, quam oportet coniungi cęlesti conuersationi Põtificis. Adiunguntur etiam mala punica, per quę significatur veritas fidei, & concordia in omnibus operibus, & moribus: nam sicut tunica debet esse eius doctrina; vt, scilicet, per eam, fidei & pacis vnitas, non rũpatur. Hæc Thom. 1. 2. qu. 102. art. 5.

Pro his dictis notandum est, quod prædictas vestes, & præcipuè fęmoralia, mitram superhumerale, Rationale, laminam auream, palium: nobilius, dignius, & perfectius habent ministri nouæ legis quam veteris: quod

sit patet, de omnibus. Primò enim licet in lege fuerint fæmoralia, modo non debent esse. Causa huius est, quia Sacerdotibus vet. legis indicebatur continentia illo tãtum tempore, quod ad suum ministerium accedebant. Et ideo in signum castitatis tunc seruandæ, in sacrificiorum oblatione, fęmoralibus vtebantur. Sed ministris nouæ legis indicitur perpetua continentia: & ideo non est simile. De his omnibus dicetur in sequ. capit. postremo consecrabantur: & primò, lauabantur. Secundò, induebantur. Tertiò, vnctionis oleo vngebantur. Quartò, ad diuersa officia applicabantur.

De vestibus ministrorum noui testamenti. Cap. 61.

His omnibus visis, & peractis, quoniam de consecratione Sacerdotum, & Pontificum supradictũ est; nũc dicendum restat de vestibus, noui testamenti sigillatim: & primo in communi, deinde in particulari. Sicut secundum literam mutatis vestibus ad altare aggredimur, ita secundũ spiritum hoc agere debemus. Igitur si non ingredimur in sancta sanctorũ cum vestibus communis vitæ vsu pollutis, sed cum mundis; sic cum conscientia munda ingredi oportet. de cõsec. dist. 1. cap. 1. vnde Stephanus PP. de consec. dist. 1. cap. vestimenta. Statuit sacris vestibus non nisi in Ecclesiasticis & Deo dignis officijs vti. Ideo Ezec. 34. dicitur: Nõ sanctificabant populum in vestibus suis, ergo in quotidiano vsu non est sacris vestibus vtendum. Habet autem religio diuina aliũ habitum in Ecclesiasticis officijs, aliũ in communi vsu: vt cuncto populo Christiano præbeat bonæ conuersationis exemplum: quatenus loti prius sordes, noui homines fiant Christo. Ad Colos. 3. Nam Sacerdos tunc exuit veterem hominem cum actibus suis: & induit nouum qui secundum Deũ creatus est. Per vestes enim quibus in sacris vtimur tantum, intelligimus noua sacramenta fore populo reuelanda 43. dist. in mãdatis. §. fi. 11. q. 3. nolite.

Ornamenta ministrorum designãt idoneitatem, quæ in eis requiritur ad tractanda diuina. Et quoniam ornatus exteriorum vestimentorum in ministris significat ornatum interiorem morum, vel virtutem, quam ministri habere debent: Et quia maior perfectio virtutum requiritur in prælatis, quam in alijs; ideo maior adhibetur ornatus vestium, quam alijs. Sunt .n. in triplici gradu ornamenta, scilicet, suprema, media, & infima: prima, Episcopis, secunda, Sacerdotibus, tertia, clericis conueniunt.

Sacræ vestes videntur a veteri lege assumptæ. Præcepit enim Dominus Moysi, vt faceret Aaroni Sacerdoti, & filijs eius, vestes sanctas, in gloriam & decorem, vt loti & sacris induti vestibus fungerentur officio in sacris. Exod. 21. & 31. Scilicet. Pontificalia, Pontificibus, Sacerdotalia, Sacerdotibus, & Leuitica, leuitis suis. Eadem ratio literalis est de nostris Sacerdotibus in Ecclesia Christiana: vt sacris vestibus ornati, appareant venerabiles toti populo: atque vt inde habeant bonę conuersationis exemplar: sicque a reliquo populo discreti, ordinatè, & inoffensè valeãt sacris mysterijs deuotius intendere.

Quædam tamen ab Apostolis sumuntur: sed tam illę quam istæ vestes, designant mysterium incarnationis Christi. Ornamenta autem siue sacræ vestes vt B. Hierony. ait: rationabiliter sunt ab Ecclesia institutæ, pro viris Ecclesiasticis in templo Dei, differentes a vestibus prophanis quas portat homo extra officia diuina (hoc dicit, quia suo tẽpore vestes prolixę fortè apud clericos tũc nõ portabantur vt sit hodie etiã in Galia) quatenus ex mutatione vestium corporis, immutetur animus Sacerdotis secundum affectus

suos

suos ad deuotius meditandum mysteria diuina quæ pertractat: vnde pulchriores reddunt etiam Sacerdotem deuotiorem: econtra fit si erunt immundæ, & laceratæ. Depositio siquidem sæcularium vestium, significat in Sacerdote expoliandum esse veterem hominem cum actibus suis: & econtra indutio nouarum sacrarumque vestium denotat reformationem hominis in sanctitate & iustitia, vt etiam supra tactum est.

Vestimenta autem sunt hæc. Superpelliceum, pluuiale, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta, tunica, Dalmatica, chirotecæ, annulus, sudarium, pallium, mitra, & baculus: de his omnibus separatim dicendum est: sed prius de præparatione Sacerdotis, nonnulla dicenda sunt, vt sciant in hoc, quomodo se habere debeant antequam induant talia ornamenta.

De præparatione Sacerdotis. Cap. 62.

SVnt autem orationes quæ missam antecedere debent in duplici differentia. Quædam repræsentant Christi passionem: quædam dicuntur ad cælebrantis purificationem, seu præparationem, vel deuotionem. Primæ sunt horæ canonicæ. Secundæ sunt quidam Psalmi, & orationes quæ præparamenta dicimus. De præcepto Missalis reformati est, vt saltem matutinum sit recitatum; alioquin qui nondum matutinis dictis celebrat peccat mortaliter secundum Biel. lect. 13. adderem tamen nisi causa rationabilis excusaret. Allegat ad hoc, (scilicet, quod peccat mort.) Guil. & Hostien. & est ratio, quia facit cōtra generalem & approbatam Ecclesiæ consuetudinem. dist. 11. in his rebus. vbi dicitur. Sicut præuaricatores diuinarum legū, ita contemptores Ecclesiasticarum cōsuetudinum coercendi sunt.

Vnde notatione hic dignum est, quod antequam se præparet cum his ornamentis ante missam siue antequā induat se: oportet vt faciat id, quod cærimoniale nouum mandat. Prius lauat manus propter reuerentiam tāti sacramenti; quatenus ad illud pertractandum mundissimus accedat. Deinde Pōtifex recitat quosdam psalmos ex institutione Cęlestini primi: & sunt quinque, vt quicquid deliquit quinque sensibus; oratione quinque Psalmorum detergat. Quædam enim continentur in his psalmis quæ rectè conueniunt cælebraturis altaris mysterium, & Eucharistię sacramentum. In primò Psalmo illud, scilicet, Concupiuit & deficit anima mea in atria Domini. Altaria tua Domine, &c. Domine Deus virtutum exaudi orationē meam, &c. In secundo. Conuerte nos Deus salutaris noster, &c. Nunquid in æternum irasceris nobis. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, &c. In tertio Auribus percipe Domine orationem meam, &c. Omnes gentes quascumque fecisti veniēt & adorabunt coram te Domine, &c. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, &c. In quarto. Calicem salutaris accipiam, &c. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiā laudis, &c. Vota mea Domine reddā in conspectu omnis populi eius, in atrijs domus Domini, &c. In quinto. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Sustinuit anima mea in verbo eius, &c. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Sumpsit autem exordiū a Christo hoc, scilicet, quod Sacerdos prius oret ante sacrificium Missæ: ipse enim prius quam sacrificaret seipsum in ara crucis orauit in horto Getsemani, & positis genibus orabat Luc. 22. & Mat. 26.

Orationes pertinent ad munditiam corporis, & animæ. Idem faciat Sacerdos, vt docet Missale rit. 1. vt prius confessionem faciat, si opus est. Nam

dicitur Isa. 52. Mundamini qui fertis vasa Domini. Accipiat deinde Missale, missam perquirat, & prælegat; reperiuntur enim aliquando errores. Dum accipit Missale potest dicere illud Psal. 49. Sacrificium laudis, idest, Eucharistiæ, ait Lyra, honorificabit me, & placabit: & illic, idest, in tali sacrificio laudis, est iter; quia hoc sacrificium est via ad Deum: & ostendã illi, sacrificanti missam, salutare Dei, idest, Saluatorem Christum in sacramento, &c. Vel. Dicitur sacrificiũ laudis, eoquod de se est bonum, & laudabile: & acceptabile ex opere operato apud patrem vt ait Iacobus de Valentia super Psal. 21. Deinde lauet manus dicendo: da Domine virtutẽ manibus meis, &c. Vel illud Ps. 25. lauabo inter innocentes manus meas, & circũdabo altare tuum Domine. Non enim diuina sacramenta lutum manuum contaminat, sed si quis indignè manducat & bibit. 1. Cor. 11. Vnde satagendum est vt non tam exteriora manuum, quam interiora mentium inquinamenta purgentur. De lotione dicitur in 2. lib. & quod triplex est lotio vide ibid. Manuum lotio sumpsit exordium a lege. Legitur .n. Exod. 30. quod Moyses fecit labium æneum de speculis mulierum in quo lauabant se Sacerdotes, quando accessuri erant ad altare, & hoc in ingressu tabernaculi testimonij. In labio æneo sonoro significatur lotio per confessionem: in speculis mulierum consideratio vitæ sanctorum; vt puri accedant, sicut illi fecerunt.

Deinde præparat hostiam, quam leuiter estergit si opus est. Et tunc dicere potest illud Ps. 95. Tollite hostias & introite in atria eius: adorate dominum in atrio sancto eius. Huiusmodi lotiones & præparationes non sunt voluptatis oblectamenta: sed in figuram a Domino Sacerdotibus legis iniuncta: & corporaliter lauat manus vt specialiter mundet actus. His peractis de ornamentis supra enumeratis dicendum est: & primo de infimis.

Nota quod sine vestibus cælebrare (ait Archid.) credo, quod consecraret. Si esset Sacerdos, & adesset intentio, debita materia, & forma. Et si quis isto modo cælebrarit, perpetuo deponitur a beneficio, secũdum Abb. in cap. fi. de cæleb. miss. Huiusmodi autem vestes non fiant de vestibus dominarum, vel virorum, vt patet per Concil. Aurelian. & de consec. dist. 1. cap. ad nuptiarum. Hoc tamen a quibusdam non obseruatur.

De Superpelliceo. Cap. 63.

SVperpelliceum quod vulgo cotta dicitur, est vestis omnibus communis, quæ sic vocatur, quæ etiam propter sui candorem, munditiam seu castitatis puritatem designat: iuxta id Eccles. 9. Omni tempore vestimenta, idest, opera tua, sint munda & candida. Propter nomen verò suum, carnis mortificationem designat. Dicitur superpelliceum, eoquod antiquitus super tunicas pelliceas induebatur, repræsentantes, quod Adam post peccatum talibus est vestitus pelliceis. In lege vet. præceptum fuit Sacerdotibus volentibus ad altare accedere, vt exuerentur vestibus laneis & induerentur lineis. Ad denotandũ quod sicut vtimur talibus vestibus laneis deforis, & intus lineis, sic accedendo ad altare sunt deponenda negotia sæcularia, & sumere tãtum interna quæ debent esse cælestia. Vestimenta lanea denotant negotia externa; linea verò interna. Illa pertinent ad corpus hæc ad animam, quæ præstantior est corpore. Vnde Christus ait: Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.

Insuper denotat innocentiam, & puritatem, & munditiam vitæ, quæ omnibus clericis & Ministris conuenit, sicut etiam est communis omnibus.

bus. Et ideo ante omnes alias sacras vestes sæpè induitur; quia diuino cultui deputati innocentiæ vitę superpollere debent cunctis virtutum actibus. Est lata, nam latitudo eius denotat charitatem, quæ omnia complectitur. Vnde super communes vestes induitur, ad insinuandum quod charitas operit multitudinem peccatorum 1. Pet. 4.

De hoc etiam se induunt ostiarij, lectores, Exorcistæ, &c. vt angelos Dei ministros per castitatis munditiā imitentur, & eis in carne gloriosa effecta spirituali, quasi in albis vestibus socientur: est linea hæc vestis, ad insinuandum, quod sicut linum multo labore perducitur ad candorem: sic necesse est per multas tribulationes ad regni gloriam peruenire. Item, quia multi labores sunt necessarij ad acquirendam hanc virtutem munditiæ & castitatis. Differt ab alba, quia hoc significat innocentiam tantum, quam habere debent omnes clerici incedentes & ministrantes ante conspectum Domini: & ideo semper portatur in choro etiam cū pluuiali. Sed alba, præter hanc ipsam significationem habet alium, quæ declaratur in cap. de alba: & ideo non portatur nisi ad missam, vt fit hodie more Romano, vbi ad Vesperas non vtitur alba cum pluuiali; sed tantum Superpelliceo; licet aliquæ Ecclesiæ hoc non obseruent: nam ibi non quæritur significatio mysticam cum nō significet passionem Christi, (scilicet, Vesperarum officium) & ideo cessante hac significatione cessat albæ vsus.

De Pluuiali. Cap. 64.

EST & alia vestis communis, quæ pluuiale, vel cappa vocatur quæ creditur a legali mutuata. Vnde sicut illa tintinabulis, sic ista fimbrijs, siue frisijs decoratur: quæ sunt labores huius mundi, & solicitudines. Habet etiam capuccium, quod significat supernum gaudium. Prolixa est vsque ad pedes, per quod perseuerantia vsque ad finem significatur. In anteriori parte aperta est, ad denotādum quod sanctè conuersantibus, patet vita æterna; seu quod eorum vita alijs patere debet in exemplum. 2. q. 3. non sunt in fi.

Rursus per cappam, intelligitur gloriosa corporum immortalitas. Vnde illam non nisi in maioribus solemnitatibus, vel dignioribus horis canonicis induimus; aspicientes quando electi in futuram resurrectionem deposita carne binas stolas accipient: videlicet requiem animarum & gloriā corporū. Sācti autē, qui ponūtur retro super capucciū, denotant sanctos vet. test. qui autem ante, noui test. vt sciāt Sacerdotes, quod vtriusque testamēti bonos imitari debēt. Vel ex omni parte debent sanctorum vestigia sequi.

Capuccium huius vestis successit loco Rationalis in veteri testamento, ibi ponebantur nomina duodecim Patriarcharum; hic ponuntur figuræ Christi, vel B. M. semper Virginis, vel aliorum sanctorum. Et quoniam figurabat Christum, hinc est, quod illi ante pectus ferebatur, significās Christum venturum: nos verò, quia confitemur iam venisse, retrò ponimus huiusmodi capucciū cum Christi figura.

De Amictu. Cap. 65.

TRactaturi de vestimentis Sacerdotalibus, primo loco occurrit dicendum de amictu: qui humeros tegens, significat fortitudinem ad diuina opera exequenda. Humeri quippè fortes sunt ad opera peragenda secundum illud Patriarchę Iacob, Genes. 49. Supponit humerum ad portandū, & factus tributis seruiens. Duo vasculi quibus amictus ante pectus ligatur, significant intentionem, & finem, quibus informandum est opus, ne fiant in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed

in azimis synceritatis, & veritatis. Sacerdos enim non debet otiosus existere, sed bonis operibus insistere, & insudare: secundum illud Tim. 2. c. 2. labora sicut bonus miles Iesu Christi.

Cælebraturus ergo Sacerdos, assumit amictũ; quo caput tegitur, & habetur loco Ephod, siue superhumeralis. Quod etiam nunc superhumerale vocari potest: significat salutem quæ per fidem tribuitur. De hoc dicitur. Ephes. 6. Galeam salutis assumite. Ideo dicitur: Impone Domine capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus Amen.

Dum imponitur capiti, prius deosculatur in medio, quod figura Crucis carere non debet, vt habetur ex cæremoniali Episcoporum l. 1. c. 9. Significat etiam castitaté corporis, quia & renes & pectus ambit & tegit: & omnibus sacris vestibus supponitur, sed omnibus supereminet (more fratrum,) quia castitas debet esse intus in pectore, & foris nitere opere. Vnde in renibus stringitur, quia ibi præcipuè luxuria dominatur.

Repræsentat amictus operimentũ, quo Iudæi velabant faciem Christi, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Matth. 26. & quia Ephot nominauimus, dico, quod Ephot in veteri lege erat indumẽtum more mozette Episcoporum, vel scapularij religiosorum sine capuccio, textũ auro & colore violaceo & purpura. Lege Flos sanctorũ par. 2. c. 2. in vita Aaron: ex Ioseph lib. 3. antiq. cap. 11. deprompsit author ille.

Vbi notandum est, quod vestes mysticè aliquid passionis Christi significant: & moraliter aliquam virtutem: ideo amictus mysticè, significat (præter id quod supra tactum est) coronam spineam: moraliter vero contemplationem, vel spem. Alba, vestem albam qua indutus fuit ab Herode; moraliter, fidem & innocentiam: nam, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Cingulum, funes quibus ligatus fuit Christus. Moraliter, castitatem, quia circa lumbos nos cingimus. Manipulus, vincula Christi. Moraliter, fortitudinem ad labores preferendos. Stola, crucẽ super humeros Christi. Moraliter perseuerantiam & meritum vitæ æternę. Planeta significat vestem rubeam, qua Christus fuit indutus. Moraliter, obedientiam legis, vel charitatem ex D. Thom. 3. par. qu. 40. art. 7. suplem. Sanctus Bonauentura in tractatu de expositione Missæ vocat amictũ humerale dicens: Humerale caput cooperiẽs signat quod Christus, qui est caput Ecclesiæ, diuinitatem in humanitate abscondit.

Demum nota, quod vestes Sacerdotis Euangelici aliud significant in capite, (secundum Innocent. Papa III. De Sac. Alt. lib. 1. cap. 34.) & aliud in membris figurant. Nam & caput, & membra nomine Sacerdotis nuncupantur. Ad caput enim dicit Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchisedech. Ad membra vero dicitur: prima Pet. 2. Vos estis genus electum, regale Sacerdotiũ: ideo in fine cuiuslibet vestis exponenda est quomodo competat capiti Christo.

Amictus aũt secundũ eundẽ Innoc. capit. 35. in loco citato, quo Sacerdos caput obnubit, illud significat quod in Apocalypsi describitur: Angelum Dei fortẽ descẽdisse de cælo, amictum nube. Et Isa. 19. Ecce Dominus ascendet super nubem candidam. Veniens autem ad saluationem Dei filius, magni consilij Angelus, amictus est nube, dum deitatem abscondit in carne. Nam caput viri Christus, caput Christi Deus 1. Cor. 11. Hoc ergo carnis latibulum amictus Sacerdotis signifificat. Quod per illam sindonem expressius designatur, qua Summus Pontifex caput abducit. Et pulchrè quidẽ, quod per calciamentum pedum, hoc ipsum per amictum capitis designatur, quia diuinitas in carne latuit, &

per carnem innotuit. Nam cum notus esset tantum in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius, in Idumæam, idest, in gentilitatem extendit calciamentum suum, & ante conspectum gẽtium reuelauit iustitiã suam, atque omnes subiugauit Gentiles.

De Alba. Cap. 66.

SAcerdos post amictũ induit albam quæ totum corpus cooperit, denotans nihil superfluum, nihilque dissolutum in vita Sacerdotis, aut in eius membris esse debere: quæ demonstrat etiam munditiam propter suam albedinem. Ideo dicitur. Dealba me Domine, & munda cor meum, &c. fit autem de bysso vel lino, propter id quod dicitur Apocalyp. 10. Byssinum sunt orationes sanctorum. Sicut enim linũ vel byssus candorem, quem nõ habet, multis tonsionibus attritum, acquirit per artem: sic & hominis caro munditiam, quam non obtinet per naturam, per exercitia bonorum operum, & per macerationem carnis sortitur per gratiam: dicendo cum Apost. 1. Cor. 9. castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Sic debet dicere Sacerdos.

Hæc vestis in vet. lege, linea vel podiris Græcè, Latinè tunica talaris dicebatur, & stricta fuisse describitur, propter spiritũ seruitutis Iudæorum in timore. Rom. 6. In nouo vero est larga propter spiritum adoptionis in libertate, qua nos Christus liberauit. Galat. 4.

Hæc vestis repræsentat vestem albam, in qua Herodes illusit Christo. Luc. 23. hęc stringitur cingulo, vt omne desiderium carnale intelligatur astrictum. Quod fit ornata more fratrum, hoc fit, vt innuatur id Psal. 44. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. Vel, quia Sanctus Martinus Missam faciẽdo brachia apparuerunt torquibus aureis cooperta.

Lora item siue ornamenta quæ sũt ad manus, significant vinculum Christi: vinctum enim adduxerunt eum ad Cayfam Põtificem, & ad Pilatum. Illa vero quæ sunt transuersa aut infra sanguinem significant qui fluxit ex manibus & latere Christi in cruce. Item, hæc tunica quæ alba est, diuinitatis splendorem indicat, & Sacerdotis splendidam conuersationem.

Alba (inquit Innocent. ibid. ca. 36.) lineum vestimentum longissimè distans à tunicis pelliceis quæ de mortuis animalibus fiunt, quibus Adam vestitus est post peccatum, nouitatem vitæ significat, quam Christus habuit & docuit, & tribuit ex baptismo. de qua dicitur Ephes. 4. Exuite veterem hominem cum actibus suis, & induite nouum hominem qui secũdum Deũ creatus est. Nam & in transfiguratione resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix: semper enim vestimenta Christi munda fuerunt & candida, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Isa. 53. Item fit longior quam sit Sacerdos, quia talis erat illa quam Herodes fecit induere Christũ vt incedendo caderet, quia non erat cincta. Vel. Alba longa & munda magnam Christi mundiciam significat: quia Petrus ait: quod Christus peccatum nõn fecit: nec inuentus est dolus in ore eius. Hanc mundiciam nobis tribuit Christus in baptismo. linea enim alba per aquam dealbatur: & Ecclesia per baptismum Christi candidatur, ait D. Bonau. ibid.

De Cingulo. Cap. 67.

ALba Sacerdotalis cingitur cingulo, ne defluendo impediat incessum: vt castitas Sacerdotis per albam significata nullis incentiuorum stimulis dissoluatur. Cingulum, significat

ficat continentiam, ideo dicitur: Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis. Et propter hoc cinguntur lumbi. Vnde Apostolus ad Ephes. 6. State succincti lumbos vestros in veritate. Rursus, renes cingulo stringuntur, vt castigetur corpus, & impetus luxuriæ refrenetur. Repræsentat flagellum quo Pilatus Iesum cecidit. Cingulum, pro baltheo in lege veteri nunc habetur. Significat etiam iustitiam cuius duo sunt brachia sese constringentia, scilicet, declinare à malo, & facere bonum.

Zona, (inquit Innoc. ibid. cap. 37.) Sacerdotis, illud significat quod Ioannes Apostolus ait: Apoc. 1. Conuersus vidi similem filio hominis præcinctũ ad mammillas zona aurea. Per zonam auream, perfecta Christi charitas designatur: quam dicit Apost. supereminentẽ scientiæ charitatis Christi, feruentem in corde, radiantem in opere. Cuius succinctorium illud significat, quod Isaias de Christo loquens prædixit, cap. 11. Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Nam iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Psalm. 10. fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Psalm. 144. Duæ sumitates illius, duæ sunt partes naturalis iustitiæ quam Christus fecit, & docuit. Quod tibi nõ vis fieri alteri ne feceris, sed quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Matt. 7.

Item, cingulus designat virginitatem Christi & suæ purissimæ matris, quam nos habere docuit dic. sint lumbi vestri præcincti, &c.

De Manipulo. Cap. 68.

PEr manipulum bona opera, vel vigilantia designatur. Portatur in brachio sinistro ad notandum, quod ministri Altaris debent esse stricti ad terrena; sed expediti ad cælestia. Antiqui non erant destricti ad hoc, quia Deo etiam pro temporalibus seruiebant.

Manipuli vsus sumptus est non ab Aaron, sed ab antiquis patribus, quia (sicut legitur in martirologio Bedæ) Arsenius semper sudarium ferebat in sinu, vel manu, ad lachrymas tergendas; sic & D. Petrus ante ipsum idem faciebat. Habebant quoque Sancti Patres, dum sacra tractabant, & Sacramenta conficiebant, mapellas siue paruas mappas, & mantilia in manibus; nunc pro tergendis manibus, & nunc pro operiendis, & nunc pro reuerenter tractandis Sacramentis. Significat manipulus futurorum bonorum retributionem. Vnde Psalm. 125. *Venientes autem venient*, idest, in futura retributione, *venientes cum exultatione* quæ debetur flentibus, *portantes manipulos suos*, idest, fructum seminis, idest, meritum bonorum operum. Ideo dicitur. Merear Domine portare manipulum fletus, &c. Manipulus repræsentat funem, quo compræhensus Dominus Iesus à Iudæis, ligatus fuit, Ioan. 18. Notandum est quod Diaconus & Subdiaconus Pontifici induenti & exuenti se suas vestes sine manipulis seruiunt: primo vt expeditius & liberius ministrent. Secundò ad notandum quod in tali obsequio non debent fructum quærere temporalẽ, qui quandoque per manipulum significatur. Tertiò, quia repræsentant (sic parati) Angelos assistentes Christo.

Quod Sacerdos, (inquit Innocent. ibid. cap. 49.) manipulum portat in læua, designat, quod Christus brauium obtinebat in via. Per manipulũ enim præmium designatur, vt supra diximus, secundum illud Psalm. suprà. Venientes autem, &c. Per læuam vita præsens accipitur, secundum quod scriptũ est: læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Chri-

Christus autem simul fruebatur & merebatur. Fruebatur in patria, merebatur in via: nam simul & brauium compræhendebat, & stadium pręcurrebat (alij tamen legunt percurrebat) quia simul erat, & in patria, & in via. Nemo (inquit Ioan. 3.) ascendit in cælum nisi, qui de cælo descendit, filius hominis, qui est in cælo. Cur autem Episcopus induat se manipulo ad Altare post Indulgentiam, &c. vide infra lib. 2. cap. 19. in fine, de confessione facienda, præter ea quæ hic dicuntur, alias reperies rationes. Manipulus in lęua est humilitas Christi in hac vita: vel manipulus in læua designat pugnam Christi pro iustitia: ipse enim pro iustitia pugnauit, mundum superauit, & diaboli potestatem deiecit: & idcirco manipulus in læua clypeum uel pugnam pro iustitia designat. Ad hãc nos exhortatur Christus dic. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Matt. 5.

De Stola. Cap. 69.

STolam post manipulum, super collum sibi Sacerdos imponit, quæ leue Domini iugum significat. Et ad hoc imponit, vt ostendat se Domini iugum suscepisse: quam etiam cũ osculo sibi imponit & deponit, ad notandum desiderium quo se subijcit huic iugo. Vnde Episcopus cum ordinat dicit: Accipe iugum Dei: iugum enim suaue est, & onus eius leue. Suaue quidẽ in prosperis, & leue in aduersis.

Stola vsque ad genua protenditur, vt nos vites corde & humiles insinuet. Significat etiam stolam primitiuam. s. innocentiæ, ideo dicitur: Redde mihi Domine obsecro stolam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis, &c. Longitudo stolæ significat perseuerantiam, scilicet, in dilectione Dei. Duo brachia dependentia significant prudentiam & temperantiam. Iuxta id Tit. 3. sobrie, & iuste, & pie viuamus, expectantes beatam spem, &c. Stola sinistro humero Diaconi imponitur, & præcipitur in Concil. Tolet. 4. can. 39. sub Honorio primo Papa anno Domini 681. cælebrato. quia decet temporalia spiritualibus deseruire: vel ad significandum fortitudinem in tolerantia aduersorum. Ad lumbos succingitur vt sit fortis contra libidinem.

Antiquitus in lege veteri stola erat superhumerale, vel vestis candida, pertingens vsque ad vestigia: qua Patriarchæ ante legem vtebantur, quam primogeniti cum benedictionem patris acciperent, induebant, & Domino victimas, ut Pontifices offerebant. Sed postquam albam cępit portari, mutata est in torquem. Per primam stolam innocentia intelligitur, quæ fuit in primo homine. Sed cum eam perdidit propter peccatum, oportuit eam recuperate per uitulum saginatum. Per stolam, qua nunc utimur, obediẽtiam accipimus Euangelij crucifixi. Stola significat etiam ligaturam, qua Iesus Christus Dominus noster ligatus fuit ad columnam.

Stola alio nomine uocatur Orariũ: unde in Concil. 3. Bracharen. can. 3. prohibetur ne Sacerdos sine Orario cælebret, dicens: quando Sacerdos Missam cælebraturus accedit non aliter accedat quam Orario utroque humero circumseptum, sicut & quando fuit consecratus, ita ut de uno eodẽq; Orario ceruicem pariter & utrumque humerum præmens, signum in suo pectore præparet crucis. Si quis aliter egerit, excommunicationis subiaceat. Et habetur 25. dist. Ecclesiæ.

Stola ait Innocent. ibid. cap. 38. quę super amictum collo Sacerdotis incumbit, obedientiam & seruitutem significat, quam Dominus omniũ propter salutem suorum subiuit. Nam cũ in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens,

piens, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Caussam quippe mortalitatis nec cōtraxit origine, nec commisit in opere: quia quod non rapuit hoc exoluit. Dedit enim illi calicem Pater, non Iudæi; amore, non ira, voluntate, non necessitate; gratia, non vindicta. Hic est ille Iacob qui parēs præcepto patris Isaac & consilio matris Rebeccæ, seruiuit Laban, vt Rachel & Liam duceret in coniugium.

Item, per stolam quæ alio nomine Orarium vocatur, super collum sibi Sacerdos imponit, vt iugum Domini se suscepisse (vti diximus) significet; quæ a collo per anteriora descendens dextrum & sinistrum latus adornat, quia per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, idest, prosperis & aduersis Sacerdos & Pontifex debet esse munitus. Stola quippe significat sapientiam vel patientiam, de qua scriptum habetur; patientia vobis necessaria est, vt reporteris promissiones. Et iterum. In patiētia vestra possidebitis animas vestras. Hinc est ergo, quod stola cum zona nexibus quibusdā colligatur, quia virtutes virtutibus socientur, ne aliquo tentationis moueantur incursu. Debet autem Sacerdos secundum decretum Bracharen. Concil. de vno eodemque Orario ceruicem pariter & vtrumque humerum præmens signū crucis in pectore suo præparare. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subiacebit: nisi forte quis dixerit hoc decretum per contrariam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem abrogatum. hæc Innoc. lib. 1. de Sac. Alt. Myst. ca. 53. Episcopus vero vt differat ab alijs Sacerdotibus non portat in modum crucis sed ex vtraque parte pendentem. Et etiam vt ostēdat se perfectè habere tam in prosperis, quam in aduersis charitatem; & tam erga amicos quam inimicos.

Item, stola longa supra collum ante cor & vsque ad pedes descendens signat obedientiam Christi & voluntariam seruitutem pro nobis. Ipse enim pro salute nostra factus est obediens patri vsque ad mortem: mortem autem crucis. Designat etiam crux in pectore passionem Christi quam circunferre peruigili meditatione debemus: una cum Sacerdote in corde & corpore per mortificationem terrenæ delectationis. Designat etiam crux ante pectus Sacerdotis cācellata populum Iudaicum in sinistram partem transire: qui Christum occidit & in ipsum credere noluit. Populus autem gentilis in Christum credidit & se in dexteram partem per fidem collocauit: quod expressum est in Genesi quando Iacob nepotibus suis, uidelicet, Manassi & Effraim benedicens cancellatis manibus: dexteram supra iuniorem, scilicet, Effraim, & læuam supra seniorem, uidelicet, Manassem posuit; & ait: benedicat Deus pueris illis D. Bonauent. ibid.

De Casula seu Planeta. Cap. 70.

VLtimo loco super omnes uestes induitur Sacerdos uel Pontifex casula, quæ quasi parua casa seu domus dicitur: significat charitatem, sine qua Sacerdos est uelut æs sonans. Sicut enim charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 3. Et plenitudo legis est charitas. Rom. 13. sic & hęc uestis cuncta plana & alia indumenta intra se claudit & continet. Sine hac Sacerdos nunquam debet suū exercere officium: quia debet semper in uinculo charitatis permanere. Itē, hęc uestis est illa nuptialis de qua Dominus, ait; Matt. 22. Amice, quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem?

Per hoc quod amictus, (more monachorum) super planetum reuoluitur, innuitur quod omne opus bonum debet ad charitatem referri. 1. Tim. 1. Finis præcepti est charitas, &c. Quod vero

vero casula sic diuidatur in anteriorem & posteriorem partem: significat duo brachia charitatis, scilicet, ad Deum & ad proximum. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Latitudo planetæ significat latitudinem charitatis, quæ se debet extendere ad omnes: etiam usque ad inimicos. Psal. 118. Latum mandatum tuum nimis, idest, ualdè est latum tuũ mandatum charitatis. Ad brachia eleuatur, dum bona opera charitatis operatur. Ad dextrum dum operamur bonum ad domesticos fidei. Ad sinistrum dum extenditur etiam ad inimicos.

In extensione manuum diuiditur in anteriorem & posteriorem partem: designans antiquam Ecclesiam, quæ passionem Christi præcessit: & nouam quæ Christi passionem subsequitur. Nam & qui præibant & qui sequebãtur clamabant: Osanna filio Dauid, Benedictus qui uenit in nomine Domini.

Hæc uestis significat etiam purpureum uestimentum, quo milites circundederunt Iesum. Ioan. 19. prædicta sex indumenta sunt communia tam Sacerdotibus quam Põtificibus. Illud tamen notatione dignum est; quod omnis Sacerdos cælebrando debet habere calceos, sine quibus nullus cælebrare debet: etiam qui habet ex uoto professionis incedere discalciatus secundum Bernar. de Parantinis; & hoc, quia significant humanitatem Christi, quam Ioannes Baptista calceum appellauit. Vnde in signum desponsationis Christi & Ecclesiæ incedimus calciati ad Altare: Item debet accedere ex charitate, idest, quod amore Dei, & proximi uelit Missam facere, ut notat casula, idest, ut principaliter Deus laudetur suo officio, & honoretur à fidelibus & consoletur proximos.

Casula magni Sacerdotis ait Innoc. ibid. cap. 42. est uniuersalis Ecclesia, de qua dicit Apost. Gal. 3. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Hæc, est aliud Aaron vestimentum, cuius in oram descendit in barbam, & à barba descẽdit in oram: quoniam de plenitudine eius nos omnes accepimus, primũ Apostoli, postmodum cæteri. Ioan. 1. Item casula signat cælum & terram: quæ Christus sua Maiestate implet sicut ipse ait per Prophetam. Ierem. 23. Casula etiam designat charitatem vt diximus, qua diligere debemus amicos in Deo, & inimicos propter Deum: sicut Christus nos docuit verbo & exemplo: per anteriorem partem casulæ designantur amici: per posteriorem inimici. Vnde Christus ait: Diligite inimicos vestros, &c.

De ornamentis Episcoporum. *Cap.* 71.

TAm in nouo quam in veteri testamento legitur constitutum, vt Pontifices præter communes vestes habeant speciales. Sed ibi erant quatuor communes, & quatuor speciales, hic autem sex communes sunt, nouem autem speciales, vt supra tactum est. Nã illa data sunt carnalibus mundanis: hæc autem data sunt spiritualibus & perfectis. Quaternarius enim conuenit carni propter quatuor elementa ex quibus composita est. Senarius autem perfectis: qui numerus est perfectus, qui redditur suis partibus aggregatis. Vnde sexto die perfecit Deus cælum & terram, & omnem ornatum eorum. Nouenarius spiritualibus, quia nouem sunt ordines Angelorum, qui secundum Prophetam; Ezech. 18. per nouem species lapidum designantur. Quindecim ergo sunt ornamenta Pontificis, quindecim gradus virtutum, ipso numero designantia, quot cantica graduum psalmista distinxit. Vestes enim Sacerdotis, vt alibi diximus virtutes significant se-

cundum illud dictum Psalm. 131. Sacerdotes tui induantur iustitiam.

His stantibus dicamus quod Episcopis super adduntur nouem ornamenta, scilicet, super Sacerdotes, quæ sunt caligæ, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, chirotecę, annulus, baculus, & mitra: Et hoc propter duas causas. Prima est, quia nouem sũt quæ Episcopi supra Sacerdotem possunt, scilicet, clericos ordinare, virgines benedicere, Pontifices consecrare, manus in confirmatione imponere, basilicas dedicare, Synodos cælebrare, Chrisma conficere, vestes & vasa consecrare, & degradandos deponere. Secunda causa est, quia per ista nouem ornamenta, Episcopi, signantur nouẽ virtutes, quas Episcopi habere debẽt. Nam per caligas significatur rectitudo gressuum; per sandalia, quæ pedes tegunt, contemptus terrenorum; per succinctorium, quo stola ligatur cum alba, amor honestatis; per tunicã, perseuerantia, quia Ioseph legitur habuisse tunicam talarem, idest, descendentem vsque ad talos; per quos vitæ extremitas designatur; per chirotecas, cautela in operibus; per baculum cura pastoralis: cuius ratio est, quia baculus est recuruus in summo, directus in medio, & acutus in imo: sic cura pastoralis habet hæc efficere. Primò enim debet colligere vagos, quod signat curuitas in capite baculi. Secũdò debet sustentare infirmos, quod significat rectitudo stipitis baculi. Tertiò debet pungere lentos, quod significat stimulus, vel acuitas in pede baculi. Sit ergo quæso prælatus curuus in sũmo, idest, in sua potestate humilis, & accessibilis omnibus absolutè. Sit in medio directus, idest, causarum omnium spiritualium arbiter æquus Dei & hominum sequester, & medius. Sit in imo acutus & stimulis, idest, pungat per imum illos, scilicet, qui in imis habitant peccatorum, & ab infimis desiderijs non resurgunt. Demum per mitram scientia vtriusque testamenti designatur vnde & duo cornua habet. Ratio hæc elicitur ex Matth. 13. Ideo omnis scriba doctus similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera. Per annulum vero signantur sacramenta fidei, qua Ecclesia desponsatur Christo: ipsi enim Episcopi sunt sponsi Ecclesiæ loco Christi. Sed vlterius Archiepiscopus habet palliũ in signum priuilegiatæ potestatis, signat enim torquem auream, quam solebant legitimè certantes accipere. De his sigillatim dicamus.

De Caligis & Sandalijs. Cap. 71.

Caligæ enim & Sandalia sunt pedum ornamenta. Hæc autem non habuerunt originem ab Aaron, qui tantum in Iudæa conuersabatur, & ideo necesse nõ habuit: sed ab Apostolis, quibus dictum est: euntes in mundum vniuersum Matth. vlt. Calciantur Pontifices caligis & sandalijs in præparatione Euangelij pacis: de quorum pulchritudine admiratur Isa. 52. dicens: Quam speciosi pedes Euãgelizantium pacem Euangelizãtium bona. Et Dominus Mar. 6. legitur misisse Discipulos suos Sãdalijs calciatos vtique in præparationem Euangelij pacis. Si enim calciati non essent, quomodo super serpentes & scorpiones calcare potuissent? Cogitent Episcopi, vt imitentur exempla, quorũ imitantur calciamenta. Per pedes, affectus intelliguntur. Debent ergo Episcopi habere affectus & desideria calciata, ne puluere temporalium & terrenorum maculentur. Et etiam congruè significatur, ne ad illicita festinent. Et quia prosperitas facit maculare affectus; quod non ita faciliter facit aduersitas, ideo prius pes dexter calciatur quam sinister: nam & à dextro pede incipimus iter nostrum, vt diximus in lib. de cælo & mundo.

Prius tamen quam sandalia pedibus imponantur, caligis induuntur: quia

quia prędicator pedibus suis debet rectis facere gressus suos, & genua debilia roborare. Nã, q fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Mat. 5. Caligæ sunt cælestis coloris, eo quod affectus firmus debet esse ad cælestia semper, ne claudicet ad terrena. Sandalia, sic vocantur ab herba, vel Sandarico colore, quo depinguntur: habent desubtus solam integram, desuper vero corium fenestratum: quia gressus prædicatoris subtus debent esse muniti, ne polluantur terrenis: & sursum sunt aperti, quatenus ad cognoscendum mysteria, seu cælestia reuelentur: Vel sunt sic: eo, quod habere debent mentem obtusam in terrenis, & apertam ad cælestia. Rursus in aliquibus sunt obtusa, & in aliquibus aperta, denotando, quod nec omnibus sunt reuelanda, nec omnibus abscondi debent mysteria: iuxta id. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, &c. Luc. 8. Sandalia interius ex corio albo fiunt, quia necesse est habere intentionem candidam, & conscientiam puram coram Deo. Si vero est ex rubeo corio, designat votum martyrij.

Mystice, Sandalia, cursum prędicatoris significant. Olim & Sacerdotes vtebantur Sandalijs, quia eorum erat discurrere per comitatum. Hodie solum Episcopi, vt per varietatem Sandaliorum, notetur varietas officiorũ. Præterea, Episcopi habent discurrere per plebes, Sacerdotes vero hostias immolare. Successerũt loco fęmoralium Sandalia, quibus vtebantur Sacerdotes legales.

Nota secundum Innoc. ibid. ca. 34. quod ipse Pontifex in Altaris officio, capitis sui Christi, cuius est membrũ, repræsentat personam, dum pedibus assuerit Sandalia, illud incarnationis dominicæ insinuat calciamentum, de quo Dominus ait: Psalm. 59. In Idumæam, extendam calciamentum meum, idest, in gẽtibus notam faciam incarnationem meam. Venit enim ad nos calciata diuinitas, vt pro nobis Dei filius Sacerdotio vngeretur. Per ligulas, quibus ipsa pedibus Sandalia constringuntur, illud idem accipimus quod per corrigiam calciamenti, Io. Baptista signauit, cum ait: Cuius non sum dignus corrigiam calciamẽti soluere. Matt. 3. Vnionem ergo ineffabilem copulamque indissolubilem quibus Verbi diuinitas se carni nostræ coniunxit, per Sandaliorum corrigias intelligimus. Mediantibus vero caligis, pedes, Sandalijs coniunguntur: quoniam anima mediante, carni diuinitas est coniuncta. Sicut enim pes corpus sustentat, ita diuinitas mundum gubernat. Vnde ait Psalm. 98. Adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est. Demum nota, quod Sandalia, dicuntur, compagi, alio nomine: & declinatur secundum Hug. Compagus cõpagi. Et habetur 93. dist. §. 4.

De Succinctorio & Orali. Cap. 73.

IN sinistro latere Pontificis à cingulo duplex depẽdet succinctorium; quia duo sunt, quibus castitas roboratur, & sine quibus difficile conseruatur; scilicet oratio, & ieiunium. Debent autem lumbi Pontificis per continentiam præcingi, & per abstinentiam succingi: præcingi cingulo, & succingi succinctorio. Succinctoriũ, vel succingulum, non legitur fuisse inter indumenta legalia, quia & si legales Sacerdotes accincti tempore sacrificij abstinere, & continere debebent: alio tamen tempore licitè vacabant amplexibus. Hodie autem additur cingulum, quia moderni ministri iugem debent habere continentiam. Et ideo non solum cingi, sed etiam succingi debent. Et propter hoc, duplex est succinctorium, vt duplex castitas denotetur: videlicet mentis, & corporis. Castitas corporis per succinctoriũ, vel succingulum denotatur: castitas

verò mentis, per cingulum. A parte sinistra dependet, quia prior est castitas mentis, quam corporis, & dextera pars potior est quam sinistra.

Romanus Pontif. post albam & cingulum, assumit Orale, quandam videlicet sindonem, quod capiti quasi in modum veli imponit, & replicat super humeros, & ante pectus, legalis Pontificis ordinem sequens, qui post lineam strictam & zonam induebat Ephot. Assumit etiam quandam crucem sibi statuere ante pectus: quoniã & legalis Pontifex laminam auream, in fronte gerebat, pro qua Pontifex iste, crucem gerit in pectore: & ita signo crucis lamina aurea cessit. Nam mysterium quod in quatuor literis auri lamina continebat, in quatuor partibus forma crucis explicuit. Osculatur illam sibi imponendo, ad denotandum, quod Christi passionem confitetur & credit, similiter quando illã deponit. Item, ideoque Romanus Põtif. crucem illam insertam catenulis a collo suspensam sibi statuit ante pectus; vt sacramentum quod ille tunc præferebat in fronte, hic autem recondat in pectore. Cum corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutẽ. Ad idẽ significãdum etiã Episcopi crucem cum reliquijs intus gerũt.

De Tunica. Cap. 73.

POst stolam Pontifex induit tunicam, quæ in lege podiris, idest, Talaris dicebatur: quæ significat perseuerantiam. Sola perseuerantia obtinet brauium, cæteræ namque virtutes currunt. Item, post albam, tunicam induitur: quia sicut per albam castigatio corporis; ita per tunicam virtutes intimę intelliguntur, quas semper debet habere perfectus. Tunica non cingitur, quoniam secundum sui formam iter non impeditur: sic & virtutes per illam designatæ liberum iter ad Dei contemplationem prębent. Vnam tunicam sub alia, nempè Dalmatica, induit, ad denotandum quod sicut illa non videtur ab omnibus sed tantum a clericis: ita & ratio sublimium, & virtutes, quas perfectus habere debet, quæ per illam significantur patere non debet omnibus, sed maioribus & perfectis.

Tunica podiris ait Innoc. ibid. cap. 39. quæ hyacintini coloris erat in veteri Sacerdotio, tintinabulis, & malis punicis ab inferiori parte procedentibus, vt Pontifex totus vocalis incederet, cælestem Christi doctrinam significat. (ex hoc loco habes quare pulsantur organa cum Pontifex vel Sacerdos solemniter paratus accedit ad altare, scilicet, vt populus attentius se habeat, &c. atque ex hoc, sumpsit exordium huiusmodi pulsationis.) Cuius notitiam habuerunt omnes, quibus Deus per Prophetam ait: Isa. 40. In montem excelsum ascende tu qui Euangelizas Sion. Præcipuè tamen hanc habuit tunicam Euãgelicæ textrix doctrinæ, sapientia Dei Iesus Christus, & dedit illam Apostolis suis. Omnia, inquit, Io. 15. quæcumque audiui a patre meo, nota feci vobis. Hanc ergo significauit illa tunica Domini quam milites scindere noluerunt, eo quod esset inconsutilis, desuper contexta per totum: damnum fore existimantes, si qui doctrinam Euangelicã hæresibus scindere moliãtur. Pontifex induit tunicam podirim, idest, talarẽ significantem (vt diximus) perseuerãtiam. Vnde Ioseph inter fratres suos talarẽ tunicam habuisse describitur. Cum verò cæteræ virtutes currant in stadio, perseuerantia tamen accipit brauium: quoniam qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Vnde præcipitur. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Habebat autem hæc vestis in veteri Sacerdotio, pro fimbrijs mala punica tintinabulis aureis, quorum mysterium iam explanatum est.

De Dalmatica. Cap. 74.

EX institutione Siluestri Papæ, post tunicam Pontifex induit Dalmaticam, quæ ab inconsutili tunica Domini, & Apostolorum colobio creditur mutuata. Est autem colobium, vestis sine manicis: sed Siluester vertit in Dalmaticam, latas manicas addendo, & instituit in Sacrificijs portari 93. dist. Diaconi ita.

Sic autem est dicta Dalmatica, quia in Dalmatia sit reperta. Habet latiores manicas, denotans maiorem largitatem debere esse in Diacono, quam Subdiacono; sicut & casula latiores omnibus habet indumentis, ad denotandum, quod ipse debet esse magis expeditus, nihil habens, quod ipsius manus restringat: quia pro cælestibus, omnia debet largiri. Charitas enim eius extendi debet etiam vsque ad inimicos. Diaconi vtuntur Dalmaticis, quia principaliter electi sunt ab Apostolis, vt mensis ex officio ministrarent. In dispensatione autem requiritur largitas, & ideo Dalmatica habet latiores manicas. Tunicella Subdiaconi, & Dalmatica Diaconi, atque casula Presbyteri, succedunt in locum tunicæ hyacintinæ, quæ erat coloris cælestis, ad denotandũ quod omnes ministri altaris cælestem debẽt habere conuersationem: licet secundum maius & minus, quod notat latitudo & strictura manicarum. Episcopus vtitur Dalmatica, & Tunicella simul & omnium ordinum siue ministrorum ornamentis, vt ostendat se perfectè omnes ordines habere, tamquam qui eos alijs confert. Minores Sacerdotes non conferunt ordines, ideo non gerunt omnia simul.

Rursus Pontifex in ornamentis, atque in officio, magis expressè Saluatoris similitudinem gerit, quam simplex Sacerdos: & magis sibi conueniunt ornamentorum significata.

Dalmatica autem duas debet habere lineas hinc inde, ante & retro, a summo vsque deorsum, vt Pontifex ostendatur habere feruorem charitatis ad Deum, & proximum, in prosperis, & in aduersis. Habet formam crucis, vnde per eam etiam Christi passio figuratur, & ideo portatur in officio Missæ. Tempore Aduentus intermittitur a Diaconis Dalmaticæ vsus; quoniam quando aliqua claritas sacri ordinis ad tempus intermittitur, clarius resplendet, & auidius sumitur, quando resumitur in animis deuotorum: quia quod rarum est, magis appetitur 93. dist. Legimus. ad fin. Item, non vtitur Diaconus Dalmatica, nec Subdiaconus Tunicella tempore Aduentus: quia lex quam Subdiaconus significat; ante incarnationem domini Euangelij ornatu carebat. Et claritas Euangelij quam Diaconus significat, nondum apparuerat: vel: quia nondum venerat qui vestem innocentiæ & immortalitatis nos induere debebat: ideo vestes lætitiæ dimittuntur. In ieiunijs pentecos. vti potest Dalmatica, quia est ieiuniũ exultationis.

Vt autem competit capiti, scilicet, Christo, ait Innoc. ibid. cap. 40. Super hanc tunicam Pontifex vestit Dalmaticam quæ sui forma largam misericordiam Christi designat, quam ipse præ cæteris edocuit, & impendit. Estote, inquit, misericordes, sicut & pater vester misericors est. Luc. 6. Beati namque misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Iudicium verò sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiam: Iaco. 2. quia misericordia superexaltat iudicium. Ergo dimittite, & dimittetur vobis, sicq; inquit, orabitis, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hic est ergo Samaritanus ille proximus noster, qui fecit nobiscum misericordiã, superinfundens vulneribus nostris vinum &

oleum

oleum Luc. 10. Nam per viscera misericordiæ suæ visitauit nos oriens ex alto. Ibid. 1. qui non ex operibus, quę fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Qui pro peccatoribus venit, vt de peccatis veniam indulgeret. Misericordiā, inquit, volo, & non sacrificiū. Mat. 9.

Item super tunicam Episcopus vestit Dalmaticam, quæ sui forma largitatem figurat: (ait Innoc. ibid. ca. 55.) quia largas habet manicas & protensas. Vnde secundum Apostol, oportet Episcopum non esse turpis lucri cupidum: Sed hospitalem. Non ergo manum habeat ad dandum collectam, & ad recipiendum porrectā; sed illud efficiat quod Propheta suadet. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum, & carnem suam ne despexeris. Ob hoc fortè specialiter vtuntur Diaconi Dalmaticis, quod principaliter electi sunt ab Apostolis, vt mensis ex officio ministrarent, vt & nos supra diximus. Hæc ille.

De Chirotecis. Cap. 75.

POst indutam Dalmaticam Pontifex iuxta ritum Apostolorum, manus operit chirotecis, vt adimpleat id, quod Dominus ait: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Per chirotecam ergo cautela congruè designatur, quæ sic facit opus in publico, quod intentio continet in occulto.

Quandoque denudantur manus, deinde etiam velantur, vt docet cęremoniale: quia bona opera interdum occultantur, ad fugiendam vanagloriam. & interdum denudantur, vt ad ædificationem proximi propalentur. Mysticum sēsum ex coloribus elicias.

Competunt autem capiti Christo, quia chirotecæ sunt hædorum pelliculæ, quas Iacob manibus Rebecca circundedit, vt pilosæ manus maioris similitudinem exprimeret: Genes. 27. pellis hædi, similitudo peccati, qua Rebecca mater, idest, Spiritus sancti gratia, manibus veri Iacob, operibus Christi circumdedit: & similitudinē maioris, idest, prioris Adæ, Christus exprimeret. Christus enim similitudinem peccati, sine peccato suscepit, vt incarnationis mysterium Diabolo cælaretur. Nam ad similitudinem peccatorum esurijt, sitiuit, doluit, & expauit, dormiuit, & laborauit. Vnde cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Mat. 4. Accedens ad eum diabolus, eum ad similitudinem prioris Adæ tentauit. Sed qui primum vicerat, eisdem modis, victus est a secundo.

De Mitra. Cap. 76.

OMnibus his indumentis vestitus Pontifex, mitra ei imponitur, loco cædaris, iuxta id Ps. 8. Gloria & honore coronasti eum Domine. Sed Papa habet coronam ex concessione Constantini 96. dist. Constantinus. Mitra, significat scientiam vtriusque testamēti: duo enim cornua sunt duo testamenta, anterius nouum, posterius verò vetus: quæ duo Episcopus memoriter debet scire. 23. q. 1. Episcopus. Et illis tamquam duplici cornu fidei inimicos ferire, duæ vero fimbrię posterius dependentes, Spiritus, & litera sunt. Debet ergo esse paratus, tam in mystico, quam in hystorico sacræ scripturæ intellectu: in quarum sumitatibus sunt fimbriæ rubei coloris, denotantes eius promptitudinem ad fidei & Sacræ scripturę defensionem, etiam vsque ad martyrium 25. q. 1. Sunt quidam, quæ super scapulas pendent, ad notandum, quod id quod prædicat ore, ostendere debet opere, Nulla enim corporis pars est aptior ad onus ferendum, sicut sunt scapulæ; circulus aureus qui anteriorem & posteriorem partem mitrę complectitur,

ctitur, denotat, omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Caueat ergo diligens Episcopus, ne prius velit esse magister, quam norit esse discipulus, ne si cæcus cęcum duxerit, ambo in foueam cadant. Scriptum est enim in Propheta Osea. Quia tu scientiam repulisti, ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi.

Nota secundum cęremonial. lib. 1. cap. 17. quod mitrę vsus, antiquissimus est, & eius triplex est species: vna quę pretiosa dicitur, quia gemmis & lapidibus pretiosis, vel laminibus aureis, vel argenteis contexta esse solet: altera aurifregiata, sine gemmis, & sine laminibus aureis, vel argenteis, sed vel aliquibus paruis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermixto, vel ex tela aurea simplici, sine laminibus, & margaritis: tertia quę simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta, rubeis laniceis, seu francijs, & vittis pendentibus. Hęc autem diuersitas pręcipitur propter diuersitatem festorum & actionum. Quando autem sit vtendum vnaquęque mitra vide cęremoniale ibidem.

Episcopus non vtitur mitra in diebus ieiuniorum, quia dies illi sunt ordinati ad delenda peccata, quę tunc sunt reducenda ad memoriam, ideo nō sunt deferenda, quæ gaudium, sed quæ humilitatem & afflictionem denotant. Si in quarta Dominica Quadragesimæ vtitur, est propter gaudiū: vt infra dicetur in expositione Missalis illius diei.

Amplius notandum est, quod Episcopus quando prædicat populo insignia comminationis suæ resumit, scilicet, mitram & baculum: sed cum orat deponit, quia in oratione causam populi ad Deum agit, de consec. dist. 1, nullus Episcopus. & 45. dist. disciplina. ideo cum reuerentia hoc agere debet, scilicet, deposita mitra. Nam & Apostolus prohibet viros capite velato orare 1. Co. 3. Insuper notandum est, quod Romanus Pontif. in signum imperij vtitur regno, & in signum Pontificis vtitur mitra. Sed mitra vtitur semper & vbique: regno verò non semper, neque vbique, quia Pontificis authoritas, & prior est, & dignior, & diffusior imperiali potestate.

Sacerdotium enim in populo Dei, regnum præcessit, cum Aaron primus Pontifex Saulum primum regem præcesserit. Regno quidem non vtitur, nisi in certis diebus & locis: numquam intra Ecclesiam, sed extra: ad notandum esse in temporalibus regem: vel regem esse temporalem in certo loco: Pontificem vero vbique.

Competit autem mitra capiti nostro Christo, quia mitra Pontificis, ait Innoc. ibidem cap. 44. Illud significat quod Propheta loquens de filio dicit ad Patrem: Gloria & honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Psal. 8. Hoc est, illud nomen quod est super omne nomen vt in nomine Iesu oē genuflectatur cęlestium, terrestriū, & infernorum; Philip. 2. Nam & in aurea lamina cydaris Pontificalis sculptum erat nomen Domini Tetagrammaton, cuius mysterium superius pręlibauimus. Per mitram ergo capitis Christi summam illam honorificentiam intelligimus, quæ propter diuinitatem debetur humanitati. Nam propter pedem adoratur scabellum. Adorate, inquit, scabellum pedum eius quoniam sanctum est. Psal. 98.

De Annulo. Cap. 77.

Annulus est ornamentum digitorum, a circuitu, siue a rotunditate vocatus. Mos fuit veterum gerere annulum in digito sinistræ manus, qui est minimo proximus.

In præsenti, annulus est fidei sacramentum, quo Christus sponsam suam Ecclesiam subarrauit, vt ipsa de se dicere valeat: annulo suo subarrauit me Dominus meus Iesus Christus: cuius custodes sunt Episcopi, & Prælati, Annulos, pro signo in testimonium huius rei ferentes. Hunc annulum, dedit pater filio reuertēti. Luc. 25. Date ei annulum in manu eius. Ex quo in Euangelio annuli vsus creditur acceptus.

Annulus itaque Pontificis, integritatem fidei significat; vt videlicet Ecclesiam sibi creditam, sicut se, diligat; & sobriam, & castam cælesti sponso custodiat. Antiqui, literas annulo sigillabant, sicut & nunc nonnulli faciunt. Vnde Episcopus annulum portat, quoniam scripturæ mysteria & Ecclesiæ sacramenta, perfidis sigillare, & pijs reuelare debet.

Annulus quoque competit Christo. Annulus digiti, donum Spiritus sancti significat, ait Innoc. ibid. cap. 46. Digitus enim articulatus atque distinctus Spiritum sanctum insinuat secundum illud Exod. 8. Digitus Dei est hic. & Luc. 11. Si ego in digito Dei eijcio dæmonia, &c. Annulus aureus & rotundus perfectionem donorum eius significat, quam sine mensura Christus accepit, quoniam in eo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Nam qui de cælo venit, super omnes est. Io. 3. cui Deus non dedit Spiritum ad mensuram. Super quem videris Spiritum (inquit ibid.) sanctum descendentem & manentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Nam, requiescit super eum Spiritus sapientiæ, & intellectus, &c. Isa. 11. Ipse verò de plenitudine sua differentes donationes distribuit. Alij (secundum Apost. 1. Cor. 11.) dans sermonem scientiæ, alij gratiam sanitatum, alij operationem virtutum, &c. Quod & visibilis Pontifex imitatur, alios in Ecclesia constituens Sacerdotes, alios Diaconos, alios Subdiacones, & huiusmodi.

De Baculo. Cap. 78.

BAculus pastoralis est signum authoritatis: denotat enim correctionem pastoralem, ideo dicitur a consecratore: accipe baculum pastoralis officij, vt sis in corrigendis vitijs piè sęuiens. De quo dicitur 1. Cor. 4. In virga veniam ad vos. Nam taciturnitas in prælatis est peccatum mortale cum opus sit 43. dist. sit rector. 40. dist. Si Papa; in alijs est veniale. Virga ergo pastoralis, potestas intelligitur Sacerdotalis quam Christus ei contulit, quando Apostolos ad prædicandū misit, præcipiens eis vt baculos tollerent.

Et Moyses missus est cum virga in Ægyptum. Exod. 4 Baculus ergo & a lege & ab Euangelio sumitur. Item per baculum doctrinæ authoritas intelligitur. Hoc enim infirmi sustentantur, inquieti corripiuntur, errantes ad pænitentiam trahuntur, vt denotat curuitas. Quandoque baculus huiusmodi ex osse & ligno conficitur: & os superius curuatur: lignum inferius acuitur ferro, modicè tamen reconditur. Siquidem os est duritia legis, lignum, mansuetudo Euangelij, quæ duo coniuncta simul, sunt sphærula diuinitatis Christi: Vel os, seueritas: lignum Pontificis est leuitas. Nam seueritas vel misericordia multum destruitur si vna sine altera teneatur 45. dist. Disciplina. Ad quod significandum ferrum obtunditur: quia iudicium misericordia temperatur: baculus recuruatur cum pænitentes ad pænitentiam reuocantur. Si verò aliquando in corripiendo quis modum excesserit, non a subditis, sed a Domino veniam petat. ait Gratia. 86. dist. §. 2. Ne propter nimiam humilitatem, Prælati vilipendantur a Subditis, nam Dominus scit quod ex beni-

gnitate hoc fecerint. Ead. dist. quando necessitas.

Aliquando in curuatura, caput formatur: quoniam ad Deum conuersis vita æterna promittitur. Et aliquando ibidem scribitur, cum iratus fueris misericordiæ recordaberis: ne ob culpam gregis ira turbet in pastore oculum rationis. 6. qu. 1. ex merito.

Aliquando in sphærula scribitur; Homo; vt Pontifex se hominem memoretur, & non eleuetur de potestate collata. Aliquando iuxta ferrum scribitur. parce: vt in disciplina subditis, parcat: & misericors a misericordia misericordiam consequatur. Quod verò baculus est acutus in fine, rectus in medio, & retortus in summo, designat pontificem debere pungere pigros, regere debiles, sui rectitudine, & colligere vagos. 47. di. §. necesse 45. dist. disciplina. & cap. omnis. Adde, quod mansionarij qui portant baculos non curuos sed erectos, hoc ideo fieri, quia non habent colligere gregem in vnum, sed tantum prouidere vt actiones in choro & in processione ritè & rectè se habeant: Quare ex ipsamet actione concordat baculi rectitudo. In cathedrali autem Ianuensi in matutinis portant baculum alium, quem vulgo vocant, la crocciola; instrumentum quidem pro claudicātibus vt rectè ambulent: sic in choro vt omnia rectè agantur a recitātibus officium, huiusmodi portāt instrumentū.

Romanus Pontifex non vtitur virga pastorali, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem. Extra. de sac. vnc. cap. vnico. in fi. Historia est, quoniam Beatus Petrus Apostolus Martialem discipulum suum quem Dominus inter discipulos constituit, cū dixit: Nisi efficiamini sicut paruulus iste, nō intrabitis in regnum cælorū (Matt. 18.) misit cū quibusdam alijs ad prædicandū Germanis; qui in via ad viginti dietas defuncto Fronto collega eius redijt ad annunciandum hoc B. Petro: cui Petrus ait: accipe hunc baculum & tangens illum dic: Surge in nomine Domini & prædica. Ille vero in quadragesimo die a tempore mortis illius, tetigit eum, & surrexit, & prædicauit. Et ita Petrus baculum a se remouit, & subditis dedit, nec recuperauit. Innoc. verò Papa 3. Scripsit in Ecclesiæ speculo, quod B. Petrus misit baculum suum Euchorio primo Treuerorum Episcopo, quem vna cum Valerio & Materno ad prædicandum Euangelium genti Teutunicæ destinauit: cui successit in Episcopatu Maternus, qui per baculum Petri fuerat de morte resuscitatus: quem baculum vsque hodie cum magna reuerentia Treuerensis Ecclesia seruat. Et ideo Papa in illa diœcesi vtitur baculo & non alibi.

Mystica verò ratio est, quia baculus in sumitate curuus est, quasi ad attrahendum, quod in Romano Pontifice necesse non est: quia nullus ab eo finaliter diuertere potest. Præterea per baculum designatur coertio, quā, quia cæteri Pontifices ab homine recipiunt, ideo a suis superioribus baculos recipiunt & habent. Romanus verò Pontifex, quia potestatem a solo Deo accipit, baculum non habet. Hæc ex Innoc. 3. c. 9. lib. 1. decret. adde, quam coarctationem curuitas baculi significat. Quod autem a Deo immediatè accipiat authoritatem, apparet etiam ex bullis, siue constitutionibus vbi dicitur: sanctissimi Domini nostri Domini. N. diuina prouidentia Papa N. Constitutio. Alij verò dicunt, Illust. Domini Domini Nostri Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopi N. &c.

Competit & hoc Christo. Virga enim Pontificis ait Innoc. ibid. ca 45. Christi potestatem significat. De qua dicit Psal. Virga recta est virga regni tui; quia dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem propterea vnxit te Deus Deus tuus. Ps. 44. & alibi dicit: Reges eos in virga ferrea Ps. 2. Directio ferri

rigorem significat æquitatis, qua Christus tanquam vas figuli confringet peccatores. Verum potestas Christi non solum virga, sed & baculus est, quia non solum corripit sed & sustentat. Vnde Ps. 22. Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Designatur autem per baculum ea, quæ his versibus comprehenduntur.

In baculi forma præsul datur hæc tibi norma:
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum:
Attrahe peccantes, rege iustos, punge vagantes:
Attrahe sustenta, stimula, vaga, morbida lenta.

De Sudario. Cap. 79.

SVdarium linteum est, quo sudor faciei detergitur, & nares purgantur. Sudarium semper habet paratum ministrans Episcopo, quo ille sudorem, & omnem superfluum corporis tergat humorem: significans studium, quo humanas cogitationes in hac vita extergimus per exempla sanctorum patrum: quibus ad patientiā coroboramus. Sicut enim sudor est in corpore: sic tedium est in anima. Habeamus igitur sudarium, per quod mundanos extergamus affectus. Vel quia mentibus bene compositis ait Innoc. ibid. lib. 1. cap. 58. & diuino cultui mancipatis sæpè subrepit accidia, quæ quodam torpore reddit animum dormientem, dicente Psal. Dormitauit anima mea præ tædio. In sinistra manu quædam apponitur mapula, quæ manipulus vel sudarium appellatur, qua sudorem mentis abstergat, & soporem cordis excutiat, vt depulso tędio vel torpore bonis operibus diligenter inuigilet. Per manipulum ergo vigilantia designatur, de qua Dominus ait: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Vnde sponsa dicit in canticis. Ego dormio & cor meum vigilat. Hęc ille.

De Pallio. Cap. 80.

PAllium autem proprium est ornamentum Archiepiscoporum, Patriarcharum, & Primatū atque nonnullorum Episcoporum. Palliū apud nos succedit loco Rationalis. Datur autem Archiepiscopo pro Rationali in signum amplioris dignitatis, & perfectionis, quam habuit Pontifex veteris legis.

Hic notatione dignum, quod Archiepiscopus debet habere pallium, & non Episcopus. Cuius ratio est, quia quamuis Archiepiscopus non habeat gerere potestatem a potestate Episcopi (quod patet, quia ad ea, quæ sunt Episcopalis ordinis, omnes Episcopi sunt æquales) tamen Archiepiscopus eandem potestatem habet, & ampliorem, quam Episcopus. Et ideo ad hanc perfectionem designandum pallium sibi datur, quo vndique circundatur. Vel possumus dicere: quod licet Archiepiscopus non sit superior consecratione vel ordine Episcopo: est tamen superior potestate, & iurisdictione. Et ideo datur pallium Archiepiscopo, & non Episcopo: vt per illud a cæteris Episcopis discernatur, quodque priuilegiatam obtinet dignitatem: & vt ostendat se imitatorem Christi, qui languores nostros tulit.

Pallium quo maiores vtuntur, significat disciplinā qua seipsos ad exēplum subditorum, & etiam ipsos subditos regere & constringere debent. Per hanc acquiritur torques aurea, quam legitimè certantes accipiunt: sicut autem torques non dabatur nisi legitimè certanti: vt habet. 1. Cor. 9. ita & ad honorem pallij nemo ascensurus est, nisi qui in singulis bonorum gradi-

gradibus legitimè prius desudarit. Nam & officia secularia, non deferũt principalem locum ingressus in vestibulum actionis. 59. dist. si officia. Sed examinatis per plurimos gradus: & is gradus cæteros antecellat quem labor prolixior & stipendia longiora fecerũt anteire. C. de off. ma. offic. nemo. ff. de mu. & ho. gradatim.

Fit enim pallium de lana candida contextum, habẽs desuper circulum, humeros constringentem, & duas lineas ab vtraque parte dependentes. In lana quippe notatur asperitas, in candore benignitas designatur. Nam Ecclesiastica disciplina contra rebelles & ostinatos seueritatem exercet, ait Innocent. ibid. cap. 62. Sed erga pœnitentes & humiles exhibet pietatem. Propter quod de lana non cuiuslibet animalis, sed ouis tãtum efficitur, quæ mansuetum est animal. Vnde Isa. 53. Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suũ. Hinc est quod illius semiuiui vulneribus, quem Samaritanus duxit in stabulũ & vinum adhibetur & oleum, vt per vinum mordeantur vulnera & per oleum foueantur quatenus, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum seueritatis adhibet, in oleo molliciem pietatis. Hoc nimirum & per arcam tabernaculi designatur in qua cum tabulis virga continetur & manna: quoniam in mente rectoris cum scripturæ scientia debet esse virga districtionis, & manna dulcedinis vt seueritas immoderatè non sęuiat, & pietas plus quam expedit non indulgeat.

Circulus pallij per quem humeri constringuntur est timor Domini per quem opera coercentur, ne vel ad illicita deffluant, vel ad superflua relaxentur. Quoniam disciplina sinistram cohibet ab illicitis formidine pœnæ: dextram verò temperat à superfluis amore iustitiæ. Beatus ergo vir q̃ sẽper est pauidus Prouer. 28. Nam iuxta sententiam Ecclesi. 1. Timor Domini peccatum repellit: qui verò sine timore existit, iustificari non poterit. Hinc est quod pallium & ante pectus & super humeros frequenter aptatur super cuncta indumenta, vt cæteri hoc videntes ad legitimum certamen hortentur. Pontifex dum pallium sibi imponitur & detrahitur, osculatur, ad notandum summum legitimè certandi desiderium, & brauium promerendi. Habet autem pallium quatuor cruces purpureas, scilicet, ante & retro, à dextris & à sinistris: quæ sunt quatuor virtutes politicæ, scilicet, iustitia, fortitudo, temperantia, & prudentia: quæ nisi in crucis Christi sanguine purpurentur, falsum sibi nomen virtutis vsurpant, & ad veram beatitudinis gloriam non perducunt. Vnde Dominus Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum.

Is ergo, qui gloria pallij decoratur si cupit esse (ait Innoc. ibidem) quod diximus de crucibus in anteriori parte, debet habere Iustitiam, vt reddat vnicuique quod suum est. Prudentiã in posteriori, vt caueat quod vnicuique nociuum est. Fortitudinem à sinistris, vt eum aduersa non deprimant. Temperantiã à dextris, vt eum prospera non extollant. Duæ lineæ quarum vna post dorsum, & altera progreditur ante pectus actiuam & contemplatiuam vitam significant: quas ita debet exercere prælatus, vt exemplo Moysi in monte ascendat, & ibi Philosophetur cum Domino: nunc ad castra descẽdat, & ibi necessitatibus immineat populorum, prouisurus attentius vt cum sæpe se dederit alijs, interdum se sibi restituat. Quatenus & cũ Martha circa freques satagebat ministeriũ, & cum Maria verbum audiat Saluatoris. Vtraque tamen grauat inferius, quia, corpus quod corrumpi-

tur aggrauat animam cogitantem.

Quapropter, & pallium duplex est in sinistra, & simplex in dextra: quia vita præsens, quæ pro sinistra accipitur, multis est subiecta molestijs: sed vita futura quæ per dextram designatur, in vna semper collecta quiete est: quod veritas ipsa, designauit cum intulit; Luc.10. Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum est necessarium: Maria optimā partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum. Pallium duplex est in sinistro, quatenus ad tolerandas vitæ præsentis molestias prælatus fortis existat. Simplex in dextera, quatenus ad obtinendum vitæ futuræ quietem toto suspiret affectu; iuxta verbum Psal. dicentis: Psalm.26. Vnam petij à Domino hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Tres autem acus, quæ pallio infiguntur ante pectus super humerum, & post tergum, designant compassionem proximi, administrationem officij, & districtionem iudicij. Quarum prima pungit animum per dolorem, secunda, per laborem, tertia, per terrorē. Prima, pungebat Apostolum cum dicebat.2.Cor.11. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? Secunda est pręter illa quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Tertia, si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? super dextrum humerum non infigitur acus, quoniam in ęterna quiete nullus est afflictionis aculeus, nullus stimulus punctionis; Absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum & iam non erit ampliùs neque luctus neque clamor sed nec vllus dolor quoniam priora transierunt. Apocal. 21. Acus est aurea, sed inferius est acuta, & superius rotunda, lapidem continens prætiosum; quia nimirum bonus pastor propter curam ouium, interius affligitur, sed in cęlis ęternaliter coronatur, vbi prętiosam illam habebit Margaritam, de qua Dominus ait; Matth.13. Simile est regnum cælorum homini negociatori quærenti bonas Margaritas, abijt & vendidit omnia quæ habet & emit eam.

Dicitur autem pallium plenitudo Pontificalis officij, quoniam in ipso, & cum ipso confertur Pontificalis officij plenitudo; quia non potest exercere officia Episcopalia, scilicet, non debet clericos ordinare; dicunt tamen aliqui quod extra Prouinciam inuitatus posset ordines tamquam simplex Episcopus cælebrare: item non potest Pontifices consecrare, vel Ecclesias dedicare, nec Archiepiscopus appellari. extr. de elect. quod sicut. in fi. de post. bonæ 2. ad fi. Et intra tres menses pallium dari debet: atque benemeritis datur, & fortiter postulantibus: quod si à tēpore suæ ordinationis, siue consecrationis vltra hos tres menses distulerit pallium petere carere debet dignitate sibi commissa; & alij Metropolitani cum cōsilio Summi Pontificis viduatæ Ecclesiæ prouidebunt. vt 100. dist. quoniam.

Pallium dicitur sumi de corpore Beati Petri; quod sic intelligitur, secundum Glos. de elec. lib.1. tit.6. cap. 4.§. corpore assumuntur: quia benedicitur, & consecratur à Papa supra Altare B. Petri, & ibi ponitur; & ille, qui debet vti pallio recipit ipsum de Altari, si est præsens, vel alius pro ipso si est absens: & ita assumitur de corpore B. Petri. Forma autem tradendi pallium Archiepiscopis est ista, vt colligitur ex Glos. de auct. & vsu pallij cap.4.§. ad honorem. Ad honorem Dei omnipotentis & B. Mariæ semper Virginis, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum & Domini Papæ Gregorij & Ecclesiæ Romanæ & Ecclesiæ talis tibi commissæ tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum in plenitudinem

dinem Pontificalis dignitatis vt vtaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in priuilegijs Ecclesiæ tuæ concessis a Rom. Eccl. Dies autem notantur in cæremonial. libr. 1. cap. 16.

Romanus autem Pontifex semper & vbique vtitur pallio: alij in Ecclesijs suis, & certis diebus tantum. De author. & vsu pallij. tit. 1. 8. c. 4. Item, Archiepiscopus alteri Archiepiscopo pallium suum accommodare non potest. eod. tit. cap. 2. Ampliùs, in qualibet Ecclesia suæ Prouinciæ permissis diebus Archiepiscopus missam cælebrans, vti potest pallio. eod. tit. cap. 6. cum sis. Prouideat ergo diligenter Episcopus, & attendat Sacerdos studiosè, inquit Innocent. ibid. cap. 65. vt signũ sine significata non ferat, vt vestem sine virtute non portet. Ne fortè sit similis sepulchro deforis dealbato, intus vero plenus spurcitiæ. Qui autem sacris ornatur indumentis, & honestis non induitur moribus, quanto venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum. Pontificalem itaque gloriam iam non commendat honor vestium, sed splendor animarum.

Nota quod palliatus ad aliam trãslatus Ecclesiam, non potest vti pallio in prima Ecclesia obtento: quia non solum datur contemplatione personę, verum etiam loci: extr. de post. bonæ. ad fin. Hinc est, quod non potest vti eo extra Prouinciam sibi decretam: Extra. de vsu pallij, cum nuper. & ca. ex tuarum. Nec etiam potest quis vti pallio nisi intra Ecclesiam in Diuinis officijs. Vnde si fortè processionaliter, vel ad prædicandum, vel aliquod huiusmodi eum Ecclesiam exire contigerit cum pallio non exibit. ext. eod. cap. 1. dist. 1. pallium. Et cap. semper. Animi gratia declarentur cærimoniæ antiquæ, scilicet, ante reformationem.

Pontifex ergo cum erat indutus his omnibus ornamentis supra commemoratis alias vertebat se versus aquilonem, (nam ab aquilone pandetur omne malum) seu versus Altare sicuti sibi licebat, tanquam aduocatus & pugil cum hoste pugnaturus antiquo, vestibus sacris quasi armis & ense munitus. Sic itaque armatus ad certamen contra spiritualia nequitiæ in cælestibus & pro sedanda in subditos iudicis ira ad Altare procedebat, & per confessionem diaboli dominio renunciabat, & seipsum accusabat. Populus vero quasi pro suo pugile oraturus terræ prosternebatur; (vt etiam nunc fit) vt attentius Missam audiat. Insuper alias caligis & sandalijs impositis Pontifex caput pectinabat, manus & faciem lauat, quod ego vidi ante cæremonialis reformationem. Nam & legalis Sacerdos sacrificaturus lotis prius manibus & pedibus induebat Manastasim, cuius loco hodie sandalia habentur: vt supra tactum est. Pectinabat igitur caput & faciem lauabat: Primò, exemplo Mariæ quæ futuram Christi passionem figurãs vnxit oleo caput eius: etenim in Missæ officio Christi passio repræsentatur. Secundò, ex mandato Domini dicẽtis Luc. 3. Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Per hoc significans quod in sanctis operibus nostris omnem fictionem & simulationẽ a nobis amouere debemus. Tertiò, pectinabat caput, nam per capillos superfluæ cogitationes & cura terrenę sollicitudinis, per caput mens & intentio, quæ cunctis animæ actibus sicut caput cæteris membris supereminet significatur. Congruè ergo pectine capilli complanabantur, & ordinabantur, & euulsi separabantur, ad notandum quod tũc specialiter mores componere & superfluas cogitationes a se repellere debebat iuxta illud. Auferte malum cogitationum vestrarum, atque mens ipsius præuia discretione separari, quietari, & purgari a terrenis sollicitudi-

tudinibus & virtutibus (vt & nunc) ornari debebat. Pecten enim propter ordinatam incisionibus diuisionem discretionem significat, qua intentio animæ adornatur sicut capilli capitis pectine adornantur. Manus autem lauabat propter reuerentiam tanti sacramenti, quatenus ad illud pertractandum mundissimus accedat: quod hodie obseruatur in sacrario antequam se induat. Cæremoniale autem non agit vt Episcopus se pertinet, forte, quia populus non ita suscipit ac tenet mysticas has rationes, putans Episcopum hoc agere ornamenti & oblectamenti causa. His omnibus ornamentis indutus tempore ordinationis non nullæ Ecclesiæ ponunt septem candelabra cum suis candelis accensis: fortè propter septem ordines quos est collaturus. Vel propter septem dona Spiritus sancti quæ accepturi sunt ordinandi. Non potest enim melius designari donũ Spiritus sancti quã in igne, quia taliter descendit, super Apostolos.

De Coloribus quibus vtitur Ecclesia. Cap. 81.

HIs autem visis, quæ ad Ecclesiã, & extra, & intra ipsam pertinẽt, & de ornamentis: nunc dicendum est de quibus coloribus debent esse hæc vestimenta. Notandum ergo est, quod quinque sunt colores Principales, quibus vtitur Ecclesia, scilicet, Albus, Rubeus, Viridis, Niger, & Violaceus. vt habetur ex Rubrica Missalis reformati. 18. num. 1. in legalibus autem indumentis quatuor colores tantum fuisse leguntur: byssinus, purpura, hiacyntus, & coccus.

Albis indumentis vtitur Ecclesia Roma. in festiuitatibus sanctorum cõfessorum, & Virginum tantum: propter confessionem Ecclesiæ, quæ virga est, cui debetur color albus propter suam puritatem & innocentiam, quę a Christo virgo electa est: iuxta illud 2. Cor. 11. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Et in festis B. Mariæ, & Angelorum, & sancti Io. Baptistæ: & hoc propter suam integritatem & innocentiam: iuxta id Apoc. 3. Virgines enim sunt: & in cathedra sancti Petri, & in conuersione sancti Pauli, nam tunc tanquam Confessores cælebrantur, quia nondum martyrio coronati erant. Hinc sponsa ait Can. 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, candidus in confessoribus, Rubicundus in martyribus, & Apostolis. Hi & illi sunt flores rosarum, & lilia conuallium. In natiuitate Saluatoris, quoniam natus est mundus, idest, carens originali peccato. Ascendit enim Dominus super nubem leuem, idest, sumpsit carnem a peccatis immunem, & intrauit Ægyptum, idest, venit in mundum, iuxta quod ait Angelus ad Virginem Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ioannes autem, & si fuit conceptus in peccato originali, fuit tamen sanctificatus in vtero secũdum illud propheticum: Antequam exires de vulua sanctificaui te: Ier. 1. & angelus Luc. 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & ideo in eius natiuitate Ecclesia vtitur colore albo. Similiter & in alijs festiuitatibus quas nunc omittimus; vt est videre in Rubrica citata. num. 1. In Epiphania, propter splendorem stellę.

Feria quinta in cæna Domini, propter confectionem chrismatis, quod consecratur propter mundationem animæ: & propter institutionem sanctissimi sacramenti Eucharistiæ. In ascensione propter angelos, quia apparuerunt in vestibus albis.

In Resurrectione propter Angelũ testem resurrectionis qui apparuit stola candida coopertus. Item, quia talis color significat lætitiam, & de his maximè

ximè lætari debemus. Vnde & in sacrificijs Cereris, tali colore sacrificabant. In Dedicatione Ecclesiæ: nam & Ecclesia virgineo nuncupatur nomine. De qua dicitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant.4.

Rubeis vestimentis vtitur Ecclesia in festiuitatibus Apostolorum, Euangelistarum, & martyrum propter sanguinem passionis, quem pro Christo fuderunt: nam & ipsi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine agni. Apocalyp.7. Item, in festo Crucis, in qua Christus sanguinem suum pretiosum pro peccatis nostris fudit. Isa.61. Quare rubrum est vestimentum tuum? Itē in vigilia Pentecost. usque ad Sabbatum post ipsam inclusiuè, propter Spiritum sanctum qui apparuit super Apostolos in igneis linguis propter feruorem. Cum autem cælebratur festū de virgine quæ sit etiam martyr, vtendum est rubeo, quia martyrium præfertur virginitati, quod signū est perfectissimæ charitatis. Vnde dicitur Io. 15. Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat, quis pro amicis suis. Vide rubri. eandem numero 3. Item, antiquitus cooperiebant loculum vestimentis rubeis, in quibus iacebant corpora victorum, vt videntes excitarentur ad obtinendam huiusmodi victoriam. & hæc est Ecclesiæ intentio, erga suos filios, ne timeant mortem, ad imitationem antiquorum.

Nigro colore vtitur Ecclesia Feria sexta in parasceue, & in missis, & officijs defunctorum tantum. Vt patet ibidem num.6. Ratio patet in lib. 4.c. de agenda mortuorum sub die 2. Nouembris. Sponsa quippe in Cantic. 1. Nigra sum sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol. Item, vtitur nigro colore in his diebus propter mestitiam, vt patet in morte parentum, & significat etiā firmitatem, vt manifestum est in habitu omnium fere religiosorum, &c.

Viridi colore vtitur Ecclesia in omnibus Dominicis infra annum, & diebus ferialibus earundem Dominicarum: quia viridis color est medius inter albedinem & nigredinem & ruborem: ideo inter tempora viridi vtitur colore, tamquam medio; vt inter Epiphaniam & Septuagesimam, quādo vtitur albo & violaceo, qui habetur quasi pro nigro: & inter Pentec. & Aduentum quando vtitur Rubeo & violaceo. Vel fortè dicas & melius, quia, hæ Dominicæ respiciunt quartum tempus, scilicet, peregrinationis: quia sumus in via, & speramus ad patriam peruenire. Viridis enim color, significat spem. iuxta id Rom.8. Spe enim salui facti sumus vide Rubric. eand. num. 4. & quia speramus adipisci illam patriam cælestem: ideo Ecclesia vtitur in illo tempore viridi colore.

Violaceó colore vtitur Ecclesia a Dominica prima Aduentus vsque ad Vigiliam Natiuitatis Christi inclusiue. Et a Septuagesima vsque ad officium missæ vigiliæ Paschæ: & in diebus quatuor temporum, exceptis vigilia, & quatuor temporibus Pentecostes: & generaliter in omnibus processionibus, exceptis processionibus sanctissimi Sacramenti: sancti Io. Baptistæ & huiusmodi. In Missa pro quacumque necessitate, pro peccatis, &c. vide ibid. num. 5.

Si dicatur quare Diaconus vtatur Dalmatica alba cum cantat, Exultet iam angelica; dic quod ideo fit, quia benedictio illa est de resurrectione sicut & missa, & ad resurrectionem Christi pertinet. Sed illa benedictione expleta, iterum sumit planetam violacei coloris, & illam tenet vsque ad inchoationem Missæ.

In processione etiā Purificationis, quia

quia illud officiũ est de anxia Simeonis expectatione, & sapit vetus testamentum. Hic color mæstitiam denotat & afflictionem populi: vt sunt missa pro peccatis, de passione, pro necessitate, & huiusmodi.

Item, in festo sanctorum Innocentium, quia vox in Rhama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt. Et propter eandem causam subticentur cantica lætitiæ. In quo festo quidam nigris vel violaceis, alij verò rubeis indumentis vtendum esse contendũt: illi propter tristitiam, quia vox in Rhama, &c. Isti propter martyrium quod principaliter commemorat Ecclesia: Sub throno Dei omnes sancti clamant: vindica sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est Deus noster. Vnde vtitur vterque, scilicet, in die violaceo, & in octaua rubeo propter ambas rationes. Si verò in Dominica venerit hoc festũ vtendum est rubeo colore propter honorem Dominicæ diei, quæ Dominica celebratur (vt alibi diximus) in honorem Resurrectionis: & in festiuitatibus huiusmodi non est vtendum violaceo colore: præcipuè cum illa Dominica nõ repræsentet vllum tempus mestitiæ, sed potius lætitiæ, cum sit Dominica infra octauam Natiuitatis Christi: & rubeus color denotat victoriam, vide in eorum festo.

Iste color significat constantiam, excellentiam, maturitatem, & consilium, & conuenit magnis doctoribus & prælatis: vnde antiquitus reges ita in luctu vestiebant, in signum maturæ constantiæ, quia etsi rem amaram perdiderant, non tamen animum.

Colores huiusmodi, & modum ornandi altaria pro diuersitate temporum, in tempore lætitiæ & in tempore luctus, sumpsit exordium a lege veteri. Nam de tempore luctus dicitur Iudith. 4. & induerunt se Sacerdotes cilicijs, & infantes prostrauerũt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio: & clamauerunt ad Dominum Deum Israel vnanimiter, ne darentur in prædam &c. Ecce quomodo operuerunt altare cilicio, in signum mestitiæ. Et Glossa ibidem. Ne autem ignores, quid sibi vult dicere Glossa: nota quod, Glossa Græcè, Latinè dicitur lingua: eo quod vice linguæ, hoc est, vice doctoris fungatur: sicut tomus, a tomi dicitur, id est, sectio.

De Concilijs, seu Synodis, & Visitatione Episcoporum in sua diœcesi. Cap. 82.

Concilia alio nomine Synodi, id est, conuentus vel cætus dicuntur. Nam Synodos Græcæ, Latine cõuentus, siue cætus dicitur. Concilij verò nomen tractum est ex more Romano. Tempore enim quo causæ agebantur, conueniebant omnes in vnũ, communique intentione tractabant. Vnde concilium, a communi intentione dictum quasi consilium: concilium quasi consilium d, in l, literam transeunte. Vel concilium dictum est a communi intentione, eoquod in vnum dirigant omnem mentis obtutum. Cilia enim, oculorum sunt: vnde qui sibimet dissentiunt, non agunt concilium, quia non cõsentiunt. Vel, dicũtur concilia, a con & cilium cilij, quia cilia sibimet consentiunt in vnũ, quando concordant homines inter se.

Cætus verò conuentus est, vel congregatio a coeundo in vnum. Hinc etiam conuentus est nuncupatus, eoquod ibi homines cõueniunt in vnũ: sicut a conuentu cætus dicitur, sic & concilia a societate multorum. Hæc Isidor. lib. 6. Ethymolog. cap. 16. & 15. dist. cap. 1. In his autem Concilijs continentur canones: Concilia quædã sunt generalia, & quædam particularia, immo quasi ignota. Concilia generalia ortum habuerunt a tempore

Constantini qui dedit facultatē Christianis liberam congregandi, quod numquam antea concessum fuit. Et licet 6. dist. dicatur: quod a tempore Clementis fuerunt cælebrata concilia: dicit Glos. ibid. quod verum est, sed non ita generaliter: & sic hoc verbum generaliter soluit contrarium.

In his concilijs fiunt constitutiones humanæ, quæ duplices sunt, nempè, Ecclesiasticæ, & sæculares. Ecclesiasticæ cæperunt a Moyse, & tempore Moysi: sæculares verò a diuersis, & tempore diuersorum. dist. 7. ca. Moyses. In quo cap. numerantur septem personę, scilicet, Moyses, Phoronęus, Mercurius Trimegistrus, (qui sic dicitur propter tres potentias, scilicet, eloquentiam, scientiam, & virtutem) Solon, Licurgus, Numa pompilius, & decem viri Romani qui acceperunt potestatem, corrigendi, & interpretandi leges. Nouæ autem leges a Constantino Cesare cæperunt, & reliquis succedentibus, erantque; permixtæ & inordinatæ. Concilia debent cælebrari bis in anno sic ait can. Apostolorum can. 3. vbi sic dicitur: Bis in anno Episcoporum concilia cælebrentur vt inter se inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contentiones amoueant. Hoc idem habetur in Concil. Antioch. cap. 10. dist. 18. propter. Et Concil. Nice. ca. 3. hodie tamen semel tantum fit. 18. distin. cap. 7.

Forma autem cælebrandi conciliū & Synodum traditur in Concil. 4. Tolet. can. 3. Variæ autem sunt Synodorum Species. Ex imitatione enim huius Apostolici can. 38. Siue huius instituti Apostolorum, in Ecclesia cæperant frequentari Synodi, quarum aliæ sunt vniuersales quæ per summū Pontificem, aliæ prouinciales, quæ per primates & Archiepiscopos, aliæ Episcopales, seu diœcesanæ quæ per Episcopos, aliæ Archidiaconales, quæ per Archidiaconos, & Archipresbyterales, quæ per Archipresbyteros inducūtur. Verum hæc differunt a prioribus, duæ posteriores, quod in his nihil noui statuitur, sed tantum quod in prioribus decretum est, per Archidiaconos, & Archipresbyteros, cleris & plebibus ipsis subiectis, annunciatur. Et habetur c. dudum, 3. qu. 6. Cōcilium generale siue vniuersale non debet fieri sine authoritate Papæ. 12. dist. c. 1. & Glos. ibid. & hoc statutum fuit a Marcello Romano anno Domini 302. Item, nec particulare, sine authoritate metropolitani, vel primatis.

Porro frequens Conciliorum maximè generalium cęlebratio agri Domini pręcipuè cultura est, quæ vepres spinas & tribulos hæresū, & schysmatū, extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineā Dñi ad frugē vberrimè fertilitatis adducit. hęc ex cóc. Bas.

Ad hæc Concilia adduntur Visitationes, quæ etiam fieri debent. Et in ipsa Visitatione inquirendum est de vita, & doctrina clericorum. Et habetur cap. Episcopum. Et c. placuit. 10. q. 1. Debet tunc etiam Episcopus, curare vt Ecclesiæ destructæ, seu desolatæ reparentur, & reinstaurentur.

Discussis clericis, inquirere debet, de fide, vita, & conuersatione laicorum, & docere illos, vt errores fugiāt, & crimina mortifera, & quod sibi fieri nolint, alteri ne faciant, vt memores sint diei tremendi iudicij Dei, in quo vnusquisque secundum opera sua recipiet. & tandem vt vno verbo dicam, Episcopus debet in sua Visitatione totam rem Ecclesiasticam ad regulam scripturarum, & sacros canones exigere, & disponere, quemadmodum, Apostolus Corinthi se facturum cum eo venerit visitaturus Ecclesiam, contestatur 1. Cor. 11. Vbi quoque multis Corinthiorum abusibus grauissimè reprehensis, tandem subijcit; cætera autem cum venero disponam. Et si est infirmus visitet per alios; vt præcipitur in 4. Concil. Tolet. 35. Et quidem Episcopos in hoc munere cessantes, Dominus durissimè increpat

pro Ezec. 34. Errauerunt, inquit, Greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret. Et post pauca. Hæc dicit Dominus: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et paucis interiectis subd. Quod perierat requiram: & quod abiectum erat reducam: quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat cōsolidabo: & quod pingue & forte custodiam, & pascam in iudicio. Et apud Ierem. Durissimas pastoribus negligentibus pœnas se sumpturum comminatur, dicens: Vos dispersistis gregem meum, & eijcistis eos; & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos, malitiam studiorum vestrorum. Immo etiam iram esse grauiter offensi Dei quoties datur aliquis pastor hac in parte negligens, ipse Dominus in Zachar. Propheta attestatur cum ait: quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet. Post quæ continuo hac terribili voce proclamat: O pastor & idolum, derelinquens gregem. De bonis autem dicitur Ierem. 3. Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascentes cum disciplina.

Pastores enim dantur vt pascant præcipuè, non vt tondant, (ait Glos. in extra. libr. 3. de sepul. §. deputatos) seu pascantur, nisi accessorie. extra. de præscri. cum ex officij. extra. de censi. Procuratores. Et c. cum Apostolus. extr. lib. 6. de offic. ord. si Episcopus. Sed hodie (subdit) Grex iste sic respicitur quod nulli (proh dolor) intendunt ad pasturam, & omnes communiter ad tonsuram, intendentes emungere, non nutrire: lac & lanam curantes, non ouem. De quibus dicitur illud Isa. 58. Canes muti non valentes latrare.

E contra, subiecti, siue prælati sint boni, siue mali, debent istis prælatis, inquam, siue præsidibus Ecclesiarum obedientiam præstare, nimirum vt iudicibus a Deo constitutis in his quæ ad salutem animarum pertinent. Deinde subiectionem tāquam a Deo præpositis: quorum vtrumque Apostolus complexus Hebr. 13. ait; Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Reuerentiam quoque debent & honorem tam quam patribus suis spiritualibus. Victum denique & sumptus sine quibus Ecclesiasticum ministerium exerceri non potest præstare debent. Et vtrumque rursus vno verbo compræhēdens Apostolus ait: Qui bene præsunt præsbyteri, duplici honore habentur, maximè, qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti, & dignus est operarius mercede sua.

De visitatione autem legitur Act. 15. Dixit Paulus ad Barnabam: reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant. Et paulò post. Perambulabat autem Paulus Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Rursus Act. 16 cum autem pertransirent ciuitates tradebant eis seruanda decreta quæ erant ordinata ab Apostolis, & Præsbyteris; qui erant Ierosolymis. Et ante D. Paulum hoc munere sanctus Petrus diligenter perfunctus, est, vt (Act. 9.) legimus. Ecclesia per totam Iudęam, & Galilęam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatio-

folatione Spiritus sancti replebatur. Factum est autem vt Petrus transiret vniuersos, de veniret ad Sanctos, qui habitabant Lydiæ.

Ex quo loco hoc erit diligenter adnotandum, quod visitatio non modo vtilis est, & necessaria, cum oppugnatur Ecclesia per tyrannos & hæreticos; sed & tempore pacis, ac tum potissimum ne dormitãtibus pastoribus, lupus de insperato in ouile dominicũ irrumpat, & gregem dilaniet. Debet autem Episcopus secũdum sacros Canones singulis annis circuire diœcesim suam, & visitare parochias sub se constitutas. Et in hoc debent se ostendere constantes non causa variationis id agere: quia vt ait Glos. in Clem. lib. 1. tit. 4. cap. vnic. Maior constantia & honestas requiritur in personis Ecclesiasticis quam in cæteris, ideo variatio magis reprobatur in Clericis, quam in Laicis. Nam laici se conformant vitæ Clericorum & Prælatorum, iuxta id, si peccauerit vnctus, faciet peccare populum: & dic, vnctus, idest, clericus vel prælatus.

Synodi autem principales quatuor fuerunt, (vt alibi dicimus) quæ ad autenticandam, authorizandam & defendendam fidem quam Scriptura sacra prædicat, conuenerunt, nempè; Nicena trecentorum decem & octo Episcoporum, Constantino Augusto Imperante peracta; in qua Arrianæ perfidiæ blasphemia condemnatur: quia inæqualitatem Sanctæ Trinitatis Arrius asserebat. Sed consubstantialem Deo Patri Deum Filium eadem Synodus confitetur.

Secunda, Constantinopolitana, centum quinquaginta patrum sub Theodosio seniore: quæ Macedonianũ negantem Spiritum sanctum esse Deum condemnauit, consubstantialem esse Patri, & Filio Spiritum sanctum demonstrans, & dans formam Symboli quam tota Græcorum, & Latinorum confessio prædicat.

Tertia, Ephesina, ducentorum Episcoporum sub Theodosio Iuniore Augusto edita: quæ Nestorium duas personas in Christo confitentem iusto anathemate condemnauit: ostendens manere in duabus naturis vnam Domini Nostri Iesu Christi personam.

Quarta, Calcedonensis, ducentorum triginta Sacerdotum sub Martiano Principe habita, in qua Eustichen Constantinopolitanum verbi Dei & carnis vnam naturam pronũciantem, & eius defensorem Dyoscorum quõdam Alexãdriæ Episcopum: Et ipsum rursus Nestorium cum reliquis hæreticis vna patrum sententia condemnauit: prædicans sic natum Christum de virgine: vt in eo substantiam Diuinæ & humanæ confiteretur naturæ. Hæc sint dicta pro Parochis, & Clericis vniuersis.

Finis Libri Primi.

DIVINORVM OFFICIORVM LIBER SECVNDVS, scilicet, DE MISSÆ SACRIFICIO.

Testimonia & Prophetiæ de Missæ Sacrificio.

Caput Primum.

ANtequam ad Missæ declarationem accedamus, dignum ducimus (ad confusionem omnium infidelium, præcipue Iudæorum) vt nonnullorum patrum, & primum antiquorũ Hebræorum, qui fuerunt ante Christum natum, in medium afferamus: qui, referuntur a Garetio, de Sacr. Alt. mysterio. Rabbi Iudas (inquit) vixit antequam Christus nasceretur secundum carnem, ita ait in cap. 28. Numer. Panis facierum coram me semper. Quare dicitur panis facierũ, ratio est, trãsmutabitur, idest, transubstantiabitur, ex substantia panis, cum sacrificabitur, in substantiam corporis Messiæ, qui descendit de cælis. Et ipse idẽ erit sacrificium, &c.

Rabbi Simeon, & ipse vixit ante Christum natum secundum carnem; in libro, cui est titulus: inuestigatio secretorum ita ait: Hoc est sacrificium, quod postquam venerit Messias, facient Sacerdotes coram Deo Sancto & benedicto. Tunc enim cessabunt omnia sacra, quæ prius fiebant. Faciẽt autem sacrificium illud ex pane & vino. hæc & alia refert ille. Erubescant ergo & confundantur Iudæi, qui vident hodie hæc vera esse, & sua sacrificia cessasse; ex testimonijs authorum suorum. Qui plura desiderant, eundem authorem videant, pro nunc illos in sua cæcitate sinamus, atque sanctorum patrum opiniones sequamus, quæ quidem primum sunt apponendæ.

Prima autem opinio sumitur ex Diuo Augustino libro decimo octauo de ciuit. Dei cap. 35. cum ait: Malachias Prophetans Ecclesiã, quam per Christum iam cernimus propagatam, Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei: non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda, dicit Dominus. Hoc sacrificium per sacerdotium Christi, secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco, a solis ortu vsque ad occasum,

ſum, Deo iam videamus offerri: ſacrificium autem Iudæorum ceſſaſſe, negare non poſſunt.

Idem, ibidem. lib. 16. capit. 22. Cum Melchiſedech Abrahæ benediceret, ibi primum apparuit ſacrificiũ, quod nunc a Chriſtianis offertur Deo, toto orbe terrarũ; impleturque illud, quod longè poſt hoc factum, per Prophetam dicitur ad Chriſtum, qui fuerat venturus in carne. Tu es Sacerdos in ęternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Non, ſcilicet, ſecundum ordinem Aaron; qui ordo fuerat auferendus, illuceſſentibus rebus, quę illis vmbris prænotabantur.

Idem lib. 20. contra Fauſtum c. 18. ait: Hebræi in victimis pecoris, quas offerebant Deo, multis & varijs modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam cælebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti eiuſdem ſacrificij in memoriam cælebrant, ſacroſancta oblatione, & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.

De figuris huius ſacrificij Miſſæ.
Cap. 2.

PRima figura in lege Naturæ, fuit oblatio, ſiue ſacrificium Melchiſedech. Geneſ. 14. quod patet ex Pſal. 109. vbi loquitur Deus Pater ad Filiũ: Tu es Sacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchiſedech. Ipſe obtulit panem & vinum. Itaque ſacrificium Melchiſedech in pane & vino noſtrũ figurauit Sacramentum, atque hæc figura veritati non multum diſſimilis eſt, eo quod vtrumque ſacrificium fiat in pane & vino. Idem ſibi vult & nomen, quia Melchi, regem ſonat, & ſedech, iuſtitiam: quis autem rex iuſtitiæ magnus eſt, & rex pacis, niſi Chriſtus? Rectè igitur, Melchiſedech Chriſtum ſignificat.

Altera autem huius Sacramenti figura fuit agnus paſchalis, quem Deus præcepit Iudæis per Moyſen immolandum & manducandum, fuitque adeo ille typus Chriſti, qui verus eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: id ita eſſe, quod Agnus ille ſignificarit Chriſtum, quo modo in Cruce oblatus eſt, & adhuc quotidie offertur in ſacrificio Miſſæ, mirificè Paulus teſtatur cũ dicit. 1. Cor. 5. paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Quia ergo Dominus venit perficere legem, poſtquam in vltima cœna comederat agnum paſchalem ex præſcripto legis, ſtatim inde hoc ipſum inſtituit Sacramentum, quaſi per hoc volens innuere deſijſſe iam agnum typicum, ſiquidem figura deſinat oportet, ſuperueniente veritate, quam ſignificarat. Vnde rectè Paulus docet verum huius agni eſum fieri oportere, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitię, hoc eſt, in obſtinatione Iudaica, vel hæretica prauitate, ſed in azimis ſynceritatis & veritatis, in fide, ſcilicet, vera, & Catholica; ſed nunquid deſunt figurę? Nequaquam. Nam & panis ſubcinericius Eliæ, hoc idem ſignificauit.

Item panes propoſitionis erant figura huius Sacramenti vt patebit ex cæremonijs dicendis. Vnde circa hos panes & eorum cęremonias ſunt quędam notanda: & primo ſic. Iſti panes propoſitionis alio nomine dicebãtur, panes facierũ: & Hebræi dicunt quod appellabantur facierum, quia habebant duas facies: ſcilicet, quod tales erant in parte ſuperiori ſicut in inferiori: & hoc volunt, quia dicunt illos formari in quibuſdam vaſis aureis poſitis ad ignem, ſicut hoſtię nunc fiunt in vaſis ferreis, & vtrobique poſſunt habere faciem. Panes autẽ vulgares, qui coquuntur in clibano vnicam faciem habent, quia pars illa quæ adhæret pauimento clibani denigratur aliqualiter & contrahitur in rugam; vel fiunt in ea aliquæ diuiſiones. Sed hoc ſtare non poteſt, nam non poterant panes

tantæ

t ntæ quantitatis coqui intra vasa aurea, aut ferrea. Quilibet enim panis horum habebat duos decimas similæ, idest, duo Gomor. Leuit. 24. Et sic erant tantæ quantitatis quantum comedere possent duo homines in die tota.

Ideo aliter dicendum est, quod isti panes, vocãtur panes facierum, idest, faciei, (quia in Hebræo ponitur plurale pro singulari, maximè in isto nomine facies) eo quod semper dicitur facies Domini, quia erant propositi coram facię Domini. Hoc autem significat litera nostra vocãs illos panes propositionis, idest, panes positos ad conspectum Domini in tabernaculis. Nã Leuit. 24. iubetur, quod illi panes sẽper sint coram Domino, & hæc erat vna cærimonia. Ex hoc sumpsit Ecclesia initium adseruandi Eucharistiam in templo. Isti autem panes propositionis manebant super mẽsam septem diebus, & in Sabbatho tollebantur (nempè in die veneris de sero) & ponebantur alij duodecim. Fiebat autem ista mutatio de Sabbatho in Sabbathũ ne fortè corrumperentur: quia cum esset ista positio panum in mensa corã Domino, quidam cultus diuinus, & non deberet fieri quotidie; potius debebat fieri die solemni quam alijs diebus, quia illa die maior cultus exhibẽdus est. Et licèt quotidie sacrificia offerrentur, tamen in Sabbathis plura offerrebantur quã in alijs diebus profestis. Num. 28. Aliqui tamen dicunt quod hoc fiebat de Sabbatho in Sabbathum, quia vices Sacerdotum mutabantur de Sabbatho in Sabbathum. Erãt enim Sacerdotes distincti per 24. sortes, vel vices; primo Paral. 24. Hinc Ecclesia sumpsit initium de mutando Sacramentum Eucharistiæ in qualibet hebdomada. Et hæc erat alia cærimonia.

Secundò notandum est, quod isti panes propositionis erant duodecim, quia pro duodecim Tribubus Israel, offerebantur; vt Deus eorum recordaretur. Leuit. 24. Hos panes etiam formabant Sacerdotes, & non mulieres; & hoc fiebat, quia sanctitas panũ hoc postulabat: (hinc est quod Sacerdotes Græci formant hostias in sacrario ante Missæ cælebrationem) voluit enim Deus, quod isti panes essent magnæ sanctitatis, quanto autem aliquid sanctius erat, tanto a paucioribus tangi, & videri debebat propter suam venerationem: (vnde malè agunt illi, qui faciunt deosculari paruum tabernaculum cum sanctissimo Sacramẽto.) Sic patet de arca quæ erat sanctior inter omnia vasa sanctuarij; & ideo non debebat videri nuda, nec etiam a Leuitis, & si quis videret eam nudam moriebatur: Num. 4. ita enim mortui sunt Bethsamitę videntes eam 1. Reg. 6. Sic igitur cum panes propositionis essent sanctissimi non debebant formari a mulieribus. Rectè sentiunt *illæ* Ecclesiæ quæ prohibent mulieres & laicos formare hostias. Ex hoc patet etiam quare corpus Christi non potest tangi à laicis. Et hæc erat alia cærimonia.

Ampliùs isti panes ponebãtur corã Domino, & hoc propter multa. Primò ad honorem: nam panis est de rebus maximè necessarijs; ideo est etiã magnæ reputationis. Ponebatur ergo panis coram Domino, vt innuatur quod eum honoramus ponendo corã ipso id, quod in omnibus rebus pretiosissimum habemus. Sic in nouo testamento illud habemus pretiosissimũ quod offerimus, scilicet, panem, qui de cælo descendit. Secunda causa, erat ad reddendum gratiarum actiones, scilicet, Deus dedit panem nobis, & quicquid est quo nutrimur, & conseruamur; & pro hoc tenemur ei ad magnas gratiarum actiones. Et sic sicut de fructibus terræ quos nobis Deus concedit, decimas & primitias ei tribuimus in recognitionem beneficij, ita conueniens erat, vt aliqui panes manerent coram Domino, qui testaren-

ftarentur recognitionem beneficij suscepti, scilicet, quod nos de manu eius illos susceperamus, & iste modo per ea, quæ a Deo recipimus dando ei aliquid de illis gratias agimus de toto, quod ipse nobis dedit. Sic patet paralip. 29. Cum enim Dauid offerret coram Deo munera, ait: Quis ego sũ, & quis populus meus, vt possimus hęc vniuersa promittere: Tua sunt omnia Dñe, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. Ex his habes, (præter ea quę alibi dicũtur) quare institutũ fuit Sacramentum Eucharistiæ in pane, & non in alia materia. Tertia causa erat ad petendum conseruationem fructuum terræ, scilicet, quia cum panes coram Domino ponimus oramus tacitè, quod panem, qui est principiũ vitę nostrę nobis tribuat, & eum quẽ terrę semel concesserit, ab importunitatibus conseruet, quia nihil nasci nobis prodest, nisi ad horrea ducatur, & recondatur, & ista oratio pro pane dãdo atque seruando est valdè conueniens, quia inter cętera, quę Christus nos in oratione petere docuit, ait: panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Mat. 6. Rectè ergo conuenit, quod panes corã Domino ponerẽtur.

Tertiò, notandum est, quod isti panes sicut erant 12. ita quoque ęquales: quia quilibet continebat duas decimas; sic dicitur Leuit. 24. & ista est alia cęremonia. Et ratio erat, quia offerebantur Domino pro duodecim tribubus Israel, & si vnus panis esset maior alio, putaretur quod aliqua tribus erat apud Deum maior, quam alia. Etiam daretur ex hoc causa ęmulationis: istud tamen Deus offerre noluit, ideo iussit panes fieri ęquales. Ex hoc elicitur quare Ecclesia facit omnes hostiolas eodem modo paruas, etiam si Rex, aut Imperator esset communicandus. Sic etiam fuit de oblatione Principum, duodecim Tribuum in dedicatione tabernaculi, quia ęquales fuerunt, nam per duodecim dies obtulerunt. s. quilibet die sua, & quantũ vnus obtulit tantũ alius, scilicet, tot animalia, & talia, & ad idẽ genus sacrificij, etiam talia vasa aurea, & argentea, & æqualis ponderis Nume. 7. Et hoc vt tolleretur omnis æmulatio & contentio (vt diximus) de prælatione mutua. Si vero hostia Sacerdotis in nostro sacrificio est maior, hoc fit propter ostensionem coram populo: quia ostendendo hostiolam apereret nescio quid. Item propter alias cæremonias in Missa faciendas, vt diuisio, cruce signationes, &c.

Quartò, notandum est, quod isti panes propositionis ponebantur in mensa, quæ erat ad latus aquilonare tabernaculi. Exod. 26. Et hæc causa erat, quia per tabernaculum significatur totus orbis, & quia pars meridiana non est habitata, sed æternis tenetur ardoribus, & aquilonaris habitatur: aquæ etiam maris, illam operiunt, ideo non sunt ibi fruges: & quia panes propositionum sunt in repræsentationem omnium terræ nascentium, & præcipuè segetum de quibus viuimus, & iste nascuntur in parte aquilonari orbis, quam nos habitamus debuit mensa propositionis poni in latere aquilonari tabernaculi.

Quintò, notandum est, quod hos panes non comedebant nisi Sacerdotes, & hæc erat alia cærimonia. Ratio huius erat sanctitas magna istorum panum. Deus enim voluit quod reputarentur isti panes valdè sancti, & ad hoc fecit, quod solis Sacerdotibus liceret comedere, idest, non laicis, nec filijs, & vxoribus Sacerdotum, nec etiam leuitis. Sic Sacramentum Eucharistiæ datur tantum Christianis, qui omnes sunt Sacerdotes vt supra probauimus, quia omnes vnguntur, in lege verò veteri, soli Sacerdotes vngebantur. Vnde 1. Pet. 2. dicitur: Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, &c. vide in cap. de Sacerdote lib. 1.

Pro

Pro hac cærimonia sciendum est, quod inter Iudæos, cibi qui comedebantur, erant in quintuplici differentia. Quidam erant quibus vesci licebat cuicumque siue mundus, siue immundus esset, & isti erant cibi communes, qui non erant aliquo modo consecrati. Secundi cibi erant quos nõ licebat edere, nisi mundis: licebat tamen cuilibet mundo edere de illis, siue esset masculus siue fæmina, laicus aut Sacerdos, vel leuita: & istæ erant carnes hostiarum pacificarum, quantum ad partem quæ proueniebat offerentibus: nam offerentibus proueniebant totæ carnes animalis pacifici præter pectusculum, & armum dextrum, qui cædebant Sacerdoti immolāti. Leuit. 7. & ad comedendum de carnibus istis poterat offerens inuitare quoscumque vellet, dum tamen essent mundi. Sic enim Deus monuerat quod offerentes vocarent ad comedēdum secum viduas, & pupillos, & quoscumque pauperes, & leuitas. Deuter. 12. 14. & 16. quod epularentur coram Domino, scilicet, in sanctuario vbi erat Deus, quia ibi existētes coram Domino esse videbantur. Tertij cibi quos licebat edere solis mũdis, non cum omnibus, sed cum solis Sacerdotibus, & vxoribus, & filijs, & filiabus eorum, dum manerent in familia istorum erant cibi carnium prouenientium Sacerdotibus de hostijs pacificis nam comedebant de eis tam ipsi quam familiæ eorum Leuit. 10. alienis autem quantumcumque essent mundi, non licebat quicquã dare de cibis istis, immo si Sacerdos haberet filiam & maneret in domo patris sui, comedebat de cibo illo. Si autem daretur illa in vxorem alicui non Sacerdoti, non licebat ei iam edere de cibis istis viuente viro suo: mortuo autem illo si rediret in domum patris sui, non habens filios ex illo viro, poterat comedere de cibis Sacerdotalibus; Sicut quando erat puella manens in domo patris. Leuit. 22. Quarti cibi erãt quos solis Sacerdotibus, & filijs eorum masculis mundis edere licebat, & poterant comedere vbicumque vellent, & isti erant panes propositionis, de quibus hic dicitur, quod solis Sacerdotibus licebat comedere illos, & sic excluduntur omnes non Sacerdotes, scilicet, vxores, & filij non Sacerdotum: Filij autem Sacerdotum quantumcũque paruuli poterant comedere de istis panibus, dum tamen essent mundi, eoquod illi erant Sacerdotes quia non vocabantur Sacerdotes tunc sicut nunc, per hoc, quod ordinem accipiunt, vel ministrant: sed si quis erat filius Sacerdotis, iure erat Sacerdos, licet antequam ministraret oportebat quod consecraretur, quia alias non poterat ministrare. Exod. 29. & Leuit. 8. vbi ponitur ritus consecrationis eorum, nullum tamen characterem accipiebant in hac consecratione, sicut accipimus nos Sacerdotes: hoc autem erat, quia Sacerdotium proueniebat tunc ex progenie, & ideo tam paruis quam magnis competebat ius comedendi de panibus propositionis: nemo tamen poterat eos acquirere nisi, qui iam ministraret: aut aliquando ministrasset, quia dabantur in mercedem pro ministratione. Quinti cibi erant quos solis Sacerdotibus licebat comedere, non tamen in omni loco, sed solum in loco sacro: istæ erant carnes, quæ proueniebant de sacrificio pro peccato: nam soli masculi de stirpe sacerdotali in loco mundo comedebant eas. Leuit. 6. & 10. & istæ carnes reputabantur magis sacræ, quã omnes alij cibi: nam etiam in coquendo obseruabatur magna mundicia cęremonialis, quæ non obseruabatur in alijs carnibus sacrificiorum, scilicet, quod si vestis aspergeretur de sanguine huius hostiæ lauaretur in loco sancto. Si coqueretur in vase fictili, frangendũ illud erat, ne applicaretur vnquam alijs vsibus, & si coqueretur in vase

æneo,

æneo, siue quocumque metallino, defricari valde. Leuit. 6. tota autem sanctitas maior, vel minor, quæ erat in cibis istis, pendebat ex voluntate legislatoris; nam absolutè non videtur esse causa saltem in omnibus istis quare quidam cibi essent alijs sanctiores.

Si autem dicatur (circa panes propositionis) quare Dauid fame vrgente comedit vna cum socijs? Dicitur quod leges istæ dispensabiles erant: & si dedit illis Achimelec de panibus propositionis iam ablatis de facie siue mensa Domini, & non licuit dare laicis: tamen adueniente necessitate fuit licitum: fame enim oppressus erat. Si autem fuissent in mensa, siue coram facie Domini, requirebatur maior necessitas; si tamen dedisset panes de mensa oportebat quod illico restitueret totidem quot abstulerat, scilicet, vt coqueret eos secundum formã, & ritum priorum, & poneret eos in mensa, quia semper debebant esse ibi duodecim panes, in memoriam 12. tribuũ Israel. Leuit. 24. Ex hac necessitate excusauit Christus discipulos suos fricantes spicas. Mat. 12. q. d. tempore necessitatis lex est dispensabilis. Item alia multa erant, quæ figurabant in lege vet. hoc Sanctiss. Eucharistiæ sacramentum, quæ breuitatis causa hic omittuntur.

De Vetustate Vocabuli Missæ. Cap. 3.

HOc nomẽ Missa, antiquissimum esse nulli dubium est: nam D. Clemens Martyr, qui passus est anno Domini 111. in Epistola 8. ita ait: summopere omnibus presbyteris & Diaconis ac reliquis clericis attendendũ est, vt nihil absque Episcopi licentia agant. Non vtique Missas sine eius iussu, quisquam pręsbyterorum agat. Immo ante ipsum, Apostoli missas faciebant, audi D. Andream ad Ægeum proconsulem persuadentem vt Dijs sacra faceret: ego inquit, omnipotenti Deo, qui vnus & verus est immolo quotidie nõ taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cuius carnem posteaquam omnis populus credentium mã ducauerit agnus, qui sacrificatus est, integer preseuerat & viuus. Ecce antiquitas Missæ. Item, in Act. 2. dicitur: erant autem preseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, fractione panis, & orationibus: hoc idem paucis interiectis. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, &c. Sanctus Ignatius in Epistola ad Smirnenses, ita ait; non licet sine Episcopo, neque offerre, neque Sacrificium immolare, neque Missas cælebrare. Iste fuit tertius Episcopus Antiochiæ post Petrum. Sanctus Alexander Martyr, qui vixit anno Domini 121. in Epistola ad omnes Orthodoxos ita ait: In sacramentorũ oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio cęlebretur. Hanc Epistolam Alexan. citat Concil. Tiburien. c. 19.

Sanctus Iginus martyr, vixit anno Domini 144. ita dicit: Omnes Basilicæ cum Missa debent consecrari. Sanctus Pius martyr, qui vixit anno Domini 147. in decretis suis, sic habet: Vt de oblationibus, quæ offeruntur a populo, vel de panibus: quos deferũt fideles ad Ecclesiam, Pręsbyter partes concisas habeat, vt post missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati Eulogias, idest, benedictiones, omni die Dominico exinde accipiant.

Eulogię etiam dicuntur munera, quæ deferũt subditi prę latis suis. Glos. in decr. dist. 18. c. 8. ver. Eulogijs. quæ non sunt inquirẽdę a presbyteris quãdo veniunt ad Synodum, quia minus libenter venirent; nec delatæ debent respui. vt patet eod. c. 8. De eulogijs.

Sanctus Sother martyr, qui vixit anno Domini 172. in suis decretis, ita affirmat: Hoc quoque statutum est, vt nullus presbyterorum Missarum solemnia cælebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, & ipse tertius habeatur: (vt faciunt Græci) tamen hodie seruatur, quod vno ministro tantum præsente possit, quis facere Missam cum Angeli adsint, vt patet infra in canon. Iube hæc perferri per manus sancti Angeli, &c.

Sanctus Fabianus Papa & martyr, qui vixit anno Domini 242. ait: sacrificium non est accipiendum de manu Sacerdotis, qui orationes, vel actiones, & reliquas obseruationes in Missa secundum ritum implere non potest. Sed ne prolixius sermonem nostrum trahamus, vocatur Missa a Damas. Papa, ab Alexandro post ipsum; a Telesphoro Græco; & alijs Pontificibus. Demum ab Ambrosio, Augustino, Leone, & alijs vsque ad nostra tépora item, & a Cócilijs tam generalibus, quam particularibus.

Amplius solemnitas hæc, quæ in sacramento Eucharistiæ peragitur: Res diuina, officium, & Missa dici solet. Res inquã diuina, quia ibi solius Dei res agitur, dum laudes eius decantantur, beneficia hominibus exhibita recoluntur, opera a solo Deo factibilia pertractantur, ac denique Deus ipse in hoc officio de cælis ad terram venire & manere nobiscum dignatur. Officium vero dicitur quasi efficium vel effectio, quia (vt Rabanus ait;) licet plura sint officiorum genera, illud tamen præcipuè quod diuinis rebus versatur hoc nomine censetur esse nuncupandũ: ibi enim efficitur mirabilis illa transformatio, qua creatura in creatorē modo ineffabili conuertitur, & creator in creatura nouo quodã essēdi modo a sæculis inaudito præsentialiter adest: nō sic in alijs sacramētis in quibus, & si gratiæ signa ostendantur creaturæ quædam sensibiles, nulla tamen ibi est talis effectio & miraculosa transmutatio. Missa etiam dicta est, vel, quia ad nos tunc mittitur Angelus testamenti noui mediator, vel, quia tunc fidelis populus ad Deũ mittit vota, & supplicationes suas, vel tertio, quia ab eo negotio foras mittēdi sunt infideles Ethnici, & excōmunicati: immo & cathecumeni fideles post primam eius partem.

De Missæ Sacrificij diffinitione. Cap. 4.

HIs itaque præmissis videnda est missæ, & sacrificij diffinitio. Missa sic diffinitur a Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. Est sacrificium corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, cum repræsentatione passionis illius, institutum & oblatum ab ipso in honorem Dei, & salutem totius mundi. Dicta diffinitio continet quatuor causas sacrificij Missæ. Materialis quidem, sunt corpus & sanguis Christi, velata sub speciebus panis & vini. Formalis explicatur per illa duo verba, sacrificium & repræsentatio passionis Christi: significatur enim quod sit verũ sacrificium, sed incruentum & repræsentatiuũ passionis Christi. Illud verbum, institutum & oblatum a Christo, significat causam efficientem, idest, Christum instituentē, & offerentem per manus Sacerdotis. Concilium namque ait; Christum per manus sacerdotis hoc sacrificium offere. Denique illa verba, in honorem Dei, & salutem totius mundi explicãt causam finalem: ob dicta enim hoc sacrificium institutum est. Sacrificiũ autem dicitur, tamquam sacrum factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ passionis.

Missa ait D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 4. ad 9. significat, vel rem missam nobis a Deo, idest, Christum, qui est hostia pro nobis a Deo missa: vel significat

rem

rem missam a populo ad Deum, (vt etiam infra dicetur) populus enim in sacrificio Missæ per Sacerdotem mittit ad Deum proces, & Sacerdos idē facit per Angelum.

Sacrificium autē, sic diffiniri potest ex D.Th.1.2.q.102.ar.3. & 2.2.q. 85. est dignæ rei oblatio facta ab homine Deo, a ratione, vt supremū illius Dominiū cum maxima sui humiliatione recognoscat. Et hęc diffinitio exprimit quatuor causas Sacrificij. Illud verbū dignæ rei, dicit materiā, res enim quæ offertur dicit materiam: dignum verò est qualitas, quæ debet inesse tali rei. Offerre namque rem indignā, vel non dignā esset materiam nō aptam Sacrificio adhibere. Illa particula, ab homine, significat causam efficientē. Forma verò exprimitur illis tribus vocibus, prima est, oblatio, in qua (ait Cathec. ibid.nu. 71.) potissima ratio Sacrificij posita est. Secunda est, humiliatio sui maxima. Tertia est, intentio recognoscendi supremum Dei Dominium. Finis est, non intentio recognoscendi sed ipsamet recognitio, quod in Deo supremum Dominium sit.

Finis Sacrificij est quadruplex, primus, est, vt Deo summa laus & honor detur. Secūdus vt gratiæ agantur pro beneficijs acceptis. Tertius, vt detur satisfactio pro peccatis cōmissis. Quartus, vt beneficia de nouo obtineantur seu impetratio alicuius beneficij; & ideo in veteri lege quatuor erant Sacrificiorū genera, vt infra dicetur. D. verò Aug.10.de ciu.c.4.ita diffinit: Sacrificiū est cultus, siue honor soli Deo exhibēdus: per sacrificium autem intelligunt doctores Theologi, omnem oblationē, siue omne id, quod Deo offertur in recognitionem supremi Dominij, vel ad impetrandā misericordiā & veniam peccatorum, & gratiam acquirendam: aut ab auertēdum iram, vltionem, atque vindictā: siue ad reddendas gratias de beneficijs acceptis: & sic peccatorum contritio dicitur Sacrificium internum, siue interius. Ps. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Nec ipse offerendi actus dicitur Sacrificium. Sed id quod Deo offertur in recognitionem Supremi Dominij, quæ vel est interior vel exterior. Recognitio interior eodem modo fiebat in antiqua lege, quo nunc fit in noua. Antiqui enim patres cor habebant contritum & humiliatum: laudabantque Deum interius, & ei gratias agebant, sicut & nos qui sumus in lege noua. Recognitio verò supremi Dominij exterior, alia erat in lege Moysi, & alia in lege gratiæ: & sic aliud & aliud sacrificium erat exterius exhibendum in eisdem legibus. De his autem Sacrificijs infra dicetur.

De authore, & Etymologia Misse. C. 5.

HOc facite in meam commemorationem: Luc.22.& de consecr. dist. 2. iteratur. Quoniam secundum Thom.3.par.quęst.83.art.4. mysteriū nostræ salutis totum compręhenditur in Sacramento Eucharistiæ: ideò tale sacramentum præ cæteris agitur cum maiori solemnitate. Hæc eadem solemnitas consistit in officio Missæ: vbi recolitur singularis memoria dominicæ Passionis, iuxta quod ipse iturus ad passionē fieri pręcepit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Glos. idest, in memoriam mortis meæ.

Et quia singulæ partes dulcedine diuinorum redundant mysteriorum, ideo de singulis particulis infra breuiter dicemus: & hoc iuxta rubricam, & ritum Missalis Romani reformati, & cæremoniale Episcoporum: primo metodice. Secundo magis diffusè. Tria autem sunt, ait Innocent. de Sac. Alt. myst. in quibus præcipuè diuina lex consistit. Mandata, scilicet, promissa & Sacramenta. In mandatis est meritum. In promissis est præmium. In Sacramentis est adiutorium. In Sacramentis enim ad vtrumque iuuamur,

mur, ad exequendum mandatum, & ad obtinendum promissum. Verum inter omnia sacramenta illud constat esse præcipuum, quod in officio Missæ supra mensam altaris sacratissimi cælebratur: illud Ecclesiæ repræsentans conuiuium, in quo filio reuertenti pater occidit vitulum saginatum, panē vitæ proponens, & vinum quod miscuit sapientia.

Hoc autem officium Missæ ipse Christus filius Dei viui instituit, cum nouum condidit testamentum, disponens hæredibus suis regnum, sicut pater suus sibi disposuit, vt super eius mensam edant, & bibant in regno, quod Ecclesia consecrauit. Cœnantibus autem illis accepit Iesus panem, & gratias agens, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite, & comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22. In hac vltima cœna instituit, hoc sacramentum, vt tenacius memoriæ inhereret. Hac ergo institutione formati cœperunt Apostoli sacrosanctum frequentare mysterium propter causam quam Christus expresserat, & formam seruantes in verbis: & memoriam tenentes in rebus: sicut Apost. testatur Corinthijs dicens: ego accepi a Domino: quod & tradidi vobis. Ex his patet quod Christus instituit Missam, & bis illam cælebrauit: primo secrete & priuate coram discipulis tantum, scilicet, in cena. Secundò, solemniter & in pontificalibus publicè, nempè, in die Veneris sancti in cruce. Altare, fuit crux. Mitra, corona spinarum. Annuli fuerunt claui. Casula, sanguis fusus per totum corpus. Baculus pastoralis, lancea. Diaconus, latro a dextris. Subdiaconus, latro a sinistris. Acoliti, Beata semper virgo, & Ioannes.

Apostoli autem adauxerunt hanc Missam, dicentes non solum verba Christi, verum etiam orationem Dominicam superaddentes. Vnde B. Petrus sic Missam primus dicitur cælebrasse in partibus Orientalibus: vbi post Domini passionem quatuor annis Cathedram tenuit Sacerdotalem. Deinde verò accepit Cathedram Antiochiæ, vbi tres orationes ad Missam adiecit. In primordio, ergo nascentis Ecclesiæ aliter quam modo Missa dicebatur a fidelibus, & valdè simpliciter, etiam sine pompa. & hoc propter persecutiones tum Iudæorum, tum & Gentilium: immo offerrebatur occultè, & in silentio in domibus priuatis, in speluncis seu cauernis terræ, atque in criptis martyrum. & ideo sacrificiū erat breue. Quod ex eo coniectare possumus: quod tempore Damasi Papæ, hoc est, circa annos Domini 400. præter secretum Missæ canonem, solū Euangelium publicè legebatur in tēplo Dei fideli populo: quasi sermo quidam præparatorius ante Eucharistiæ consecrationem & sumptionem. Huius rei signum est, quia illius ætatis doctores Hieronymus, Ambrosius, Augustinus & alij plures homilias super Euangelia non autem super Epistolas ediderunt: quod videlicet Epistolæ tunc non legebantur in officio Missæ: sed eas sequens ætas addiderit ad sensum tamen & propositum Euāgeliorum iam institutorum per totum annum. Et hoc tum propter honorem Dei, tum propter solemnitatem sacramenti, tum etiam & propter fidelis populi consolationem, atque digniorem eius præparationem ad Eucharistiæ sacramentum peragendum.

Legimus enim circa annos Christianæ salutis quingentos ferè iam annos institutas Epistolas in officio missalis atque homilias doctorum desuper editas: vt videre licet homiliam sancti Fulgētij Episcopi Cartag. super Epistolam in officio sancti Stephani protomartyris: sicque paulatim ventum est vsque ad Pontificatum sanctissimi Gregorij primi Papæ: qui circa an-

ca annos Christi 600. magnifico illo suo sensu: quo Ezechielis & Iob secreta penetrauit etiam officiorum missalium a suis maioribus editorum intelligentiam caluit, vt in seqq. patebit, nēpè, in 5. lib. exposit. totius Missalis.

Sequenti igitur tempore Epistola tantum & Euangelio recitatis, Missa cælebrabatur. Subsequenter Cælestinus Papa instituit introitum ad Missam decantari, cætera diuersis temporibus ab alijs Pōtificibus, legūtur adiecta, prout Christianæ religionis cultu crescente visa sunt decētius cōuenire.

Legitur Iacobū fratrē Dñi Episcopū Ierosolymitanum fuisse primum inter Apostolos, qui missā cælebrauit. Nam propter excellentiā sanctitatis eius; Apostoli hūc ei præstiterūt honorem, vt post Domini ascensionem primus inter eos Missam Ierosolymis cælebraret. Vel fortè ideo dicitur primus cælebrasse, quia primus in Pontificalibus eam dixisse perhibetur. Et sic Petrus postmodum primus in Antiochia cælebrauit, & Marcus in Alexandria. Ex his ergo patet quod etiam B. Petrus & D. Iacobus fuerunt institutores Missæ: Item & D. Basilius Episcopus Çesariensis. Item, de B. Petro, dicitur in chronicis quod primus Antiochiæ primam cælebrauit Missam sub tribus orationibus, vt ait Hugo de sancto Victore lib. 2. de sacramentis cap. 8. De B. Iacobo & B. Basilio habetur de consec. dist. 2. Iacobus. Dicit autem Archidiaconus in dicto cap. Iacobus; quod ipse instituit dicere secretam. Basilius autem alia addidit. Primò enim ab Apostolis dicebantur tantum illa verba in cælebratione Missæ quæ Dominus dixit: nempè, Hoc est corpus meum. Sed postea Apostoli addiderunt Dominicam orationem: vt etiam supra tactum est.

Iste Iacobus fuit ordinatus primus Archiepiscopus Ierosolymitarum, vt patet dist. 66. cap. 2. porro. Sed dicet aliquis, nonne omnes Apostoli erant Episcopi? Glos. ibid. verb. ordinatus. ait: quod illa dictio, ordinatus, sic intelligitur, idest, ad certi loci administrationem electus: vel ordinatus simpliciter. Deinde respondens ad quæsitum, inquit: Videtur quod sic quod omnes erant Episcopi: quia Petro primo datus Pontificatus, & omnes alij fuerunt pari potestate prędit: vt 21. distinct. in nouo. Item, Episcopi (quod fuit semper post Apostolorum mortē) successerunt in loco Apostolorum, vt 68. dist. quorum. Ergo Apostoli fuerunt Episcopi. Amplius legitur de Iuda proditore quod Episcopatum eius accipiat alter. Ad hoc dicunt quidam, quod omnes Apostoli erant simplices Sacerdotes, & tamen consecrare poterant: nam Moyses simplex Sacerdos erat, & tamen consecrauit Aaron, vt 32. dist. §. 1. nec tunc differentia erat inter Episcopum & Sacerdotem, vt 95. distin. olim. Vel dic, quod tantum visibili vnctione hi tres (scilicet Iacobus, Petrus, & Ioannes) consecrauerunt eum (nempè Iacobum fratrem Domini:) Sed prius erat inuisibiliter vnctus a Domino. Vel dic, quod non ordinauerunt eum, sed tantum formā ordinandi alijs ostenderunt. Vel dic: quod non in Episcopum, sed in Archiepiscopum eum ordinauerūt. Vel dic: ordinauerunt, idest, inthronizauerūt eum ad administrationem certi loci: inthronizatus, idest, cathedratus: prius enim erat Episcopus sine titulo. Hæc Glo. ibid. Hæc Missa ab Euangelistis dicitur cęna: quia statim sine mora post cęnam illam instituit.

Quantum spectat ad Etymologiam dicendum, quod Missa dicitur primo a mittendo, quia Angeli ibi mittuntur vt ait Greg. de cōsec. dist. 2. quod si sanguis. Secundò, dicitur Missa ratione filij, quia ibi Filius mittitur a Deo Patre. Tertio, dicitur Missa ratione nostri, quia mittimus vota nostra ad Deū per Sacerdotem, vt Deus mittat nobis benedictionem & gratiam.

De Ritibus & multis Cæremonijs quæ fiunt tam in Missa, quam in oratione: & unde dicantur, & de authore earum atque cur Ecclesia vtatur Cæremonijs. Cap. 6.

HIs visis omnibus, antequam vltra progrediatur dicendum est de ritibus & cæremonijs, num sint de necessitate Sacramenti, & vnde dicantur, & quis sit author earum. Vt autem sequamur Catechismi Romani, & Cōcilij Tridentini doctrinam, quo ad primum propositum, dicitur quod cæremoniæ non sunt de necessitate Sacramenti: vt patet ex Catechismo de Sacramentis in genere, num. 18. Isti autem Ritus secundum Concil. Trident. sess. 7. can. 13. sunt quædam solemnitates quæ adhibentur in Sacramentorū administratione: quæ alio nomine dicuntur cæremoniæ.

Hoc autem nomen cæremoniç, vel ab oppido Cære, vel à carendo dicuntur. Etenim Vrbe à Gallis capta cum Vestales Virgines simulacra Deorum ex hostibus erepta traducerent in oppidum Cære potissimum conuenere, vbi fuerunt benignè hospitio susceptę, donec à Gallis ciuitas per Camillum liberata fuit. In cuius beneficij memoriā Romani pręstiterunt vt omnis diuinus cultus cęrimoniæ a à Cære dicerentur. Liuius libro quinto scribit ad Lucium Albinum de plebe virum, dicens: hoc nomen venisse ex officio Ceretanorū: quæ quidem dictio, (nempè cæremonia) composita est ex Cærete & munium, quod significat officium. Vnde etiā Romani propter huiusmodi opus Lucij Albini erga virgines Vestales, Cæretanos inter ciues Romanos connumerarunt.

Item, cæremoniæ dicuntur Sacrificia Iudæorum, & ita vocantur secundum Glos. in distin. 45. §. cæremonias: quia cæreis exercebantur. Alij appellant cæremonias, obseruantias Iudæorum in abstinentia quarumdam escarum secundum veterem legem, a carendo: quia carent rebus quibus abstinét. Vel. Dicuntur à carendo apud latinos, quod his quæ in sacris offeruntur, in suo vsu carent homines. Nam sacra omnia dicuntur propriè cæremoniæ apud nos. Cæremoniæ, aliæ repræsentant tēpus præteritum, aliæ futurum, & aliæ tempus præsens. Tempus præteritum, vt sunt illæ quę fiunt in Sacrificio Missæ: præsens, vt sunt quæ fiunt circa benedictiones panis, vini, ouorum, carnium & cæt. Tempus autē futurum, vt sunt quæ fiunt in completorio & alibi. vt dicetur.

At dicet fortè aliquis, quare Ecclesia vtitur cæremonijs, vt puta genuflexionibus, percussione pectus, & cætera? Respond. Ecclesia vtitur cæremonijs non quod in his externis (si desit spiritus) fiduciam reponi velit: sed vtitur cæremonijs velut quibusdam visibilibus signis, & stimulis religionis, non contemnendis. Nam, vt ait Aug. lib. 1. de doctrina Christiana: qui veneratur vtile diuinitus institutum, cuius vis significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed potius illud quo talia referenda sunt. hæc ille.

Orandum etenim docet Ecclesia (ait Cyprianus in orationem dominicam) viros aperto capite, mulieresque velato secundum Apostolicam traditionem. Geniculatur etiam, inclinans se mente & corpore, summæ maiestati, vt agnoscat orās cum fideli Abraham se puluerem & cinerem esse, & indignum, qui cum Deo colloquatur: sciēs interim quod oratio humiliantis se nubes penetrat, & quod cor contritum & humiliatum Deus non despiciat. Text. ad scapulam: nam genua flectere cordis contritionem significat, & tunc in genuflexionibus vtendum est oratione dominica: vel, Deus propitius esto mihi peccatori. Vel. Qui me plasmasti miserere mei Deus: & hoc oculis de-

demissis ad terram. Mulieres orant velato capite vt ostendant se subditas viris suis: Viri verò non velato, quia caput viri est Christus.

Insuper Ecclesia tundit pectus, quo significat se arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum, ait Cyprian. ibid. Ex hac sententia elicitur quare percutiatur pectus in recitanda confessione. Percutitur autem ter, quia tribus modis peccamus, vt ibidem dicitur, scilicet, cogitatione siue corde, ore, & opere: & ideò dicitur etiã ter, mea culpa, mea culpa, mea maxima. Mea culpa primo, inquã, quia peccaui cogitatione, idest, corde. Mea culpa secũdo, qa peccaui ore. Mea maxima culpa tertio, quia peccaui opere. Additur autem mea maxima culpa, quia grauius est peccatum operis quam cordis & oris; nam magis peccat, qui in facto adulterium committit, quam qui illud corde vel ore committit. Et percussio ista debet fieri tribus digitis propter hæc tria peccata. Vel. percutiunt pectora confitentes exemplo illius publicani de quo in Euangelio Dominus loquitur: per hoc significare volentes cor hominis (à quo omnia peccata exeunt teste Saluatore) esse castigandum per pœnitentiam. Cor enim carnis nostræ infra pectus latet: quod etiã cor spirituale, idest, voluntas signatur. In eleuatione Eucharistiæ percutimus & pectora nostra, pœnitentiam agentes, quod propter nostra peccata fuerit Christus crucifixus: vt etiam faciebant illi, qui reuertentes percutiebant pectora sua, in signum quod eos pœnitebat vidisse Christum mortuum.

Ampliùs, Ecclesia accendit in templis cæreos & luminaria, vt admoneat Christum veram lucem, sui Euangelij splendore omnes tenebras effugasse, in qua luce sit nobis perpetuo tenore inambulandum.

Spargit thimiama, seu thuris suffitum, vt intelligamus omnẽ carnalem concupiscentium in nobis (vt oratio nostra sicut incensum porretur ad cælum) concremandam & mortificandam esse, & sic vitam instituendam, vt vbique simus bonus odor Dei, vt dicitur 2. Cor. 2.

Spargit aquam benedictam, & thuris suffitum super sepulchra fidelium defunctorum, cum præcibus: quo signo apertè testatur flaccida ista, in terram seminata corpora, quandoque refloritura: vt habetur ex Prudent. in hymno in exequijs mortuorum; etenim & fumus thuris confortat membra debilitata.

Dedicationem templorum cælebrat, nec decentem & moderatum respuit ornatum, vt hinc admoneamur, penetralia cordium nostrorum semper bonorum operum ornatibus decoranda, & quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali ædificatione complendum esse. Hęc & huiusmodi quam plurima alia sacra signa in Ecclesia visuntur, quibus non vt rebus inhærendum, sed vt signis, (per quæ ad contemplandas res signatas excitamur) vtendum est. Vnde Augus. Epistola 117. ad Ianuarium ita ait: Si quid tota die per orbem frecuentat Ecclesia, hoc num ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.

Cæremonię autem a tribus institutæ fuerunt vt patet ex eodem Concil. Trident. sess. 22. cap. 5. nempè a Christo, ab Apostolis, & ab Ecclesia. A Christo veluti in Eucharistia, quod oculi eleuentur ad cœlum in consecratione, & gratiæ Patri agantur, & quod in pane azimo fiat consecratio. Concil. ibid. capit. 7. Ab Apostolis autem institutæ sunt illæ de quibus Ecclesia habet traditiones, quod ab Apostolis sint institutæ, vt in Baptismo multæ tales perhibentur, & in sacrificio Missæ. Concil. ibid. cap. 6. Reliquæ autem omnes institutæ sunt ab Ecclesia. Concil. sess. 7. can. 13.

At-

At dicet aliquis quomodo scitur quod à Christo & ab Apostolis aliquæ sint ordinatæ & inuentæ? Resp. quod non omnia quę Christus & Apostoli prædicarunt, & quæ circa regimen Ecclesiæ & Sacramentorum administrationem, & sanctarum Cæremoniarum obseruationem ordinarunt & disposuerunt sunt scripta vt patet. 1. Corint. 11. cætera cum venero disponam: illorum dispositiones in Epistolis non reperiuntur scriptæ. & 2. Thess. 2. Itaque fratres state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Sermones autem illi non reperiuntur scripti, sed peruenerunt ad nos per Apostolorum traditiones familiares suis successoribus factas, & per eorum successores gradatim vsque ad nos. vt sunt formæ Sacramentorum, & solemnitates eorum, quas Apostoli propter irrisionem infidelium voluerunt esse occultas ait Dionys. de Ecclesiast. Hierarchia. vt sunt exorcismi, quæ fiunt ante baptismum, exequiæ sepulturæ defunctorum, signum crucis, benedictionem nuptiarum, consecrationes ecclesiarum, quadragesimale ieiunium, olei Sancti & Chrismatis orationes, vsus candelarum, venerationes imaginum, inuocationes sanctorum, & multa alia, quæ in vniuersa Ecclesia ab Apostolorum fuerunt obseruata; illis ergo (teste Apostolo) tamquam epistolis suis credendum est.

Sed quæret fortè aliquis, quænam est materia harum cęremoniarum? Respond. ex eod. Concil. sess. 22. cap. 5. quod possunt esse primo, res, veluti vestes, altaria, vasa, thimiama siue incensum, & similia. Secundo actiones, veluti vnio, vel eleuatio manuum, & huiusmodi. Tertiò, verba, vt orationes, Euangelia, & huiusmodi. Hinc fit quod ad hęc tria capita potest reduci diuisio cæremoniarum & Rituum, scilicet, ad verba, ad res, & ad actiones. v. g. In Missa verba, sunt orationes, Epistola, Euangelium, Introitus, Offertorium, & similia. Res sunt istæ & similes, primo vestes, secundo, loca, tertio, tempus, quarto, vasa & linteamina, quinto, thus, sexto, lumina, septimo, minister seu clericus respondens. Actiones sunt istæ primo, cruce signatio, secundo, consecratio, tertio, thurificatio, quarto populi salutatio, quinto, ablutio manuum, sexto, fractio hostiæ, septimo, extensio, vel vnio manuum, octauo, humiliatio, complexio, vel eleuatio corporis, nono delatio missalis ab vno loco ad alium, decimo, deosculatio altaris. Hæc tria ergo requiruntur in Missę Sacrificio, scilicet, res, verba, & actiones. Vel Sacrificiū Missæ constat ex rebus, verbis, & signis, seu actionibus. Vel sic secundum Innocent. in libr. de Sacr. Alt. myst. Ipsum officium Missę cōsistit in quatuor, in personis, operibus, verbis, & rebus. Tres enim sunt ordines personarum, celebrantes, ministrantes, & circunstantes. Tres operum species, gestus, actus, & motus. Tres diuersitates verborū, orationes, modulationes, lectiones. Tres rerū materies, ornaméta, instruméta & elementa. Hæc oīa diuinis sunt plena mysterijs ac singula cælesti dulcedine redundantia, si tñ habeant diligétem inspectionem, qui norit suggere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. hæc ille.

Quia ergo officium Missæ consistit magis in actionibus (vt ex dictis patet) quam in verbis & prolationibus hinc est quod significanter & etiam elegantius dicitur, facere Missam, quam recitare missam & de officio dicimus, recitare officium: quia magis in prolatione consistit quam in actione, vt est Missa. Facimus ergo Missam & recitamus officium. Omnes autem sacræ cęrimonię, & ritus in administratione Sacramentorum obseruari consueti, alio nomine Sacramentalia appellamus. v. g. in Baptismo sal, chrisma,

ma, oleum cathecumenorũ, catechismi. In consecratione totus Missæ apparatus, vt patet in Concil. Trid. sess. 7. de Sacramentis. Et can. fin. tex. cap. ad abolendam. de hæreticis. cap. omnes. distin. 5. quis nesciat. 11. dist. cum præced. capit. non decet. cum multis alijs. 12. dist. cap. alienus. c. quia. 24. quæst. 1. Thom. Vual. 2. tom. de Sacramentalibus.

Finis cæremoniarum secundum Concil. Trident. sess. 22. cap. 5. & Catechism. num. 18. & D. Thom. est quadruplex; Primus est, vt Maiestas tanti sacrificij commendaretur, & qua decet reuerentia cælebraretur. Secundus est, vt passio Christi in hoc sacrificio repræsentaretur, & quadam ratione ante fidelium oculos poneretur. Tertius est, vt fructus & effectus, qui per hoc sacrificiũ à passione in fideles deriuantur, exprimerentur. Quartus est, vt mentes fidelium per hæc signa visibilia ad rerum altissimarum mysteria contemplanda, quæ in hoc sacrificio latent, excitarentur: nam qui negligũt cærimonias signum est indeuotionis: quia & finis cęrimoniarum est vt excitentur sacra facientes, orantes, & psallẽtes, ad deuotionem: indeuoti autem cærimonias & contemnunt, neque curant de illis. Concil. & Catechis. ponũt primum & quartum finẽ: sed in quarto continetur secundus & tertius.

Ritus autem & Cærimoniæ circa Missam non sunt de necessitate sacrificij, sed de necessitate præcepti, & est mortale illas omittere. Nec potest dici quod aliquis ritus sit superfluus, & inanis, ita determinauit Concil. Trident. sess. 22. cap. 5. 6. & 7. Hoc etiam habetur ex Catech. Romano. Non iniuria dixi esse mortale illas cęrimonias omittere: Nam Sacerdos veteris legis, qui in ministratione errabat non obseruando ritum cærimoniarum, occidebatur à Deo, sicut patet de Nadab, & Abiu filijs Aaron, qui mortui sunt, quia accæperunt de alieno igne ad ministrandum; Leuit. 10. si in illis vmbris ita curandum erat, quanto magis nunc in tam sancto & vero sacrificio filij Dei sunt obseruandæ cærimoniæ ab ipso Christo, & ab Apostolis, atque ab ipsa Ecclesia ordinatæ?

Præterea, qui non est clericus, atque Deo dicatus, non debet se ingerere ad has cærimonias peragendas: Vnde Ozias Rex Israel sibi vsurpans officiũ Sacerdotum, percussus fuit lepra, ac eiectus & expulsus e ciuitate: (qui postea fuit leprosus vsque ad diem mortis suæ) quia voluit adolere incensum Domino, cum non esset suum munus, sed sacerdotum tantum. 2. Paralip. 26.

Amplius, ait Concil. & Catechism. locis citatis, esse necessarium cognoscere ritus, & illorum significationem, ratione quadam, scilicet, quia magna erit vtilitas cærimoniarum, si earũ significatio non ignoretur. Primò est necessaria ista cognitio Sacerdotibus, quia nescirent facere cęrimonias, quarum significationem ignorarent, vel facient indeuote, propter earundem significationem inscitiam. Nulli enim dubium est, quod indeuotius se habẽt homines circa cærimonias, quarum significationem non intelligunt. Secundò, quia populus ignorata significatione cærimoniarum minus deuote huic sacrificio interierit. Et propter hoc, ex præcepto dicti Concilij Trident. sess. 22. cap. 8. debent Parochi sacrificij cęremoniarum mysteria declarare. Ideo nos intẽdemus in hoc toto nostro opere non solum simplices sacerdotes, verum etiam prædicatores erudire: quatenus & ipsi valeant plebem fidelem mediocriter atque salubriter docere: declarando ei officium Ecclesiasticum ad tres sensus, scilicet, literalẽ, ex Glos. moralem ex diuersis & historicum, vt in 5. libro infra patebit, ex Petro Ciruel, & Abbate IoaKim.

Sunt & aliæ cærimoniæ scitu dignę, puta quod Summus Pontifex in anno sancto in aperiendo portam sanctam

aperitur thesaurus indulgentiarum & bonorum spiritualium in illo toto anno; claudendo vero quasi clauditur ærarium & thesaurus harum indulgentiarum finito illo anno: quæ cærimonia à Bonifacio Papa VIII. adinuēta fuit anno Domini 1300.

Item, adest in Ecclesia & hæc cærimonia quod virgo & non vidua velatur, & hoc fit ab Episcopo vel Sacerdote. Ratio est, quia Virgo typum gerit Ecclesiæ in hac desponsatione quæ pura & virgo vni nupsit viro, idest, Christo: & in signum huius rei velatur à vicario Christi, vel Sacerdote: quia à Christo recipitur in cōiugium: in cuius persona dictum est: annulo suo subarrauit me Dominus: sed vidua non gerit in tali casu typum Ecclesiæ sicut virgo: cum non sit integra mente & corpore: vnde non sic coniūgitur Christo, vt repræsentet coniugium eius & Ecclesiæ. Vel. Non velatur à Sacerdote, quia sacerdos prohibetur interesse secundis nuptijs, & super secunda nubentes fundere benedictionem. Non enim quæ secundo nubit benedicitur. ar. extra. de secundis nupt. cap. 1. Sed vidua quasi secundo nubit: quia primo, homini: postea, Christo; & ideo quasi cælebranti secūdas nuptias non porrigitur velum a sacerdote: sed ipsa accipit desuper Altare. Contra videtur innui 20. quæst. 1. vidua. Sed ibi de veste tantum loquitur; vel de velo professionis, non conuersionis, vel à Presbytero potest velari, sed non ab Episcopo 20. quæst. 1. de votis in fi. quod ideo potest esse, quia Episcopus magis repræsentat personā sponsi Christi, quam simplex sacerdos. Ex his supradictis quis faciè in cognitionem aliarum cærimoniarū veniet.

De diuisione Missæ secundum diuersas opiniones. Cap. 7.

Missæ autem officium in duas principaliter diuiditur partes, videlicet in Missam cathecumenorū, & Missam fidelium. Prima est ab Introitu Missæ vsque ad post offertoriū: quæ Missa ab emittendo dicitur: quia quando sacerdos incipit hostiam consecrare, catechumeni extra Ecclesiam mittuntur. Vnde antiquitus perlecto Euangelio, Diaconus supra pulpitum acclamare solebat; si quis catechumenus adest, exeat foras; quod ideo fiebat, quia licet catechumeni. Sint in fide instructi, nondum tamen sunt renati per Baptismum; nec sunt de corpore Ecclesię quod significatur in corpore Christi vero; quare sacris mysterijs Altaris interesse non debent; nam thesauri Ecclesiæ non sunt inimicis ostendendi. Vnde de quibusdam, qui Catechumenorum & nondum renatorum typum, seu figuram gerebant, dicitur Ioan. 2. Iesus autem non credebat se illis, sciens quid esset in homine. Hinc est, quod etiam in canone Cartag. Cōcil. de consecr. dist. 1. Episcopus. dicitur; quod nec Gētilis, nec Hęreticus, nec Iudęus prohibeatur Ecclesiam ingredi, & audiri verbum Dei vsque in finem Missę catechumenorum; nec etiam incestuosi 35. quæst. 2. & 3. de incestis, & cap. seq.

Missa vero fidelium, est ab offertorio, vsque ad post communionem; & dicitur Missa illa à dimittendo; quia ea expleta ad propria quisque fidelis dimittitur. Vel dicitur esse vsque ad ite Missa est, scilicet, ab Introitu, & hoc verius, quia tunc hostia Missa est: vt ibi dicemus.

Alij faciunt tres partes; scilicet, pręparationem, consecrationem, & communionem. Prima, dicitur Missa catechumenorum. Secunda, dicitur, Canon. Tertia, dicitur Communio.

Alij diuidūt Missam in quatuor partes principales, iuxta illud Apostoli ad Timo. 2. & habetur in canone in Concil. Tolet. s. in obsecrationes, orationes, postulationes, & laudes, siue gratiarū actiones. Prima pars protenditur ab In-

Introitu, vsque ad Te igitur; & dicuntur obsecrationes, quia bona populo obsecrantur, idest, multis & magnis præcibus pro populo à Sacerdote oratur. Secunda, vsque adoremus præceptis. Et dicuntur orationes, quia tunc mens eleuatur in Deum. Tertia, vsque ad collectas; & dicũtur postulationes, quia postulantur bona pro viuis, mortuis, & pro se. Quarta, secundum Aug. vsque ad ite Missa est; quãdo post hæc respondet populus, Deo gratias; & ad propria redit. Et dicuntur gratiarum actiones, quia aguntur gratiæ à populo pro beneficio accepto. Diuus vero Thomas Theologorum Princeps, in 3. par. quæst. 83. artic. 4. inquit. Missa habet tres partes principales. Habet enim principiũ orationis; quod durat vsque ad Epist. Habet secundo mediũ .s. ipsam orationẽ, quæ durat vsque ad postcõmunionẽ. Habet tertio, finẽ vltimũ. s. gratiarũ actionẽ, vsque ad finem Missæ, nẽpè vsque ad benedictionẽ sacerdotis. Secundum autem ipsum ibidem; Missa diuiditur in sex partes. Prima, dicitur præparatio. Secunda, instructio. Tertia, oblatio. Quarta, consecratio. Quinta, communio. Sexta, gratiarum actio. Prima, incipit ab Introitu vsque ad Epistolam. Secunda, durat vsque ad offertorium. Tertia, vsque ad præfationem. Quarta, vsque ad orationem Dominicam. Quinta vsque ad sumptionem Sacramenti. Sexta vsque ad finem.

Prima, est ab Introitu vsque ad Epistolam. Ipse autem D. Thom. ibidem non ponit confessionem partem Missæ. Sed est (inquit) præparatio remota ad Missam. Intendit enim tollere peccata a Sacerdote, & a populo (quando, scilicet, clericus nomine populi astantis confessionem facit, cum ipse clericus significet populum vt ait ibidem) tamquam impedimenta: ideo fit confessio antequam ad altare accedatur: remouere autem peccata non est præparatio nisi remota. Ista verò præparatio secundum ipsum fit hoc modo, primo in Introitu per laudem diuinam, & significatur, quod Missa est Sacrificium laudis: atque excitantur fideles ad deuotionem erga Deũ. Secundò, dicuntur Kyrie eleyson, ad repræsentandum humanam miseriã, vt fideles excitentur ad hoc Sacrificium, per quod a Sanctissima Trinitate obtinetur huius miseriȩ subsidiũ: ideo dicitur, ter pro persona patris: & ter Christe, pro persona filij: & ter Kyrie, pro persona Spiritus sancti. Dicitur autem ter pluribus de causis. Primo, ad significandum triplicem miseriam; ignorantiæ, culpæ, & pœnæ; vt etiam infra dicetur in particulari. Secundò ad innuendum quod omnes tres personȩ sunt in se inuicem vna in alia. Tertiò, fit commemoratio cælestis gloriæ, quæ per hoc Sacrificiũ obtinetur post præsẽtem miseriã: ideo dicitur Gloria in excelsis Deo: quæ dicitur in festis, quia in illis commemoratur cælestis gloria: omittitur autem in officijs luctuosis, quia faciunt commemorationem, præsentis miseriæ. Quartò fit oratio a Sacerdote pro populo, vt dignus habeatur tantis mysterijs: Ista autem præparatio fit, quia sine præparatione, non licet accedere ad Deũ, atque ad tã diuina mysteria.

Secunda pars Missæ secundum eũdem, est instructio, & incipit ab Epistola vsque ad offertorium. Præmittitur autem ista instructio, quia Missa est mysterium fidei, ideo antequam peragantur ista mysteria, populi in fide sunt instruendi, per scripturas Prophetarum & Sanctorum, vt patet in illis scripturis, quæ tunc leguntur: & ideo istæ duæ partes simul, dicitur Missa Catechumenorum, quia olim (sicut & nunc hi qui sunt præsentes) Catechumenis licebat interesse illis.

Tertia pars est oblatio, ab offertorio vsque ad præfationem. Et fit oblatio materiæ Eucharistiæ, videlicet, panis & vini. Tria autem fiunt circa

oblationẽ primo per offertorium cantato a choro, ostẽditur lętitia populi offerentis. Secundò, Sacerdos orat, & inuitat ad orandum quando dicit oremus, vt oblatio sit grata Deo. Tertiò, offert materiam Eucharistiæ. Fiunt autem ista, quia lætitia & oratio, seu deuotio offerrentium oblationem, valdè commendant, & Deo acceptabilem reddunt.

Quarta pars secundum ipsum, est consecratio, a præfatione vsque ad orationem Dominicam, & fit in hac parte, primo quod excitatur populus ad deuotionem in præfatione. Secundò post præfationem populus laudat Christi diuinitatem, dicendo: Sãctus, Sanctus, Sanctus, &c. Et humanitatem quoque dicendo; Benedictus qui venit in nomine Domini.

Quinta pars pertinet ad communionem, quæ incipit ab oratione Dominica vsque ad sumptionem Sacramenti. Et fiunt hic tria, (inquit ipse) primo pręparatur populus ad communionem, oratione tum publica, quæ est oratio Dominicalis, in qua petitur, panem quotidianum nobis dari, tum priuata, quam specialiter Sacerdos pro populo offert, cum dicit, libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis pręsentibus, & futuris, &c. Secundò, præparatur populus per pacem quem datur dicẽdo; agnus Dei, quod ideo fit, quia hoc Sacramẽtum est vnitatis & pacis. In missis autem defunctorum, non datur pax, quia Sacrificium offertur non pro pace præsenti, sed pro requie sempiterna. Tertiò, fit communio primo, percipiente Sacerdote, postmodum alijs dante: quod laudabilius fit in Missa, (si potest & commodè) postquam ipse Sacerdos sumpserit, quam differre post Missam, vt aptius verificetur collecta, quæ recitatur in postcommunione.

Sexta, & vltima pars, secundum eundem Thom. est gratiarum actio, a postcommunionẽ vsquè ad finẽm: in qua parte quatuor fiunt: primo, populus exultat pro sumptione sancti Mysterij, & exultationem significat per cantum, qui dicitur postcommunio. Secundò, Sacerdos per orationem gratias agit, ad imitationem Christi, qui post cænam hymnum dixit: Tertiò, dat benedictionem dimittendo populum, vt imitetur Christum, qui in ascensione relicturus Apostolos, benedixit illis. Demum dicit Euangelium, In principio, vt ostendat Christum esse *α* & *ω*. Primum, & nouissimum, principium, & finem omnium. Hanc D. Thomæ diuisionem summatim posuimus licet non simus eam sequuti, pro illis, qui doctrina tanti viri delectantur. Alij autem aliter diuidunt propter alias rationes.

Denique Missæ officium, tam prouida repperitur ordinatione dispositum vt, quæ per Christum & in Christum ex quo de cælo descendit vsque ad ascensionem gesta sunt, magna ex parte contineat: & ea tam verbis quã signis admirabili quadam specie repræsentet.

De Valore Missæ, & de quibusdam Dubitationibus. Cap. 8.

VAlor autem missæ dupliciter potest considerari: primo ex parte Sacramenti siue Sacrificij contenti in Sacramento. Secundò, ex parte Sacerdotis offerentis. Si consideretur ex parte Sacrificij siue Christi oblati in Sacramento, cum ipse sit infinitus, sequitur quod valor erit infinitus: quia tamen hoc Sacrificium nõ operatur nisi per applicationem: & applicatio non potest esse infinita, cum infinitas repugnet creaturæ: sequitur quod non operatur infinitè. Propter quod inquit D. Thom. quod quamuis virtus Christi, qui continetur in Sacramento Eucharistię sit infinita, est tamen determinatus eius effectus, ad quem illud Sacramentum

mentum ordinatur. Ideo non oportet, quod per vnum altaris Sacrificium tota pæna eorum, qui sunt in purgatorio expietur. Vnde quandoque plures missæ in satisfactionem vnius peccati iniunguntur.

Circa etiam valorem Missæ, ita ait D. Greg. pæna viuorum & mortuorum relaxabitur illis pro quibus dicitur Missa, præcipuè illorum pro quibus oratur in speciali. Item, audire Missam deuote, alleuiat animas fidelium defunctorum, & remittit peccata eorum. Hęc ille. Diuus autem Hierony. ait: pro qualibet Missa deuote cęlebrata plures animæ exeunt de purgatorio. Item, alibi: Animæ, quæ in purgatorio torquentur, pro quibus solet Sacerdos in Missa orare, interim nullum tormentum sustinent, dum Missa cælebratur. Hæc ille. Diuus autem Chrysost. ait: Tantum valet Missa sicut mors Christi: nam sicut per hanc nos redemit, ita per illam saluos nos fecit. Hæ tamen authoritates non concludunt Missam agere infinitè, sed maximi esse valoris.

Secundò dicendum, quod Missa potest considerari ex parte Sacerdotis, & tunc cæteris paribus magis valet missa boni Sacerdotis, quam mali; quod potest tripliciter probari, scilicet; ratione, diuisione, & authoritate. Ratione, quia illud est melius, quod pluribus modis est bonum, quā quod vno solo, sed oratio mali Sacerdotis vno modo est bona, scilicet, ex parte Ecclesiæ cuius personam gerit: non autem ex parte sua. Missa autem boni Sacerdotis, dupliciter est bona, scilicet, ex parte Ecclesiæ, cuius vicem gerit, & ex propria deuotione, quare, & cæt.

Per locum a sufficienti diuisione, ita potest probari: malus Sacerdos potest dupliciter considerari. Vno modo inquantum Sacerdos est persona communis, & ita malus Sacerdos quatenus est minister Ecclesiæ, & in persona Ecclesiæ cælebrat; Sic omnis oratio, quam malus Sacerdos facit in persona Ecclesiæ, est frutuosa. Alio modo inquantum Sacerdos est persona particularis; & tunc priuatæ orationes quas Sacerdos malus facit in Missa, non sunt frutuosæ. Missa verò boni Sacerdotis, siue oratio eius, & inquantū est persona particularis, & inquātum est persona communis, est frutuosa, & ideo melior.

Authoritate patet, nam in decretis. 1. quæst. 1. c. ipsi Sacerdotes. Dicitur: Quanto Sacerdotes fuerint digniores, tāto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur. hæc D. Th. 4. Sent. dist. 13.

De perficiente autem nota secundū Aug. 1. qu. 1. intra catholicam. & de consec. dist. 2. Vtrum. In hoc sacramē to, scilicet, corporis Christi, nil a bono magis, nil a malo minus perficitur Sacerdote: dummodo ille cum cæteris in archa cōsistat, & formam obseruet traditam a columba, quia non in merito Sacerdotis, sed in verbo cōficitur creatoris. Aurum enim æquè verum est in archa furis, sicut in thesauro Regis. 1. q. 1. §. ex his. Vnde, & Cayphas Pontifex persecutor vnius, & verissimi Sacerdotis, quamuis ipse verax non esset re, quod tamen dedit consilium: verum fuit, sed non suum dedit, sed Dei, idest, in forma Ecclesiæ. 1. qu. 1. Dominus. & cap. dictum. Non ergo Sacerdotis iniquitas impedit effectum Sacramenti: sicut nec medici infirmitas virtutem impedit medicinæ. Nam in traditione veritatis Sacramenti non distinguuntur merita conferentis vel consecrantis: sed potius virtus creatoris. Sicut enim Christus est, qui baptizat: ita ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc suam carnem efficit. vt. 1. qu. 1. intra catholicam. Vnde si, quis Sacerdos existens in mortali vellet nō consecrare, quia est in mortali, (quod Deus auertat hoc cogitare) dicendum quod grauius peccat, qui simulat co-

ficere,

ficere, & non conficit, quã ille, qui cõficit in mortali: vt de cælebr. Miſ. de homine. cap. 7.

Quamuis igitur opus operans ſit immundum, opus tamen operatum ſemper eſt mundum. Et ſicut omnia ſunt munda mundis: ſic omnia ſunt immunda immundis. 1. qu. 1. omnia. & cap. multi. Malus ergo cum vitam accipit, mortem incurrit. Econtra bonus, cum mortem ſuſtinet, vitam acquirit. Nam qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. 1. Cor. 2. Si verò, quis dicat, quare dicitur Malac. 1. Maledicam benedictionibus veſtris? Et Greg. Benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum. Dicendum quod de præciſis ab Eccleſia, non toleratis, ſeu de notorijs intelligitur. Quorum benedictio, maledictio reputatur: quoniã ſecundum Aug. 1. q. 1. quod quidam. §. ſicut redeunti. Mali quantum in eis eſt, dicuntur ſacramenta polluere: cũ tamen illa permaneant impolluta: ſunt enim bonis ad pręmium, reprobis ad iudicium.

Sed dicet aliquis, Chriſtus in nocte fecit Miſſam, & poſt cænam communicauit; & omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtitutio: ergo & nos hæc omnia facere tenemur, nempè, poſt cænam. Ad primum dicitur, quod Miſſa debet dici in die, & non in nocte: & hoc propter duas rationes, ſcilicet, propter figuram, & propter præſentiã. Propter figuram patet: nam hoc ſacramentum pertinet ad tempus gratiæ, & tempus gratiæ figuratur, vel ſignificatur per diem: vt dicitur Rom. 13. Nox pręceſſit, dies autem appropinquauit. Secũdò patet propter præſentiam Chriſti. Nam ſic formant aliqui rationẽ: Chriſtus per eſſentiam ſuam eſt præſens in hoc ſacramento: ſed ipſe dicit Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit autẽ nox, in qua nemo poteſt operari: ergo de die, & non de nocte. Quare autem cęlebretur in nocte Natiuitatis Domini dicetur in 5. lib. cum de officio, Natiuitatis in particulari erit ſermo.

Quantum ad ſecundum dicendum quod quamuis Chriſtus hora ſerotina, ſcilicet, poſt cænam, hoc ſacramentum cælebrarit, non tamen poſt cænam nos cęlebrare debemus. Cuius ratio eſt, quia ſicut Chriſtus poſt cænã hoc ſacramentum diſcipulis dedit, nõ quod deinceps tali ordine, ſcilicet, poſt cænam ſumeretur, ſed potius vt memoriæ diſcipulorum infigeretur: ita quamuis hoc ſacramentum poſt cænã conſecrauerit, ratione prædicta: non tamen voluit, vt illud conſecremus poſt cænam. Vnde ſicut non oportet vt eum imitemur in primo, ſcilicet, in ſumptione: ita etiam nec in ſecundo, ſcilicet, in cælebratione, vt ait Thom. 4. ſent. diſt. 13. qu. 1. ar. 2. q. 4. Ipſe autem Chriſtus ſic ægit, quia de mane erat tranſiturus ad patrem & ideo propter illam proditionem non poterat differre: & pridie in mane nõ erat hoc faciendum, quia Paſcha incipiebat in veſperis, &c.

Sed cur Miſſa iteratur quotidie cũ Chriſtus ſaluarit mundum per vnam paſſionem ſuam, & mors illi vltra non dominetur? Reſpo. Innoc. quod hoc fit quinq; rationibus. Prima ratio eſt, quia peccamus quotidie, & ideo oportet ſemper medicinam eſſe paratam contra quotidiana peccata. Secunda eſt, vt lignum vitæ, ſcilicet, Chriſtus ſit ſemper in medio Paradiſi. Tertia, vt nobis Chriſtus quotidie vniatur Sacramentaliter: & nos Chriſto ſpiritualiter. Quarta, vt ſit apud nos iugis memoria paſſionis Chriſti, & ne hæc memoria obliuioni tradatur, cum ſit maximum beneficium nobis traditum. Quinta, vt loco agni typici vero agno quotidie vtamur, quem Iudæi ad veſperam conuertendi eſurient: iuxta Pſ. 58. Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes. Adde ſextam, eo quod corpus Chriſti pœnitentibus,

tibus post peccata offerri iubeatur, vt salutem per corpus Christi inueniant, atque exeant post pænitentiam. Septima, adde, vt similiter in Ecclesia diem iudicij, a quo iusti ab iniustis separabuntur, significemur. Item, quia in vinea laborantes eo quotidie reficiuntur. Octaua, vt Neophiti per illud Sacrificium Christo incorporentur. Demum, vt memoria passionis Christi quotidie mentibus fidelium ad immitandum infigātur: quotidie enim egemus, ideoque panis quotidianus vocatur. Quotidianum ergo Sacrificium vt probat Paschasius Papa de consecr. distin. 11. iteratur. Est commemoratio non iteratio passionis. Vnde. 1. Cor. 10. dicitur. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat: propter quod dicebat ipse Apostol. Hoc facite in meam commemorationem.

Habemus autem triplex memoriale Dominicæ passionis. Primum, quantum ad visum in imaginibus & picturis, & propterea crucifixi imago depingitur in libro & in Ecclesijs. Secundum, quantum ad auditum, scilicet, passio Christi prædicata. Tertiū quantum ad gustum, scilicet, sacramentum altaris in quo Christi passio patenter exprimitur. Item, cælebratur Missa (& habetur ex Tomo Sexto Bibliotech. patrum) ex pluribus alijs de causis. Prima, vt sępè rogemus Deum. Secunda, vt suscipiat Deus preces nostras & oblationes. Tertia, pro offerentibus & defunctis. Quarta, pro osculo pacis. Quinta, vt sanctificata sit oblatio. Sexta, vt confirmetur per Spiritum sanctū oblatio corporis & sanguinis Christi. Septima, vt cātetur, Pater noster, in qua oratione continentur septem petitiones, tres spirituales, & quatuor temporales: vt dicetur infra in commentarijs magnis.

Quæret, quis hic, an Sacerdos possit pluries in die cælebrare? Dicendum est, aut Sacerdos sumit corpus Christi siue cælebrat pro se tātum, aut pro se & pro alijs. Primò enim, si Sacerdos sumit pro se tantum, non debet absque necessitate pluries in die cęlebrare: quod tripliciter potest probari, scilicet, ex parte exempli, sacramenti, & sui. Ex parte exempli patet. Missa enim repræsentat passionē Christi, sed tantum semel Christus passus est. Ergo semel in die sufficit. Ex parte sacramenti patet, quod cum sit inter omnia nobilissimum, sibi debet maxima reuerentia exhiberi, semel tantum sumendo. Ex parte sui, manifestum est, nam valdè felix est, qui vnam in die cælebrare potest. Vnde dicitur de consec. dist. 2. ex decreto Alex. Papæ: sufficit Sacerdoti vnā Missā in die cęlebrare; quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit: & valde felix est, qui vnam in die dignè cælebrare potest. Legitur quod Leo Papa sæpè septies, & aliquando nouies in eadem die missam cælebrauit, vt refert Dura. lib. 4. c. 1. Si consideretur Sacerdos quatenus est persona communis, & publica, & pro alijs, tunc vrgente necessitate plures Missas in die cælebrare potest, vnam de die, aliam pro defunctis. Qui verò pro pecunia plures missas cælebrare præsumit in die, non æstimo euadere damnationē, vt Innoc. 3. dixit. Extr. de cæleb. Miss. excepto die Natiu. Domini. intellige tamen cum plures fiunt missæ; seruatis de iure seruandis, vt fit in die Natiuitatis, &c.

Nauar. cap. 25. nu. 87. ponit septem casus, in quibus sacerdos potest pluries in die cælebrare. Primus est prędictus dies Natiuitatis Domini. Secundus, est quando superuenit iam Missa dicta aliqua persona notabilis, veluti Episcopus, quem singulis diebus decet eam audire, vel dicere. cap. fin. de Priuileg. lib. 6. & ead. vel maiori ratione cum superueniunt peregrini, & si non sint tanti status, si de præcepto illo

dio

die ad audiendam Missam teneantur. Tertius, cum repente post dictam Missam corpus defuncti occurrit sepeliendum, & consuetudo habet ne sepeliatur sine Missa, quando ea cælebrari potest. Quartus casus, quando aliquis ita ægrotat vt communicare necessario habeat, & non est Eucharistia. Quintus, cum quis præest duabus Ecclesijs vnitis, duabus Missis indigentibus, & non est alius, qui alteram dicat. Sextus, ob nuptiarum benedictionem. Septimus, cum occurrit causa quæ iusta videatur ad hoc arbitrio boni viri, per cap. consuluisti. de cælebr. Miss. Notãdum tamen quod neque in prædictis casibus est licitum si Sacerdos, qui semel cælebrauit non est ieiunus, etiã si nihil sumpserit præter solitam calicis purificationem, vt paulo ante innuimus.

Vtrum Sacramentum possit a laicis tangi, & dispensari. S. Thom. in 4. senten. dist. 13. qu. 1. art. 3. Solus Sacerdos potest dispensare corpus Christi. Vnde laicus quãtumcumque sanctus hoc non potest facere, quod dupliciter probari potest. Primò, ille non potest dispensare, qui non potest consecrare: sed laicus non potest consecrare, quia non habet caracterem; ergo nec dispensare. Secundò, ad eosdem pertinet esse ministros Ecclesiæ & dispensatores ministeriorum Dei, vt dicitur 1. Corinth. 4. Sed laici non sunt ministri Ecclesiæ ergo dispensare nequeunt.

In dispensante hoc sacramentũ duplex requiritur Sanctificatio propter reuerentiam Sacramenti, scilicet, sanctificatio moralis, & Sacramentalis: quod patet: nam videmus quod calix in quo Sanctitas moralis esse non potest, consecratur, & similiter manus Sacerdotum vnctione Sanctificantur propter reuerentiam Sacramenti: sed laicus sanctitatem Sacramentalem nõ habet: ergo non potest dispensare hoc Sacramentum: vnde licet laicus in casu necessitatis possit baptizare: Similiter licet laicus, & si sit peccator possit corpus Christi tangere in casu necessitatis, puta cum esset in luto, non tamẽ potest dispensare: tum propter defectũ administrationis, tum propter defectum Sacramentalis sanctificationis, qui sunt in laicis.

Diaconus quoque hoc non potest facere: dicit enim canon. dist. 93. Non oportet Diaconum panem dare, idest, corpus Christi. Secundo potest probari sic. Dispensatio corporis Christi est, illius, qui est Dei, & hominum mediator: talis non est Diaconus, sed tantum Sacerdos. Deinde sic. Non competit illi corpus Christi dispensare, qui ipsum non potest tangere. Sed non licet Diacono corpus Christi tangere, cum nõ habeat manus sacratas. Quod autem dicitur de B. Laurentio, dicendum, quod olim Diaconus dispensabat sanguinem, non tamen legitur, quod dispensaret corpus Christi. Dispensabat quidem sanguinem, & poterat, quia non tangebat, quod non potest ita facere de corpore.

Quæri etiam potest, vtrum angelus possit consecrare? Dicendum, quod Angelus non potest consecrare; quia illi soli possunt consecrare, quibus data est potestas consecrandi a Christo, quando hoc Sacramentum instituit, vel immediatè vt Apostolis; vel mediatè vt alijs, secundum quod habetur Luc. 22. Accipite inter vos & diuidite. Glos. accipite, & date: sed solis Episcopis, vt ex verbis patet, hoc officium, & hanc potestatem Dominus immediate, & Sacerdotibus mediate dedit. Constat autem quod hanc potestatem Angeli nec a Domino, nec ab Apostolis acceperunt. Hæc Alexander de Ales 4. p. q. 108. ar. 1.

De

De triplici genere linguarum in Sacrificio Missæ. Cap. 9.

IN Sancto Christi sacrificio Missæ, vbi eius passio repræsentatur, triplici genere linguarum vtitur Ecclesia, nempè, Græca, Hebræa, & Latina. Quare autem sic, communiter responderi solet, quia his tribus linguis scriptus est titulus crucis Christi. Io. 19. Secundò, ad designandum quod omnis lingua, quæ per has principales intelligitur, (nam præter hæc tria genera, omne aliud Idioma barbarum est) Deũ laudare, confiterique debet, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Licet enim sint multa genera linguarum, istæ tamen principales sunt. Vtitur Hebræa propter legem, & quia est aliarum mater. Gręca, propter sapientiam. Latina, propter nobilitatem, & Dominium Romani imperij.

Verba Græca sunt Kyrie eleison, Christe eleyson. Hebræa sunt, Alleluia, Amen, Sabaoth, & Osanna. Reliqua Latina. In missa Romani Pontificis in pręcipuis solemnitatibus legitur Euangelium, & Epistola non solum in Latino verum etiam in Græco: ad designandum vtriusque populi sub vna fide coniunctionem, siue ad designandum quod Ecclesia constat non solum ex Latinis, sed etiam ex Græcis.

De Singulis partibus Missę, & quid significent in Genere. Cap. 10.

MIssa, quæ alio nomine dicitur Sacrificium ratione præteriti, inquantum, scilicet, est repræsentatiuũ Dominicæ passionis, quæ fuit verum Sacrificium, multas habet partes maximè significatiuas, & profundissimorum mysteriorum declaratiuas. Nam Introitus, respicit ad chorum prophetarum: quoniam secundum August. Moyses minister fuit veteris testamenti, prophetæ, ministri noui.

Kyrie eleyson, respicit ad eos prophetas, qui circa Domini aduentum erant, de quibus fuerunt Zacharias, & Ioannes Baptista Filius eius. Gloria in excelsis, ad cetus respicit Angelorũ gaudium Natiuitatis Domini pastoribus annunciantium.

Prima collecta, respicit ad hoc, quod Dominus circa annum duodecimum egebat, scilicet, quando ascendens Ierosolymam sedebat inter Doctores, audiens, & interrogans.

Epistola ad Ioãnis prædicationem respicit. Responsorium, ad beneuolẽtiam Apostolorum, nempè, quomodo a Domino vocati, sequuti sunt eum.

Alleluia, ad lætitiam mentis eorum pertinet, quam habebant de promissionibus eius, vel de miraculis, quæ per eum, vel per nomen eius fiebant. Euangelium respicit tempus a sua prędicatione vsque ad prædictum tẽpus.

Quod verò deinceps in Missæ officio agitur, ad illud respicit tẽpus, quod est a Dominica, quãdo pueri Hebręorum obuiauerunt ei, vsque ad diem ascensionis eius, siue vsque ad Pentecosten.

Oratio verò secreta vsque ad, nobis quoque peccatoribus, designat (secundum aliquas) illam orationem quam Iesus in mõte oliueti exercebat. Quod autem postea agitur, significat illud tempus, quod Dominus iacuit in sepulchro. Quando verò panis in vinũ mittitur, animam eius ad corpus redire demonstratur. Salutatio sequens, significat salutationes postea discipulis a Christo factas. Fractio oblatę, fractionem panis in Emaus.

Rursus Missa quasi iudicium imitatur: vnde & canon, Actio vocatur de consec. dist. 1. Necesse. Est enim Actio causa in iudicium deducta. de verborum. Signific. forus. In Missa quidem causa nostra agitur. Oratorium, est prætorium. Deus, Iudex. Diabolus, est accusator. Ministri sunt testes. Sacerdos

cerdos aduocatus & defensor: Hic est Moyses, qui causam populi ad Dominum allegabat, cuius patrocinio delatoris fallacia confutatur, & nostra innocentia comprobatur, & absoluitur, & Iudicis ira placatur, & per misericordiam culpa remittitur 45. dist. Disciplina Extr. de re iudic. cum vterini.

Quibus horis cantetur Missa conuentualis siue solemnis. Cap. 11.

HIc consequenter videndum est, quibus horis cantetur missa solemnis, siue Missa conuentualis. Ad quod dubium respondendum est secũdum Ioann. Beleth antiquiss. author. ca. 50. nempè, quod tribus horis Missa cantari potest; Tertia nimirum, Sexta, & Nona. Tertia quidem, quia Iudæorũ linguis sit crucifixus Christus, dum instanter clamarent, crucifige, crucifige eum, & pertulerit ludibria, maledicta, conuitia, alapas, insultantium sputus, & coronam spineam.

Sexta verò ob eam causam, quod tunc in cruce actus sit, ac tolerare debuerit clauos rigidissimos, & pocula felle tincta, vt sic tandem pro nobis immolaretur. Nona demum, quia tũc animam exalauit, ac Spiritum patri commendauit.

Ordo huiusmodi sumitur etiam ex Missale reformato sic dicens, Rubrica 15.

Missa priuata saltem post Matutinũ & laudes quacumque hora, ab Aurora vsque ad Meridiem dici potest. Missa autem conuentualis, & solemnis sequenti ordine dici potest. in festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infra octauas, dicta in choro hora Tertia. In festis simplicibus, & ferijs per annũ dicta Sexta. In Aduentu, Quatuor temporibus, etiam infra octauam Pentecostes, & vigilijs, quæ ieiunantur, quamuis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari post Nonam.

Hæc sunt verba Missalis, siue Rubricæ eiusdem: Rubrica enim ne (Etymologiam sileamus) sic nominatur, quia literis rubeis rubricæ antiquitus scribebantur.

Accipitur huiusmodi differentia secundum eundem, ex diebus magis idoneis ad orationem. Compati enim debemus Christo crucifixo magis tẽpore ieiuniorum quam alijs temporibus, cum sint illa tempora sacra, & ad sacra mysteria ordinata. Quod verò de sero cantetur, vt in vigilia Paschæ, propter collectam, quæ facit mentionem de nocte, hoc non est amplius in vsu, nisi de nocte Natiuitatis, propter significationem, vt ibidem dicemus: idem dic de Sabbatho quando fiunt ordinationes, quod fiebant valdè sero antiquitus: sed hodie fiunt hora competenti.

In nocte autem nullo modo regulariter Missa est cælebranda, quia mysterium Eucharistiæ ad nouum pertinet testamentum, quod est tempus legis gratiæ, & diei comparatur. Rom. 13. sicut lex vetus dicta est nox: cui tãta gratia non est concessa a Deo. Deinde Rubrica 15. eiusdem Miss. numero 2. Sic ait.

Missa autem defunctorum dici debet post primam diei: vbi verò dicuntur eorum Vigiliæ (idest nocturni) mane post Matutinum diei, dictis huiusmodi vigilijs cum laudibus, immediate dici potest Missa pro defunctis. Sed dicet aliquis, quare hoc modo pro defunctis? Fortè, quia mortui quasi adhuc inter tenebras purgatorij detenti, cito suffragijs indigeant necessarijs: sed in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, Missa conuentualis dicitur post Nonam; quia eo die pro illis, est principalis: quasi nos illis compati necesse sit. Idem, dic de die Depositionis, tertio, septimo, & trigesimo, scilicet quod cantetur post Nonam. Ab hoc ordine excipitur nox Natiuitatis. Similiter Missæ votiuæ, quę dicuntur pro re graui vt pro cælebrandis religio-

religiosorum capitulis: vel publicæ Ecclesię causa (si solemniter cęlebrantur) post Nonam canũtur. Vt magis aptissimus ad impetrandum, quæ postulamus, per ieiunium tunc peractum in illo die.

Si verò post Missam solemnem mortuorum facienda est absolutio ait Ritus 13. num. 4. *Celebrans retrahit se ad cornu Epistolę vbi exuitur casula, & cet.* ibi habetur modus cantandi ad tumulum site mortorium. *Si verò distribuendę sunt candelæ* vt dicitur ibidem. num. 3. *distribuuntur post Epistolam:* hoc ideo fit, quia præcipit Missale quod accendantur ad Euangelium, cum subdit: *Et accendantur ad Euangelium, ad eleuationem sacramenti, & post Missam dum fit absolutio. Si habendus est sermo* inquit *habeatur finita Missa ante absolutionem.*

Accenduntur candelæ ad Euangelium, meo iudicio, saluo semper meliori, quod significat Christum. q. d. Ecclesia, iste pro quo officium recitatur, confessus est Christum fuisse lumen suum in vita, & nunc etiam in Purgatorio: de quo Christo dicitur Io. 8. ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris. Vel, accendũtur tunc, ad significandum doctrinam Euangelij esse lucem tam viuorum quã mortuorum. Omnis, qui credit in me non morietur in æternum. Io. 6.

Accenduntur ad eleuationem propter præsentiam tantæ maiestatis, scilicet, propter præsentiam Christi in sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Demum accenduntur in absolutione. q. d. Ecclesia, iste dum vitam duxit parauit lucernam Christo suo, cum ad nuptias inuitatus fuit. Vel ad innuendum nostras orationes tunc illis mortuis seruire pro lumine in tenebris purgatorij.

De aquæ benedictione, aspersione, atque eius significatione. Cap. 12.

QVamuis fatemur nos, creaturam omnem a Deo bonã fuisse creatam, vt etiam testatur Moyses Genes. 1. & vidit Deus cuncta quę fecerat, & erant valdè bona: tamen vltra naturalem bonitatẽ dicimus quoque posse fieri meliorem, sicut testatur Paulus 1. Timo. 4. Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei & orationem. Animę quoque hominum natura cum creantur, bonæ sunt; fiunt verò meliores per gratiam Dei, & Sacramentorum susceptionem, bonorũque operum exercitium. Alioquin si fieri meliores nõ possent Deus, qui sic eas condidit, esset culpandus, si non saluarentur. Ideo Io. in Apoc. 22. ait: qui iustus est, iustificetur adhuc.

Quare sancti Patres, hæc considerantes, orationes quasdam adinuenere, quales creaturæ benedictæ quosdã spirituales haberent effectus. Nec dubitarunt, eum specialem effectum euenire præter naturę creatæ conditionem, qui sacris benedictionibus postularetur, vnde salus corporis, & animæ proueniunt: quo circa Ecclesias, vasa, vestimenta, palmas, cibum, potum, herbas, sal, aquam, &c. benedixerunt: non equidem existimantes spiritualem, a creaturis procedere virtutem: sed quod dignaretur Deus eam gratiam illi creaturæ conferre, vt virtutem quam precarentur haberent.

De aqua benedicta ab Apostolis instituta meminit Alexander Papa & Martyr, qui Septimus a Beato Petro Apostolo rexit Ecclesiam, his verbis: aquam salem conspersam in populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificarentur ac purificarentur; quod omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus, populum sanctificabat, atque mũdabat, Leuit. 4. multo magis aqua

sale aspersa diuinisque precibus sacratæ populum sanctificat atque mundat & si sale asperso per Elisæum prophetam, sterilitas aquæ sanata est 4. Reg. 2. quanto magis diuinis præcibus sacratus sal, sterilitatem aufert rerum humanarum, & coinquinatos sanctificat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & a phantasmatis versutijs hominum defendit? de consec. dist. 3. can. & aquā: Ex his autē primo ostenditur antiquissimum aquæ benedictæ fuisse vsum in Ecclesia: quoniam in octuagesimo anno post Christi passionem Iste Alexander sedit in Petri Pontificatu: vnde cóijcitur, ab Apostolis hunc morem esse desumptum. Hac verò aqua benedicta a vitijs, & peccatis sanctificantur homines; & patet: nam vt est communis opinio, per eam peccata venialia dimittuntur iuxta illud Asperges me hysopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Et Ezechiel. 47. Vidit aquam egredientem de templo, & ad quos peruenit aqua ista salui facti sunt.

Quod autem ponatur in ingressu Ecclesiæ, per similitudinem quandam ex lege veteri hoc accepit Ecclesia. Scribitur Exodi 38. Moysen fecisse labium æneum cum Basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant, (idest, continuo amore ingressum regni ęterni obseruantes, ait Glos. interlin.) idest, vigilabant, in ostio tabernaculi. Quid est ante quod specula ponuntur in introitu tabernaculi? vt ingrediētes Sacerdotes in speculis si quas haberēt maculas videntes, lauarentur, & purgarentur. Ita in ingressu Ecclesiæ in nouo testamento aqua benedicta ponitur quo ingredientes a peccatorum venialium maculis, aspersione, aquæ benedictæ mundemur. Per specula.n. mulierum, significantur diuina pręcepta: in quibus animæ deuotæ speculātes, vident quid admouere debent a seipsis, scilicet, maculas vitiorum. Per tabernaculum in illo loco intelligitur cælum, quod animæ deuotæ non possunt ingredi durante vita præsenti, sed diligenter attendunt qualiter possint intrare post finem præsentis vitæ vt ait Glos. ibidem.

Hæc autem aqua custodit hominē ab incantationibus, & sortilegijs virtute dęmonum factis: nam & in ipsius consecratione hoc a Deo postulat Ecclesia. Insuper auget hominibus deuotionem, facitque ipsam citius, & facilius exaudiri, eo quod diaboli phantasmata, atque illusiones per eam expelluntur. Si enim Christus dedit potestatem Apostolis & Sacerdotibus, expellendi dęmones, calcandique serpētes, vt patet Mat. vlt. cur non eodem verbo Christi, & ad illius sanctissimi nominis inuocationem, supra aquam factam, expellentur insidiæ dæmonū? Hoc enim postulatur in illis orationibus.

Præterea legitur Num. 5. de aqua celotipiæ, quæ maledicta ab ore Sacerdotis, mulierem adulteram tumescente vtero bibita occidebat, & si potuit illa virtute imprecationis diuinæ, tam magnum parere effectum; non poterit aqua, benedicta, eodem Diuino verbo dæmones effugare? Quare non est contemnenda aquæ benedictio & consecratio, vbi nomen Christi inuocatur, sed frequenti vsu conseruanda. Scribit autem Epiphanius lib. 1. tom. 7. contra hæreses de quodam Iosepho Iudęo ad Christum conuerso, qui literis & potestatē a Cōstantino acceptis, in Tyberiadem veniens, ædificareque Ecclesias volēs, caminos extra vrbem multos pro calce habenda facere iussit: impediebatur vero, incātationibus iniquissimorum Iudæorum: vt suppositus ignis, vel dispergeretur, vel non arderet: cucurrit vir aquam in vase afferrens coram multitudine, quę magna confluxerat ad spectaculum, factoque signo crucis super aquam, alta voce ait: In nomine Iesu Christi Na-

zareni,

zareni, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis, ac magiæ, quam ij fecerunt: & ad efficaciā potētiæ ignis, ad proficiendam domum Domini: & sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas aspersit fornaces, & dissolutæ sunt incantationes, & ignis coram omnibus emersit.

His omnibus dictis antequam Sacerdotem ad altare deducamus dicendum est, quod ipse in omni die Dominico cælebraturus priusquam induat planetam, omnibus alijs indumentis paratus, vt liberius vacare possit, benedicit aquam: deinde ad Altare accedit, & illud, & Ecclesiam ac populum aqua benedicta conspergit vt omnis immundorum Spirituum turpitudo tam de habitaculo, quam de cordibus fidelium propellatur. Hæc enim virtus aquæ exorcizatæ inest, vt patet ex canon Alexandri præallegato, & vt iam dictum est.

Notatione tamen dignum est, quod huiusmodi aspersio, alia ratione fit super populum, & alia super altaria: quia enim septies in die cadit iustus: idcirco ipse populus Ecclesiam ingrediens diuinis insistere intendens, ipsa aqua sanctificata aspergitur, vt valeat ad quotidiana delenda peccata. (intellige venialia) sicut & cinis vitulæ in testamento, secundum quod, qui immūdus erat prohibebatur Ecclesiam ingredi, donec aqua lauaretur.

Altare enim aspergitur ob reuerentiam Sacramenti, quod ibidem consecrandum est, vt inde omnium malignorum Spirituum præsentia arceatur: & quemadmodum Christus per altare (quod debet esse lapideum) significatur, secundum illud Apost. Petra autem erat Christus: & fides nostra de vno Christo, & non de pluribus est: ideo vt signum signato respondeat, vni coaltari asperso, vniuersus aspergitur populus: quia ipse solus est, qui tollit peccata mundi.

Dum aspergit altare & Ecclesia, cantatur a choro, Asperges me Domine hysopo & mundabor. Extr. tempus paschale: In paschali verò tempore, dicitur, Vidi aquam egredientem de templo, & cet. Ezechiel. 47. cui Dominus ciuitatem ostendit ædificatam super mōtem vergentem ad Austrum, in qua erat mirabile templum. Ciuitas, est Ecclesia, de qua dicitur Mat. 5. Non potest ciuitas abscondi. Templum est corpus Christi: de quo dicitur, soluite Templum hoc. Io. 2. Aquam de templo egrediēs est fons Baptismi de latere Christi procedens. Ideo in laudem huiusmodi fluminis cantamus: Vidi aquam egrediētem. Hac ergo ratione omnibus Dominicis diebus ante Missam aspergitur super populum conuenientem, scilicet, ad memoriam aquæ baptismalis, vt propherauit Ezech. dicens in persona Dei, effundam super vos aquā mūdam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: quod fiat ad hoc significandum patet: quia populus iā accepit aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ & ideo sufficit pro tali cærimonia, ergo ad aliud significandum aspergitur tunc populus, scilicet, pro memoria fontis Baptismi.

Per virtutem enim benedictionis aquæ, excitantur fideles ad orandum Deum, vt sicut per aquam Baptismalem eos plene mundauit in Baptismo, ita dignetur emundare conscientias, per aquam contritionis: & secundum hoc dicitur, quod per aspersionem aquæ benedictæ cōsequitur quis remissionem peccatorum venialium. Nam & Dauid in illo versu, Asperges, petit mundari spiritualiter. Cum benedicitur, profertur in primis: Adiutorium nostrum in nomine Domini. Ex Psal. 123. ad profitendum, & contestandū nos viribus nostris, aut operibus iustitiæ, nequaquam confidere, vt hoc aggrediamur benedictionis munus: sed solo Dei auxilio niti: quo tota nostra spes, & fiducia reposita est. Goliat horribilis gigas, in armis & fortitudine

sua

sua spem posuit: & Dauid totam fortitudinem Deo attribuit: hic victor, & ille victus fuit. Et tunc debemus dicere cum propheta Ps. 43. Non in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me. & Iere. 17. Maledictus homo qui confidit in homine: & qui ponit carnem brachium suum.

Porro, aqua cum benedicitur, sal admiscetur, quod ab Eliseo exordium sumpsit: & fit hoc ad notandum, quod populus per aquam intellectus, vt sanctificari possit per Sacerdotis officium verbo Dei imbuitur, quod per salem significatur. Fit ter crux super aquam, & salem, quia docetur populus sanctę Trinitati gratias pro sua eruditione atque redemptione referre. In secunda oratione fiunt duæ cruces propter rationem ibi assignatam, nempè, vt sis omnibus sumentibus salus mentis & corporis.

Sed quæret forte quis, quare prius sal benedicitur, quam aqua? Dur. dicendum, quod per sal intelligitur amaritudo pænitentiæ: per aquam Baptismus: quia ergo cordis contritio vel attritio debet præcedere absolutioné, & pænitentia (saltem non ponendo obicem) Baptismum, ideo prius benedicitur sal, quam aqua.

Aqua benedicta est duplex Tab. ve. aqua. num. 3. quædam, quæ fit ab Episcopo solo cum vino & cinere, ad recõciliationem Ecclesiæ consecratæ, propter pollutionem sanguinis vel seminis, in cap. aqua. & cap. proposuisti. de consec. Eccl. vel. alt. est & alia, quæ fit ad aspergẽdum homines, vel domos, & removendum sterilitatem rerum humanarum, & ad multiplicationem cæterorum bonorum, & ad defensionem hominum aduersus insidias atq; versutias diaboli, & ad delenda peccata venialia, de qua est sermo, quæ benedicitur a Sacerdotibus. vt in capit. aquam de consec. dist. 3. nec Diaconi possunt benedicere arg. d. c. aquam. de consec. distin. 3. & in c. perlectis. §. ad presbyterum 25. distinct.

Aqua benedicta est de numero Sacramentaliũ, vt est etiam exorcismus, & benedictiones factæ super sal, pané, muros, &c. vt supra dictum est in ca. de ritibus. Sacramentalia in noua lege dicuntur Sacramentorum dispositiones, siue ad Sacramenta suscipienda, vel conficienda, aut consecranda: vt puta, aqua benedicta sanctificat & mundat dispositiuè, & non ex opere operato, vt Sacramenta. Insuper omnia benedicuntur, quia præceptum apostolicum est. Colos. 2. Omnia quæcumque facitis, in verba & in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes, Deo & Patri, per ipsum. Et 1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite.

Quod verò dicitur in secunda collecta, *maxima queque Sacramẽta in aquarum substantia condidisti.* Non sumuntur hic Sacramenta, pro septẽ Ecclesię Sacramẽtis, quibus suffulta est domus Domini, cum Solum Sacramẽtum Baptismi vtitur aqua pro materia, sed hic Sacramenta dicuntur signa visibilia, alicuius inuisibilis mysterij, atque gratiæ significatiua. Qualia in sacris literis quam plurima occurrunt in aquarum substantia constituta; enim verò secundum hanc rationem, diluuium illud vniuersale tempore Noe Sacramentum erat: quod totius mundi expurgationem a peccatis aquarum ministerio signabat. Sed & mare rubrum a populo Israelitico incolumi pertransitum demersit Ægyptijs; erat Sacramentum secundum propositam significationem: quoniam salutem populi Christiani per lauacrum Baptismi, demersa peccati vetustate dęmonicaque cohorte, insinuabat. Insuper aqua Marath amarissima impositione ligni a Domino Moysi ostensi dulcorata, etiã nomine sacramenti hic rectè comprehenditur: quod mysticè significet omnem amaritudinem præsentis mundi consideratione sanctissimæ crucis Dominicæ

minicæ eiusque commixtione in dulcedinem versum iri. Sed quid Iordanis fluuius, in quo septies lotus Naaman Syrus (iuxta verbum prophetę 4. Reg. 5.) a lepræ contagione protinus est mūdatus? Nonne aptè designat animam peccati colluuione inquinatam: ablutione Baptismi ab omni prorsus labe purgari, & eam ob rem sub generali Sacramentorum ambitu hic continetur? Nonne & natatoria Siloe, ad quā missus est cæcus a natiuitate a Domino nostro vt oculos oblinitos ablueri: etiam hic rectè Sacramentum nuncupatur? Propter idipsum; quod genus humanum in exordio ferè primorum parentum obcæcatum peccato: per aduentum Domini nostri Iesu Christi in carnem & baptismi mysterium ab eo institutum, signet fuisse illuminatum. Denique & piscina illa probatica quinque porticus habens: in quā omnium primus descendens post motionem eius ab angelo Domini, quacumque detinebatur infirmitate, protinus curabatur: nonne Symbolum erat, & typus rei sacræ, scilicet, baptismi? Cuius ablutione: ab omni contagio, & morbo peccati sanatur anima: hæc omnia spiritualium rerum signa iam enumerata: in aquarum substantia erant constituta, vt manifestum est. Rectè ergo hic dicuntur maxima queq; sacramenta in aquarum substantia esse condita: quod in veteri & in noua lege rerum sacrarum mysteria pro aquarum substantiam nobis sunt reprę sentata.

Quod autem ait in tertia oratione *hostiles nequitias* Spiritualem nequitiā vocat hic author diuini officij: ipsum serpentem antiquum & dæmonum, qui propter abundantiam malitię qua scatet, & in quā assiduè molitur alios inducere: non ab re nequitia appellatur & propter naturæ incorporeæ, atque immaterialis conditionem: spiritualis dicitur, quod spiritus sit & non corpus, substantia ve corporea. Et sumpta videtur ea denominatio ex D. Paulo ad Ephes. 6. cum ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates: aduersus mūdi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.

His Finitis dicitur Asperges me Domine hysopo, &c. Ps. 50. & aspergitur populus: & rectè hoc pręcipitur, quoniam id expetit in nobis spiritualiter præstari, quod ipsa sensibilis & corporalis aquæ aspersio insinuat, nos videlicet irrigari Diuinæ gratiæ rore, qui nostrorum peccatorum maculas abstergat, & corda nostra purificet. Neque ab re, hysopo eo in loco meminit, propheta. Nam in vet. lege, sanguine passeris immolati intincta hysopus; iubetur septies aspergi super leprosum, vt emundetur a tabe lepræ. Et quidem figura erat, significans genus humanum lepra peccati grauiter labefactū, aspersione sanguine Christi immolati in cruce, a peccati macula purgandū. Præterea hysopus, herba humilis & exigua hæret petræ radicibus, & aufert inflationem pulmonis. Is itaque aspergitur mysticè hyssopo, qui radice charitatis infixus in humili Christo, superbiæ tumorem humilitate depellit, & hac gratia abluitur a peccato. Hieron. ait super hunc Psalm. sicut hyssopum terrenum, curandis pulmonibus aptum est; vt auertat inflationē, ita homo, cælesti, quis aspersus hyssopo, idest, humilitate cordis, ab omni superbiæ malignitate purgatur.

De alijs benedictionibus, nihil difficilè est quod indigeat expositione, puta de pane, aqua, & cæt. huiusmodi nisi de agno Paschali vbi in collecta dicitur *cuius sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti*. Dicitur quod Deus redemit primogenita mūdi, nō quidem brutorum, cum nō sint capacia beatitudinis; sed primogenita hominum, qui soli sunt capaces cæli. Primogenita inquam; non qui nati

sunt secundum carnem; sed nati secũdum spiritum. Nihil refert apud Deũ, vt quis natus sit primus, vel secundus, &c. Ille ergo est primogenitus qui voluntatem Dei facit, vt dicitur Ioan. 1. Non qui ex voluntate carnis neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. cætera patent.

Exorcismus autem secundum Iosephum & Bedam dicitur habuisse exordium a Salomone, hoc est, eum docuisse modos exorcizandi. Benedictio autem panis & aliorum ciborum, & vestimentorum, a veteribus quoque exẽplum suscepit. Vnde Dominus Moysi num. 6. ait: Sic benedicetis filijs Israel, Benedicat tibi Deus. &c. sequitur: Inuocabuntque nomẽ meum super eos, & benedicam illis, scilicet, effectiuè, quia benedicere Dei, est facere. Vnde Apost. 1. Tim. 4. Omnis enim creatura Dei bona est, & nihil reijciendũ, quod cum gratiarum actione pręcipitur. Sãctificatur enim per verbum Dei & orationem; consequens quod licitum est, panes & alios cibos, aut fructus benedicere, & super eos inuocare nomen Domini, ne noceant, & vt multiplicẽtur, atque vt debitè eos sumamus: nec non etiam in memoriam, & recordationem benedictionis Christi, qui respiciens in cælum gratias agens, panes in deserto benedixit. Et (vt quidam aiunt) inquantum homo dicebat illud Psal. Oculi omnium in te sperant Domine, &c. Talis enim erat mos benedicendi in antiqua lege, quam Christus venerat implere, non soluere. Vnde Aaron extendens manum suam benedixit populum. Et probabile est, quod extendendo faceret signũ Thau, quod datum erat filijs Israel in signum præseruationis ab angelo percutiẽte. Ideo Ezechie. dicebat: Signa Thau, super fronte virorum gementium super cunctis abominationibus suis. Et, quia signum Thau figurabat Signum crucis in qua Christus peccata nostra tulit, & labores atque dolores nostros ipse portauit patiendo & moriendo, per quam passionem & mortem nobis meruit præseruationem ab angelo percutiẽte, & omnem benedictionem: ideo Ecclesia in omni benedictione & nominis Dei inuocatione signum crucis in memoriam passionis Christi, & eius gratiarum actionem facere consueuit, secundum Augu. Panis benedictus dabatur olim Cathecumenis.

De Breui Expositione totius Missæ. Cap. 13.

S*Acerdos celebraturus post benedictionem siue aspersionem altaris, Ecclesiæ, & populi induit se casula; & ad altare accedit*; ideo hic prius summatim dicemus de expositione Missæ.

Primò loco in Missa hæc præcedũt, scilicet, confessio, altaris osculatio, & purificatio, quibus tria significantur per quæ fideles redduntur digni ad celebrandum. Primum est purgatio peccatorum. Secundum membrorum cum capite vnio. Tertium cęlebrãtis, & assistentium deuota oratio.

Quo ad primum, Sacerdos sacris vestibus ornatus, statim coram astãtibus peccata vniuersè confitetur, percutiẽdo pectus exemplo publicani. Secundò, osculatur altare, significans, quod Christus, qui est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, sacram sibi Ecclesiam copulauit, iuxta id Cantic. 1. osculetur me osculo oris sui. Et in Christo, non solum est humanitas vnita diuinitati, verum etiam sponsa Ecclesia Christo est copulata; secundum id Isa. 61. Induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Tertiò, sequitur thurificatio, qua significatur deuotio, & oratio cælebrantis, & assistentium directa ad Deum; iuxta id: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Psal. 140.

Egressio

Egressio Sacerdotis de sacrario, designat Christum, qui assumpta carne, in mundum intrauit. Cæroferarij, legem & prophetas designant. Diaconus & Subdiaconus, & alij; Apostolos, & Septuaginta duos discipulos repręsentat.

De Altari.

SAcerdos vestibus Sacerdotalibus, indutus debet consecrare in altari cõsecrato, lapideo, integro, non enormiter fracto. cap. altaria. & ca. placuit. de consec. dist. 1. cap. quod in dubij. de consec. Eccl.

Altare, dicitur quasi alta ara, ratione situs, quia eleuatum est supra terrã.

Debet autem altare esse ornatum duabus pallis; ad repræsentandum vtrumque testamentum, scilicet, vetus & nouum: quia sicut vna mappa tecta est sub alia in altari, sic antiqua lex, sub noua tegitur. Item, duæ mappæ, videntur sufficere propter duo linteamina reperta in Christi sepulchro, vnum ad caput, & vnum ad pedes.

De Hostia.

HOstia debet habere has qualitates. Primò debet esse pura, nõ mixta aliquo liquore: ad designandũ corpus Christi natum de virgine immaculata, & pura. Secundò debet esse triticea, quæ indicat Christum, qui cõparatus est grano frumenti. Tertiò, debet esse tenuis, idest, subtilis, ad designandam magnam Christi abstinentiam: qui cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Quartò debet esse rotũda, nam vt rotunditas caret principio & fine, sic etiam in deitate non potest dari principium, neque finis. Quintò, debet esse alba, & non nigra, ad significãdum corpus Christi mundissimum. Sextò non sit tumida & inflata, ad notandum Christi humilitatem: qui humiliauit semetipsum vsque ad mortẽ. Phili. 2. Hostia autem dicitur ab ostio, secundum Hebræos, quia ad ostium tabernaculi offerebatur. Secundum Ethnicos verò ab hoste deriuatum est: vnde versus.

Hostibus a Dominis hostia nomen habet.

Dicitur victima a vincendo; & immolatio, quod isthic Christus Sacramentaliter immolatur, qui in veritate semel pro peccatis nostris in cruce est immolatus.

De Lumine

TEmpore cælebrationis, altare debet esse præfulgidum lumine. ca. fin. de cælebr. Miss. & rationabiliter, quia tractatur de illo, qui ignem venit mittere in terram, & quia ipse est lux mundi.

Repręsentat etiam sanctissimã Trinitatem: nam in candela sunt tria, cera, lichnus, & ignis: quæ tria in candela accensa, denotant tres personas ipsius Trinitatis. Personam Patris per ceram. Personam filij, per lichnum, quod inuoluitur cera: sic Christus fuit inuolutus & inclusus in ventre virginali. Et personam Spiritus sancti per ipsam flammam, seu ignem: qui dicitur. Fons viuus, ignis, charitas: & in forma ignis descendit in die Pentecostes.

Item, debet esse vnà cum candelabris, crux super medio altaris. Ad significandum enim gaudium duorum populorum de Natiuitate Christi lætantium; in cornibus altaris duo sunt constituta candelabra, quæ mediante cruce, faculas ferunt accensas. Angelus enim pastoribus, inquit; Luc. 2. Annuntio vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo, quia natus est nobis Saluator, &c. Hic est verus Isaac, qui risus interpretatur. Lumen autem cãdelabri, fides est populi; nam ad Iu-

daicum populum inquit Isa.60. Surge i luminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Ad populum verò Gentilem, inquit Apost. Ephes.5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Nam & in ortu Christi noua stella Magis apparuit, secundum vaticinium Balaam. Num. 24. Orietur, ait, stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel. Inter duo candelabra in altari crux collocatur media, quoniam inter duos populos Christus in Ecclesia mediator existit, lapis angularis, qui fecit vtraque vnum. Ad quem pastores a Iudæa, & Magi ab Oriente venerunt.

De Sacerdote.

SEd numquid sine Sacerdote cælebratur Missa? Nequaquã ideo opus est Sacerdote: In diuinis scripturis Sacerdotes aliquando Dij, & aliquando Angeli vocantur. cap. Sacerdotibus. 11.q.1. nam per Moysen. de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad Deos, idest, ad Sacerdotes. Et iterum scriptum est: Dijs nõ detrahes, scilicet, Sacerdotibus. Et alibi. Ego dixi Dij estis. Et propheta ait. Labia Sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Ideo totus debet esse cælestis. Attende ergo Sacerdos quod dicitur.

Cum sis Cælestis non assimilare Scelestis.

Sacerdotalis ordo dignitati regali præeminet. ca. duo sunt. dist. 96. quod in illo veteris testamenti populo antiquo manifestè declaratur, vbi primũ a Deo Sacerdotium institutum est, postea verò per Sacerdotium regalis potestas, iubente Domino ordinata est. Potuisset enim Deus per seipsum vocare Saulem, si voluisset, similiter & Dauidem, eisque dare potestatem Regalem, sed hoc voluit fieri per Samuelem: insinuans potestatem terrenam dependere ab Ecclesiastica, ac eidem debere esse subiectam; vt inquit Glos. in Extr. com. 1. de maior. obed. verb. quod etiam. Hinc considerans Constantinus hanc dignitatem, libellos accusationum Sacerdotum, & Episcoporum incendit, dicens: Vos Dij estis, a Deo verò constituti: ite, & inter vos causam vestram discutite; quia dignũ non est, vt iudicemus Deos: & Christus quoque exhibuit Sacerdotibus reuerentiam, dum leprosos ad eos remisit. 1. q. 1. non nc.

Ascendit autem ad altare Sacerdos tribus gradibus, quia debet esse in eminentiori loco. Primus gradus denotat munditiam castitatis, quæ debet esse in illo. Secundus fortitudinem. Tertius, rectitudinem intentionis. Studeamus ergo nos Sacerdotes his tribus gradibus, præparare.

Introitus.

Introitus dicitur Missæ principium. Missa habet tres partes principales, principium medium, & finem. Principium orationis, quod est vsque ad Epistolam. Medium cælebrationẽ ipsam, quæ durat vsque ad communionem. finis, est gratiarum actio, duratque vsque ad finem: & hæc secundum quosdam vt supra ostensum est in capit. de missæ diuisione.

Prima pars, continet populi præparationem, quæ versatur circa laudem diuinam, quæ fit in Introitu, iuxta id, Sacrificium laudis honorificabit me. Et sumitur vt plurimum de psalmis, vel cum psalmis canitur, atque dicitur in dextera parte altaris, quia Christus prius venit ad Iudæos, qui significãtur per dextrum cornu altaris, propter verum Dei cultum. Osculatur primum ipse Sacerdos altare, & quidam prius facto signo crucis, quia osculum est signum pacis, vt ostendatur quod per crucem Deo reconciliati sumus. Mysticè significat desiderium patrum veteri testamenti.

Miss-

Ministri post terga Sacerdotis quid notent.

ISti denotant fugam discipulorum Domini, vel dant cæteris exemplũ retrocedendi, vt cuius quam voce, vel aspectu Sacerdotis intentio distrahatur cap. Sacerdotum. de consec. dist. 2. literalem autem sensum quare Sacerdos in altari habẽt ministrum assignat Concil. Colon. prouincial. cælebrato anno Domini 1536. dicens: nec sine magna ratione in Concil. Toletano cõstitutum fuit, vt habeat quisque canẽs Deo, atque Sacrificans, post se vicini solaminis adiutorem, vbi temporis, loci, siue cleri copia suffragatur, idque propter morbos, & casus diuersos, qui occurrere possunt, quo is qui impleturus officia accedit, si aliquo casu turbatus, vel in terram elisus fuerit, a tergo semper habeat, qui eius vicem, & officium intrepidus exequatur. Alijs insuper canonibus cauetur, ne presbyter nisi duobus testibus præsentibus cælebret. Quæ decreta in quam dissuetudinem abierint, in aperto est, nimirum presbyteris frequenter cælebrantibus talibus tantum adhibitis, qui vix ipsis respondere, nec quid agatur sciant.

Kyrie eleyson.

SIgnificant secundam populi pręparationem per humilitatem: nam idem sonant quod, miserere, vel significant præsentis miseriæ commemorationem, dum misericordia petitur, & dicitur nouies, propter nouem ordines Angelorum D. Thom. 3. p. qu. 83. ar. 4. & quod iteratis vicibus dicatur Concilium Vasense can. 3. cælebratum anno Domini 450. iussit. Mysticè significant etiam vocem ipsorum Patriarcharum & Prophetarum petentium aduẽtum Christi.

Gloria in Excelsis.

TErtio, præparatur populus per rectam intentionem, quæ ad cælestem patriam dirigenda est, & hoc fit per; Gloria in Excelsis: quod canticũ chorus prosequitur, Sacerdote inchoãte. Dicitur in solemnitatibus tantum, quia solemnitates præsentis vitæ, solẽnitatem cę'estem repræsentant D. Th. vbi supra. Vel; Gloria in Excelsis, repræsentat cælestem gloriam, ad quam tendimus post presentem miseriam. Intermittitur in officijs luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent. Et quia est canticum lætitię, ideo in Aduentu non canitur: quia sancti patres non in re, sed in spe habuerunt præmium. Spes autem, quæ differtur affligit anima Prouerb. 2. Similiter in Quadragesima, & Septuagesima, vbi recolitur lapsus primi hominis fidelis, non recitatur. Vnde nouem hebdomadibus tacetur propter nouem chororũ Angelorum cõsortij priuationem. Generaliter tamen dicitur quando cantatur, Te Deum laudamus excepto Sabbatho Sãcto, & Feria quinta cęnę propter spirituales rationes, vt ibidem dicitur. Vel demum, Gloria in Excelsis declarat ipsum aduentum quando pręsens fuerit in sacramẽto esse cum gaudio recipiendum & eidem congratulandum, sicut etiam in nocte Natiuitatis Christi: hoc docuit Angelus pastores tali voce eos lætificantes. Missale autem præcipit vt in fine tangatur frons, & pectus tantum, forte ad denotandum, quod quando fuit editũ istud canticum, vel cantatum fuit, innotuit nobis tantum persona patris, & persona filij. Persona Patris mittens, & persona filij mittentis: Et quia filius quasi procedens a sinu patris, ideo tangitur tantum frons & pectus. Vel, quia nondum fuerat crucifixus Christus, & ideo facimus crucem imperfectã. Vel non fit cruce signatio, quia non est de

Euangelio. Vel alijs de causis mihi ignotis. Significat etiam Natiuitatem Christi in mundum.

Oratio.

SEquitur oratio a Sacerdote pro populo fusa ad Deum; vt digni habeantur populi tantis mysterijs. Dicitur collecta, quia Sacerdos quasi colligens populi intentionem ad Deum porrigit. Collecta hortatur fideles vt intelligant postulationi gratiæ ipsius esse insistendum, cum venerit: nam illa semper petit aliquid a Deo, per Christum filium suum. Quare, & oratio dicta est etiam, quia orat Deum, petens aliquid ab eo. Et fit in dextera parte altaris; per quam designantur bona æterna & spiritualia, quæ primo sunt petenda: iuxta id; Primum quærite regnum Dei. Matth.6. Hæc in solemnitatibus est una tantum. Aliquãdo duæ, vel tres, vsque ad septenariũ numerum, & non vltra, quia secundum Innoc. Dominus septem petitionibus docuit nos orare. Et etiam, quia vltra in tædium verteretur. de consec. distin.2 cum omnia. Et dicuntur quasi semper numero impari, quia personæ diuinæ sunt impares, in numero. Et etiã, quia gaudet imparitate Deus. Amplius. Impar numerus est mundus: & par numerus est immundus, secundum Ambros.32.qu.1.capit.12. & Glos. ibidem, sub impari numero (ait) ingrediuntur munda animalia in arcam, & hoc vt ex illis posset aliquid offerri (vt patet Genes. 7. ex omnibus animantibus tolles septena, & septena, masculum & fœminam: de animãtibus verò immundis duo & duo, masculum & fœminam:) vbi enim paritas esset, ibi non poterat diuidere masculum a fæmina. Immunda autem animalia vocauit Moyses in lege, quæ nõ ruminabant, vt porci: & quæ non habebant vngulas fissas, vt equi, & in natantibus, quę non habebant squamas: & generaliter, quæ lex comedi prohibuit. Vbi nota quod binarius numerus nõ bonam habet significationem; sed signum diuisionis, & reprobationis, in ead. cap. nuptiæ.

De modo autem concludendi collectas dantur isti quinque versus.

Per Dominum dicas, cum Patrem presbyter oras.
Cum Christum memoras, per eundem dicere debes.
Cum Christo loqueris, qui viuis dicere quæras.
Qui tecum si sit collecta finis in illo.
Si Spiritus almus, eiusdem dicere debes.

Hoc est. Vbicumque ad Deum patrem dirigitur oratio, & non est mentio de filio, dicatur per Dominum nostrum, & cæt. Si autem ibi fit mentio de filio, dicatur, per eundem Dominũ nostrum, & cæt. Si autem filium alloqueris, dic: Qui viuis, & regnas, &c. Si autem ibi est mentio de Spiritu sancto, dicatur per Dominum, & cęt. qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, & cæt. Collectas dici præcepit Symachus natione Sardus anno Domini 404. infr. diffusius declarabuntur in magnis commentarijs. Mysticè significat collecta præsentationem Christi in templo.

Epistola.

PEr Epistolam instruitur populus Christianus, quæ quidem instructio fit in Ecclesia per Subdiaconum, & auditur sedendo: quia doctrina Christiana in silentio, & quiete audiẽda est. Præmittitur ante Euangelium vt cunctis aperiantur prophetarũ vaticinia, & D. Ioã. Baptistæ præconium doctrinam Euangelicam prænunciasse. Item, præmittitur Euangelio, quia lex vetus Euangelium præcessit tempore, scilicet, doctrina imperfecta perfectiorem. Et ita ascenditur per gradus a minori ad maiora. Dum recitat

Episto-

Epistolam vertit faciem suam ad altare Subdiaconus: quia omnis lex & prophetia ad Christum ordinabatur, quæ significatur per altare.

Graduale & Responsorium.

POst lectam Epistolam a choro cantatur Graduale, quod significat profectum virtutum: quia debemus ascendere de virtute in virtutem. Deinde dicitur, Responsorium, quia debemus respondere ijs quæ audiuimus in Epistola.

Vel Graduale secundum Innoc. dicitur a Gradibus in quibus cātabatur: & significat cōuersionem fidelium pænitentium. Et interponitur versus, ad designandum quod nullus veram pænitentiam, facit, nisi plenè conuersus sit ad Deum. Et omittitur Graduale in festis paschalibus, & loco eius dicitur, Hæc dies: quia illi dies statum Ecclesiæ futurum fœlicem insinuant, scilicet, statum post resurrectionem: vbi non erit pœna, sed gaudium. Vel. Graduale est cantus populi ex prędicta doctrina commoti ad pænitentiam: quasi intellexerit, quod lamento pænitentię insistendum est in statu huius miseræ vitæ: hic cantus etiam dicitur responsorium, quia per ipsum populus respōdet lectioni, proficiendo in bonis operibus: & ideo propter hoc etiam vocatur graduale, vt diximus: & significat conuersionem gentium ad prędicationem Ioannis Baptistæ.

Alleluia

POst sequitur alleluia, quod sonat Latinè, laudate Dominum, & significat Spiritualem exultationem. Dicitur autem bis, propter gaudiū exultationis capitis, & membrorū, & propter stolam animæ, & corporis. Item, alleluia, vox lætitiæ, significat gaudiū pænitētium quod habent ex proximo præmio. Et canitur etiam in aduentu: quia licet sancti Patres habuerint spē de incarnatione Christi: tamen, quia certi de hoc erant, ideo exultabant. Diutina protractio notarū ipsius alleluia, significat gaudium cælestis patrię quod est absque fine. Et fit sine voce significatiua, (nempè cum dicitur, e, e, e, & a, a, a, & cæt.) quia tale gaudium nulla lingua hoc exprimere potest. Durand. notat quod iubilus specialiter fit super, a, & super, e, ad notandū quod cui fit, est alpha, & omega, principium & finis: li. 6. c. 13. Vel dic quod alleluia, graduali subiungitur: vt ostendat, quod non solum de nostra miseria est dolendum: sed etiam de expectatione aduentus Christi cum lætitia est gaudendum.

Tractus.

IN officijs luctuosis dicitur Tractus, qui significat spiritualem gemitum & miseriam præsētis incolatus. Et hoc instituit Symacus Papa, sicut & collectas. Dicitur tractus in Septuagesima, & omittitur alleluia, quia tunc casus primi hominis defletur: & canitur cū prolixitate, & asperitate vocis: significans prolixitatem miseriæ præsentis exilij: siue habitationis alienæ patriæ. Quod verò Ecclesia frequentat & cantat Psalmo, cum Euangelio, & in Missis etiam nēpè, in gradualibus, introitibus, &c. denotatur concordia, & consonantia legis Euangelicę cum veteri testamento: quia Euangelium nil aliud est nisi veritas legis veteris. Et sic patet, quod tota lex Euangelica est illud psalterium decacordum, quod Dauid prophetice cantat, in psalmis. Idē, ex alijs prophetijs.

Euangelium.

DEinde sequitur Euangelium, & significat perfectam populi instructionem (ad hoc enim lege introductū est vt populus instruatur) per doctrinam

ctrinam Christi in Euangelio contentum. Quod autem legitur in sinistra parte altaris, designat quod per ipsum peccatores (qui sunt sinistri in actionibus suis) sunt vocati. Et dicitur versus Aquilonem, ad euitationem malorũ, & imitationem bonorum. Mali enim per Aquilonem notantur: nam per Aquilonẽ frequenter diabolus designatur: contra quem est Euangelium. Et dicitur in loco alto, scilicet, in pulpito, quod non fit de Epistola: quia locus altus datur seruantibus Euangelium, nẽpè cęlum. Et propter hoc etiam terminatur alte. Vel, quia Euangelium significat nouam legem, quæ cælestia promittit: & Epistola legitur inferius, quæ significat vetus testamentũ quod terrena promittebat tantum. Si qua verò Ecclesia, vt Ambrosiana, vel alia, recitat Epistolam super pulpitum; Ratio est, quia etiam de veteri testamento dicitur, Isa. 40. super montem excelsum ascende tu, qui Euangelizas Syon: exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Ierusalem, &c. ibidem c. 58. Clama necesses, quasi tuba exalta vocem tuam: quod fiebat in alto loco, & cæt. Significat autem prædicationẽ Christi. Incẽsum, quod portatur cum luminaribus, significat quod Christus totum illuminauit mundum, ac illum impleuit bono odore.

Credo.

SYmbolum fidei denotat prędicationem, & doctrinam Apostolorum: ideo cantatur in suis festis tanquam facientes mentionem de suo, & in festis doctorum ipsum explicantium. Quoniam autem Christo credimus, tãquã diuinæ veritati secundum id Ioã. 8. Si veritatem dico vobis, &c. lecto Euangelio Symbolum fidei cantatur in quo populus ostendit se per fidem, Christi doctrinæ adherere. Symbolum.

Offertorium.

POst Symbolum sequitur offertoriũ quod ideo dicitur, quia cum mentis iubilo debet cantari, & ea, quæ offeruntur cum cordis lętitia debent offerri: quia iuxta Apost. Hilarem datorem diligit Deus. Nota quod Sacerdos prius dicit, Dominus vobiscum, ad significandum, quod ex quo debet ad oblationem accedere, & nulla oblatio potest esse accepta sine Deo; ideo dicit, Dominus vobiscum. Et quia tã Sacerdos quam populus debent esse attenti circa oblationem hostiæ salutaris: (nam & ipsi offerunt suo modo.) ideo tũc quasi excitando populum Sacerdos, dicit, oremus: non tamen vlterius prosequitur alta voce; sed tantũ dicit offertorium, reliqua verò sub silentio; per quod notatur suam intentionem maximè recollectam ad Dñ: significat etiam illud silentium Christi latibulum ante passionem, quando Iudæi conspirauerunt contra eum, vt si, quis eum esse Christum confiteretur, extra Synagogam fieret.

De pane, aqua, & vino.

AQua, quæ mittitur in calicem, significat fidem, quæ latet, & nutritur in aquis. Vinum, quod lætificat, & accendit, spem: panis, qui confirmat, & reficit, charitatem: quę tria sunt necessaria ad salutem sumẽti. Vel. In pane, fortitudo charitatis. in aqua, munditia castitatis: In vino, quod accendit, rectitudo intentionis: hæc sunt necessaria ad altare, vt sine ijs cum salute nemo accedere possit D. Thom. in opuscul. 66. capit. 2. de offic. sacer.

Calix significat Christi diuinitatẽ, patena, humanitatem, quæ diuinitatẽ (sicut patena calicem) contexit. Sed tunc patena sub corporali obseruatur, quia discipuli relicto Christo omnes fugerunt.

Palla,

Palla, siue corporale quod superponitur calici, significat (secundùm Archid. de consec. distin. 1. inconsulto,) Ecclesiam, quæ non desinit Christi passionem imitari. Sed cũ Melchisedech corpus Christi præfigurauit, quando panem & vinum obtulit, tamen non legitur obtulisse aquam; quare ergo ponitur aqua in hoc sacrificio? Ambr. (& habetur de consec. distin. 2. in calicem capit. 83.) duas assignat rationes. Vna est, quia aqua de petra fluxit, quæ hoc Sacramentum significauit. Alia est, quia de latere Christi aqua fluxit, & sanguis: aqua vt emundaret: sanguis vt redimeret. Quare de latere? Quia vnde culpa, inde gratia: culpa per fœminam: gratia per Dominum nostrum Iesum Christum. q. d. de latere culpa, & de latere gratia: sed non de eodẽ latere. v. g. de latere Adæ fuit fœmina, vnde culpa exiuit: de latere verò Christi sanguis: & aqua, vnde gratia. Item sicut tradunt Hebræi, aqua de petra quam Moyses bis percussit saliens vsquequaque populum per desertum ambulantem sequuta est: & de petra, quæ est Christus, salit aqua æternæ vitæ: quam potamus in deserto huius vitæ ambulantes, quia desertitur a stabilitate huius mundi. Glos. ibi. ver. de consequenti.

Thurificatio.

OBlato calice, Sacerdos thurificat altare, & in modum crucis thuribulum circumducit, quatenus thuris incenso, & crucis signaculo, diabolicę fraudis conatus execretur; ne contra Sacerdotem, vel sacrificium aliquo modo præualeat. Gabriel. de canone Missæ. lect. 17. Vel. Ob reuerentiam tanti sacramenti incensatur, vt per bonum odorem repellatur, si quid corporaliter praui odoris ĩ loco fuerit, quod possit prouocare horrorem. Thom. 3. p. quæ. 83. art. 5. Incensatur bis, quia Christus a Maria Magdalena bis vnctus legitur. Primò pedes vnxit. Luc. 22. Secundò caput, dum fracto alabastro, vnguentum effudit super caput eius. Mar. 14. & repleta est tota domus odore vngenti; propter quod Sacerdos vndique totum altare incensat: designans, quod factum hoc vbique respersit Ecclesiam.

Altari incensato, cæteri incẽsantur. Altare significat Christum incensum representat effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit, ecce odor fili, &c. Et a Christo deriuatur ad fideles officio ministrorum. 2. Cor. 2. ita odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco & ideo vndique thurificato altari, per quod Christus significatur thurificantur omnes per ordinem.

Orate Fratres.

SAcerdos deinde conuertit se ad populum, dicens: Orate fratres: memorans illud Apost. Hebr. 5. Quoniã & ipse circundatus est infirmitate, & ita vt homo infirmus indiget Ecclesiæ adiutorio. Et hoc facit propter altitudinem Sacramenti. Ideo debent ista verba sonorosè proferri: deinde vertens se ad altare, nonnulli Sacerdotes addũt illa verba, versus crucifixũ, Dñe exaudi orationem meam: & clamor meus ad te per veniat. Psal. 101. quæ verba si deuotè & attentè proferuntur sunt etiam magni momẽti, & piè quoque religionis: præcipuè cum dicat clericus suscipiat, &c. Alij verò nil dicũt: sed inclinato capite versus crucifixum expectantes finem illius versiculi, respondendo, Amen. q. d. ita fiat, quod sacrificium suscipiatur, ad Eo vt tu postulasti:

Secreta.

ORationes ideo dicuntur secretæ ne Missæ officium vilescat, sic omnibus patefactum. Tum vt deuotius

tius oret Sacerdos, ne habeat occasionem placendi populo in prolatione verborum: tum ad significandū Christi orationes in secreto factas tempore passionis. Archiep. Flor. 3. p. tit. 13. ca. 5. §. 3. vel. Significant tractatus occultos Iudæorum cōtra Christum Io. 11.

Præfatio.

FInitis orationibus Sacerdos inuitat populum ad præparationem, ad tam mirificum Sacramentum, & hoc per laudem, mētisque erectionē, dicens: Sursum corda. Secundò præparat per gratiarum actionem, dicens: gratias agamus Domino Deo nostro. Tertiò, Deum implorat ad laudem suscipiendam, ostendens debitum laudis, dicēs: verè dignum & iustum est. Quartò, populus laudes extollit diuinitatis, assumens Angelorum verba, Sanctus, Sanctus, Sanctus; & humanitatis Christi, dicens cum pueris Hebræorum: Benedictus qui venit, &c. Et significat solemnē ingressum Christi in Ierusalem: ideo cantatur altè: nā finitur per osanna in Excelsis.

Canon Missæ.

CIrca canon Missæ notandum est, quod ibi repræsentatur ferè tota Christi passio, & ideo fiunt ibi multæ cruce signationes, hanc repræsentantes: immo vnaquæque crux suam habet significationem quam repræsentat; siue plures significationes, cū omnes sint mysteriorum plenæ. Est ergo ratio, quare in hoc sacramento Sacerdos sępius vtitur signo crucis quam in alijs: quia hoc sacramentum est magis memoriale passionis Christi, quæ ad crucem est terminata quod non est de alijs sacramentis.

Vt autem simul habeatur cognitio de his omnibus crucibus, quæ fiunt in canone, & quid notent nota secundū Tho. in sup. 3. p. qu. 83, art. 3. ad 3. arg. qui sic ait: Sacerdos in cælebratione Missæ vtitur cruce signatione, ad exprimendam passionem Christi, quę ad crucem est terminata. Est autē in passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam primo, fuit Christi traditio, quæ facta est a Deo, Iuda, & Iudæis: quod signat trina cruce signatio, super illa verba: *Hec dona, hec munera, hec sancta sacrificia illibata.*

Secundò fuit Christi venditio, est autem venditus sacerdotibus, scribis, & Pharisæis: ad quod significandum fit iterum trina cruce signatio, super illa verba, *Benedictam, Ascriptam, Ratam.* Vel ad ostendendum pretium vēditionis, scilicet, triginta denarios. Addidit autē, & duplex super illa verba, *vt nobis corpus & sanguis*, &c. ad designandum personam Iudę venditoris, & Christi venditi.

Tertiò autem fuit præsignatio passionis Christi facta in cæna. Ad quod signandum fiunt tertio duæ cruces: vna in consecratione corporis, alia in consecratione sanguinis: vbi vtrobiq; dicitur, benedixit, &c.

Quartò autem fuit ipsa passio per quinque plagas ipsius Christi. Vnde ad repræsentandum quinque plagas Christi, fit quarto quintuplex cruce signatio super illa verba, *hostiam purā, hostiam sanctam, hostiam immaculatā, panem sanctum vitę ęternę, & calicem salutis perpetuę.*

Quintò, repręsentatur extensio corporis, & effusio sanguinis, & fructus passionis per trinam cruce signationē, quæ fit super illis verbis, *corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cęlesti*, &c.

Sextò, repræsentatur triplex oratio quam fecit in cruce, vna pro persecutoribus, cum dixit: pater ignosce illis. Secunda pro liberatione a morte, cum dixit, Deus Deus meus vt quid dereliquisti me. Tertia pertinet ad ādeptionem glorię, cum dixit, Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, &

ad hoc signandum fit trina cruce signatio super illa verba, *sanctificas, viuificas, benedicis*, &c.

Septimo, repræsentantur tres horæ quibus pependit in cruce, a sexta vsq; ad Nonam. Et ad hoc signandum fit iterum trina cruce signatio ad illa verba, *per ipsum, & cum ipso, & in ipso.*

Octauo autem repræsentatur separatio animę a corpore, per duas cruces subsequentes extra calicem factas.

Nono autem repręsentatur resurrectio tertia die facta per tres cruces quę fiunt ad illa verba *pax Domini sit semper vobiscum*. Omnia autem inferius dilucidius explicabuntur.

Potest quoque dici breuius, quod consecratio huius sacramenti, & acceptatio huius sacrificij, & fructus ipsius procedit ex virtute crucis Christi. Et ideo vbicumque fit mentio de aliquo horum, Sacerdos cruce signatione vtitur.

Amplius nota secundum D. Germanum Archiepiscopum, (quoniam in Missa repræsētatur tota Christi passio) quod Angeli semper adfuerunt Christo, ideo dicit ipse, Dicimus igitur, semper & inseparabiliter adfuisse virtutes cælestes, vna cum Domino Christo; præcipuè verò in illa nocte qua traditus est. Eæ igitur cernentes adductionem ad Caypham, præsentationem coram eo, falsa testimonia, alaparum incussiones, in eum execrationes, colaphorum inflictiones, ludibrium illud Iudæorum, militum, coccineum vestimentum spineam coronam, cum risu coniunctas, geniculationes, aliaque omnia, tum quæ diuinorum Euangeliorum historia enarrat, tum quæ propter multitudinem fortasse pretermissa sunt, in singulis, quæ fiebant, admirantes, & stupentes, longanimitatis & patiētiæ magnitudinem, velantes suas facies se auertebant & iterum Domini maiestatem reuerentes, ad se redibant, id autem faciebāt vsque ad eius exaltationem in cruce. Extremum enim corporis passionum, & dedecoris quod inde prouenit, crux fuit; quæ gloria potius est, & non dedecus; hæc enim est initium operationum & virtutum diuinarum. Hinc enim ille mūdanus terremotus, trium horarum spatio tenebræ super vniuersam terram, atque veli, & petrarum disruptio, & monumentorum patefactio; præterea etiam mortuorum resurrectio & quæcumq; in inferos descendens seruator egit: & propterea in ipso crucifixionis loco cū esset Christus; stuporis & admirationis species, diuinæ illæ potestates deposuerunt: hincque omnia conuicia quę crucem antecesserunt, & illusorij honores quos exhibuerūt, & irrisiones, patientem magis tetigisse (vt etiam spirituales illas diuinas potestates) perspicuum sit. Hæc ille. Deinde paulo inferius ait: etenim quod pronus Sacerdos diuina mystagogiam faciat, id declarat eum inuisibiliter cum solo Deo colloqui. Mystagogus enim est sacrorū custos. Demum oratio Dominica significat orationem Domini pendentis in cruce. Fractio hostię, significat vulnus lanceæ. Agnus Dei, planctum Mariæ & mulierum; communio Sacerdotis, sepulchrum Christi. Postcommunio quæ canitur cum gaudio, significat Christi resurrectionem. Ite missa est, significat ascensionem eiusdem, ad cęlos. Euangelium Ioannis, significat Apostolorum prædicationem, quando pleni Spiritu sancto, circuierunt mundum sua prædicatione. Hęc omnia particulatim in sequentibus cap. dilucidius explanabuntur.

De accessu Pontificis seu Sacerdotis ad altare. Cap. 14.

QVæ dicta sunt, breuitatis causa posuimus: nunc iterum principium sumentes diffusius eadē exponentur, atque verba cærimonialis, & missalis reformati, (vt ordinatè procedamus) in medium afferemus.

Verba cærimonialis, sunt hæc.

Episcopus calebraturus cum suis Ministris, facta reuerentia cruci super altari in dicto sacello, seu secretario existēti, processionali ritu procedunt ad altare, in quo missa est calebranda hoc ordine, Thurificarius cum thuribulo, deinde cereferarij cum candelis accensis mediū habentes capellanum crucem deferentē, dein de clerici & beneficiati Ecclesia cū suis cottis bini, & bini, &c.

His sequuntur canonici parati bini, et post illos Subdiaconus Epistolam cantaturus gerens librum Euangeliorum clausum ante pectus, in quo includitur manipulus Episcopi, deinde Diaconus ad sinistram Presbyteri assistētis pluuiali induti, demum Episcopus cum baculo pastorali in manu sinistra, parte curua baculi ad populum versa, ac dextera benedicens, si sit in sua diœcesi, medius inter Archidiaconum & Diaconum assistentes paratos; post Episcopum sequitur capellanus. Cum verò Episcopus perueneerit ante infimum gradum altaris reddito baculo pastorali ministro, & deposita ei per Diaconum mitra, facit profundam reuerentiam cruci super altari posita simul cum suis ministris.

Hæc sunt verba cæremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 8. quę omnia sunt mysteriorum plena. Missale verò sic habet.

Si verò celebrās non sit Episcopus sed Sacerdos tantum; ipse procedit cum ministris tantum qui necessarij sunt, scilicet, cum Thuriferario, deinde cereferarij cum candelis accensis, post Subdiaconus & deinde Diaconus, postmodum Sacerdos calebrans, demum assistens cum pluuiali accedunt ad altare, vt habetur in Rubrica 2. tit. 2. n. 5. & faciūt reuerētiam vt supra, cereferarij tunc retro vadunt, qui præcedebant.

Si Sacerdos cū ministro solo celebrat, obseruet ea omnia, quæ in ritu 2. nume. 1. 2. 3. & 4. pręcipiuntur: deinde incipiat.

In choro autem tūc canitur Introitus. Omnia autem ista sunt explicanda: nunquam a Rubricis reformatis recedemus. Pontifex seu Sacerdos ita paratus, & sacris indumentis sic ornatus, cum de sacra æde egreditur, & ad altare accedit, significat, quod Christus expectatio gentium, sacrosancta carne ex Maria semper Virgine assumpta, de secreto cælorum habitaculo egressus est in mundum, vel de secreta æde, idest, de virginali vtero egressus est, tamquam sponsus de thalamo suo: nam sacristia significat vterum B. Virginis.

Facta reuerentia cruci, hoc denotat exinanitionem Christi vsque ad mortem: Episcopus, siue Sacerdos egrediens procedit inter duos, videlicet, inter vnum presbyterum, & Diaconum. Sacerdos & leuita (nam per Pōtificem ita paratum debemus intelligere Christum) illum deducentes, legem, & prophetiam designant. Siue Moysem & Eliam in figura legis & prophetiæ. Sacerdos & leuita deducunt Episcopum, quia lex & prophetæ, Christum annuntiarunt, & promiserunt. Vnde Moyses ait, Deuter. 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris: ipsum tanquam me audietis. Isaias autem sic ait: Ecce veniet propheta magnus, & ipse renouabit Ierusalem.

Vel ipse inter duos existens, significat Christum inter duo testamenta, (quod dico de Episcopo intellige etiā de Sacerdote ita parato:) Ipse enim a duobus testamentis prædicatur mundo per prophetas, & Apostolos. Quia verò ille in mundum venturus pręmisit prophetas, sapientes, & scribas: in locum scribarum, præmittit Pontifex, seu Sacerdos, Subdiaconum portantē scripturas, qui sapiens sit disponere Dominica vasa.

Insuper. Subdiaconus antecedens, significat Ioannem Baptistā, qui præcessit in Spiritu & virtute Eliæ præparare Domino plebem perfectam. Et

fert

fert ante Pontificem Euangelij librũ: quia Ioãnes ante Christũ, Euangelicã prædicationem inchoauit; dicens: pænitẽtiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Diaconus verò repręsentat prophetas, qui annunciauerunt vitam futuram ex Euangelij prędicatione.

Episcopus sequitur Euangelium, ad notãdum quod debet semper illud intueri, & in mẽte habere: & ante illum portatur; quia per doctrinam Euangelij ad Christum qui est vita, via pręparatur.

Per cęreferarios verò & thuriferarium, Sanctos: qui præcesserunt nouũ testamentum, & per duo candelabra cum cæteris ardentibus, legem & prophetiam: quę Christum mundi lucem nunciabant, commemoramus. Portãtur autem accensi, quia sine igne non debet sacrificari. de cælebr. Miss. cap. fi. iuxta illud Leuit. 6. Ignis in altari meo semper ardebit. Lumen candelabri, est fides populi. Nam ad Iudaicum populum inquit propheta: Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Ad populum vero gentilem dicit Apost. Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.

Candelabra autem rectè procedũt ante Euangelium, & ante Diaconum & Subdiaconum, quia lex, & prophetæ, legem gratiæ præcesserunt.

Thuriferarius verò cæreferarios & alios antecedit; ad notandum, quod thuris significatio, sanctis vtriusque testamenti communis est. Per thuribulum enim cor humanum competẽter notatur: quod debet esse apertum superius ad suscipiendum, & clausum inferius ad retinẽdum: habens ignem charitatis, & thus deuotionis, siue suauissimæ orationis, seu bonorum exemplorum sursum tẽdentium; quod per fumum inde resultãtem notatur. Sicut enim thus in igne thuribuli suauiter redolet & sursum ascendit: ita opus bonum, vel oratio ex charitate vltra omnia thimiamata flagrat. Adhuc thuribulum cum incenso, corpus Christi odore suauitatis plenum: carbones Spiritum sanctum: thus odorẽ boni operis, significat.

Canonici bini & bini, & alij, qui ante Episcopum incedunt, significant multitudinem Angelorum de Christi incarnatione admirantium.

Postquam ad altare ventum est, cæreferarij, qui præcesserant postponuntur, vt ostendatur fuisse Doctores ante, & post Natiuitatem illuminantes. Candelabra autem huiusmodi, tenentur vsque ad Kyrie eleyson, ad notandum quod Doctor debet opere exercere, quod docet: & quod nec debeat deserere populum, quousq; sciat profiteri: Domine miserere.

Baculi curuitas versus populũ, demonstrat se velle oues suas congregare, & vagas colligere. Hæc omnia etiã pertinent ad Sacerdotem, dimissis illis, quæ ad Episcopum spectant. Demum sic dispositus, potest deuotè respiciens ad crucem, conuertere pro se, illud Threnor. 3. Opposuisti nubem tibi ne transiret oratio: Dicendo sic: Ne opponas nubem tibi vt transeat oratio, vel illud 2. Paralip. 6. Audias preces quas fundit famulus tuus coram te. Vel aliud simile: & hoc eleuando oculos aliquantulum cælum versus: aut ad sanctiss. Sacramentum. Deinde incipiat, In nomine Patris, & filij, &c. Sixtus 2. instituit vt Missa cælebraretur super altare, & non aliunde anno Domini 265.

De Signo Crucis. Cap. 15.

His itaque dispositis, incipit Missam a signo Crucis. vt dicit Ritus 3. Missalis. num. 4. scilicet, *stans igitur celebrans in infimo gradu altaris vna cum ministris, producens manu dextera a fronte ad pectus dicit intelligibiliter: In nomine Patris, & filij & Spiri*

tus sancti. Sed cur non incipit ab oratione Dominica vt faciunt omnes Horæ? Respon. quod Missa repræsentat passionem & mortem Christi quæ cōsistit in factis magis quam in verbis, vt patet consideráti: quæ per acta fuit per crucem: & ideo conuenientius incipit per signum crucis quam per orationē Dominicam. Item, quando Christus crucifixus fuit, tunc in principio illius actionis nō orauit, sed expoliatus fuit, & cruci affixus deinde; tamen orauit in cruce; & ideo ordinator Missæ rectè in medio collocauit orationem Dominicam. Et quoniam Christus orauit prius in horto, quæ fuit præparatio Missæ quam fecit in cruce. Ideo rectè rubrica precipit preparationem, & recitationem saltem Matutini, quod nō recitatur sine oratione Dominica, quod sufficit ad hoc, & cum iam orauerit, non est quod tunc orationē Dominicalem recitet: sed quod faciat statim missam, &c.

Inchoatur Missa a signo crucis, quia in ea tota Christi passio commemoratur: iuxta illud, hoc facite in meam commemorationem, idest, in memoriam mortis meæ. Sed mors Christi in cruce fuit, cōsumata; ergo a signo crucis est inchoāda hæc commemoratio, nempè, Missa. Insuper, in principio omnium operum nostrorū debemus nos signare: multo magis in sacrificio Missæ.

Hoc signo crucis signamus nos in omnibus his, scilicet in principio, & in fine Euangelij, & ratio assignabitur cū de Euangelio, dicetur. In fine Symboli & cantici angelici, scilicet, Gloria in Excelsis. Ad Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis: quia sunt de Euangelio: & vbicumque fit mentio de cruce.

Quod autem signatur totum corpus in principio Missæ signo crucis, hoc ideo fit ad effugandā inimici versutiam, ac illius omnem potestatem. Vnde Chrysostomus ait: Vbicumque dæmones signum crucis viderint, fugiunt, timentes baculum quo plagam acceperunt. Stephanus quoque de cōsecratione distin. 5. nunquid; ait: Nūquid non omnia Chrysmata, idest, sacramenta, quæ cum chrysmatis vnctione præstantur, Sacerdotalis ministerij crucis figura, idest, signo, perficiuntur? Nunquid Baptismatis vnda sine cruce sanctificata, peccata relaxat? & vt cætera prætereamus, sine crucis signaculo, quis Sacerdotij gradus ascendit? Baptizandus quoque signo crucis signatur in fronte, & in pectore. Hæc supra sunt ex August. concio. 181. de tempore.

Sanè crux multipliciter in veteri testamento fuit figurata: legitur enim Dominum præcepisse Moysi, vt erigeret serpentem æneum in palo, in deserto, pro signo; quem aspicientes sanabantur, qui fuerant percussi a serpētibus Num. 20. Quod ipse Christus exponens, ait: sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, &c. Io. 3. Rursus legitur Ezech. 9. Ezechiel audiuit Dominum dicentem ad virum vestitum lineis, habentem attramentarium scriptoris ad renes eius: transi per mediā ciuitatem, & signa Thau, in frontibus virorum dolentium & gementium: & post hæc dixit septem viris, trāsite per mediam ciuitatem, & percutite omnē super quem non videbitis Thau, nemini parcat oculus vester. Veh infidelibus, qui non sunt insigniti hoc signo Thau, idest, signo crucis: nam a demonibus sine misericordia percutientur. Item, Isai. 9. Erit principatus super humerum eius. Christus enim super humeros crucem portauit, in qua triumphauit. Hoc signo crucis se armat Ecclesia, in pectore, & in fronte: significans crucis mysterium esse corde credendum, & manifestè ore confitendū.

Per hoc enim signū confunditur ciuitas diaboli, & triumphat Ecclesia. Est enim signum crucis tribus digitis exprimendum: quia sub inuocatione

Trini-

Trinitatis imprimitur, de qua Isai. 40. dicitur: Qui appendit tribus digitis molem terræ. Polex tamen superemimet, quoniam totam fidem nostram ad Deum & trinum referimus. Et tūc debemus dicere illud Ps. 84. Fac mecū Domine signum in bonum, vt videāt qui me oderunt, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me. Sacerdos tamen in Missa, quando signat se, facit omnibus digitis extensis, vt docet ibidem rubrica: & hoc, quia nō ita deformat manum in illo sacrificio.

Extra Missam, scriptura canonica docet in fronte, & in alijs membris signaculum crucis, debere fieri. de consec. dist. 4. postea signatur. & distin. 5. nunquid. Signum crucis traxit originem ex vet. testamento, cum Angelus deberet occidere primogenita Ægypti; vt tactum est. & dicitur etiā quod Iacob benedicendo Efraim & Manasse accommodauit brachia (instinctu Spiritus sancti) ad modum crucis.

Incipimus nos signare a parte superiori, quæ Patrem significat & descendimus ad inferiorem, quæ mundum designat, deinde a sinistra, quæ cælum significat. Nam Christus descendit de cælo in mundum: de mundo ad infernum: ab inferno autem ascendit in cælum vbi sedet ad dexteram Dei patris. Vel. Prius ad sinistram quoniam de miseria ad gloriam transire debemus. Vel. De vitijs ad virtutes, quæ per dexteram notantur. Incipimus a fronte; quia persona Patris significat caput & principium Trinitatis: deinde ad ventrem descendimus; quia filius a Patre procedit. Demum ad sinistram & dexteram, quia Spiritus sanctus a Patre & filio procedit. Prius autem a sinistra fit, quæ significat Patrem, eo quod de filio dicitur, qui sedes ad dexteram patris. Et Marc. vlt. Sedet a dextris Dei. Vel, Prius a sinistra vnde situatum est cor hominis, quod significat amorem & Spiritus sanctus est amor: principiū enim amoris procedit a corde. Vel, quia motus animalis (vt diximus in physicis) incipit a sinistro. Circa signū crucis quod fit super aliquam materiā nota quod positum est in triplici differentia. Aliud signum crucis sanctificat tantum, aliud significat tantum, & aliud sanctificat & significat simul.

Crux, quæ fit super aquam, sal, panem, vinū, & similem materiam, sanctificat tantum: nam omnis creatura, sanctificatur verbo & oratione. 1. Timo. 4. Crux autem, quæ fit super hostiam, & calicem, & omnes illæ, quæ fiunt post consecrationem, significant tantum, & non sanctificant: nam quā sanctificationem potest accipere Christus ibi præsēs, a Sacerdote? nulla indiget benedictione. Crux autē, quæ sanctificat, & significat simul est illa, siue sunt omnes illæ, quæ fiunt a principio canonis vsque ad consecrationem inclusiuè: Sanctificant enim panem & vinum, & repræsentant etiam illa, quę acta sunt ante Christi crucifixionem: sicut & post consecrationem, repræsentāt omnes actiones, quæ factæ fuerunt post crucifixionem; vt infra in expositione canonis patebit.

De Psalmo, Iudica me Deus. Cap. 16.

Facta reuerētia, quæ significat Christi exinanitionem, quæ inclinauit cælos & descendit, cum se formam serui accipiens exinaniuit, & facto signo crucis, considerans quod siue dilectione nullum opus prodest homini, ideo incipit antiphonam illam, Introibo ad altare Dei; vt est videre infra in lib. 3. de Antiphonis: quæ Antiphonæ semper præcedere debent psalmos. & semper duplicatur, ad notandum quod in hoc opere sacrificandi semper perfectiores nos exhibere debemus, quam in cæteris rebus. Deinde pręmittit psalmum, ex institutione Cęlestini Pap. ę 1. q. 1. ritè ad sacrificium conuenientē: Iudica me Deus & discerne causam meam: vt discretus, idest, separatus a

gente

gente non sancta: & ab homine liberatus iniquo ad altare Dei dignus introeat. Petit enim liberari a tentatione, & illuminari a gratia: vt patet in ipso Psalmo. Petit etiam a Deo vt det ei, quod offerat, scilicet filium suum, quem nisi ei daret, prout Abrahæ dedit, scilicet, arietem, non haberet quid offerret.

Recitare autem psalmos ante Missę sacrificium a veteribus nostris sumpsit exordium. Vt patet ex Diony. cap. 3. Ecclesiast. Hierarch.

Et quoniam cum in templo Salomonis dedicato Sacerdotes dicerent: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius; nebula impleuit domum Domini, & obumbrauit facies Sacerdotum, ita quod se inuicem videre non poterant: & ait Salomon: Dominus dixit, vt habitaret in nebula: dixit, idest, opere demõstrauit, quoniam in mõte Sinai apparuit in nebula: ideo, quia illi Sacerdotes sic incępisse feruntur, fratres almi ordinis prædicatorum, incipiunt ab hoc versu: confitemini Domino quoniam bonus. Vide infra expositionem Psal. 135. in principio, nempè in Feria quinta ad Vesperas. Vel fortè, quia iustus dum vult Deum inuocare, debet ipsum primo laudare, & exaudietur. Ideo dicunt prædicti religiosi, confitemini Domino quoniam bonus. Sunt verba Iosaphat, qui de propria virtute diffidens ad Deum solum refugit: vt patet 2. Paralip. 20. Cælestinus primus instituit dici Iudica: & etiam cantari horas canonicas cum antiphonis, anno Domini 426.

De Confessione Facienda. Cap. 17.

HÆc regula sanctæ deuotionis (ait Cassiodor.) prius confiteri peccata, post inuocare Deum in auxilium: & tandem ea narrare; hanc regulam seruat Ecclesia in pricipio Missę. Ideo, Psalmo prædicto finito cum sua Antiphona, fit confessio manifesta de peccatis in generali, eo modo quo in dicta confessione recitantur. Et hoc facit, quia scriptum est, Prouerb. 18. Sapiens, in principio sermonis, accusator est sui: confisus etiam de illa prophetica consolatione: Dixi, confitebor Domino, & tu remisisti impietatẽ peccati mei: de pænit. dist. 1. dixi. Et etiam antiquę legis Sacerdotes, primum pro se, deinde pro populo offerre soliti erãt vt patet ad Hębr. 7. & Leuit. 16. Signat autẽ confessio ante Missam quod Christus pro peccatis nostris mortuus est: iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo Patri: & ipse Christus in persona peccatorum ait: lõgè a salute mea verba delictorum meorum. q. d. peccata populi mei, non permittunt me viuere: sed oportet vt pro peccatoribus moriar & sic eos patri meo reconciliando offeram. Et ideo statim cum ad altare accedit, osculatur illud propter hoc.

Interim cantatur antiphona ad Introitum, quę ab introitu Sacerdotis ad altare hoc nomen meruit obtinere. Simili ratione possumus respondere de offertorio, quia Sacerdos tunc offert oblata; vel, quia tunc accipit offerentium oblationes, ita de communione & cæt. Damasus Papa instituit choros cantorum in Ecclesia, anno Domini 370.

Cum autẽ peruenerit ad illa verba, mea culpa, mea culpa, ter percutit pectus. In tonsione quidem pectoris tria sunt; ictus, sonus, & tactus: per q̃ significãtur tria, quæ sunt in vera pænitentia necessaria, scilicet, cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio; quia in tribus peccauimus, vt ibidem dicimus, scilicet, corde, ore, & opere: & ita tribus digitis hoc facere debemus propter hæc tria peccata. Si autẽ percutiatur pectus quinque digitis, est contra peccata quinque sensuum.

Finita confessione, orat pro circumstantibus, indulgentiam peccatorum implorãs. Significat autem hoc quod

Christus

Christus de secreto Patris in mũdum veniens; & de vtero virginali procedens, multiplicantibus patribus sua suspiria, pro nobis passurus, Ierusalem introiuit, in montem se inclinauit, causam suam contra hominem dolosum, & iniquum Deo committens, & patri confessionem fecit, dicens: Confiteor tibi pater cæli, & terræ, & cætera. Ipse quoque nobis indulgens proprio corpore peccata nostra portauit; cuius liuore sanati sumus. Pontianus Romanus instituit dici confessionem ante Missam. Item instituit Horas canonicas in Ecclesia; aiunt nonnulli, anno Domini 225. & Postea Damasus confirmauit.

Quod verò subdiaconus teneat librum Euangeliorum ante oculos Pontificis, siue aliquis alius, hoc ideo fit, vt ille iugem memoriam Euangelicæ prædicationis habeat.

Cum Episcopus dixerit Indulgẽtiam & cæt. Subdiaconus capit manipulum, qui fuerat inclusus in libro Euangeliorum, & illum applicat sinistro brachio Episcopi, cum osculis manus, & manipuli, & strictè religat, vt dicit cæremoniale ibidem.

Hoc ideo fit, primo, ad notandum quod concessa temporalia per manum alienã, puta Subdiaconi, vel alterius, & non per propriam recipere, & administrare debet.

Secundò, ad designandum, quod non sufficit oris confessio, nisi & boni operis fructus per manipulum significatus, sequatur. Tertio, vt videns se inferioris ministerij ornamento ornari, animo humilietur.

Rursus ideo Põtifex post acceptam casulam, & non antea manipulum recipit; quia Christus cuius typum gerit, non prius manipulos operum (qui per manipulum ipsum designantur) obtulit, quam cælestem haberet conuersationem, quæ per casulam figuratur. Sacerdos verò econtrà, ante indutam casulam manipulum sumit, quoniam cęlestem conuersationem adipisci nequit: nisi prius sanctorum operum manipulos portet. ex Dur. libro 4. cap. 7.

De Iunctione manuum. Cap. 18.

POntifex seu Sacerdos etiam sæpè in Missæ officio manus iungit, quę manuum iunctiones, denotant deuotionem. Rursus, Sacerdotis manuum iunctio significat omnium bonorum a Deo in ipso vnitatem & coniunctionẽ & quia infinita bona infinitis, & indeterminatis modis possunt a Deo procedere: ideo manuum iunctionum sacerdotis numerus determinatus non est. Aduerte tamen, antequam vltra progrediamur, quod Pontifex ad altare perueniens, mitram deponit: quia non est vtendum mitra tempore afflictionis, & ieiunij: & Missa repræsentat Christi Domini nostri passionem, & mortem. Vel. Propter humilitatem uel propter rationem allatam in capite de mitra.

Notandũ autem hic est, quod quando Iudæi orabant, hoc faciebant apertis brachijs vt patet de Moyse: duę manus significant duas naturas, scilicet, diuinam, & humanam: & quia in tempore legis scriptæ, istæ duę naturæ, scilicet, Deus, & Homo nondum erant vnitæ in uno supposito, ideo quando orabant, ita orabant apertis brachijs ad modum crucis, vt Deus hanc vnionem facere dignaretur. Nos autem oramus iunctis manibus, quia confitemur quod fuit facta hæc vnio, nam Christus venit, qui est verus Deus, & Homo, & præcipuè fit hoc in oratione nostra particulari. Si autem oratur aliquando brachijs apertis, vt fit in Missa: hoc est propter aliam rationẽ, scilicet ad denotandam Christi mortem, qui passus est illam super lignum crucis: & Missa repræsentat passionẽ, & mortem Christi: vt sæpè diximus.

De Inclinationibus Sacerdotis in Missa. Cap. 19.

INclinationes enim Sacerdotis in officio Missæ denotant exinanitiones, quas Christus pro nobis fecit.

Hæ autem secundum morem quarundam Ecclesiarum sub certo numero perstringuntur: quoniam regulariter octo vicibus profundè coram altari, & tredecim vicibus mediocriter super altare inclinat.

Octo profundas inclinationes ante altare facit, ad referendas gratias ipsi Christo de octo principalibus, quæ egit ante sui immolationem, quam Sacerdos in officio altaris figurat. Primũ fuit admirabilis incarnatio. Secũdum fuit, discipulorum gratuita vocatio. Tertium dæmonis in tentationibus superatio. Quartum miraculorum operatio. Quintum infirmorum sanatio. Sextum mortuorum resuscitatio. Septimum. Omnium quæstionum & præpositorum per suam sapiẽtiam determinatio. Octauum salutaris populorum instructio: & quęcumque ante sui immolationem egit, ad hæc octo secundum Bernard. reduci videntur. Tredecim verò inclinationes, mediocriter facit super altare: quia Christus tredecim fecit in ara crucis, sumendo aram crucis pro toto tempore suæ passionis, quod incæpit in hora captionis. Primum fuit Iudæ proditoris discreta redargutio, dicens: Iuda osculo filium hominis tradis? Secundum, ipsius captionis sui præbitio, dicens eis, quem quæritis? & respondit, ego sum. Tertium, falsis testibus & regibus mãsueta & humilis responsio. Quartum, sputorum & verborum sine murmuratione toleratio. Quintum, in his, quæ vidit & audiuit, nulla sibi vel alijs data perturbatio. Sextum, discipuli cum ter negantis culpæ condonatio. Alia verò septem enumerat Ambros. ab eo in ligno crucis facta dicens: Author pietatis in cruce pendens officia diuidebat, persecutionem Apostolis; pacem discipulis; corpus Iudæis; Spiritum Patri; paranymphũ Virgini; paradisum latroni, & infernum peccatori.

De Osculo altaris, oris & pectoris. Cap. 20.

FInita confessione & absolutione, ascendit ad altare manibus iũctis, dicendo; *Aufer a nobis*, &c. Petit amplius mundari, vt possit offerre. Deinde super altare inclinatus dicit: *Oramus te Domine per merita sanctorum*: per quod petit suffragium sanctorum, quasi ex se sit indignus accedere. Et dũ recitat hanc orationem osculatur altare. In hoc loco Altare significat Iudæos. Osculatur ergo, vt notetur pacificatio cum Iudæis: & ad designandũ, quod Christus veniẽs ad nos sanctam sibi copulauit Ecclesiam: iuxta id cantic. 1. Osculetur me osculo oris sui. Deinde conuersus Episcopus osculatur Diaconos vt ostendat pacem illam in aduentu Christi venisse, quam prophetæ promiserant. Vnde Dauid Psal. 71. ait: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec extollatur luna. Alius iterum propheta Iere. 23. Pax erit in nostra cum venerit. Et ideo Christo, vox intonuit Angelorum. Et in terra pax hominibus bonę voluntatis. Osculum enim quandoque pacem significat. Iuxta quod dicit Apostol. Rom. 10. Salutate vos inuicem in osculo sancto: Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Diaconus ergo totus inclinans osculatur pectus Episcopi, designans quod inspiratione diuina prophetæ prædixerunt pacem futurã. Nam & Ioannes supra pectus Christi recumbens Euangelij fluente de ipso sacro Dominici pectoris fonte potauit.

Deinde Episcopus, vel Sacerdos aperit librum Euãgeliorũ & osculatur: tamen cæremoniale dicit, quod osculatur apertum. Sicut autem Altare signifi-

significat populum Iudaicum, sic codex populum Gentilem. Ideo ergo Episcopus vel Sacerdos osculatur Altare & Euangelium: quia Christus vtrique dedit pacem: quando lapis angularis factus, fecit vtraque vnum.

Possumus etiam dicere quod Sacerdos, vel Episcopus aperit librum: ad insinuandum illud, quod describitur, in Apocal. 5. Quod nemo dignus inuētus est aperire librum, qui intus erat scriptus & foris, signatus septem sigillis, nisi leo de tribu Iuda, clauis Dauid, qui librum aperuit; & septem eius signacula soluit. Ipse autem Sacerdos repræsentat Christum vt supra diximus. Per altare signatur Ecclesia, iuxta quod Dominus dixit in Exod. 20 si Altare lapideum feceris mihi, non ędificabis illud de sectis lapidibus. Quod sectionem lapidum prohibet in altari; diuisionem reprobat infidelium, ne Ecclesia diuidatur per errores, & schismata.

Librum aperit, cum ad altare peruenit: quoniam postquam Christus primitiuam Apostolorum Ecclesiam congregauit docens & prædicans, scripturæ mysteria reuelauit, dicens: Vobis datum nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis; Vnde post resurrectionem aperuit illis sensum vt intelligerēt scripturas. Rectius igitur facit Episcopus cum ipsemet aperit librum Euangeliorum: tamen, quia ex hac rubrica elicitur, quod traditur illi apertus, ideo dicerem, hoc significare quod Christus per ministros suos patefecit mysteria scripturarum.

De Processione Romani Pontificis a Secretario ad altare. Cap. 21.

CVm autem stationalis solemnitas cælebratur, Romanus Pontifex cum sex præfatis ordinibus a Secretario processionaliter ad altare progreditur, designans, quod Christus exiuit a patre, & venit in mundum. Hic autem processionis ordo, generationis Christi seriem repræsētat, quam Matthęus Euangelista describit: in qua sex inueniūtur ordines personarum, a quibus Christus secundum carnem traxit originem, & in mundum processit: videlicet Patriarchæ, & prophetæ, Reges, & principes, pastores, & Duces. Abraham Patriarcha, Dauid propheta, Salomon Rex, Salmon Princeps, Iudas pastor & Zorobabel Dux.

Duo Diaconi qui ducunt pontificē, designant Abraham & Dauid, quibus facta est incarnationis Christi promissio. Nam illi promissum est; In semine tuo benedicētur omnes gentes. Genes. 22. Isti pollicitum est, De fructu ventris tui ponam super sedem meam Psalm. 131. Propter quod Euangelista signāter hos duos in generatione Christi præmisit, liber inquit, generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Isti sunt duæ columnæ quas verus pacificus in vestibulo templi posuit ante ostium, quas ambit funiculus duodecim cubitorum, idest, quas fides duodecim Apostolorum complectitur, de quorum medio Christus ostium aperitur credentibus.

Quatuor autem ministri super Pōtificem, ferunt mappulam quatuor baculis colligatam, propter quod ipsi ministri mappularij nuncupantur. Mappula, quæ diuersis imaginibus est figurata, sacram scripturam signat, quæ multis mysterijs est insignita. Hęc quatuor baculis super Pontificem portatur extensa, quia sacra scriptura quatuor modis super Christum fertur exposita, secundum historiam, secūdum allegoriam, secundum Tropologiam, & secundum anagogiam.

Hic est fluuius paradisi, qui quatuor ī capita diuisus, progreditur. Hęc est mensa propositionis, quæ quatuor pedibus eleuata subsistit. Hæc autem super Pontificem extensa portatur, vt is venisse monstretur, quem lex scripserat, & prophetæ. Nā ipsemet Chri-

stus incipiens a Moyse, & prophetis, interpretabatur in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Propter quod alibi dicit. Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, ille enim de me scripsit.

Et ideo præferuntur duo lumina cũ incenso, quia lex, & prophetæ, cum Psalmis, Christi prænunciauerunt aduentum, Christo attestante, qui ait: Lu. 24. Necesse est impleri omnia, quę scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. In maioribus autem solemnitatibus, septem candelabra coram Pontifice deferuntur, per quod illud ostenditur, quod Ioannes in Apocalypsi describit. Cõuersus, inquit, vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitũ podere; vt ille per hoc aduenire monstretur, super quem requieuit Spiritus gratiæ septiformis, secundum vaticinium Isaiæ 11. Egredietur inquit, Virga de radice Iesse, & Flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientię & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eũ Spiritus timoris Domini.

In quibusdam basilicis, circa mediũ chori manipulus stuppæ super columnam appenditur, cui Pontifex ignem apponit, vt in conspectu populi subito comburatur. Per hoc secundum aduentum commemorans, in quo Christus iudicabit viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. Nam ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Ne quis ergo male securus existat, qui per ignem blanditur, per secũdum exterret. Quia qui iudicandus in primo venit, iudicaturus veniet in secundo. Vel potius, quia secundum Iacobum Apostolum cap. 4. Vita nostra vapor est ad modicum parens, Pontifex ignem apponit in stuppam, ne fortè, qui gloriosus incedit, in temporali gloria delectetur. Nam omnis caro fænum, & omnis gloria eius quasi flos fæni. 1. Pet. 1.

Cum autem Pótifex appropinquat altari, primicerius Scholę Cantorum accedens, dextrum ipsius humerum coram astantibus osculatur. Quia cũ Christus nasceretur in mundo, Angelus ille cum quo facta est cælestis militiæ multitudo laudantium Deũ, Natiuitatem eius pastoribus patefecit. Dé quo dicit propheta. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & cæt.

Tres Sacerdotes, qui Pontifici venienti coram altari reuerenter occurrunt, & inclinantes os eius osculantur & pectus, tres illos magos signãt, qui venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? & procidentes adorauerũt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Per geminum osculum, geminam in Christo naturam confitẽtur, diuinam, scilicet, & humanam: diuinam quasi latentẽ in pectore, humanam quasi patentem in ore, quas quoque per oblata munera magi mysticæ figurarunt. Osculum enim est signũ reuerentiæ: iuxta quod Hester cap. 5. summitatem virgę legitur osculata. Hæc ex Innoc. 3.

De Incenso benedicendo & in ignem mittendo. Cap. 22.

THurificatio fit primum ad reuerentiam loci, & diuini officij: vt si fuerit in loco malus odor fumo incẽsi depellatur. & qui adsunt lætis odoribus mulceantur. Deinde ad repræsentandum gratiæ effectum: quia sicut bono odore Christus plenus fuit. Ecce odor filij mei. Genes. 37. ita a Christo deriuatur ad fideles officio ministrorũ & ideo vndique altari thurificato, per quod Christus significatur thurificantur omnes per ordinem. ex D. Thoma 3. p. qu. 83. artic. 5. quare & nos dicamus, quod recitatis illis omnibus orationibus & osculato altari, Sacerdos benedicit & imponit incẽsum in thuribulum

ribulum: deinde incensat altare. Hoc ideo fit ad repræsentandum, quod legalis Sacerdos ferens sanguinem, & carbonem cum Thymiamate, in thuribulo orans ponebat, donec fumus obumbraret eum. Per hoc etiam illud insinuatur, quod Angelus venit, & ante altare stetit, habens thuribulum aureum in manu sua: quod impleuit de igne altaris; & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum.

Sanè Angelus, est Christus: thuribulum aureum, corpus immaculatũ: Altare, Ecclesia: Ignis, charitas: incensum, oratio: iuxta id. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Venit ergo Angelus, idest, Christus, qui stetit ante altare, idest, in conspectu Ecclesiæ, habens thuribulũ aureum, idest, corpus immaculatum plenum igne, idest, charitate, & data sunt ei, scilicet, a fidelibus, incẽsa multa, idest, orationes: vt daret, idest, repræsentaret eas Patri de orationibus sanctorum. Item, Aug. homil. 6. in Apocaly. Thuribulum aureum, corpus Christi sanctum, interpretatur. Ipse enim Dominus factus est thuribulum, ex quo Deus odorem suauitatis accepit, & propitius factus est mũdo, quia obtulit seipsum in odorem suauitatis.

Nota, quia non dicit orationes: Christus enim non omnes orationes exaudiuit: sed dicit, de orationibus, de illis videlicet, quæ pertinent ad salutem. Vnde cum Paulus ter Dominum rogasset vt ab eo stimulum carnis auferret: respondit ei Dominus: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.

Episcopus ergo vel Sacerdos Thus in thuribulo apponit: quia Christus orationes inspirat in animo, vt per ipsum offeratur incensum in odorẽ suauitatis, ipse præuenit in benedictione dulcedinis, vt eius donum sit nostrũ meritum, quia non accipit nisi quod tribuit. Sine me nihil potestis facere, inquit ipse. Io. 15. quia palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite. Sacerdos ante incensum, thuribulum repræsentat Episcopo; quia lex illud pretiosum thymiama confecit, quod in odorem suauitatis offertur altissimo; de quo Dominus subdit in Exodo cap. 30. Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicumque similẽ fecerit, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis. Fuerunt, qui dicerent, quod si thuribulum descendat ab altari, tunc aliud ibi thus sine benedictione ponendum est, & hominibus offerendum, tamquam illud spectat ad latriam, istud ad duliã. Melius tamen secundum Spiritum quam secundum literam intelligitur. Nam litera occidit, Spiritus autem viuificat. 2. Cor. 3.

Per cõcremationem verò thuris significatur, quod Sacerdos orationem feruentem & deuotam debet habere. Thus enim habet virtutem ascendendi ex fumi leuitate; consolidandi, sui qualitate; constringendi, ex glutinitate; confortandi, ex aromaticitate: sic dum oratio ascendit in Dei memoriã, animam consolidat quantum ad culpam præteritam, impetrando medelã; & constringit, quo ad committendi licentiam; confortat, quo ad præsentem impetrando tutelam.

Nauicula vero, in qua incẽsum reponitur, designat, quod per orationẽ, quam incensum significat, de huius mundi mari magno & spacioso, ad cælestem patriam satagamus nauigare. Vnde in Prouer. 31. dicitur. Facta est quasi nauis institoris, portans de longe panem suum.

Benedicitur incensum, ne quid immundum Deo præsentetur: per benedictionem enim sanctificatur: vt supra diximus de Sacramentalibus. Materies, quæ adhibetur, vel solum & purum thus esse debet boni odoris: vel si aliqua addantur aduertatur, vt quã-

titas thuris longè superet: ita dicitur in cæremoniali Episcoporum lib. 1. c. 23. Ratio autem potest esse, quia thus significat orationem, vt patet ex Psal. 120. Dirigatur oratio mea sicut incensum, & cæt. quod non dicit de alia materia. Hæretici thurificationes in sacris irrident. Primum ex cap. 1. Isa. Incensum est abominatio mihi. Deinde ex quodam Arnobio libro 7. aduersus gentes, vbi docet vanam esse thurificationem. Sed nec purè Deus apud Isaiam thuris incensum aspernatur, ac respuit, sed quando ab impijs indignè incensum offertur. Arnobius verò suffitum, & thuris incẽsum in honorem Deorum improbat, non autem in honorem Dei viui, cui thus & cætera, quę a religiosis offeruntur, grata & accepta sunt.

De Thurificatione Altaris & Episcopi. Cap. 23.

POst benedictionem incensi, hæc omnia facit vt docet cærimoniale, scilicet, thurificat prius crucem, deinde reliquias, postmodum Altare, demum ipse thurificatur Episcopus, siue Sacerdos.

Episcopus siue Sacerdos accipit de manu Diaconi thuribulum, & incensat Altare, quia Christus factus ex semine Dauid secundum carnem suis orationibus fouet Ecclesiam; secundũ quod orat in Euangelio; Pater sancte ego pro eis rogo & non pro eis tantũ, sed etiam pro illis, qui credituri sunt per verbum eorum. Thurificatur tamen primo crux, quia ipsa magis quã Altare Christum repræsentat.

Præter mysticam rationem, ob hoc etiam incensatur Altare; quatenus ab eo omnis dæmonis nequitia propellatur. Fumus enim incensi valere creditur ad dæmones effugandos. Vnde cũ Tobias interrogasset Angelum quod remedium haberent ea, quæ de pisce iusserat seruari. Respõdit, cordis eius particulam si super carbones ponces fumus eius omne genus dęmoniorum extricat.

Quod autem Diaconus postea thuribulum accipit, vt incenset Episcopũ vel Sacerdotem, moraliter instruit, quod si dignè volumus incensum orationis offerre; thuribulum incarnationis tenere debemus; nam sine fide mediatoris homines Deo placere non possunt: sed iuxta verbum promissionis ipsius, si quid petierint in oratione credentes accipient.

Per thuribulum enim verbum incarnatum accipitur. Nam sicut in thuribulo pars superior, & inferior tribus catenulis vniuntur: ita in Christo tres sunt vniones, quibus diuinitas & humanitas vniuntur: vnio carnis ad animam: vnio diuinitatis ad carnẽ: vnio diuinitatis ad animam.

Huiusmodi thurificatio a veteri lege sumpsit exordiũ: nam de hoc thuribulo Moyses, inquit, specialiter ad Aaron: num. 16. Tolle thuribulum & hausto igne de Altari mitte incensum desuper.

Quod autem thurificato Altari, Episcopus vel Sacerdos thurificatur, hoc ideo fit, ad significandum, quod sicut Christus est Altare & hostia: sic est Pontifex & Sacerdos, cuius est orationis sacrificium offerendum. Vnde ad magis repræsentandum imponitur ei mitra, antequam thurificetur.

Ter Episcopus vel Sacerdos thurificatur propter personam, quam repręsentat. Sother Papa statuit ne moniales incensum circa Altaria ferant 23. dist. sacratas.

De Introitu Missæ. Cap. 24.

THurificato Episcopo vel Sacerdote, Episcopus cum ministris (si est Episcopus) vadit ad sedem, vbi stans, deposita mitra, & facto signo crucis a frõte ad pectus legit Introitum ex libro quẽ sustinet capellanus. Deinde dicit cũ suis mini-

ministris Kyrie eleyson, nouies repetendo. Quo dicto accepta mitra, & cæt. quæ sequuntur. Hæc habētur in cæremoniali Episcoporum de Missa solemni.

Si est Sacerdos, ad altare dicit Introitum, vna cum ministris, Diacono a dextris cælebrantis, subdiacono a dextris Diaconi stantibus vt dicit Ritus 4. Missalis reformati sub num. 4. prosequitur inquit, Introitus & Kyrie.

Hic sunt multa consideranda, scilicet, quod Sacerdos signat se signo crucis: de Introitu missæ, & de Kyrie eleyson. Et de diuersa statione Episcopi, & Sacerdotis. Et de sessione.

Quantum ad primum de signo crucis, dicendum est, quod sicut in principio omnium horarū signamus totū corpus signo crucis, ad effugandam diaboli versutiam, quanto magis in principio tanti Sacrificij? Hic enim, est principium Missæ, vt supra diximus.

Quantum autem spectat ad Introitum, dicendum quod hoc in loco incipit prima pars Missæ, scilicet, in Introitu. Vbi nota quod in hoc Sacramento totum mysterium salutis nostræ compræhenditur: & ideo præ cæteris Sacramentis cum maiori solemnitate agitur: & propter hoc ante cælebrationē huius mysterij præmittitur pręparatio ad orationem. Populus autem disponitur ad orationem per tria, scilicet, per deuotionem, per humiliationem, & per rectam intentionem.

Primo disponitur ad orationem per deuotionem: & ideo præmittitur Introitus cum Versu. Secundo; disponitur per humiliationem, scilicet, cum dicitur, Kyrie eleyson, Tertiò, disponitur per rectam intentionem, cum dicitur, Gloria in Excelsis. De his duobus suo loco dicemus.

Dicitur Introitus in principio Missæ, quia tunc, primo Sacerdos ministraturus ad altare debet intrare. In cuius rei signum Sacerdos antequam ad Missarum solemnia procedat, dicit, Introibo ad altare Dei. Sumitur autem Introitus, & versus de sacra scriptura, & præcipuè de aliquo Psalmo, quia in hoc libro est consumatio totius Sacræ scripturæ.

Secundo notandum, quod Introitus, ab antiquis dicebatur antiphona, quod est verbum Græcum, & est idem quod reciprocus sonus, & componitur ab anti Græcè, quod est circa, & phonos quod est sonus, quia est sonus circuiens geminatus ad versus psalmi, & gloria patri, quod post illum cantatur, & fuit in antiquis Ecclesijs aliquando consuetum, quod totus psalmus per singulos versus cantabatur: & ad quemlibet versum ille sonus geminabatur, vel cantabatur eo modo quo dicitur inuitatorium in die Epiphaniæ in tertio nocturno. Venite, & cęt. Tamē illum modum canendi Introitum propter prolixitatem dimiserunt: sed semel reciprocatur. Quod Introitus dicebatur ab antiquis, antiphona, patet in Dominica palmarum vbi Missale sic habet *Completa Tertia, & facta aspersione*, &c. paucisque interiectis, sequitur: *a choro cantatur antiphona:* Mat. 21. *Hosanna filio Dauid, Benedictus*, &c. & nos ibidem probamus illam esse Missam, sed imperfectā assignando simul rationem, vt ibi est videre. Missale etenim retinet quasdā antiquitates veluti demonstramus in expositione Missalis, præcipuè in cap. de vigilia Epiphaniæ: & in cap. de Missa in parasceue. Quod quidem facit non sine magno mysterio, & sana & matura consideratione.

Dicitur etiam Introitus, eo quod dū ille canitur, Sacerdos ministraturus ad altare intrat: seu, quia per illam antiphonam, ad officium intratur. Cælestinus Papa statuit, vt psalmi Dauid ad Introitum Missæ ante sacrificium cum antiphona canerentur: quod antea non fiebat, sed Epistola Pauli tantum & Euangelium legebantur, & postea Missa cælebrabatur.

Introitum, alij dicuntur regulares,

& alij irregulares: regulares sunt illi, qui de psalmis sumpti sunt. Irregulares verò, qui secundum varietates solemnitatum instituti sunt: vt est iste: Puer natus est nobis; & ; Viri Galilæi. Et; Spiritus Domini repleuit. Et: Ne timeas Zacharia. Et. Nunc scio vere. Et ille;gaudeamus omnes in Domino. Et alij huiusmodi. Quapropter circa hoc,notatione dignum est;quod quādo Introitus, de psalmo sumitur. Si primus versus psalmi, est Introitus: aliquis de sequentibus versibus eiusdem psalmi erit versus illius Introitus; sicut patet in Introitu primæ Dominicę Aduentus: & in Introitu feriæ tertiæ, Dominicę quartæ Quadragesimæ: vbi dicitur: Exaudi Deus orationem meā. Versus. Contristatus, sum. Si verò nō sit primus versus psalmi, sed aliquis alius de sequentibus sit Introitus: tūc primus versus psalmi, erit versus ipsius Introitus. Vt est videre Introitus ipsos.

Versus est duplex aliquando;& aliquando est simplex & vnus; & quandoque dimidius. Duplex vt in Introitu defunctorum: Te decet hymnus: & exaudi orationem meam: quia pro defunctis oramus, propter stolam corporis & animæ, quas rogamus eis dari. Dicitur etiam secundus versus, quia dicitur in loco, Gloria Patri, & cęt. qui in officio defunctorum tacetur, pro eo quod mortui Trinitatem vlterius laudare nequeunt. Ad cuius laudem pertinet iste versus. Vel, quia de re mæsta agitur, vbi est cythara importuna. Sępius verò dicitur vnus: quia ad vnum tantum, scilicet, ad Deum vertere nos debemus. Quando verò ponitur dimidius, est, quia homo suā debet imperfectionem in operibus confiteri: vt, quia forte introitus ille tractabit de iustitia, vel de misericordia Dei: quia qui Dei iustitiam, vel misericordiam impetrat, debet imperfectionem suam in operibus confiteri: nam psalmus tantum opus significat, vt dicetur infra, & post psalmum sequitur versus psalmisticus, qui versionem ad operationem notat. Dicitur etiam versus, quia per eum reuertimur ad Introitū, significans opera & vaticinia.

Consequenter ex institutione Damasi Papæ dicitur, Gloria Patri; quod significat laudem, quia post operationem, (vt notat psalmus) danda est gloria Deo Patri, & filio, & Spiritui sācto.

Interpositio autem gloriæ, (idest, huius versus, Gloria Patri & filio,) inter primam cantationem Introitus, & ipsius repetitionem, designat captationem beneuolentiæ. Nam Introitus, significat suspiria, & desideria Patrum, de Christi incarnatione. Ideo, vt quod expectabant facilius obtinerent, ad totam Trinitatem cordis & vocis glorificatione clamabant, dicentes: ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Deinde antiphona, siue Introitus repetitur, vt desiderium antiquorum patrum, seu iteratio, & multiplicatio suspiriorū, & de clamoris ipsorum euidentibus exprimatur. Vnde Isa. 28. Manda, remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit. Vnde etiam notat magnum affectum suspiriorum Patrum, primus Introitus, quià re, graui, idest à la, mi re graui, incipit, quasi ex profundo lacu suspirarent Patres.

Item, quod bis, Introitus cantatur secundum Bonau. & in medio sancta Trinitas per gloria Patri collaudatur: signat quod Christus de virgine natus introiuit in hunc mundum, & fidem Trinitatis nobis insinuans iterum ascendendo in cælum introiuit: quem multi sanctorum imitati sunt: qui licet hunc mundum per Natiuitatem carnis introierunt, & carnaliter de parentibus nati sunt: tamen per fidem, scilicet, Trinitatis in baptismo vel effusione sanguinis pro Christo sunt renati: & sic angelicis choris associati:

vnde

vnde nouies dicitur Kyrie, &c.

At dicet aliquis quare Missa nõ incipit a præcibus, sicut aliæ horæ canonicæ puta, per, Domine labia mea aperies: vel, per Deus in adiutorium: vel per, Conuerte nos Deus? Dicendum quod ideo fit per Introitum hoc modo, quia subito totus chorus prorumpit in clamorem ad desiderium aduẽtus Domini: nam ardor suspirantium compulit ad clamorem potius, quam ad orationem: ideo rectius per clamorem ab omnibus.

Sed tunc iterum dicet, quis; quod non omnis Introitus anni, in verbis Patrum desiderium repræsentat, sed solum illi Introitus, qui sunt de Aduẽtu: sicut sunt, Ad te leuaui. Populus Sion, & alij significant desiderium patrum. In alijs autem Missis tam de tẽpore quam de festis sanctorum, nullũ significatur desiderium ad Christi aduentum. Ad hoc est dicendum secundum Alber. de offic. Missæ cap. 1. quod Christus a patribus non expectabatur vt homo priuatus, sed potius vt Christus omnibus promissus, qui in seipso gratias infinitas afferret, & omnium cætu sanctorum vallatus, veniret, vt rex, in cuius curia omnes sancti facerent curiæ regalis frequentiam, sicut in Epistola sua Iudas dicit septimum ab Adam Enoch prophetasse, sic dicẽtem. Ecce veniet Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes impios, & arguere omnes de operibus impietatis eorum. Et Isai. 3. Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui. Daniel. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies cen tena millia assistebant ei. Propter hoc dicitur, Dominus Sabbaoth, idest, exercituum, & hoc modo suspirarunt patres ad ipsum; vt in omni veniret decore regio, & decore frequentiæ curiæ regalis; & quando sic venit suspiramus vt veniat, & gaudeamus cũ in bonis, & gratijs, quæ per totum annum cælebrantur venisse: sic in eo authoritas resultat Apostolorum; & cantamus. Nimis honorati sunt amici tui Deus: Sic coram eo extollimus victorias martyrum, & cantamus: In virtute tua lætabitur iustus. Sic in eo resultat sanctitas confessorum, & cantamus: Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent. Sic etiam coram eo exultat chorus virginum, & cantamus, Adducentur regi virgines. Sic ad salutem electorum ministrat chorus Angelorum, & cantamus: Benedicite Domino omnes Angeli. Sic in eo requiem recipiunt animæ post virtutis & meritorum laborem; & cantamus, Requiem æternam. Sic enim venit Rex in decore suo, Isa. 33. In decore suo videbunt regem. Sic Ecclesia astitit ei omni decore varietatis sanctorum adornata, & circumdata varietate. Et ita omnis de toto anno introitus clamorem patrum denotat ad Christi aduentum. Illud scito quod in dextro cornu altaris Iudæi, in sinistro autem gentiles designati, quia vltimo vocati. Vnde & Missa in dextro cornu inchoatur: quia ex stirpe Iudæorum Christus humanitatẽ assumpsit. Beata enim Virgo Maria de regia stirpe Dauid originem duxit: quæ de Spiritu sancto Dominum Nostrum Iesum concedit.

De Kyrie eleyson. Cap. 25.

SEcundo præparatur, siue disponitur populus ad orationem per humiliationem: & ideo mox prosequitur Kyrie eleyson. Ratio huius est, quia per misericordiam petentes, misericordiam profitentur dicentes: Kyrie eleyson, quod interpretatur Domine miserere: quo insinuatur postulatio diuinæ misericordiæ de desiderij adimpletione, ac si diceret illud Isa. 33. Domine miserere nostri, te enim expectauimus.

Quod autem dicatur in Missa, antiquissimum est: audi Concil. Vasense circa

circa annum Domini 450. cælebratū, can. 5. & quia in Sede Apostolica quā etiam totius orientis, atque Italiæ prouincias, dulcis & nimirum salubris cōsuetudo intromissa est, vt Kyrie eleyson frequentius cum grandi affectu ac compunctione dicatur; placuit etiam nobis vt in omnibus Ecclesijs nostris ista consuetudo sancta ad Missas Deo propitiāte intromittatur. Et quoniam venit tempus miserendi eius, sicut fuerat prophetatum, ideo post Introitum rectè chorus laudat & inuocat Trinitatem, triplicādo Kyrie eleyson: quod ideo dicitur: post Introitum, quia ante omnem orationem Sacerdotum necesse est misericordiam Dei implorare: quod significat Kyrie eleison, vt supra diximus. Sic autem Trinitatem ait Bonau. per Kyrie, & Christe eleison inuocamus, & Gloria in Excelsis subiungimus, vt ostendamus eundem Deum colere in terris quem angeli venerantur in cælis.

Dicitur autem nouies, propter tres rationes. Prima est propter nouem ordines Angelorum, quibus petimus associari, & eorum beneficijs adiuuari. Secunda, propter fidem Trinitatis, secundum quod qualibet persona in se cōsideratur, & in ordine ad alias duas: vel ad significādum, quod omnes personæ sunt in se inuicem. Tertia causa, contra nouem genera peccatorum. Est enim peccatum originale, veniale, & mortale. Item, peccatum cogitationis, locutionis, & perpetrationis. Item, peccatum fragilitatis, simplicitatis, & malignitatis. Fragilitatis per impotentiā: simplicitatis per ignorantiam: malignitatis, per inuidiam. Hoc est, peccatum in Patrem: peccatum in filiū, peccatum in Spiritum sanctum.

Adhuc ideo dicitur ter ad Patrem, Kyrie eleison: ter ad filium, Christe eleison: & ter ad Spiritum sanctum, Kyrie eleison: sed ad Patrem & Spiritum sanctum sub eodem tantum vocabulo, quia Pater & Spiritus sanctus sunt eiusdem tantum naturę, ad filium verò sub alio: quia filius, & si sit eiusdem naturæ cum illis, est tamen & alterius, vt geminæ gigas substātiæ. Propterea ideo dicit ter quantum ad Patrem; ter quantum ad filium: ter quātum ad Spiritum sanctum, vt notetur Pater in filio, & filius in Patre, & Spiritus sanctus in vtroque.

Insuper, Kyrie eleison, ter triplicatum, significat preces patrum veteris testamenti multiplicatas. Est autem magna illorum verborum efficacia. Legitur enim quod dum B. Basilius, Kyrie eleison clamasset, portę Ticinensis Ecclesiæ sunt apertæ. Rursus cum B. Geminianus Kyrie eleison, clamaret, quinque Reges conuersi dicuntur in fugam. In quibusdam Ecclesijs statim post vltimum Kyrie eleison, subijciunt imas, quod Latinè, nobis, significat. Et est sensus Kyrie eleison imas, idest, potentia diuina miserere nobis. Beatus Gregorius instituit nouies cātari in Missa publicè a clero tantum, quod prius apud Græcos simul a clero & populo cantabatur, vt etiam est videre & audire licet in Ecclesijs Grecorum, quæ apud nos sunt. Hoc autē nos dicimus in parasceue in adoratione crucis. Siluester aut Papa, de Græcis illud assumpsit.

Sed dubitaret quis, quare in Græco & non in latino clamatur, Domine miserere? Dicendum quod quatuor a patribus assignantur rationes. Prima est, quia summa sapientia mundi in Græco floruit, sicut dicitur 1. Cor. 1. Iudæi signa petunt; & Græci sapiētiam quęrunt; vt ergo ostendatur, quod ista inuocatio summa sapiētia est, & ex summa sapientia procedit, in Græco clamatur. Sicut enim Iudæus per scripturam Deum cognouit; ita Gentilis sapiens & Philosophus, per naturalem sapientiæ rationem Deum cognouit, & ideo clamare ad Deum decuit. Et hoc est quod dicitur Rom. 1. Non .n. erubesco Euangelium; virtus enim

Dei

Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Quia Iudæus primum virtutem Dei in Euãgelio cognouit per scripturam, Græcus autem virtutem eandem per sapientiam acquisitam ductu rationis in Euangelio cognouit: quoniam inter omnes Gentiles Græcus tali sapientia sapiens fuit.

Secũdam causam assignant Patres, obseruationes legum, quæ apud Græcos primo fuerunt, sicut ostendunt leges duodecim tabularum, & pandectarum scientia, quæ vsque hodie perseuerant a Græcis in nos obseruatæ: & hac iustitia etiam iustitiam legis Christi cognouerunt & acceperunt primi inter Gentiles.

Tertia ratio est, quia ad literã, Græcus primo hanc ab Apostolis accepit fidei inuocationem: sicut patet in Epistolis Pauli, quæ (excepta prima & vltima) omnes Græcis scriptę sunt. Similiter etiam omnia Euangelia, excepto Euangelij Matthæi, & similiter Actus Apostolorum, & Apocalypsis. Septem enim primæ Ecclesiæ, quæ significant Ecclesiæ vniuersitatem, fundatæ sunt in Asiæ parte, quæ Græcia vocatur.

Quarta & vltima causa est, quia ad nos Latinos a Græcis deriuata est fides quia Petrus & Paulus a Gręcis ad Latinos venerunt: & ita ipsi fuerunt nobis fons & origo salutis. Vt ergo exhibeamus reuerentiã sapiẽtiæ, & vt honorẽ demus cultui iustitiæ a Græcis exortis, vt cognoscamus quod Græci salutem hanc primum a Paulo, & Barnaba Act. 13. susceperũt, vt memores simus quoniã ista gratia a Græcis ad nos est deriuata, in eisdem Syllabis & vocibus, quibus primo a populo inuocata est misericordia, conseruamus adhuc verba clamoris illius; hæc enim reuerentia patribus debetur, quod traditiones eorum sicut ipsi quondam instituerunt obseruentur. 1. Cor. 11. laudo vos fratres, quia per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, pręcepta mea tenetis. In huius rei signũ adhuc in quibusdam Ecclesijs in diebus solemnibus leguntur prophetię in Græco, & Euangelia, in quibusdam festis. Huius etiam signum est, quod solemnia concilia, scilicet, Constantinop. Nicen. Antioch. Ephes. cælebrata sunt in Græcia, in quibus, ea quæ sunt de Missa maximè primitus sunt instituta, quamuis a Beato Gregorio resecatis quibusdam superfluis postea sunt ordinata, & ad hunc, quem modo tenet Ecclesia modũ sunt reducta.

De diuersa statione Episcopi & Sacerdotis ad altare. Cap. 26.

THurificato altare Sacerdos transfert se ad dexteram Altaris partẽ, & recitat Introitum vt diximus, imitaturque Christum ingredientem in mundum, qui prius ad Iudæos, quam ad Gentiles venit. Nam Iudæi propter legem in dextera parte fuerunt, Gentiles verò quasi in sinistra: quia Idola colebãt. Et quia Sacerdos (vt diximus) sic paratus repræsentat Christum, & ipse venit prius ad Iudæos, de quibus voluit nasci: ideo propter hoc, dicitur Introitus vsque ad Euangelium, in illa parte; sed quia Iudæi noluerunt obedire Euangelio, translatum est ad sinistram partem, idest, ad Gentiles: quia tamẽ in fine Iudæi credituri sunt, ideo iterum in fine Missæ fertur liber ad dexteram partem.

Circa verò stationem & sessionem, sciendum est, quod sessio est victoris sessio ergo Sacerdotis vel Episcopi rectè victoriam Christi significat: ter autem sedet. Prima sessio significat victoriam Christi contra diabolum, quia vicit illum post ieiuniũ: nam reliquit eum tentator, & accesserunt Angeli & ministrabant ei. Secundò cum sedet, significat illos tres dies, quibus Dominus sedit Ierosolymis in templo in medio doctorum, audiens & interrogans illos. Tertia sessio significat sessionem

post ascensionem ad dexteram patris.

Sedens autem stat conuersus ad populum, vt ostendat potestatem sibi a Deo esse datam, quod possit speculari & super intendere, qui stant in Ecclesia humiliter, qui superbę: animę enim ei commissæ sunt: & de illis est rationē redditurus Deo. Sessio verò ministrorum significat sessionem ipsorum, quibus dicitur sedebitis vos super sedes iudicantes duodecim tribus Israel, scilicet, illorum, qui iam in cælestibus regnant.

Qui verò in choro laborant significant illos, qui adhuc in mundo peregrinantur, vnde lectores & cantores ad officium surgentes, negotium Dei agunt: quibus dicitur negotiamini, dum venio. Luc. 19.

Episcopi autem & superiores cælebrantes, non ante Altare, sed remoti ab illo ad dextrum eius latus vsque post dictum offertoriū manent. Quod ideo fit primo ad repræsentandum, quod ex latere Christi qui per Altare designatur, initium nostrę redemptionis fuit.

Secundò, fit hoc non solum ad maiorem solemnitatem, vt per hoc a minoribus Sacerdotibus discernantur: verum etiam fit hoc, quia ipsi in Missa repræsentant non solum Christi dignitatem & excellentiam, aut eius oblationem, verum etiam humilitatem & obedientiam in ipsa sui oblatione, & consecratione. Siquidem Christus quantum ad sui dignitatem est Patri æqualis, & sedet a dextris Dei Patris: prout legitur in Symbolo: quod repręsentat prælatus stans ante oblationem ad dexterum latus Altaris. In sui verò oblatione Christus pro nobis factus est hostia: & ideo prælatus eius vices gerens ex tunc ipsi Altari, quod aram Crucis insinuat, debet totaliter inhærere.

Tertiò, quoniam prę latorum actus esse debēt subditis ad doctrinam: ideo vsque tunc manet ab Altari separatus: & ex tunc ad manus lauandum, purificandum, & sacrificandum ad Altare accedit, vt ostendat quæcumque in Missa procedunt solemnitates & laudes esse. de consec. dist. 2. panis est. Sed tunc deinde ad essentialia peragenda accedit.

Quartò in hoc repręsentat, quod legalis Pōtifex intrans in sancta sanctorum carbones ferebat, & sanguinem: quæ omnia significabant Christum offerendum postmodum in cruce.

Quintò ad repræsentandum, quod ait propheta: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, Donec ponā inimicos tuos: scabellum pedum tuorum. Sacerdos quidem Christum repręsentans sedet a dextris Altaris Deū patrem in hoc loco signantis, donec ad consecrādum hostiam accedat, per quam fracta sunt tartara: & inimici dæmones deuicti, & quasi scabellum pedum positi.

Notandum autem hic sunt duo, scilicet: quod Sacerdos faciendo Missam quare stat erectus: & quare ministri sunt stantes retro. Quantum ad primum, Sacerdos stat erectus faciendo Missam, primo, quia se habet vt mediator inter Deum & populum. Deus in altis habitat: populus verò est prostratus.

Sacerdos verò quasi medius est. Secundò, quia significat quod Christus, quem repræsentat, venit suas regere inuincibili doctrina. Respicit autem versus Orientem, quia Christus non suam, sed Patris quęsiuit voluntatem: nec respicit retrorsum: tum quia Christus semper Patris faciē intuetur, iuxta id: scio vnde venio, & quo vado.

Quantum verò ad secundum, Diaconus, & Subdiaconus retro illum ad Altare stantes, qui tamen in veniendo præcesserunt: significant martyres, qui in veteri testamento fuerunt, post Domini Natiuitatem digne coronantur: & ad quamcunque Altaris partem ille transierit ipsum retro stātes sequūtur:

tur: vt ostendat impletum esse quod Dominus admonuit dicens: Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sũ illic & minister meus erit. Intendẽtes semper atque solicitè in illum, ad notandum quod fideles quamuis adhuc in hac vita positi, tamen æternitati Christi semper intendunt.

Notandum secũdo, quod cælebrãs, dum cælebrat, puluinar molle Missali supponit, ad notandum, quod molle cor, & deuotum habere debet, vt facilius diuinam recipiat impressionem; & quod supponi debet iugo Domini, & cælestium præceptorum. Iuxta id Sap. Suscipiat verba mea cor tuum, & cæt. vt in eo Spiritus Domini requiescat.

Tertio notandum, quod cum Sacerdos cælebrat non solemniter, tunc sufficit vnus minister, qui seruiat. Anacletus Papa de consec. distin. 1. Episcopus statuit, quod Episcopus Deo sacrificans secum testes habeat Diaconos, qui oculi eius dicuntur, & Subdiaconos reliquosque ministros, &c. custodiẽtes eum a maleuolis hominibus, & consensum præstantes sacrificio. Et secundum lucium Papam de consec. distin. 1. iubemus. Eum non deserant, quia propter maleuolos oportet illum habere bonũ testimonium ab his, qui foris sunt.

De Gloria in Excelsis. Cap. 27.

Finito a choro cantu, Kyrie eleyson, surgit Episcopus adiuuantibus eum ministris assistentibus, cantat alta voce, Gloria in Excelsis Deo: ita habetur ex c remoniali ibidẽ. Si est Sacerdos ad altare intonat in medio altaris.

Quod surgat Episcopus a sede adiuuãtibus eum ministris, innuit id, quod cum in veteri testamento arcam Domini ferre solebant, antequam eleuaretur, canebant Sacerdotes, Exurge Domine adiuua nos, &c. Hymnus iste in Missa non est nouus: nã Thelesphorus Papa & martyr, qui vixit anno Domini 134. in Epistola prima ita ait: Nocte sancta Natiuitatis Domini saluatoris Missas cælebrent, & hymnum angelicum in eis solemniter decantent, quoniam & eadem noctè ab Angelis pastoribus nũciatus est. Et sanctus Damasus Papa in vita sancti Thelesphori ait: Thelephorus natione Græcus, hic fecit vt ante sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est, Gloria in Excelsis Deo. Hic autem vixit anno Domini 372.

Hoc in loco, vt supra diximus, prę̨paratur & disponitur populus ad orationem per rectam intentionem, qua propter intentio ad cælestem gloriam est dirigenda, quæ omnem humanam exceditrationem: & hoc fit per Gloria in Excelsis: vnde post Introitum & Kyrie eleyson, sequitur iste hymnus Angelicus, in commemorationem cælestis curiæ ad quam tendimus. Quare autẽ habet diuersas intonationes hymnus iste: vide infra in expositione primi articuli Symboli Niceni. cap. 44.

Episcopus vel Sacerdos intonat, Gloria in Excelsis, ex institutione Thelesphori Papę, quem Angeli auditi sũt decantare: sicut legitur in Euangelio Luc. 2. qui Angelorum hymnus prohibet testimonium Natiuitati Christi.

Sanè Sacerdos primus, & solus illũ inchoando intonat, qui Angelum magni Consilij repræsentat. Nam ortum Saluatoris solus Angelus cuius personam ipse gerit primo nunciauit, dicendo: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis: vsque enim huc ab Angelo est decantatum. Et secundum primam institutionem vsque ad eundem locum erat ab Episcopo vel Sacerdote incipiendum, ait Albertus: & statim in memoriam illius quod dicitur Luc. 2. facta est cũ Angelo multitudo cælestis exercitus laudantium Deum, incipit chorus, laudamus te, &c. De gestibus manuũ dicetur infra 1. c. de, particula, oremus

Sacerdos vero illum inchoãdo stat ante medium Altaris: in hoc commemorans, quod dum medium silentium tenerent omnia, natus est in medio, idest, pro hominibus Messias, quem prophetæ prædixerunt: qui fuit medius siue mediator inter Deum & hominem: repræsentans etiam, quod Angelus Christi Natiuitatem pastoribus annuncians stetit in medio eorum, & incipiens eleuat manus propter caussas dicendas infra.

Item, incipiens, vertit se ad orientem, tum, quia Angelus ab Oriente, venit in Bethleem; tum, quia ad Oriẽtem Dominum adorare solemus: vt præcipuè sunt omnes Ecclesiæ.

Hymnus autem iste non tantum est Angelorum, sed etiam hominum congratulantium ex eo quod pastor dimissis nonagintanouem ouibus in deserto, iam venerat, vt quæreret centesimam ouem omissam, scilicet, dimissis Angelis in cælo venit recuperare genus humanum per inobedientiam destitutum. Ante Christi Natiuitatẽ tres erant guerræ, prima, inter Deum & homines. Secunda, inter Angelum & hominem. Tertia, inter hominem & hominem. Homo namque per inobedientiam creatorem offenderat, & per suum casum Angelorum restaurationem impediuerat: atque per varios ritus se ab homine separauerat, Iudæus namque cæremonias excolebat. Gentilis, Idolatriam exercebat, sed veniẽs pax nostra, fecit, vtraque vnum, & destruxit has guerras, siue inimicitias. Abstulit enim Christus peccatũ, & reconciliauit hominem Deo, reparauit casum, & recõciliauit hominem Angelo: destruxit varios ritus: & reconciliauit hominem homini.

Restaurauit ergo secundum Apost. quæ in cælis, & quæ in terris sunt: & ob hoc illa cælestis militiæ multitudo psallebat: Gloria in Excelsis Deo, idest, in Angelis, qui nunquam peccarunt, nec cum Deo discordiam habuerunt. Et in terra pax Christo facta hominibus, videlicet, Iudæis, & Gentilibus bonæ voluntatis, qui vsque ad Christi Natiuitatem propter peccata sua cum Deo, & cum Angelis discordiam habuerunt.

Hinc est etiam quod Angelus loquitur & congaudet pastoribus: quia pax est inter Angelos & homines reformata: nascitur Deus homo: quia pax est inter Deum & homines restaurata: nascitur in præsepio, bouis & asini: quia pax est inter homines & homines reparata. Per bouem enim Iudaicus, per asinum Gentilis populus figuratur. Secundum illud. Non arabis in boue, & asino: Iudæo, scilicet, & Gentili. 16. quæst. 7. in noua. Et iterum, cognouit bos possessiorem suum: & asinus præsepe Domini sui. Sed cur per asinum figuratur populus gentilis? Dicendum, quia asinus est animal suæ voluntatis, & si percutiatur nihilominus nititur suo modo ambulare: ita Gentilis populus viuebat iuxta suam sensualitatem. Vel, quia asinus erat animal ad sacrificiũ inutile: ita populus Gentilis non sacrificabat seipsum Deo, sed dæmonibus. Ideo canitur hymnus iste, quia quem venerantur Angeli in cælis, homines venerantur in terris.

Per hoc, quod dicitur, *Gloria in excelsis Deo, &c.* repræsentatur mæstitia antiquorum patrum ex tædio expectandi incarnationem Domini: Isa. 28. Expectate Deum, & cæt. Et ideo in Missa cantatur etiam alleluia, quia habebant spem liberationis. Vnde dicitur: sperauerunt & liberasti eos. In hoc quoque hymno notatur spes Ecclesiæ, qua cum Angelis sperat se canere: vnde iam illorum canticum assumit.

Sequitur. *Laudamus te, &c.* quæ sequuntur addidit & composuit Thelesphorus Papa (licet quidam dicant esse cõposita à Beato Hylario Pitauien.) & ita tenet Alber. Magnus, & Innoc.

3. postmodum Symmacus Papa instituit quod, Gloria in excelsis, in festis Apostolorum Martyrum, & Virginum, ad Missam decantaretur: quia Sanctos per dominicam resurrectionem gloriæ Angelorum sociatos esse recolitur. Et etiam in festis confessorum: & generaliter in festis, quæ nobis solemnitatem repræsentant. In diebus vero luctus & ieiuniorum non dicitur. Fertur, quod Episcopus Bethleemitanus omni die, & omni Missa, & pro Defunctis ex abusu, Gloria in excelsis, decantat, pro eo quod hymnus iste, Luca testante, primo in Bethleemitana regione cantatus est. Quare non cantetur in Septuagesima, & Aduentu, dicetur infra de officio in particulari.

Dicitur autem hymnus Angelorũ, quia primam partem eius laudando cantauit Angelus: residuum autem factum quidem est ab homine, sequitur.

Laudamus te, scilicet, prædicando opera tua innenarrabilia. Vel, pro virtutibus nobis exhibitis: quia omne donum perfectum desursum est.

Benedicimus te, in bonis naturę collatis nobis, quæ sunt intellectus, ratio, sensus, vita, substantia, & huiusmodi, & in his quæ ista in nobis conseruant: sicut est sanitas, bona fortunæ, honor, fama, & huiusmodi.

Sed dicet aliquis, quod minus est, à meliori benedicitur: videtur ergo quod nobis Deus benedicere habeat, & non nos ipsum. Vnde dicitur Nu. 6. Inuocabuntque nomen meum super filios Israel: ego autem benedicam eis. Ad hoc dicendum duplicem esse benedictionem: vnam quidem sacrans illud, quod benedicitur; alteram autem quam laudem & pręconium dati & accepti nominamus. Et de prima dicitur, quod minus est, à meliori benedicitur, & ea benedictione nobis Deus benedicit, & ipsi Sacerdotes hoc modo benedicunt, vt patet ex consecratione Sacerdotum. Alia autem benedictione, qua bona Dei laudamus & prædicamus, nos Deo benedicimus, & nõ Deus nobis. De hac dicitur Iob 12. Benedicite Deum cæli & coram omnibus uiuentibus, &c.

Adoramus te, sicut veri tuæ maiestatis professores. *Glorificamus te*, propter magnificentiam tuæ liberalitatis. Dat omnibus abundanter & non improperat. Iacob 2. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Hæc autem gloria magna tua est propriè, quia alijs non debetur gloria nisi soli Deo, 1. Timoth. 1. Soli Deo honor & gloria. Et Isa. 42. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Vel *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*; idest propter vtilitatem nostram: nam gloria Dei relucet in sua misericordia erga nos peccatores & ideo iustificando peccatores, gloria Dei manifestatur; quasi dicat gratias agimus tibi, quia gloria tua est vtilitas nostra, eo quod nos de peccatoribus facis iustos, & de immundis mundos: & hæc est gloria tua, cum nemini nisi soli tibi hoc sit proprium facere, inquam, de malis, bonos. Agere namque gratias alicui est propter beneficium acceptum: non enim dicimus alicui Principi, ago tibi gratias, quia es Princeps gloriosus, sed quia accepi tale, vel tale beneficium: sic in proposito agimus (dicimus;) gratias Deo propter magnam gloriam suam, quæ redundat in vtilitatem nostram, quia iustificatio impij est gloria Dei vt diximus.

Domine Deus rex cælestis, Deus Pater omnipotens. Tanguntur attributa personarum. Et primo ea quæ sunt Patris. Secundò, quæ sunt Filij. Tertiò, quæ sunt Spiritus sancti.

Dominus pater est, de quo dicitur Hester. 13. Dominus vniuersorum tu es. Et Matth. 11. Confiteor tibi pater Domine rex cæli, & terræ. Omnipotens est. Luc. 1. Non erit impossibile

apud Deum omne verbum. Et Genes. 18. Num Deo quicquam erit difficile?

Domine filij vnigenite Iesu Christe. Tanguntur attributa filij: Vnigenitus enim est. Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. Ioan. 3. & 1. Ioan. 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis quoniam vnigenitum suum misit Deus in mundum. Et Hebr. 1. Quem constituit hæredem vniuersorum per quam fecit & secula.

Domine Deus Agnus Dei filius Patris. Tangit hic totum modum saluandi. Saluauit enim potenter, mansuete, & obedienter. Patēter vt faceret opus salutis efficaciter. Mansuete, vt laudabiliter. Obedienter, vt salus nostra habeat authoritatis in contradicibilitatem. Primum tangit, dicens; *Domine Deus*, qui potens est ad saluandum. Secundum per hoc quod dicit: *Agnus Dei*, qui mansuetus est ad patiendum. Tertium tangit, dicens: *Filius Patris*, qui obediens est patri ad soluendum pretium pro adæ debito. Domine, qui potens. Deus qui sapiens es, & cuncta prouidens. Agnus propter mansuetudinem patiendi. Dei autem ideo, quia in passione fuit sacrificium.

Qui tollis peccata mundi miserere nobis. Tangit opus sanctificationis. Peccatum autem mundi, est peccatum originale, quod totum mundum inficit per priuationem originalis iustitiæ, quod quamuis vnum fuerit in origine; tamen multiplicatum est in vitiosa propagine, quia & omnes inficit, & quemlibet multis modis. Et ideo dicitur pluraliter peccata mundi. Vnde & Psalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. subiungitur imploratio misericordiæ Dei cum dicitur; *Miserere nobis:* vt scilicet, valeat nobis redemptio in hoc quod de peccato mundi inficit. Hoc enim malum, nascentes omnes sine gratia consumpsit, vt dicitur Ephes. 2. omnes nascimur filij iræ: quia ira consumpti essemus; nisi misericordia redemptionis por nobis soluisset.

Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram, idest, suscipe in passione tua, qua pœnam soluisti pro nobis, nostram depræcationem qua corde, ore, & opere petimus mala nostra amoueri à nobis: quia aliter non possunt amoueri. Psalm. 63. Exaudi Deus & cæt.

Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis. Tangit opus glorificationis, sedere enim est, qui escentis post laborem redemptionis. Sedere autem ad dexteram summi Patris est regnantis; hoc est in patris regnantis æqualitate: Seddet enim ibi in altissimis & potissimis. In altissimis, ad regnandum. In potissimis, ad fruendum. Ideo imploramus misericordiam vt ab exilio liberemur, & cum ipso in regno collocemur dicentes: *Miserere nobis*, misericordia tollente omnem huius exilij miseriam, & in æternam fælicitatem constituente.

Quoniam tu solus Sanctus, quasi dicat tu tollis peccata mundi, *Quoniam tu solus es Sanctus.*

Tu solus Dominus. Et ideo solus potest conferendo gratias gratificare. Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.

Tu solus Altissimus: & ideo solus potest exaltare & glorificare. Psalm. 8. Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Cum sancto Spiritu. Tangit propriū Spiritus sancti. Et duo tanguntur, scilicet, proprium personæ, & id quod conuenit tribus in vnitate essentiæ, Spiritus enim sanctus nexus est, & cōsensio, & dilectio, & delectatio patris & filij. Sicut ait Aug. est autem nexus, qui totum cōnectit corpus mysticum cum capite. Et propter hoc præcipit Missale in hoc loco vt Sacerdos signet se a fronte ad pectus tantum, quia nexus & connectit totum corpus (vt diximus)

ximus) cum capite. Vel propter causas supradictas in cap. 15.

In gloria Dei patris. Hoc respicit secundum, scilicet, vnitatem essentiæ in tribus personis. Dicitur autem in gloria: quia tres personæ sunt in vna & eadem gloria: quæ tamen dicitur Dei patris: quia in patre est principium totius diuinitatis. Et à patre habet filius, quod est in gloria. Et à patre, & à filio habet Spiritus sanctus, quod est in gloria. Rom. 11. Ex ipso, & per ipsum, & cum ipso sunt omnia. Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Amen. Quamuis hæc dictio aliquando interpretatur fiat; vt ibi: & dicet omnes populus fiat fiat. Hebręus habet, amen amen. Et licet aliquando idem est, quod vere aduerbialiter. vt Io. 6. Amen, amen dico vobis, idest, verè verè dico vobis in aliquádo accipitur pro verum idest, idem est quod, verum, vel veritas; vt hic: & Apocal. 3. Hęc dicit, amen testis fidelis & verus: idem est ergo, quod verum; & est responsio idiote ad ea quę cantata sunt. Et est, ac si dicat populus, Amen, idest, quod cecinistis, est verum. Thalmudici dicũt triplex esse Amen. Pupillum, surreptitium, sine furtiuum, & sectile. Pupillum, Rab. henna interpręratur, cum quis pręcatione tenetur, nec intelligit quid respódet. Surreptitium, cum surripit & dicit, amen, antequam absoluatur pręcatio. Sectile, cum secat in duas partes, nempe oscitanter audiẽs & alias rés agens. Vtinam (ait Canninius) Christiani in Ecclesia, amen, non pupillum, non furtiuum, non sectile; sed pium ac legitimum responderent: quia sic attentius audirent sacra.

De salutatione ad populum. Cap. 28.

F*Inito hymno angelico & organo cessante, surgit Episcopus deposita mitra, &c. surgentibus omnibus, & stans versus populum, eleuatis, & statim iunctis manibus cantat, pax vobis.* Ex cęrem. *Si est Sacerdos dicto hymno, Gloria in excelsis, calebrans osculatur Altare in medio, manibus hinc inde super illo, vt supra extensis, tum iunctis ante pectus manibus, demissis ad terram oculis, &c.* Rit. 5. num. 1. ex Missali. Oraturus Episcopus mitram deponit; quia vir secundum Apost. 1. Cor. 11. reuelato capite debet orare, quatenus inter ipsum & Deum nullum malitię sit velamen, vt reuelata facie, Domini gloriam contempletur.

Sacerdos siue Episcopus salutat populum, quia ad illum loquitur, & ideo se vertit, dicens; Dominus vobiscum; hoc autem facit, quia sequitur oratio ad Deum pro populo effundenda, quam proponit Sacerdos dicendo; Dominus vobiscum: quod sumptum est ex libr. Ruth. 2. Sic enim legitur Booz salutasse messores suos; & messores responderunt ei; benedicat tibi Dominus idque faciebat Apostol. & Propheta in Paralip. Asa regem, & qui cum eo erant; & Angelus salutãs Gedeonem, dixit; Dominus tecum. Booz quidem figuram saluatoris expressit, qui Ruth. Moabitem duxit vxorem. Et hęc salutatio significat salutationẽ, quam Christus fecit Apostolis post Resurrectionem.

Notatione dignum est, quod in omnibus orationibus Missę Sacerdos pręmittit, Dominus vobiscum: quæ præcedunt Prophetias, vel etiam orationes super populum in Quadragesima: & nisi in orationibus, quæ immediatè sequuntur post primam orationem: & in illis quæ dicuntur in parasceue.

Cum enim per dictã salutationem optetur, Dominum esse cum populo, qui est in eo per spiritũ gratiæ septiformis; ideo Ecclesia ordinauit septies tãtum in Missa populum salutari, vt iam dicetur. Et ideo in præmissis tantum orationibus dicitur. Præmittitur tamen alijs exhortatio ad humiliationem,

nem, per flectamus genua: vel per, humiliate capita vestra Deo; quia oratio, quæ cum ieiunio est facienda ad malignum spiritum eijciendum, tunc demum valet, si fiat cum humilitate.

Rursus, in diebus ieiuniorum Ecclesia repræsentat tempus Babylonicæ captiuitatis: merito ergo Sacerdos tūc populum vt pote absentem non salutat; nec se ad illum conuertit: sed absolutè incipiens oremus, insinuat pro illo fore orandum: & quia oratio debet fieri cum affectu, mox subijcitur, flectamus genua; vel, humiliate capita vestra Deo.

Repręsentat etiam tempus Dominicæ passionis, quod pręcipuè post cęnam cum discipulis factam incæpit: quia ergo tempore illo Dominus discipulos suos non salutauit; sed eos pluries ad orandum excitauit; ideo Sacerdos tunc non salutat populum, sed ei orare insinuat. Et quia etiam tempore illo Christus in oratione, genua flexit, ideo mox ad flectendum genua inuitat. Dicit autem flectamus genua in persona vniuersitatis omnium fidelium, quasi omnium Syndicus seipsum includens; & ideo loquitur in prima persona excitans se, & omnes ad orandum humiliter & deuotè: sed mox subijcit, leuate, in persona alterius, scilicet, Christi, & in dissimili cantu: surgite, propterea quod humilitatem vestram, atque deuotionem, ego video; & tunc vice omnium loquitur, sic orat. Hæ autem collectæ quæ dicuntur post flectamus genua, quid significent, dicetur infra in feria quarta Cinerum. Alijs vero diebus Ecclesia tempus exultationis, quod præcipuè fuit post Christi resurrectionē, repræsentat; & tunc Sacerdos populum salutat, vt præmissum est, quod Dominus post resurrectionem discipulos salutauit, dicendo; pax vobis.

Sacerdos ergo ante orationes præmittit, Dñs vobiscum, vt populum reddat attentū. Et est sensus, Dominus vobiscum, idest, in vobis maneat, & vos præmio vitæ æternæ remuneret. Chorus vero & populus respōdet; Et cum spiritu tuo, quod sumptum est ex Epistola 2. ad Timot. vltimo, vbi dicitur: Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo.

Huiusmodi mutuæ salutationes, notāt, quod sacerdotis & populi vnus debet esse affectus, & est sensus: Tu pro nobis facturus es præces ad Dominum; & quia Dominus Deus præces illas tantum approbat & exaudit, quæ ex puro & bono corde procedunt; oramus & nos similiter pro te, vt ille, sine quo nullum est purum & bonum, sit cum spiritu tuo; vt qui tecum est in ore, sit & in corde; & in te maneat. Et secundum hoc cessat dubitatio quærentium, quare populus respondet, Et cum spiritu tuo.

Sed dubitaret fortè aliquis, quare differēti modo populus resalutat; non enim dicit, Dominus sit tecum; vel aliquid huiusmodi; sed dicit; Et cum spiritu tuo. Huius autem sunt tres causæ, quarum prima est, quia Sacerdos stans ante Altare totus debet esse in spiritu. Secunda est, quia spiritus hominis frequenter errat. Tertia causa est, quia in Altari totum demonstratur esse opus virtutis spiritus. Stans enim ad aram nihil debet esse, nisi spiritus, & nihil sentire de corpore, vel de solicitudine sæculi; & hoc signatum est Genes. 22. Vbi Abraham perrexit immolare filium, dixit ad seruos suos, expectate hic me, cum asino; ego & puer illuc vsque properantes, cū adorauerimus, reuertemur ad vos. Serui sunt solicitudines, & curæ de necessarijs huius vitæ. Asinus autem est animal pigrum & indisciplinabile, oneriferum tamen est; pondus corporis, quod pigrum est & indisciplinabile; sed tamen portat onus laboris. Puer autem est spiritus purus; Patriarcha autem est loco Sacer-

cerdotis: & ideo curis & solicitudinibus, & oneri corporis licentiam debet dare Sacerdos immolaturus filium Dei, & cum solo spiritu ad Altare ad immolandum procedere: & ideo dicit populus: Et cum spiritu tuo. Vnde legitur etiam de D. Bernardo, quod ad Ecclesiam pergẽs oraturus, ad ianuam Ecclesiæ dicebat baculo suo, expectate hic curæ meæ: & ita baculum ad portam templi sinebat.

De secundo, scilicet, quod non erret spiritus Sacerdotis in tanto Sacramento, sed Dominum habeat se dirigentem; patet 2. Reg. 7. quia cum Nathan Propheta suo humano spiritu dixisset: ad Dauid, Omne, quod est in corde tuo, vade & fac: quia Dominus tecum est: statim correxit Dominus dicens; Non ædificabis mihi domum. Spiritus enim hominis sæpè decipitur, & ideo in tanti sacramenti confectione, Dominus cum spiritu Sacerdotis esse optatur, ne decipiatur Deuteron. 32. Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.

Tertia causa est, quia totum, quod in Altari fit, est virtute spiritus; & ideo cum spiritu optatur esse, Dominus Ioan. 6. loquens de Sacramento Altaris, ait; spiritus est, qui viuificat, caro autem non prodest quicquam. Episcopus autem ad sedem salutat, & hoc fit ad differentiam minorum sacerdotum. At dicet fortè aliquis; quare Episcopus dicit pax vobis? Ad hoc dicẽdum est, quod Episcopus, vel eius superior, qui perfectus esse debet, & expressam Christi similitudinem gerit; vt se vicarium Christi ostendat, prima vice vtitur verbis Domini dicentis; Ioan. 20. Pax vobis, quæ fuit prima pax Domini ad Discipulos, quando apparuit eis post resurrectionem. Postea vero ad instar cæterorum Sacerdotum, dicit; Dominus vobiscum; vt se vnum ex ipsis ostendat. 95. distinct. Olim. Et Chrysost. homil. 33. in Matt. Cum, pax vobis, inquit, dicimus, & vos dixeritis; Et spiritui tuo; voce non tantum, sed animo quoque responderitis, non ore magis, quam mente proferentes.

Est tamen aduertendum, quod tũc, pax vobis, ab Episcopo dicitur, quando cantatur, Gloria in excelsis; & hoc ideo fit, vt correspondeat ei, quod ibi dicitur, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Præterea, hæc salutatio à Christo tempore gaudij, scilicet, resurrectionis, ad discipulos facta, illi cantico lætitiæ correspondere debet. In Missis vero priuatis, quas alijs diebus, vel temporibus dicit, vel etiam quæ ab inferioribus dicuntur, Christi passio figuratur & plãctus, atque afflictio conformatur. Et ideo in illis, Pax vobis, non dicitur, ne gaudium cum dolore misceatur.

Potest etiam dici, quod per Christum facta est pax inter Deum & hominem; & inter Angelos & homines, quod manifestauit Angelus, quando in Natiuitate Christi cantauit; Gloria in excelsis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Pacem vero inter Deum & homines manifestauit Christus, quando post resurrectionem dixit Apostolis; pax vobis, hæc repræsentatur in Missa; primum per quemlibet Sacerdotem, qui potest cantare, Gloria in excelsis Deo, Angelum repræsentans. Secũdum per Episcopum, qui solus dicit, Pax vobis, repræsentans Christum, qui in persona Ecclesiæ dixit Apostolis, pax vobis; vtrumque autem dicit Episcopus solemniter cælebrans, quia vtrumque scilicet, Christum & Angelum repræsentat. Ipse enim specialius est Christi Vicarius, quam simplex Sacerdos; Et ideo cum omittit officium Angeli, scilicet, tẽporibus, quibus cantica lætitiæ subticentur, vt Te Deum, Gloria in excelsis, omittit similiter, ad hoc, officium Christi, non dicens; pax vobis, sed Dominus vobiscum, sicut simplex Sacerdos. Non enim per Episcopum, qui re-

præsentat Christum & Angelum, vna pax sine altera nunciatur. Idem etiam est in, Ite missa est, quod non dicitur, nisi dicatur, Gloria in excelsis Deo.

Sanè Diaconus recitando horas, nō dicit, Dominus vobiscum, eo quod non ita gerit typum Christi, qui per Booz hac salutatione vsus est; sicut Sacerdos, qui ea in persona Christi vti tur; legens tamen Euangelium, hoc dicit; quia tunc fungitur officio prædicatoris; & pronunciat doctrinam ab ipso Episcopo immediatè prolatam; & etiam cereum paschalem benedicens; quia tunc Christi resurrectionem repræsentat. Nonnulli tamen dicunt, quod in horis recitandis, potest dicere, Dominus vobiscum, fulti hac ratione, quia prohibitum non reperitur; tamen generalis vsus Ecclesiæ contradicit, vt se inferior sacerdoti cognoscat. Notandum est, quod septem vicibus populus salutatur in Missa, quatenus exclusis septem vitijs capitalibus, suscipiat gratiam septiformem. Mysterium enim Missæ, ad septem dona spiritus sancti refertur, ait Durandus. In prima salutatione spiritus sapiētiæ intelligitur, quia sapientia intrauit in hunc mundum, vt saluaret nos. In secunda, spiritus intellectus; ideo enim prædicauit vt doceret nos. In tertia, spiritus consilij; hoc enim secreto Dei consilio se passioni obtulit, vt redimeret nos. In quarta, spiritus fortitudinis, quia pendens in cruce diabolum expugnauit, vt redimeret nos. In quinta, spiritus scientiæ; quia resurgens, discipulos salutauit, & eis sensum aperuit, vt erudiret nos. In sexta, spiritus pietatis; quia sola pietate humanam naturam super astra leuauit, vt exaltaret nos. In septima, spiritus timoris; quia Angeli tremēt, cum ad iudicium venerit, vt glorificet nos.

Cæterum in qualibet salutatione, im utatur officium Missæ; & de vno officio ad aliud transitur; quare merito salutatio præmittitur. Cum enim ad operarios nouiter ingredimur, eos salutare solemus; & secundum hoc septem officia sunt in Missa.

Verum, licet eis, quos salutamus, faciem regulariter repræsentemus; tamen in quatuor duntaxat ex præmissis salutationibus sacerdos se ad populum conuertit. Nam in illa salutatione, quæ fit ante Euangelium, non se conuertit; quia iam intentus est ad verba Dei annuncianda; nec in illa, quæ fit in principio præfationis; quia iam intentus est ad sacrificium Altaris tractandum; nec etiam in illa, quæ fit ante osculum pacis, quia tunc tenet corpus Christi in manibus, & habet cor sursum ad Deum; & omnino intentus est ad illud reuerenter tractandum. Nemo .n. mittens manum ad aratrū, & respiciēs retro; aptus est regno Dei extra. de vo. magnæ.

Quinque autem conuersiones ad populum, (enumerata illa, orate fratres,) significant quinque apparitiones, quas Christus fecit discipulis suis in die resurrectionis. Prima fuit Mariæ Magdalenæ, Ioan. 20. & Matt. 28. & Mar. 16. Secunda eidem & alijs mulieribus redeuntibus de sepulchro, quando dixit eis, auete; Matth. ibidem. Tertia, Petro. Quarta, duobus Discipulis euntibus in Emaus. Quinta, in domo, decem discipulis, absente Thoma, Ioan. 20. Sed quia altera illarū manifesta non fuit, videlicet, quando primo apparuit Magdalenæ; vel secundum alios, quando apparuit Petro; quia, inquam, ignoratur quando, aut vbi, ideo Sacerdos, dicendo; orate fratres, non ita alte, vt facit ad Dominus vobiscum, intonat. Fuerunt & aliæ apparitiones de quibus nihil spectat ad præsens.

Non est omittendum, quod Sacerdos vertit se ad populū ad dexteram, & per eandem se ad altare reuoluit, quasi isto facto, dicat; Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtu-

tem

tem. Secundo ad designandum, quod in sepulchro Domini, Angelus à dextris sedebat. Tertio, vt per hoc sacerdos innuat, se rectam, & obtentam habere intentionem pro se & pro populo ad cælestem patriam, quæ per dexteram signatur: iuxta id Cantic. 2. Dextera illius amplexabitur me. Veruntamen, quando Sacerdos, dicit; Orate fratres; se reuoluit ad sinistram; iuxta illud Psalm. 26. Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, &c. præparans se ad immolandum quendam facit circulum; se igitur conuertit tunc ad sinistram, quæ imperfectior & infirmior est ad notandum imperfectionem cuiuslibet Sacerdotis præter Christum. Hinc est, quod prædicta verba dicendo, obsecrat tanquam imperfectus & peccator & indigens aliorum auxilio sibi impendendi ab alijs, siue beneficio orationis.

Insuper, tunc reuoluitur ad sinistrã, vt per hoc significet tristitiam de Christi passione, ad quam repræsentandam statim intendit. Tristitia enim rectè per sinistram significatur: iuxta illud Apostoli; A dextris & a sinistris; per gloriã & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam.

Istæ reuolutiones, a Sacerdore fiunt ante medium Altaris; iuxta id. In medio Ecclesiæ aperuit os suum. In quo & illud commemoratur, quod Redẽptor noster, iuxta Salamonem Cantic. 3. corpus suum media charitate constrauit propter filias Ierusalem.

De particula Oremus. Cap. 29.

DEinde *conuersus ad Altare, extensis, & statim iunctis manibus dicit; Oremus:* ex cęrimonial. ibidem. Missale autem ita ait: Rit. 5. num. 1. *Iunctis vt prius manibus reuertitur per eandem viam ad librum, vbi extendens & iungens ante pectus manus, caputque cruci inclinans, dicit: Oremus Episcopus idẽ facit, sed suo loco.*

Hic notatione dignum est, quod quidam dicto, Dominus vobiscum, ad Altare reuoluti, dicunt; Oremus stantes ante medium Altaris per hoc se insinuantes in loco manifesto, & populo conuenienti orare, scilicet, ante medium Altaris: & quod populus debet de medio cordis orationes ad Deum effundere.

Alij vero ad dextrum cornu Altaris, vbi orationem proferre debent, (veluti etiam videtur innuere Rubrica Missalis) dicunt, Oremus; vt sic inter orationem, & insinuationem nullum actum alium interponant: & vt ibi præcedat orãdi insinuatio, vbi mox subsequi ipsa oratio, & orantis populi esse debet intentio.

Sanè Pontifex vel Sacerdos dum orare, seu orationem dicere incipit, scilicet in hac dictione, Oremus; manus eleuat, & extendit: iuxta illud Hebr. 12. Manus remissas erigite, & genua debilia roborate. Hoc sumpsit exordium à lege. Legitur enim 3. Reg. 8. quod Salomon stetit ante Altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel: & expandit manus suas in cælum orans pro populo. Et Genes. 4. Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum. Eleuatio autem ipsa repræsentat, quod Christus eleuatis manibus ferebatur in cælum. Vel. eleuat manus ad instar Saluatoris in Cruce pendentis. Vnde dicitur. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Extensio vero manuum ideo fit: nã Christus cum expandisset manus in Cruce, pro persecutoribus orauit, dicens; Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt; moraliter instruẽs: quia Christus sẽper paratus est recipere pęnitẽtes; iuxta id quod promisit. Omnis qui venit ad me non eijciam foras.

Hinc elicitur, quare cum Episcopus, vel Sacerdos recitat orationem, id faciat extensis manibus. Romanus Pontifex, & item Episcopi dum recitant huiusmodi orationem, seu collectam,

habent ministros astantes, qui sustentant manus eorum, tum propter grauitatem; tum etiam, quia hoc habet suã expositionem. Legitur enim Exod. 16. Et habetur dist. 36. si quis. quod dum Israel pugnaret aduersus Amalech in deserto, Moyses ascendit super verticem collis, Cumque eleuaret manus vincebat Israel: Si vero paululum remisisset, Amalech populum superabat. Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Ex his patet quod huiusmodi eleuatio sumpsit Exordium a veteri lege.

Sensus vero allegoricus sic est. Cum verus Moyses, idest, Episcopus eleuat manus, idest, impẽdit auxilium & solatium, vincit Israel, idest, Ecclesia. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Roma. 8. Sin autem paululum manus remittit, idest, si peccatis exigentibus subtrahitur auxilium & solatium, superat Amalech, idest, Diabolus. Quia non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis: ibidem 9. Quia vero Christus promisit Ecclesiæ: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi: ob hoc Aaron, idest, Mons fortitudinis, & Hur, idest, ignis charitatis, sustentant manus ipsius, vt in fortitudine ferat auxilium, & ex charitate solatium, ne manus eius lassentur vsque ad solis occasum, idest, vsque ad finem mundi. Sicque Iosue duce, idest, Christo ductore Israel fugat Amalech & populum eius, idest, Ecclesia superat diabolum & exercitum dæmonum in ore gladij, idest, per virtutem orationis. Gladius enim est verbũ Dei. Si quis ergo vult orationis virtute superare diabolum, debet eleuare manus, idest, actus ad Deum, vt eius conuersatio sit in cælis. Vnde demissas manus erigite, & genua debilia roborate. Nam eleuatio manuum, est sacrificium vespertinũ. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna; fides autem sine operibus mortua est. Leuemus ergo puras manus sine disceptatione, quærentes quę sursum sunt, non quæ sunt super terram, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Causa introductionis huius particulæ, Oremus, hæc est. Antiquitus enim priusquam Episcopus sederet, salutabat populum dicens: Pax vobis: & populus aiebat; & cũ spiritu tuo. Postea Episcopus admonebat populum dicẽdo, oremus; deinde populus orabat aliquãtulum in silentio; post orationem, Episcopus breui collecta quasi collegisset omnium orationes, illasq; diuinæ Maiestati offerebat. Et ita etiam ob hanc causam, oratio dicitur collecta.

De oratione seu collecta. Cap. 30.

SAlutatione & insinuatione pręmissa subijcitur oratio, vt Dominus aperiat audientium corda ad instructionem percipiendam, & ad dignè suscipiendam oblationem Sacramenti, secundum id 2. Thessal. vltim. Orate pro nobis vt sermo Dei currat. Orationes introductę & editę fuerunt primo a Gelasio Papa anno Domini 492.

Circa orationem tria sunt notanda, scilicet, nomen ritus, & conclusio. Nomen, dicitur oratio, & collecta. Oratio autem dicitur ab orando, eo quod per eam a populo bona corporis & animæ orando petuntur. Vel. secundum Cassianum, Isidor. & Bernard. Oratio dicitur quasi oris ratio; vt, scilicet, rationabile petatur, alias non esset oratio. Aug. de verb. Domini, ait: Oratio est quædam petitio. Alibi dicit; quod est pius mentis affectus in Deũ, & plerumque ne pigritetur in vocem prorumpens; & colligitur de consecr. distinct. 1. quando autem. Vel. Oratio, secundum glos. de reliqu. & vener. sanctorum; est congeries vocum in Deum tendentium ad aliquid impetrandum. Et secundum Damasc. est ascensus intellectus in Deum. Vel. petitio ducentium ad Deum. Vel. petitio descendentium a Deo. 20. dist. c. fin.

Orat

Orat enim Sacerdos pro bonis, vt adsint, & pro malis, vt absint. Designantur autem orationes in Apocaly. per fumum aromatum, qui ascendit in conspectu Domini de manu Angeli: Christus enim, verus homo propter nos passioni deditus, cuius illa vox est, holocausta etiam pro delicto non postulasti, tunc dixi, ecce venio; semper pro nobis orabat; quia secundum Apostol. Hebr. 5. Exauditus est in omnibus pro sua reuerentia.

Sanè Sacerdos dum orat ad dexteram consistit altaris: iuxta illud Exod. 30. Deprecabitur Aaron super cornu Altaris, & placabit super eum in generationibus suis, in hoc illud significās, quod fuerat prophetatum. Deus ab Austro veniet. Christus enim Iudæos docuit, ad quos a patre missus fuit: quia dextera Iudæos, Gentiles sinistra figurat. Et quoniam lætitia per dexteram, tristitia verò per sinistram designatur: idcirco ad dexterā altaris partem primum accedit, vt gaudium Dominicæ Natiuitatis ostendat. Deinde lecturus Euangelium ad sinistram cōuertitur, vt tristitiā passionis insinuet. Sed iterum redit ad dexteram, vt gaudium resurrectionis annunciet.

Romanus verò Pontifex oraturus ad sedem post altare, vel alius Episcopus ad latus Altaris ascendit: & stans, orationem, seu collectam pronunciat, quam in libro apertè legit, & deinde sedet: quia sicut Euangelista testatur, venit Iesus in Nazareth, vbi fuerat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem diei Sabbathi in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est ei liber Isaiæ Prophetæ: quem vt aperuit, inuenit locum, vbi erat scriptum: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me: &c. cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Moratur autem ibi vsque ad offertorium, vt diximus supra.

Vocatur, oratio ista, etiam collecta. Ratio autem huius nominis est (præter ea, quæ supra dicta sunt.) Vel, quia colligit petita populi, quæ Sacerdos conscius secretorum colligit, & offert Domino. Vel, quia tales fiebant pro populo, dum colligeretur ad communionem Domini cælebrandam. De prima ratione dicitur Tob. 12. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos; ego orationem tuam obtuli Domino. Hoc dicit Angelus: &c. nos supra ostēdimus, sacerdotem Angelum Domini exercituum esse. Secundò modo dicitur collecta, quia cum dicitur vel recitatur, populus colligitur.

Notatione dignum est, quod tribus modis populus colligi habet ad orandum, scilicet, quando partita in vnum colligit: hoc est in Deum corda colligit, quæ in multum sunt diuisa. Vnde Augu. lib. 4. confess. ait: In omnibus, quæ mente percurro non inuenio tutū locum animæ meæ præter te Domine, in quo colliguntur sparsa mea. & Mat. 12. dicitur: Qui nō colligit mecum dispergit. Opus enim Dei semper in colligendo est, & opus diaboli in dispergendo.

Secundò, collecta dicitur, quia populus colligitur in vnum cor; & in animā vnam. Psal. 101. In conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant Domino. Congregate illi sanctos eius, qui ordinauerunt testamentum eius. Testamentum enim est promissio Dei, suo sanguine confirmata. In Vrbe nāque quælibet Ecclesia stationalis habet aliquam Ecclesiam sibi vicinam, in qua colligitur populus die stationis, & ibi dicitur collecta super populum collectum: & inde omnes simul ad Ecclesiam, in qua fit statio accedūt. Vnde in Concil. Agaten. de consecr. dist. 5. conuenit. in fine: dicitur, quod plebs collecta oratione, ad vesperam dimittatur ab Episcopo cum benedictione; & est sumptum hoc nomen de Leuitico, vbi Scenophegia, quæ est vltimum festorum legalium, collecta vocatur: pro eo, quia in fructuum collectione

ctione fiebat; & figurabat futurā operum nostrorum collectionem, cum diceretur ecce homo, & omnia opera eius cum eo.

Dicitur iterū collecta corporis mystici, quæ sic in vnum commiscetur, sicut corpus Christi ex multis granis, & sanguis Christi de multis vuis. Psalm. 110. In consilio iustorum & congregatione; Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Nulla enim sunt maiora opera Domini, quam incorporari sanguini Christi, & corpori, & ipsi Christo: Hoc signatum est Neem. 8. vbi dicitur quod cōgregatus est populus, quasi vir vnus, ad audiendam legem. Et Genes. 49. congregamini filij Israel; congregamini & audite patrem vestrum. Hic, ergo de causis vocatur collecta, ipsa oratio, quæ primo dicitur in Missa. Vnde nota hic quod habito verò sensu literali, seu historiali Euangelij, & consequenter totius Missalis officij; moralis sensus de instructione populi in promptu erit: nam ad eum aliqualiter insinuandum D. Greg. post suos cantus adiecit orationes seu collectas moraliter applicātes cantus illos ad fideles præsentes instruendos. Prima enim oratio explicat sensum moralem Introitus. Secreta, sensum moralem offertorij. Finalis verò, eundem sensum communionis.

Ritus autem harum collectarū est, quod primo erant collectæ confusæ, & quilibet Sacerdos, vel Episcopus faciebat, & dicebat collectas, quas volebat. Sed postea in Cōcilio Aphricano, cui B. August. interfuit, statutum est, quod nulla in Missa diceretur oratio, nisi, quæ sacro esset approbata Concilio. Postmodum autem Gelasius Papa videns, quod multimodæ erant, & differentes collectæ, etiam, quæ eadem die dicerentur in diuersis Ecclesijs: resecauit superfluas, & quasdam immutauit in alias, & ordinauit, vt vbiq; in Missis esset conformitas. Postremo veniens B. Greg. videns quod in numero collectarum Sacerdotes modum excederent, ordinauit officium: multa resecans, mutans, & apponens: statuit vt impares dicerentur numero, vna, vel tres, vel quinque vel septem, & vltra septenarium nulla diceretur: nōnulli assignant rationem dicēdo, quod impari numero gaudet Deus; quia diuisionem in omnibus detestatur Deus Ose. 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt, & impar numerus, vt ait Pytagoras, est qui in duo æqualia diuidi non potest. Non debent ergo esse multæ orationes, quia cum dixissent Apostoli Christo. Doce nos orare: cōpendiosam eos docuit orationem, scilicet, Pater noster, qui es in cælis, &c. Mat. 6. & ibidem dicit: Orantes autem nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt, qui putant in multiloquio exaudiri. Idē Mar. 12. ait de scribis & Pharisæis; quod comedunt domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis. Et ideo præcipit etiam B. Benedictus in sua regula, quod omnis oratio in conuentu breuis sit, ne tedium audiētibus generetur, & deuotio impediatur; quia vt ait Augu. ad Probam; multum loqui in orando, est rem necessariam superfluis agere verbis, cum plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agatur: ideo monemur ad breuiloquium: nam vt dicunt sancti, frequens & breuis debet esse oratio: ne immorantibus nobis aliud cordibus nostris inserat inimicus.

Qui autē infirmi sunt non desinant propter hoc orare, vt faciebat D. August. cui in ægritudine constituto & in grabato oranti Dominum, dixit diabolus: Augustine orationes tuæ sunt bene calidæ: ad quem ille: si sunt nimis calidæ, sufla eas. Ad quod verbum tacuit diabolus. Hæc Possidonius ex vita B. Augu. Si ergo licuit Aug. in grabato iacenti, & decumbenti orare Dominum, cur etiam non licebit & mihi? Nunquid non melius est, tunc in diuinis laudibus tempus occupare, quam corpo-

corpori vacare, vel aliquid aliud turpe cogitare?

Quare autem sit vna, vel tres, & cet. multæ possent adduci rationes: vna ad significandum vnitatem fidei; tres ad significandum Trinitatis mysterium, & quia ter Christus in passione orauit. Et sic de alijs.

Quis autẽ dicere debeat collectas, nulli dubium est, quod debet esse Sacerdos; nam Sacerdotes sunt mediatores inter Deum & populum, ideo stant erecti, & non genuflexi, quasi inter cęlum, & terram.

Et quoniam quædam sunt spectantia publicè ad populum, sicut sunt orationes, & gratiarum actiones, quędam priuatim, quæ ad officium eius tãtum spectant, vt consecrationes; & huiusmodi orationes, quas ipse pro populo facit, in omnibus pręmittit, Dominus vobiscum, vt diximus; vt mens populi Deo coniungatur: & quia populus in his, quæ ad Deum pertinent, Sacerdotem ducem habet; ideo in fine cuiuslibet orationis populus consentit, respondens; amen; vt dicetur; propter quod & omnis oratio altè terminatur, etiam si priuatim fiat. Ideo in principio præfatij dicitur alte, per omnia sęcula sæculorum.

Cauendum est etiam, quia si collecta pro defunctis intermisceatur in Missa, quæ dicitur pro viuis; non finalis, sed penultima dicatur; vt etiam habet rubrica Missalis: & ratio est, quia finis debet ad suum principium retorqueri. de consec. dist. 1. Episcopus, & etiam quia non debent præcedere viuos in Missæ sacrificio. Similiter nota, quod si Missa pro defunctis dicatur, tunc non est facienda memoria pro viuis, & ratio est, eoquod defuncti nequeunt iuuare viuentes in hac vita; nec etiam implorare æterna; licet ipsi iuuari valeant a viuis.

Conclusio autem ferè in omnibus orationibus, exceptis nonnullis, est, per Dominum nostrum, quæ inuenta & deriuata est ab Apostolis, considerando dictum Christi dicẽtis; sine me nihil potestis facere. Et alibi. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam. Oportet enim nos in nomine eius petere in cuius merito exaudimur; non enim in nostro, sed in merito Christi exaudimur, ideo in nomine Christi oportet concludere orationem. Vnde Concil. Carthag. 3. cap. 23. dicitur; vt nemo in precibus, vel patrem pro filio, vel filium pro Patre nominet. Et cum ad altare assistitur, semper ad patrẽ dirigatur oratio. Hinc est quod omnis oratio generaliter ad Patrem dirigitur & terminatur in nomine filij; Non enim per aliam viã ad nos ęterna Dei beneficia posſũt decurrere, quã per cũ, qui est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. 10. dist. qnoniam. Et sumptum est hoc de Epistola ad Rom. vbi dicitur. Gloriemur in Deo per Dominum nostrũ Iesum. Nemo enim (inquit Christus) venit ad Patrem, nisi per me. Sed de conclusione dictum est supra satis.

Quod verò sequitur; per omnia sęcula sæculorum, intelligi potest consecutiuè, sicut generationes generationum. q. d. per omnia sæcula sæculorum sibi succedentium. Dicũtur enim sæcula, quia sequuntur: nam alijs decedentibus alia sequuntur.

Antonomaticè, sicut cantica canticorum, & est sensus, sicut ante omnia sæcula filius cum patre in vnitate Spiritus sancti in deitate vixit & fuit, ita in præsenti sæculo, & in futuro, vbi iusti cum sanctis Angelis permanebunt, & iniusti cum diabolis cruciabuntur; credatur æqualiter viuere cum Patre & Spiritu sancto; & nulla fine concludi.

Sequitur, amen. De quo ait sanctus Iustinus martyr Apolog. 2. absolutis igitur præcibus & gratiarum actione, quilibet è populo, qui adest faustis vocibus acclamat, amen, dicendo; amen autem hebraica lingua, idem est quod

fiat.

fiat. Sed de hoc satis supra diximus. q. d. populus fiat quod postulatur. Vel, verum est quod dicis, in unitate Spiritus sancti, &c. quæ sequuntur.

Hic animaduersione dignum est, quod frequẽter recitatur illa collecta, A cunctis, scilicet, ad poscenda suffragia sanctorum, & maximè in diebus Quadragesimæ, & præcipuè a Dominica Trinitatis vsque ad Aduentum, & hoc ideo fit, quia illud tempus, significat tempus peregrinationis, & quia dum peregrinamur, semper indigemus sãctorum suffragijs, ideo, sicut ad Matutinum & ad Vesperas adsumuntur suffragia; ita & in Missa. Et in primis inuocatur Dei genitrix semper Virgo Maria, vna cum principibus Apostolici ordinis: deinde ponitur illa litera. N. quæ denotat sanctum, vel sanctam illius Ecclesiæ, vel patronum ciuitatis. Si verò patronus Ecclesię sit de iam commemoratis debet nominari (saluo semper meliori iudicio) sanctus vel sãcta vbi fit statio illa die: vel alius sanctus, vel sancta sibi deuota, si non erit alicubi statio: vel si statio erit de iam commemoratis dicatur vt supra. In tempora verò quadragesimæ recitatur ad impetrandum tolerantiam in ieiunando, & contra gulam, & vitia omnia, & cæt.

In exorcismis autem ad expellendũ dæmonem illud dicitur quod in benedictione aquæ iteratur, per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem; & similiter in catechismis, qui venturus est, & cæt. Quam cito enim diabolus audit Christum esse venturum iudicare sæculum per ignem, fugit timens iudiciũ ignis, quia scit se post diem iudicij æterno igne præmendum.

Omnibus autem orationibus præmittitur, Oremus, præterquam exorcismis; ipse enim Sacerdos ibi imperat dæmonibus, vide etiam supra de conclusione. Nota demum triplicem esse orationem, nempè vna dicitur vocalis de qua ait Psal. 141. Voce mea ad Dominũ clamaui. & mentalis alia de qua iterũ dicitur Ps. 9. Desideriũ pauperũ exaudiuit Dominus. & tertia est actualis, siue operis, quę fit bene operando: quia non desinit orare, qui non desinit benefacere. De prima hic fit mentio per quã rogamus Deum, & quoniam æqualis est gloria patris & filij & Spiritus sancti, & per consequens eis debeatur æqualis reuerentia: hinc est quod Monachi & religiosi fratres (vt vocant) stant inclinati dum recitatur vsque ad illam particulam, Spiritus sancti Deus, nam tota oratio communiter dirigitur ad patrem siue ad reuerentiã patris, & propter nomen patris.

De Epistola. Cap. 31.

IN Missæ officio duplex traditur doctrina; & hæc per ministros noui & veteris testamenti pronunciatur. Prima doctrina traditur in Epistola, secũda in Euangelio: illa pertinet ad imperfectos, hæc verò ad perfectos.

De Epistola dicit D. Dionysius martyr, ca. 3. Eccles. hierarch. Deinde ministrorum officio sancta scripturarum lectio suo ordine recitatur: patet quod antiquus est vsus; Sed fortè non vt nostris fit temporibus, vt monstramus in expositione Missalis. Huic potest adaptari illud quod dicitur, Num. 10. fac tibi duas tubas argẽteas ductiles quibus possis conuocare multitudinem in die, qua mouenda sunt castra. Hęc verba dicta sunt Moysi Sacerdoti, qui loco Dei est. Psal. 98. Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius. Duæ autem tubæ tubicinãtes ante Sacerdotem, sunt Subdiaconus, & Diaconus. Ose. 8. In gutture tuo sit tuba. Et Isa. 58. Exalta quasi tuba vocem tuam. Hę sunt argẽteæ propter cymbalum & delectabilẽ sonum argenti, qui significat tinnulũ, & dulcem sonum instructionis verbi Dei. Psal. 11. Argentum igne examinatum. Hę sunt ductiles, hoc est, ictibus

bus malleorum productæ: quia vterq; patientia tribulationum & virtutum debet esse probatus. Prouer. 19. Doctrina viri per patientiam agnoscitur: vt merito dicat cum propheta Psal. 128. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem sibi. Virtute enim patientiæ probatur fides, dum doctor pro fide mori est paratus. His duobus conuocatur multitudo populi omni tempore, quãdo mouenda sunt castra Dei, de virtute in virtutem proficientia. Vna illarũ tubarum imperfectioribus congruens pronuncians imperfectorum doctrinam. Et quia illa figuratur in prædicatione Ioannis quando adhuc Christus latuit. ideò Subdiaconus benedictionẽ a Sacerdote, vel Episcopo nõ accipit, quia nec Io. Baptista a Christo benedictionem petijt cum prędicare incæpit: at Apostoli acceperunt: ideo ẽt ad ambonem pergit sine luminibus: quod lumen significat Christum, vt ostensum est. Hæc etiam habentur ex cæremon. eodem cap. ait enim: sedet deinde Episcopus, sedentibus omnibus. Subdiaconus autem accipiens librum, actisque debitis reuerentijs Altari, & Episcopo, comitante ad eius sinistram cæremoniario, & sibijpse tenens librum extra presbyterium a latere sinistro Altaris, vel vbi ita cõsuetum sit, in ambone cantat Epistolam alta voce. Qua finita, & cæt. ante Episcopum, &c. manum dexteram illius reuerenter osculatur, &c. omnia iam declarabuntur.

Vadit ergo sine luminaribus, quia aperta nõ proponit. Sed obijcies quod aperta sunt, quæ legit de Epistolis Apostolorum. Dicendum, quod illa verba ad Euangelium dirigit, in quo lucent, & sine quo nihil lucis habent, & ideo non lucent luce propria.

Cum vno vadit, scilicet, cæremoniario, vel Acolitho, quia pauci sunt, qui prædicationes Ioannis & prophetarũ & legis sunt sequuti: & quia illa doctrina non proponitur vt finis, sed vt introductio. Nam Epistola gerit figuram legis, & prophetiæ: quæ Christi aduentum præcesserunt: sicut ipsa Euangelium præcedit: Etenim propter hoc legitur ante Euãgelium. Et etiam quia designat officium Ioannis Baptistæ, qui præiuit ante faciem Domini parare vias eius. Ioannes ergo quasi Subdiaconus est Christi.

Præcessit ergo lex Euangelium, sicut vmbra lucem: sicut timor charitatem: & initium perfectionẽ. Sed Diaconum lecturum Euangelium, tam Subdiaconi, quam Acolithi, & cæteri comitantur: quia prædicationem Euangelij, quæ perfectionem facit, plurimi susceperunt.

Possumus quoque dicere, quod per processum Subdiaconi, & Diaconi ad legendum, duplex Christi manifestatio per duplicem eius aduẽtum significatur; quorum primus vnum tãtum habuit præcursorem, scilicet, Ioannẽ, qui per Subdiaconum præcedentem significatur. Secundus verò duos habebit, Enóc, & Eliam, qui per duos, vel plures præcedentes Diaconum figurantur.

Facies autem legẽtis Epistolam, debet respicere Altare, quod Christum significat: quia Ioannis prædicatio se, & alios dirigebat in Christum: de cuius vultu iudicium, & æquitas procedunt extra. de Eccle. bene ut nostrum.

Is, qui præcedit Subdiaconum euntẽ legere, non vertit faciem ad legentem: quia Ioãnes non ad se audientes: sed potius ad Christum dirigebat.

Sed, qui Diaconum euntem legere præcedunt, respiciunt ad Euãgelium, & ad faciẽ recitantis. Primo vt ex mutua vtriusque inspectione, amor & charitas Christi notetur, qui in Euangelio prædicatur. Secundò, vt se. Confesses esse Euangelicæ doctrinæ ostendant. Sicut legitur Isa. 54. Vos eius testes mei dicit Dominus. Quia verò Ioannes fuit limes prædicãtium, & subsequen-

sequentium: medius inter Apostolos & prophetas; ideo Epistola nec semper legitur de prophetis, nec semper de Apostolis; sed interdum sumitur de Apostolis, idest, de testamento nouo, & interdum de testamento veteri. Ioannes enim cuius vicem repræsentat Epistola cum antiquis prædixit, & ipse Christum futurum, dicẽs: ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Interdum ergo sumitur Epistola de Apostolis, idest, de nouo testamento: quia licet eorum doctrina non præcesserit Euangelium: tamen ad vitam æternã refertur, sicut lex & prophetia, & interdum de veteri testamento: raró tamen, quia velum templi scissum est; nec est ponendum velum ante oculos. Cur ponatur aliquando de veteri infra dicitur in expositione Missalis.

Epistola autem non legitur de quinque libris Moysi, quia in illis temporalia promittebantur, in cuius signum lectiones de illis sumptę terminantur in grauẽ acutum, scilicet, ad Subdiapente, vt iam dicetur. Et cum legitur de illis nõ vocatur Epistola, sed lectio, & dicitur loco Epistolæ vt patet in feria sexta in parasceue.

Considerandũ est etiam, quod quãdo lectio est de libris Moysi, vel Salomonis, nomen eorum non recitatur. De Moyse tacetur nomen, quãdo Epistola est de libris eius, quia hæsitauit ad aquas contradictionis: ideo, quia Dominum exacerbauit, non dicitur lectio libri Genesis Moysi legislatoris, sicut dicitur, de libro Apocaly. Ioãnis Apostoli. De Salomone tacetur nomẽ, quia deceptus fuit a mulieribus: & propter infamiam idolatriæ.

Item nota, quod in Epistolis, quæ sumuntur de Actibus Apostolorum, vel, de Apocalypsi, ponitur hæc locutio, in principio, scilicet, In diebus illis. Ratio est, quia in illis libris, hæc oratio reperitur sæpè sic annotata, sine scripta; similiter dicitur, ait Dominus omnipotẽs: quia hoc sæpè inuenitur ibi scriptum, ait Dominus omnipotẽs, in illis scripturis. Eadem ratio militat de Epistolis Iacobi, Petri, & cæt. vbi dicitur in principio, Charissimi, quia isti authores, sæpè dicunt in suis Epistolis, charissimi. Et in Epistolis D. Pauli, sæpè dicitur, fratres, in principio, quia hoc verbo Apostolus frequẽter vsus est. Et propter eãdem causam dicitur in Euangelio, In illo tempore. Propriè tamen loquendo nulla Epistola de veteri testamento vocatur Epistola: sed illa dicitur lectio, vt diximus.

Cum autem dicitur Epistola, genua non flectimus, cum ad nouum non pertineat testamentum, immo sedemus. Et ratio est, quia doctrina in silẽtio, & quiete audienda est. Vsus autem sedendi a veteri testamento sumitur: sicut legitur in Esdra. Milites tamen stare consueuerunt, quando leguntur Epistolæ D. Pauli in honorẽ eius, quia miles fuit; & hoc non vbique, sed in quibusdam locis, vnde in signum militiæ suæ, pingitur cum ense in manu: vel ideo, quia ipse suam prædicationẽ, Euãgelium nominauit, quod ensis est. Vel, quia Epistolę suæ sunt tãquã ensis contra hæreticos vt dictum est lib. 1.

In Quadragesima numquam legũtur Epistolæ Diui Pauli ad Missam, nisi in Dominicis diebus, & in feria, quinta in cæna Domini, quia illi dies pertinent ad testamentum nouum: alij verò ad vetus etenim ieiunamus vt faciebant prophetæ quasi nos cum illis expectantes Christum: sed illi primum, & nos secundum aduentum, vt cum illo regnare mereamur in cælis.

In legendo autem quatuor attẽduntur, scilicet, locus, conuersio corporis, legendi modus, & reditus ad Episcopum, siue ad Sacerdotem: locus in solemnitate est altus, in aliquibus Ecclesijs: quia omnis doctor in loco alto stare debet virtutis. Et hoc significatur Neem. 8. vbi dicitur: stetit autẽ Esdras super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum, gradus iste eminentiã

signat

signat virtutis. Vertitur autẽ ad orientem, quia (præter rationem super adductam) adhuc indiget ampliori lumine, vt illustretur. Zachar. 14. stabunt pedes eius, in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.

Legendi autem modus est; quod legat alta voce, vt ait rubrica, distinctè, & apertè. Secũdò quod legat deuotè. Tertiò, quod legat in potestate. De primo dicitur Neem. 8. legerunt in libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum, & intellexerunt, cum legeretur. De secundo dicitur Ierem. 20. Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinẽs. Hoc enim dixit propter feruorem deuotionis quem ad sermonem habuit. De tertio dicitur, vt potens sit exhortari in doctrina. Tit. 1. Nam & ipse instruit populum.

Circa hoc notandum est, quod populi instructio fit per verbũ Dei, quod quidẽ a Deo per eius ministros ad populum peruenit: & ideo ea, quæ ad plebis instructionem pertinent non a Sacerdote; sed a ministris dicuntur. Ministerium tamen verbi Dei triplex est. Primum authoritatis; quia competit, tantum Christo, qui minister dicitur Matth. 7. Erat enim docens eos. Sicut potestatem habens. Secundum manifestæ veritatis; quod competit prædicatoribus noui testamenti. De quo dicitur 2. Corin. 3. Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Tertiũ figurationis: quod competit prædicatoribus veteris test. ideoque doctrinã Christi proponit Diaconus. Doctrina verò prędicatorum veteris test. proponitur per Subdiaconos: nec obstat quod aliquãdo per eos legitur loco Epistolæ aliquod de ipso veteri testamẽto, quia prædicatores noui testamenti etiam vetus prædicant.

Redit autem ad Episcopum, siue ad Sacerdotem, & manum eius dexteram osculatur; quod denotat, vt non sibi fructum attribuat, sed Deo, per osculum dexteræ eius, qui est loco Sacerdotis, ac si dicant. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me.

Vel reditus, insinuat illud Matt. 11. Quod cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi: misit duos ex discipulis suis: non credentes Christum esse Messiam, (redit enim cum Acolitho, vel cæremoniario:) vt interrogarent illum. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? & cæt. Quia verò illi per visa miracula cognouerunt hunc esse Messiam, de quo suus præceptor prædixerat: Qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calciamentorum soluere: ideo Subdiaconus ad pedes, calciamentum Romani Pontificis osculatur. Et si est Sacerdos, vel Episcopus, manum tantum ratione iam dicta.

Insuper, lecta Epistola, Subdiaconus librum clausum repræsentat Episcopo: ipse verò super illum manum ponit, quam Subdiaconus osculatur. Nempè Episcopus, Christum figurat: cui clausus liber reprę sentatur ad designandum, quod solus Christus potuit aperire librum, & soluere signacula eius, in quo & ipse Christus, & eius mysteria clausa erant, donec ab ipso Christo cæpit prędicationem Euangelij aperiri. Christus autem legem, in qua clausus tenebatur opere impleuit qui non venit legem soluere, sed adimplere: quod significat manus impositio super librum. Manus enim opus significat.

Ipsa quoque manus positio, significat desiderium, & promissionem credendi, & opere complendi quæ lecta sunt. Rursus, quia Pontifex Christum repræsentat, vt sæpè diximus, Subdiaconus, & cæteri debent ei actus suos humiliter subdere: & ab ipso benedictionis gratiam postulare. Vnde dicitur. Cum omnia bene feceritis, dicite

ſerui inutiles ſumus: quod facere debuimus, fecimus; Subſequenter Epiſcopus vel Sacerdos Subdiacono benedicit: quia & Chriſtus commendauit Ioannem, ſcilicet, Quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis pluſquam prophetam. Amen dico vobis inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.

Subdiaconus ergo poſt finem: Diaconus verò ante principium lectionis, ad Sacerdotem, vel Epiſcopum accedit, & exhibet reuerentiam; quia lex finem accepit in Chriſto; ſed Euangelium originem ab ipſo Chriſto ſúpſit; nam lex, & prophetæ vſque ad Ioannem: Euangelium Chriſti, & Epiſtolę poſt Ioannem. In Miſſa defunctorum ceſſat ratio ſupradicta.

Epiſtola enim, Latinè, ſupermiſſio: Epi, ſupra; Stolon, miſſio: miſſa eſt.n. ab Apoſtolis ſuper pſalmos, & prophetas, ſupra Euangelium, ſicut & prophetiæ ſupra legem; vnde & literæ de vna perſona ad aliam miſſæ, appellantur Epiſtolæ, ideſt, ſupra miſſæ præter id, quod nuncius viua voce refert; ſicut faciebat Apoſtolus ſupra id, quod dixerat Corinthijs, & alijs mittebat Epiſtolas. In aliquibus Eccleſijs dum Epiſtola lecta fuerit, & choro Graduale pſallente, Sacerdos tacitus ad dexteram partem altaris ſedet, illud inſinuans, quod Ioanne prædicante, Chriſtus quodammodo tacebat: quia non prædicabat aperte, vt fecit poſt incarcerationem ipſius Ioannis: ſed dicturus Euangelium ſurgit, quia vt Euangeliſta tradit; poſtquam Ioannes traditus eſt venit Ieſus in Galilæam prædicans Euangelium Dei.

Sed quæret forte, quis, quare prophetias in ſubdiapente, ideſt, ad quintam interius, Euangelium verò, & Epiſtolam exaltando vocem finimus? Dicendo quod per prophetiam, quæ eſt de veteri teſtamento; Synagoga, quæ inclinata eſt, & cecidit intelligitur; & ideo inclinando vocem, & quaſi cadendo finimus prophetiam. Per Euágelium verò, & Epiſtolam repręſentatur Eccleſia militans, quæ exaltata eſt; & ideo cum exaltatione vocis finiuntur. Vel, quia in veteri lege, terrena promittebantur, & ideo in graue finiuntur: in nouo verò cæleſtia, quę ſurſum ſunt. Si vero Epiſtolæ aliquádo ſunt de veteri teſtamento, tunc, quia quo ad nomen imitantur Epiſtolas, debêt & quo ad formam, & modum, illas imitari.

De Graduali. Cap. 32.

POſt Epiſtolam ſequitur Graduale. Dicitur autem Graduale propter quatuor rationes, ſcilicet, vel a gradibus Altaris, ante quos dicebatur antiquitus, vt dicunt Iſidorus, & Rabanus: & etiam dicitur Graduale, a modo cantandi, quia ſemper incipit inferius ad ſubdiapente, vel ad ſubexacordon, vel ſaltem ad ſubdiateſſaron, vel ad tertiã ſub graue, deinde paulatim aſcendit ad ſuperiorem ſeu altiorem cantum: & iſta eſt prima ratio literaris. Quid autem ſibi velint Subdiapente ſubexacordon & ſubdiateſſaron, vide organum noſtrum l.1. in cap. Della fuga, detta volgarmente canon.

Secundò dicitur, Graduale, a Gradu quo graditur de virtute in virtutē. Tertiò, dicitur Graduale, ideſt, gradiale, vel gradale: ad deſignandum, quod Apoſtoli poſt Dominum gradiebantur, ſcilicet, diſcipuli poſt magiſtrum.

Quarto Graduale dicitur alio nomine etiam Reſponſoriũ, ad deſignãdum quod auditores debent operibus reſpondere his, quę in Epiſtola audierunt, vt ſint factores verbi, & non auditores tantum. Iacob. 1.

Graduale dicitur inquam Reſponſorium, quia debet reſpondere Epiſtolæ; vt ſi illa agit de gaudio, ſimiliter & Reſponſorium; Simili modo ſi de triſtitia agit, & de triſtitia reſpondere

dere debet: iuxta illud. Roman. 12. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.

Graduale autem in duobus versibus terminatur: quia in duobus præceptis charitatis, scilicet, in dilectione Dei & proximi vniuersa lex pendet & Prophetæ, per charitatem enim merebimur gaudia regni cælestis, quod in alleluia designatur.

Dicitur Graduale post Epistolam, eo quod Ioannes prędicabat pœnitentiam, dicens; Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum: nam Graduale lamentum pœnitentiæ insinuat. Item, Graduale sequitur post Epistolam, quia post prædicationem Ioannis, Discipuli sequuti sunt Christum.

Graduale cantatur à choro, vt significetur profectus de virtute in virtutem ab instructis à Subdiacono. Versus autem Gradualis, cantatur a minoribus, vt significent se profecisse. Graduale, significat laborantes in hac vita; & ideo non dicitur tempore paschali, quia illud tempus, significat tempus resurrectionis nostræ, quando amplius non erit laborandum; quia tunc absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, &c. Itaque in graduale seminamus, in alleluia, metemus. Versus Responsorij ita vocatur, propterea quod ab eo fit reuersio ad Responsorium.

Graduale, siue Respōsorium, quod in Missa cantatur designat, quod ad vocationem Apostolorum, statim ipsi sequuti sunt Christum. Potest etiam referre istud Responsorium ad responsionem Apostolorum, qui ad primam Christi vocationem omnia reliquerũt. Quia ergo illi Apostoli nihil sibi retinuerunt; ideo Responsoriũ illud, nullo modo repetitur; sed nec cum gloria patri finitur: quia Apostoli non ad gloriam, & lætitiam, sed ad luctum & laborem vocati sunt, dicente Domino: sicut misit me Pater, & ego mitto vos, scilicet, ad prædicandum, ad laborandum, & demum ad mortem. Et quoniam omnis virtutis profectus, est circa difficile & bonum, hinc est quod Graduale difficiles & graues habet figuras siue notas in cantu: per quod significantur perfecti, & exercitati circa difficiliora. Versus autẽ, qui adhuc plures habet figuras sub vna syllaba, significat imitationem populi, qui adhuc grauius proficit quam clerus. Peruersi enim difficile corriguntur. Gradualia, Tractus, & Alleluia, composuerunt Ambrosius, Gregorius, & Gelasius: & statuerunt cantari ad Missã. Sed ante hos Celestinus Papa instituisse Gradualia aiunt Sigebert. Circa annos Christi 426. Rupert. lib. 2. de diuinis Officijs cap. 21. Bernard. cap. 25. de officio Missæ. Item & offertoria. Et Horas canonicas vna cum antiphonis instituit: anno Domini 426.

De Alleluia. Cap. 33.

POst luctũ sequitur gaudium, ideo post Graduale, quod significat luctum, sequitur alleluia, quod est canticum lætitiæ, vt patet Iob. penult. & Apocalyp. 19. Est autem alleluia, Hębraicum vocabulum, siquidem potius significans, quam exprimens ineffabile gaudium ab hac vita peregrinantium. Cuius vera expositio, secũdum Innoc. 3. ex Psalm. 112. habetur: cum alleluia, præmittatur in titulo, statim Psalmus exponendo titulum, incipit; Laudate pueri Dominum. Et hoc idem est, quod alleluia. Alij aliter interprætantur allelu, idest, Laudate, ia, idest, Dominum, sic aiunt, qui linguam hębraicam nouerunt. Vnde secundum hunc significatum elicere possumus quod, quia Sacerdotum interest ex officio laudare quotidie Dominum, in Antiphona illa, Sacerdotes Dei Benedicite Dominum, & cæt. in communi confessorum & Põtificum, additur alleluia, quod non fit in alijs

An-

Antiphonis; quia ad Sacerdotes spectat cantare, & laudare Dominum, vt ibidem innuitur.

Et quoniam alleluia futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulũ, merito magis tẽpore paschali frequentatur, quam alio tempore: quo tempore Christus resurgens dedit nobis futuræ beatitudinis spem. Hieronym. ait: quod, alleluia dicatur in Missa, tractum est de Ecclesia Ierosolymitarum.

Est autem alleluia modicum in sermone, & multum in Neuma, quia gaudium illud maius est quam possit explicari sermone, vel quod gaudiũ sanctorum interminabile & ineffabile dicitur: & hoc notat longa intonatio, a. Quid autem sit, Neuma, vide organũ nostrum, in capite, Delle pause. Nõ dicitur in septuagesima, quia tempore luctus non debet cantari cantus lætitiæ. Hoc autem elicitur ex Concil. 4. Tolet. sub Honorio Papa primo cælebrato, can. 10. vbi dicitur; Statuimus vt omnibus diebus Quadragesimæ, alleluia, non cantetur, quia tempus mœroris est. Nota, quod in quibusdam Ecclesijs cantans, alleluia, sumit aliquid in manu, vt insinuet se Deum nõ solum voce, sed etiam opere collaudare: seu manus ducit: iuxta Psalm. 46. Omnes gentes plaudite manibus & cætera. Eadem ratio potest reddi quare cantor (moraliter loquendo) facit tactum dum cantatur figuraliter mysticè loquendo: sed literaliter, hoc facit vt tempus mensuretur; & omnes cognitionem illius habentes vnanimiter concordent. Quod autem interposito versu bis alleluia cantatur, designat, quod interiecta lætitia, sancti geminam lętificationis stolam accipient, mentis & carnis, siue cordis & corporis. Nam secundũ stolam mentis, exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Secundum stolam carnis, fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Versus ergo nihil sinistrum aut triste, sed tantum iucundum & dulce debet sonare, quale sunt, Dominus regnauit decorem indutus est. Dominus regnauit exultet terra: Iubilate Deo. Iustus vt palma florebit, quoniam absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quoniam priora transierunt. Hoc ipsum significat, quod in quibusdam Ecclesijs, sequentia post, alleluia, cantatur, suaui iubilo dulcique canore.

Versus dicitur a reuertẽdo, eo quod per eum reuertimur ad alleluia, qui post sequitur: quia significat operationem, quæ laudi coniungi debet: nam non bene Deum laudat, qui operari cessat. In nonnullis ecclesijs a pueris cãtari solet: Graduale, a magnis: quasi, qui pueri sunt, laudi Christi conueniunt, fortes vero in fide, & in tolerando aduersa, qui pugnare possunt, Graduale, cantare debent.

De Tractu. Cap. 34.

Ex institutione Thelesphori Papæ (anno Domini 137. postea a Gelasio 492. confirmati;) a Dominica Septuagesimæ vsque ad vigiliam Paschæ, scilicet, in diebus, & officijs luctus, dicitur Tractus, loco alleluia, quia tunc non cantatur carmen lætitiæ. Dicitur autem Tractus, a trahendo, quia tractim, & cum asperitate vocum, & prolixitate verborum & figurarum, seu notarum cãtatur: eo quod laborem, & miseriam præsentis incolatus insinuant. In Tractibus enim repræsentatur longa sanctorum Patrum expectatio: & Iudæorum captiuorum afflictio; qui tempore Babylonicæ captiuitatis super flumina Babylonis sedentes & flentes suspenderunt in salicibus organa sua: quod tempus repręsentat Ecclesia a Septuagesima, cantica lætitiæ subticendo, & Tractus dicendo.

Tan-

Tantum interest inter Tractum, & alleluia, quantum inter lætitiam & luctum. Item, tantũ interest, inter respõsorium, cui omnes respondent, & Tractum, cui nemo: quantum interest, inter vitam actiuam, & contemplatiuam. Tractus enim habet plures versus, quia per multa oportet trahi hominem in pęnitentiam, antequam destruatur peccatum. Oportet enim suspendi ab actu peccati, & a voluntate peccandi radices peccatorum excidere, & reliquias longa consuetudine peccandi delere: radices autem vocãtur libidines commutabilis boni, quæ causam peccati dederunt. Reliquiæ vocantur tenebrę, quas incurrit homo ex peccato, & difficultates ad bonum, & huiusmodi: & propter ista quatuor, dicitur Ierem. 1. Ego constitui te hodie, super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas: dissipes & disperdas, & ædifices, & plantes. Euelles autem peccati actum pro confessione, destruas peccandi voluntatem, per compunctionis dolorem: dissipes radices per deuotionem: disperdas reliquias per tui peccati elongationẽ. Dicitur enim ab Angelo ipsi Loth: Egredere de loco isto, & non stes in omni circa regionem. Edifices per virtutũ consuetudinem, plantes per operum bonorum in satisfaciendo fundationem.

Per oẽs istos versus oportet, quod in asperitate trahamur, & hoc ipso cantu, clerus docet populum. Hoc autem significatur Isa. 14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen: nomen confusionis, quod Babylon interprætatur, perditur, quando actus peccati perditur. Reliquiæ autem, quando reliquiæ delentur. Progenies autem quando voluntas in dolorem trahitur: Germen autem, quando radices exciduntur. Dicit enim Ambros. quod pœnitere, est radices peccatorum excidere, & eorum sugestionibus vlterius aditum non indulgere. Porro Tractus, quia gemitum, & canticum flebile exprimit: lachrymas sanctorum, siue in actiua, siue in contemplatiua vita, repræsentat. Vnde Tractus dicitur, quia sancti suspirantes ab imo pectoris gemitum trahunt: quia licet gaudeant vt monet alleluia, tamen hic in valle lachymarum commorantes gemũt pro dilatione supernæ beatitudinis: & super flumina Babylonis sedentes Patrię suæ memores, interim lachrymas pro suis, & aliorum excessibus fundunt: dum ex vicinitate Babylonici fluuij seipsos vident sæpè aspersos, & alios penitus immersos: ipsius fluminis rapiditate deorsum ferri.

Sed, quia hic ploratus quandoque est respectu superni gaudij: quandoq; respectu miseriæ nostræ: ideo Tractus quandoque est de lætitia pro superiori irriguo, vt, De profundis clamaui; & etiam vt; Ad te leuaui oculos meos. Et. Qui confidunt in Domino, &c.

Sanè in Dominica Septuagesimę vsque ad feriam quartam cinerum dicũtur Tractus solum in Dominicis diebus, eo quod populus tunc melius cõuenit in Ecclesia, qui indiget edoceri, qualiter captiuitatem diabolicam, per Babylonicam significatam, debet plorare. Tractus enim tempus Babylonicæ captiuitatis repræsentat: sed post dictam feriam quæ est caput ieiuniorum, magis frequentatur: quia tũc magis est tempus mæroris & afflictionis: vt pote, ordinatum ad excutiendum iugum diabolicæ captiuitatis; per mærorem contritionis, & humilitatem confessionis, atque asperitatem satisfactionis; quæ præcipuè ieiunio vigent. Quod autem Tractus maiorem insinuet luctum, quam graduale, per hoc innuitur, quod numquam cũ alleluia, canitur, nisi in Sabbatho Paschæ, & hoc propter specialem causam, vt ibi dicetur.

De Sequentia. Cap. 35.

POst alleluia, in aliquibus solẽnitatibus dicitur sequentia, plures erãt antiquitus sequentiæ; quę similiter sũt cantica exultationis, ad notandum geminam glorificationis stolam, quam sancti accipient, scilicet, animæ & corporis. Cantatur autem sequentia ab omnibus simul in choro, vt notetur concordia charitatis: talis enim Laus Deo placet. Nothgerius Abbas Sancti Galli in Theutonia primo sequentias composuit, & Nicolaus Papa concessit cantari ad Missas. Hermanus Contractus Theutonicus inuentor Astrolabij, composuit, Alma redemptoris mater, & alia. Petrus Cõpestellanus, Episcopus, Salue Regina misericordiæ, & cæt. Robertus rex Franciæ, Veni sancte Spiritus. Diuus Thomas Aquinas, lauda Sion Saluatorem. Et alij alias, quæ nunc non recitãtur propter incertitudinem.

De Euangelio. Cap. 36.

HIs omnibus dictis legitur Euangelium prius a Sacerdote, vel Episcopo, & fertur Missale ad sinistrã partem: & circa finem Missæ, iterum redit ad dexteram: quia cultus Dei primo fuit in populo Iudæo, & Iudea tũc erat ad dexteram; deinde Iudæis non credentibus, & verbum Dei tanquam indignis respuentibus, cultus Dei trãsiuit ad gentes, ad quas Apostoli transierunt; & tunc Iudæa fuit a sinistra parte: & circa finem iterum ad Iudęos reuertentur, ad prædicationem Enoch & Eliæ, qui conuertent corda patrum in filios: quoniam in diebus illis saluabitur Iuda, & reliquiæ saluæ fient. Et vt citat Apostolus, Cum conuerterit Dominus captiuitatẽ plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel; quod de fine mundi intelligit Apostolus illum locum.

Quantum ad Euangelium rubrica Missalis, Rit. 6. sic ait; *Deinde Diaconus dicit: Munda cor meum, genuflexus, ante Altare, accepto libro Euangeliorum de Altari, & benedictione à celebrante, osculataque illius manu, pracedentibus thuriferario, & duobus Acoluthis cum luminaribus, seu candelabris de credentia sumptis, vadit cum Subdiacono à sinistris ad locum Euangelij contra Altare versus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acoluthos, tenentes candelabra accensa, dicit, Dominus vobiscum, iunctis manibus cum dicit, sequentia, & c. t. signat librum, frontem, os, & pectus, postea ter librum incensat, hoc est in medio, à dextris, & à sinistris, &c quo finito Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, & à Diacono ter incensatur*; hæc autem omnia declaranda sunt.

Multa hic circa ritum fiunt: primo Diaconus dicit Munda cor meum, & cæt. Concionator enim verbi Dei, debet prius mundari, ne sibi dicatur illud Euangelij, Medice cura teipsum. Luc. 4. & Rom. 2. Qui dicis non mæchandum mæcharis, & c. Mundet igitur prius seipsum, qui vult alios curare: nam doctrina alicuius contemnitur, cuius vita vituperatur.

Accipit secundo librum de Altari; Altare significat, Sacramentum & armarium Scripturæ, & sanctificationis; de cuius scientia, & authoritate omnis vera sumenda est docendi perfectio; Isa. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, & ideo, qui de Sion, hoc est, de visione sacræ Scripturæ non accepit, docere non debet: verbum aut de Ierusalem procedit: quia doctor perfectionis pacem annunciat instruendis. Isa. 52. Quam pulchri super montes pedes annunciantis pacem, prædicantis salutem. Annunciatio enim boni est Euangelium. Et hunc modum tenuit Euangelista Angelus lucis. Luc. 2. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum:

& post pauca, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Acceptio autem libri, significata est Apoc. 5. vbi dicitur: Vidi in dextera sedētis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septē. Altare enim thronum Dei significat, in cuius eminentia Deus Rex, & Sacerdos inuisibilis Christus est sedens. Omnia sanctificationis mysteria discernens vt Rex; & perficiens vt Sacerdos, a cuius dextera accipit Diaconus librum, quando virtute dexteræ Dei, vadit ad Euangelizandum, & officium accipit Euangelicum. Vnde post pauca, subdit, ibidē. Venit Agnus & accepit de dextera sedentis super thronum librum. De agno enim est Euangelicus liber.

Vel sumitur liber de Altari, quoniā Apostoli de Altari Euangelium acceperunt, cum prædicantes passionem Christi Euāgelizabāt. Vel: Altare hoc in loco significat Iudæos, a quibus transfertur regnum Dei, & datur genti facienti fructum eius. Ex eo, quod Euangelium sumitur de Altari, significatur, quod Euangelium est verbum Dei, quod per Altare significatur. Et propter hoc quidam volentes dicere, (finita Missa,) Euangelium sancti Ioānis, imprimunt, primo signum Crucis super Altare, & postea in fronte. Sumit autem illum de dextera parte Altaris, quia Ecclesia de Iudęis, a qua nostrum sumpsit exordium, antiquitus fuit in dextris.

Et ponit eum in manu sinistra dexteram supponens: iuxta illud; læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: & hoc propter triplicem causam. Prima est, quia Euangelista docet cælestia, quæ per dexteram, terrenis quæ per sinistram intelliguntur, supponi.

Secunda, inclinatur liber super sinistrum humerum, ad notandum, quod Christi prædicatio de Gentili populo, transibit ad Iudaicum, Isa. 20. In diebus illis saluabitur Iuda. Tertia, quia, qui in vita temporali, quæ per illam significatur viuit, necesse est Euāgelium prædicare.

Liber autem ipse ab Aduentu Sacerdotis ad Altare donec Euāgelium legatur, super Altare remansit, quantum ad hoc significat Ierusalem: quoniam Euangelica doctrina primum in Ierusalem facta est, & ibi permansit ab Aduentu Domini, donec publicaretur Gentilibus. iuxta id. De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem. Ierusalem enim est locus passionis, quæ per Altare etiam significatur. Cæremoniale autem Episcoporum dicit, quod ante pectus librum Euangeliorum tenere debeat Diaconus; hoc fortè ad innuendum, vt prædicator verbi Dei, habeat semper ante oculos suos verba & præcepta Euangelica. Vel ad innuendum illud, quod a perfectore sanctitatis, idest Sacerdote, dicitur in benedictione, scilicet, Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, & cæt. Et liber Euangeliorum significat etiam Christum. Papa Thelesphorus septimus Pontifex ante Sacrificium Euangelium Dei legendum esse (vt fertur) statuit, sicut & Gloria in excelsis: nempe anno Domini 137.

De Benedictione à Sacerdote Diacono danda. Cap. 37.

Diaconus inclinatus petit benedictionem ab Episcopo, vel Sacerdote, dicens intelligibili voce, Iube domine benedicere &c. cui Episcopus vel Sacerdos respondet: Dominus sit in corde &c. & facit super eum signū crucis, quod fit in omnibus benedictionibus: quare hoc nō habet mysticum sensum in præsenti, nisi quod petens benedictionē benedicitur hoc signo; nisi fortè dicere velimus significare licentiam prædicandi veluti fuit data Apostolis ab ipso Christo. Nam quo-

De Sequentia. Cap. 35.

POst alleluia, in aliquibus solẽnitatibus dicitur sequentia, plures erãt antiquitus sequentiæ; quę similiter sũt cantica exultationis, ad notandum geminam glorificationis stolam, quam sancti accipient, scilicet, animæ & corporis. Cantatur autem sequentia ab omnibus simul in choro, vt notetur concordia charitatis: talis enim Laus Deo placet. Nothgerius Abbas Sancti Galli in Theutonia primo sequentias composuit, & Nicolaus Papa concessit cantari ad Missas. Hermanus Contractus Theutonicus inuentor Astrolabij, composuit, Alma redemptoris mater, & alia. Petrus Cõpestellanus, Episcopus, Salue Regina misericordiæ, & cæt. Robertus rex Franciæ, Veni sancte Spiritus. Diuus Thomas Aquinas, lauda Sion Saluatorem. Et alij alias, quæ nunc non recitãtur propter incertitudinem.

De Euangelio. Cap. 36.

HIs omnibus dictis legitur Euangelium prius a Sacerdote, vel Episcopo, & fertur Missale ad sinistrã partem: & circa finem Missæ, iterum redit ad dexteram: quia cultus Dei primo fuit in populo Iudæo, & Iudęa tũc erat ad dexteram; deinde Iudæis non credentibus, & verbum Dei tanquam indignis respuentibus, cultus Dei trãsiuit ad gentes, ad quas Apostoli transierunt; & tunc Iudæa fuit a sinistra parte: & circa finem iterum ad Iudęos reuertetur, ad prædicationem Enoch & Eliæ, qui conuertent corda patrum in filios: quoniam in diebus illis saluabitur Iuda, & reliquiæ saluæ fient. Et vt citat Apostolus, Cum conuerterit Dominus captiuitatẽ plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel; quod de fine mundi intelligit Apostolus illum locum.

Quantum ad Euangelium rubrica Missalis, Rit. 6. sic ait; *Deinde Diaconus dicit: Munda cor meum, genuflexus, ante Altare, accepto libro Euangeliorum de Altari, & benedictione à celebrante, osculataque illius manu, pracedentibus thuriferario, & duobus Acoluthis cum luminaribus, seu candelabris de credentia sumptis, vadit cum Subdiacono à sinistris ad locum Euangelij contra Altare versus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acoluthos, tenentes candelabra accensa, dicit, Dominus vobiscum, iunctis manibus cum dicit, sequentia, & cæt. signat librum, frontem, os, & pectus, postea ter librum incensat, hoc est in medio, à dextris, & à sinistris, &c quo finito Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, & à Diacono ter incensatur*; hæc autem omnia declaranda sunt.

Multa hic circa ritum fiunt: primo Diaconus, dicit Munda cor meum, & cæt. Concionator enim verbi Dei, debet prius mundari, ne sibi dicatur illud Euangelij, Medice cura teipsum. Luc. 4. & Rom. 2. Qui dicis non mæchandum mæcharis, &c. Mundetur igitur prius seipsum, qui vult alios curare: nam doctrina alicuius contemnitur, cuius vita vituperatur.

Accipit secundo librum de Altari; Altare significat, Sacramentum & armarium Scripturæ, & sanctificationis; de cuius scientia, & authoritate omnis vera sumenda est docendi perfectio; Isa. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, & ideo, qui de Sion, hoc est, de visione sacræ Scripturæ non accepit, docere non debet: verbum aut de Ierusalem procedit: quia doctor perfectionis pacem annunciat instruendis. Isa. 52. Quam pulchri super montes pedes annunciantis pacem, prædicantis salutem. Annunciatio enim boni est Euangelium. Et hunc modum tenuit Euangelista Angelus lucis. Luc. 2. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum:

&

& post pauca, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Acceptio autem libri, significata est Apoc. 5. vbi dicitur: Vidi in dextera sedẽtis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septẽ. Altare enim thronum Dei significat, in cuius eminentia Deus Rex, & Sacerdos inuisibilis Christus est sedens. Omnia sanctificationis mysteria discernens vt Rex; & perficiens vt Sacerdos, a cuius dextera accipit Diaconus librum, quando virtute dexteræ Dei, vadit ad Euangelizandum, & officium accipit Euangelicum. Vnde post pauca, subdit, ibidẽ. Venit Agnus & accepit de dextera sedentis super thronum librum. De agno enim est Euangelicus liber.

Vel sumitur liber de Altari, quoniã Apostoli de Altari Euangelium acceperunt, cum prædicantes passionem Christi Euãgelizabãt. Vel: Altare hoc in loco significat Iudæos, a quibus transfertur regnum Dei, & datur genti facienti fructum eius. Ex eo, quod Euangelium sumitur de Altari, significatur, quod Euangelium est verbum Dei, quod per Altare significatur. Et propter hoc quidam volentes dicere, (finita Missa,) Euangelium sancti Ioãnis, imprimunt, primo signum Crucis super Altare, & postea in fronte. Sumit autem illum de dextera parte Altaris, quia Ecclesia de Iudęis, aqua nostrum sumpsit exordium, antiquitus fuit in dextris.

Et ponit eum in manu sinistra dexteram supponens: iuxta illud; lęua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: & hoc propter triplicem causam. Prima est, quia Euangelista docet cælestia, quæ per dexteram, terrenis quæ per sinistram intelliguntur, supponi.

Secunda, inclinatur liber super sinistrum humerum, ad notandum, quod Christi prædicatio de Gentili populo, transibit ad Iudaicum, Isa. 20. In diebus illis saluabitur Iuda. Tertia, quia, qui in vita temporali, quæ per illam significatur viuit, necesse est Euãgelium prædicare.

Liber autem ipse ab Aduentu Sacerdotis ad Altare donec Euãgelium legatur, super Altare remansit, quantum ad hoc significat Ierusalem: quoniam Euangelica doctrina primum in Ierusalem facta est, & ibi permansit ab Aduentu Domini, donec publicaretur Gentilibus. iuxta id. De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem. Ierusalem enim est locus passionis, quæ per Altare etiam significatur. Cæremoniale autem Episcoporum dicit, quod ante pectus librum Euangeliorum tenere debeat Diaconus; hoc fortè ad innuendum, vt prædicator verbi Dei, habeat semper ante oculos suos verba & præcepta Euangelica. Vel ad innuendum illud, quod a perfectore sanctitatis, idest Sacerdote, dicitur in benedictione, scilicet, Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, & cæt. Et liber Euangeliorum significat etiam Christum. Papa Thelesphorus septimus Pontifex ante Sacrificium Euangelium Dei legendum esse (vt fertur) statuit, sicut & Gloria in excelsis: nempe anno Domini 137.

De Benedictione à Sacerdote Diacono danda. Cap. 37.

Diaconus inclinatus petit benedictionem ab Episcopo, vel Sacerdote, dicens intelligibili voce, Iube domine benedicere &c. cui Episcopus vel Sacerdos respondet: Dominus sit in corde &c. & facit super eum signũ crucis, quod fit in omnibus benedictionibus: quare hoc nõ habet mysticum sensum in præsenti, nisi quod petens benedictionẽ benedicitur hoc signo; nisi fortè dicere velimus significare licentiam prædicandi veluti fuit data Apostolis ab ipso Christo. Nam quoq;

De Sequentia. *Cap. 35.*

POst alleluia, in aliquibus solēnitatibus dicitur sequentia, plures erāt antiquitus sequentiæ; quę similiter sūt cantica exultationis, ad notandum geminam glorificationis stolam, quam sancti accipient, scilicet, animæ & corporis. Cantatur autem sequentia ab omnibus simul in choro, vt notetur concordia charitatis: talis enim Laus Deo placet. Nothgerius Abbas Sancti Galli in Theutonia primo sequentias composuit, & Nicolaus Papa concessit cantari ad Missas. Hermanus Contractus Theutonicus inuentor Astrolabij, composuit, Alma redemptoris mater, & alia. Petrus Cōpestellanus, Episcopus, Salue Regina misericordiæ, & cæt. Robertus rex Franciæ, Veni sancte Spiritus. Diuus Thomas Aquinas, lauda Sion Saluatorem. Et alij alias, quæ nunc non recitātur propter incertitudinem.

De Euangelio. *Cap. 36.*

HIs omnibus dictis legitur Euangelium prius a Sacerdote, vel Episcopo, & fertur Missale ad sinistrā partem: & circa finem Missæ, iterum redit ad dexteram: quia cultus Dei primo fuit in populo Iudæo, & Iudęa tūc erat ad dexteram; deinde Iudæis non credentibus, & verbum Dei tanquam indignis respuentibus, cultus Dei trāsiuit ad gentes, ad quas Apostoli transierunt; & tunc Iudæa fuit a sinistra parte: & circa finem iterum ad Iudęos reuertetur, ad prædicationem Enoch & Eliæ, qui conuertent corda patrum in filios: quoniam in diebus illis saluabitur Iuda, & reliquiæ saluæ fient. Et vt citat Apostolus, Cum conuerterit Dominus captiuitatē plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel; quod de fine mundi intelligit Apostolus illum locum.

Quantum ad Euangelium rubrica Missalis, Rit. 6. sic ait; *Deinde Diaconus dicit: Munda cor meum, genuflexus ante Altare, accepto libro Euangeliorum de Altari, & benedictione à celebrante, osculataque illius manu, præcedentibus thuriferario, & duobus Acoluthis cum luminaribus, seu candelabris de credentia sumptis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Euangelij contra Altare versus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acoluthos, tenentes candelabra accensa, dicit, Dominus vobiscum, iunctis manibus cum dicit, sequentia, & c t. signat librum, frontem, os, & pectus, postea ter librum incensat, hoc est in medio, à dextris, & a sinistris, &c quo finito Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, & à Diacono ter incensatur*; hæc autem omnia declaranda sunt.

Multa hic circa ritum fiunt: primo Diaconus dicit Munda cor meum, & cæt. Concionator enim verbi Dei, debet prius mundari, ne sibi dicatur illud Euangelij, Medice cura teipsum. Luc. 4. & Rom. 2. Qui dicis non mæchandum mæcharis, &c. Mundet igitur prius seipsum, qui vult alios curare: nam doctrina alicuius contemnitur, cuius vita vituperatur.

Accipit secundo librum de Altari; Altare significat, Sacramentum & armarium Scripturæ, & sanctificationis; de cuius scientia, & authoritate omnis vera sumenda est docendi perfectio; Isa. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, & ideo, qui de Sion, hoc est, de visione sacræ Scripturæ non accepit, docere non debet: verbum aut de Ierusalem procedit: quia doctor perfectionis pacem annunciat instruendis. Isa. 52. Quam pulchri super montes pedes annunciantis pacem, prædicantis salutem. Annunciatio enim boni est Euangelium. Et hunc modum tenuit Euangelista Angelus lucis. Luc. 2. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum:

& post pauca, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Acceptio autem libri, significata est Apoc. 5. vbi dicitur: Vidi in dextera sedētis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septē. Altare enim thronum Dei significat, in cuius eminentia Deus Rex, & Sacerdos inuisibilis Christus est sedens. Omnia sanctificationis mysteria discernens vt Rex; & perficiens vt Sacerdos, a cuius dextera accipit Diaconus librum, quando virtute dexteræ Dei, vadit ad Euangelizandum, & officium accipit Euangelicum. Vnde post pauca, subdit, ibidē. Venit Agnus & accepit de dextera sedentis super thronum librum. De agno enim est Euangelicus liber.

Vel sumitur liber de Altari, quoniā Apostoli de Altari Euangelium acceperunt, cum prædicantes passionem Christi Euāgelizabāt. Vel: Altare hoc in loco significat Iudæos, a quibus transfertur regnum Dei, & datur genti facienti fructum eius. Ex eo, quod Euangelium sumitur de Altari, significatur, quod Euangelium est verbum Dei, quod per Altare significatur. Et propter hoc quidam volentes dicere, (finita Missa,) Euangelium sancti Ioānis, imprimunt, primo signum Crucis super Altare, & postea in fronte. Sumit autem illum de dextera parte Altaris, quia Ecclesia de Iudęis, a qua nostrum sumpsit exordium, antiquitus fuit in dextris.

Et ponit eum in manu sinistra dexteram supponens: iuxta illud; lęua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: & hoc propter triplicem causam. Prima est, quia Euangelista docet cælestia, quæ per dexteram, terrenis quæ per sinistram intelliguntur, supponi.

Secunda, inclinatur liber super sinistrum humerum, ad notandum, quod Christi prædicatio de Gentili populo, transibit ad Iudaicum, Isa. 20. In diebus illis saluabitur Iuda. Tertia, quia, qui in vita temporali, quæ per illam significatur viuit, necesse est Euāgelium prædicare.

Liber autem ipse ab Aduentu Sacerdotis ad Altare donec Euāgelium legatur, super Altare remansit, quantum ad hoc significat Ierusalem: quoniam Euangelica doctrina primum in Ierusalem facta est, & ibi permansit ab Aduentu Domini, donec publicaretur Gentilibus. iuxta id. De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem. Ierusalem enim est locus passionis, quæ per Altare etiam significatur. Cæremoniale autem Episcoporum dicit, quod ante pectus librum Euangeliorum tenere debeat Diaconus; hoc fortè ad innuendum, vt prædicator verbi Dei, habeat semper ante oculos suos verba & præcepta Euangelica. Vel ad innuendum illud, quod a perfectore sanctitatis, idest Sacerdote, dicitur in benedictione, scilicet, Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, & cæt. Et liber Euangeliorum significat etiam Christum. Papa Thelesphorus septimus Pontifex ante Sacrificium Euangelium Dei legendum esse (vt fertur) statuit, sicut & Gloria in excelsis: nempe anno Domini 137.

De Benedictione à Sacerdote Diacono danda. Cap. 37.

Diaconus inclinatus petit benedictionem ab Episcopo, vel Sacerdote, dicens intelligibili voce, Iube domine benedicere &c. cui Episcopus vel Sacerdos respondet: Dominus sit in corde &c. & facit super eum signū crucis, quod fit in omnibus benedictionibus: quare hoc nō habet mysticum sensum in præsenti, nisi quod petens benedictionē benedicitur hoc signo; nisi fortè dicere velimus significare licentiam prædicandi veluti fuit data Apostolis ab ipso Christo. Nam quo-

De Sequentia. Cap. 35.

POst alleluia, in aliquibus solēnitatibus dicitur sequentia, plures erāt antiquitus sequentiæ; quę similiter sūt cantica exultationis, ad notandum geminam glorificationis stolam, quam sancti accipient, scilicet, animæ & corporis. Cantatur autem sequentia ab omnibus simul in choro, vt notetur concordia charitatis: talis enim Laus Deo placet. Nothgerius Abbas Sancti Galli in Theutonia primo sequentias composuit, & Nicolaus Papa concessit cantari ad Missas. Hermanus Contractus Theutonicus inuentor Astrolabij, composuit, Alma redemptoris mater, & alia. Petrus Cōpestellanus, Episcopus, Salue Regina misericordiæ, & cæt. Robertus rex Franciæ, Veni sancte Spiritus. Diuus Thomas Aquinas, lauda Sion Saluatorem. Et alij alias, quæ nunc non recitātur propter incertitudinem.

De Euangelio. Cap. 36.

HIs omnibus dictis legitur Euangelium prius a Sacerdote, vel Episcopo, & fertur Missale ad finistrā partem: & circa finem Missæ, iterum redit ad dexteram: quia cultus Dei primo fuit in populo Iudæo, & Iudęa tūc mo erat ad dexteram; deinde Iudæis non credentibus, & verbum Dei tanquam indignis respuentibus, cultus Dei trāsiuit ad gentes, ad quas Apostoli transierunt; & tunc Iudæa fuit a sinistra parte: & circa finem iterum ad Iudęos reuertentur, ad prædicationem Enoch & Eliæ, qui conuertent corda patrum in filios: quoniam in diebus illis saluabitur Iuda, & reliquiæ saluæ fient. Et vt citat Apostolus, Cum conuerterit Dominus captiuitatē plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel; quod de fine mundi intelligit Apostolus illum locum.

Quantum ad Euangelium rubricā Missalis. Rit. 6. sic ait; *Deinde Diaconus dicit: Munda cor meum, genuflexus ante Altare, accepto libro Euangeliorum de Altari, & benedictione à celebrante, osculataque illius manu, præcedentibus thuriferario, & duobus Acoluthis cum luminaribus, seu candelabris de credentia sumptis, vadit cum Subdiacono à sinistris ad locum Euangelij contra Altare versus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duas Acoluthos, tenentes candelabra accensa, dicit, Dominus vobiscum, iunctis manibus cum dicit, sequentia, & c. t. signat librum, frontem, os, & pectus, postea ter librum incensat, hoc est in medio, à dextris, & à sinistris, &c quo finito Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, & à Diacono ter incensatur*; hæc autem omnia declaranda sunt.

Multa hic circa ritum fiunt: primo Diaconus dicit Munda cor meum, & cæt. Concionator enim verbi Dei, debet prius mundari, ne sibi dicatur illud Euangelij, Medice cura teipsum. Luc. 4. & Rom. 2. Qui dicis non mæchandum mæcharis, &c. Mundet igitur prius seipsum, qui vult alios curare: nam doctrina alicuius contemnitur, cuius vita vituperatur.

Accipit secundo librum de Altari; Altare significat, Sacramentum & armarium Scripturæ, & sanctificationis; de cuius scientia, & authoritate omnis vera sumenda est docendi perfectio; Isa. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, & ideo, qui de Sion, hoc est, de visione sacræ Scripturæ non accepit, docere non debet: verbum aut de Ierusalem procedit: quia doctor perfectionis pacem annunciat instruendis. Isa. 52. Quam pulchri super montes pedes annunciantis pacem, prædicantis salutem. Annunciatio enim boni est Euangelium. Et hunc modum tenuit Euangelista Angelus lucis. Luc. 2. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum: &

& post pauca, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Acceptio autem libri, significata est Apoc. 5. vbi dicitur: Vidi in dextera sedẽtis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septẽ. Altare enim thronum Dei significat, in cuius eminentia Deus Rex, & Sacerdos inuisibilis Christus est sedens. Omnia sanctificationis mysteria discernens vt Rex; & perficiens vt Sacerdos, a cuius dextera accipit Diaconus librum, quando virtute dexteræ Dei, vadit ad Euangelizandum, & officium accipit Euangelicum. Vnde post pauca, subdit, ibidẽ. Venit Agnus & accepit de dextera sedentis super thronum librum. De agno enim est Euangelicus liber.

Vel sumitur liber de Altari, quoniã Apostoli de Altari Euangelium acceperunt, cum prædicantes passionem Christi Euãgelizabãt. Vel: Altare hoc in loco significat Iudæos, a quibus transfertur regnum Dei, & datur genti facienti fructum eius. Ex eo, quod Euangelium sumitur de Altari, significatur, quod Euangelium est verbum Dei, quod per Altare significatur. Et propter hoc quidam volentes dicere, (finita Missa,) Euangelium sancti Ioãnis, imprimunt, primo signum Crucis super Altare, & postea in fronte. Sumit autem illum de dextera parte Altaris, quia Ecclesia de Iudęis, a qua nostrum sumpsit exordium, antiquitus fuit in dextris.

Et ponit eum in manu sinistra dexteram supponens: iuxta illud; lęua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: & hoc propter triplicem causam. Prima est, quia Euangelista docet cælestia, quæ per dexteram, terrenis quæ per sinistram intelliguntur, supponi.

Secunda, inclinatur liber super sinistrum humerum, ad notandum, quod Christi prædicatio de Gentili populo, transibit ad Iudaicum, Isa. 20. In diebus illis saluabitur Iuda. Tertia, quia, qui in vita temporali, quæ per illam significatur viuit, necesse est Euãgelium prædicare.

Liber autem ipse ab Aduentu Sacerdotis ad Altare donec Euãgelium legatur, super Altare remansit, quantum ad hoc significat Ierusalem: quoniam Euangelica doctrina primum in Ierusalem facta est, & ibi permansit ab Aduentu Domini, donec publicaretur Gentilibus. iuxta id. De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem. Ierusalem enim est locus passionis, quæ per Altare etiam significatur. Cæremoniale autem Episcoporum dicit, quod ante pectus librum Euangeliorum tenere debeat Diaconus; hoc fortè ad innuendum, vt prædicator verbi Dei, habeat semper ante oculos suos verba & præcepta Euangelica. Vel ad innuendum illud, quod a perfectore sanctitatis, idest Sacerdote, dicitur in benedictione, scilicet, Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, & cæt. Et liber Euangeliorum significat etiam Christum. Papa Thelesphorus septimus Pontifex ante Sacrificium Euangelium Dei legendum esse (vt fertur) statuit, sicut & Gloria in excelsis: nempe anno Domini 137.

De Benedictione à Sacerdote Diacono danda. Cap. 37.

Diaconus inclinatus petit benedictionem ab Episcopo, vel Sacerdote, dicens intelligibili voce, Iube domine benedicere &c. cui Episcopus vel Sacerdos respondet: Dominus sit in corde &c. & facit super eum signũ crucis, quod fit in omnibus benedictionibus: quare hoc nõ habet mysticum sensum in præsenti, nisi quod petens benedictionẽ benedicitur hoc signo; nisi fortè dicere velimus significare licentiam prædicandi veluti fuit data Apostolis ab ipso Christo. Nam quo-

Antiphonis, quia ad Sacerdotes spectat cantare, & laudare Dominum, vt ibidem innuitur.

Et quoniam alleluia futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulū, merito magis tēpore paschali frequentatur, quam alio tempore: quo tempore Christus resurgens dedit nobis futuræ beatitudinis spem. Hieronym. ait: quod, alleluia dicatur in Missa, tractum est de Ecclesia Ierosolymitarum.

Est autem alleluia modicum in sermone, & multum in Neuma, quia gaudium illud maius est quam possit explicari sermone, vel quod gaudiū sanctorum interminabile & ineffabile dicitur: & hoc notat longa intonatio, a. Quid autem sit, Neuma, vide organū nostrum, in capite, Delle pause. Nō dicitur in septuagesima, quia tempore luctus non debet cantari cantus lætitiæ. Hoc autem elicitur ex Concil. 4. Tolet. sub Honorio Papa primo cælebrato, can. 10. vbi dicitur; Statuimus vt omnibus diebus Quadragesimæ, alleluia, non cantetur, quia tempus mœroris est. Nota, quod in quibusdam Ecclesijs cantans, alleluia, sumit aliquid in manu, vt insinuet se Deum nō solum voce, sed etiam opere collaudare: seu manus ducit: iuxta Psalm. 46. Omnes gentes plaudite manibus & cætera. Eadem ratio potest reddi quare cantor (moraliter loquendo) facit tactum dum cantatur figuraliter mysticè loquendo: sed literaliter, hoc facit vt tempus mensuretur; & omnes cognitionem illius habentes vnanimiter concordent. Quod autem interposito versu bis alleluia cantatur, designat, quod interiecta lætitia, sancti geminam lętificationis stolam accipient, mentis & carnis, siue cordis & corporis. Nam secundū stolam mentis, exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Secundum stolam carnis, fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Versus ergo nihil sinistrum aut triste, sed tantum iucundum & dulce debet sonare, quale sunt, Dominus regnauit decorem indutus est. Dominus regnauit exultet terra: Iubilate Deo. Iustus vt palma florebit, quoniam absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quoniam priora transierunt. Hoc ipsum significat, quod in quibusdam Ecclesijs, sequentia post, alleluia, cantatur, suaui iubilo dulcique canore.

Versus dicitur a reuertēdo, eo quod per eum reuertimur ad alleluia, qui post sequitur: quia significat operationem, quæ laudi coniungi debet: nam non bene Deum laudat, qui operari cessat. In nonnullis ecclesijs a pueris cātari solet Graduale, a magnis: quasi, qui pueri sunt, laudi Christi conueniunt, fortes vero in fide, & in tolerando aduersa, qui pugnare possunt, Graduale, cantare debent.

De Tractu. Cap. 34.

Ex institutione Thelesphori Papæ (anno Domini 137. postea a Gelasio 492. confirmati;) a Dominica Septuagesimæ vsque ad vigiliam Paschæ, scilicet, in diebus, & officijs luctus, dicitur Tractus, loco alleluia, quia tunc non cantatur carmen lætitiæ. Dicitur autem Tractus, a trahendo, quia tractim, & cum asperitate vocum, & prolixitate verborum & figurarum, seu notarum cātatur: eo quod laborem, & miseriam præsentis incolatus insinuant. In Tractibus enim repræsentatur longa sanctorum Patrum expectatio: & Iudæorum captiuorum afflictio; qui tempore Babylonicæ captiuitatis super flumina Babylonis sedentes & flentes suspenderunt in salicibus organa sua: quod tempus repręsentat Ecclesia a Septuagesima, cantica lætitiæ subticendo, & Tractus dicendo.

Tan-

Tantum interest inter Tractum, & alleluia, quantum inter lætitiam & luctum. Item, tantū interest, inter respōsorium, cui omnes respondent, & Tractum, cui nemo: quantum interest, inter vitam actiuam, & contemplatiuam. Tractus enim habet plures versus, quia per multa oportet trahi hominem in pęnitentiam, antequam destruatur peccatum. Oportet enim suspendi ab actu peccati, & a voluntate peccandi radices peccatorum excidere, & reliquias longa consuetudine peccandi delere: radices autem vocātur libidines commutabilis boni, quæ causam peccati dederunt. Reliquiæ vocantur tenebrę, quas incurrit homo ex peccato, & difficultates ad bonum, & huiusmodi: & propter ista quatuor, dicitur Ierem. 1. Ego constitui te hodie, super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas: dissipes & disperdas, & ædifices, & plantes. Euelles autem peccati actum pro confessione, destruas peccandi voluntatem, per compunctionis dolorem: dissipes radices per deuotionem: disperdas reliquias per tui peccati elongationē. Dicitur enim ab Angelo ipsi Loth: Egredere de loco isto, & non stes in omni circa regionem. Edifices per virtutū consuetudinem, plantes per operum bonorum in satisfaciendo fundationem.

Per oēs istos versus oportet, quod in asperitate trahamur, & hoc ipso cantu, clerus docet populum. Hoc autem significatur Isa. 14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen: nomen confusionis, quod Babylon interpræstatur, perditur, quando actus peccati perditur. Reliquiæ autem, quando reliquiæ delentur. Progenies autem quando voluntas in dolorem trahitur: Germen autem, quando radices exciduntur. Dicit enim Ambros. quod pœnitere, est radices peccatorum excidere, & eorum sugestionibus vlterius aditum non indulgere. Porro Tractus, quia gemitum, & canticum flebile exprimit: lachrymas sanctorum, siue in actiua, siue in contemplatiua vita, repræsentat. Vnde Tractus dicitur, quia sancti suspirantes ab imo pectoris gemitum trahunt: quia licet gaudeant vt monet alleluia, tamen hic in valle lachymarum commorantes gemūt pro dilatione supernæ beatitudinis: & super flumina Babylonis sedentes Patrię suæ memores, interim lachrymas pro suis, & aliorum excessibus fundunt: dum ex vicinitate Babylonici fluuij seipsos vident sæpè aspersos, & alios penitus immersos: ipsius fluminis rapiditate deorsum ferri.

Sed, quia hic ploratus quandoque est respectu superni gaudij: quandoq; respectu miseriæ nostræ: ideo Tractus quandoque est de lætitia pro superiori irriguo, vt, De profundis clamaui; & etiam vt; Ad te leuaui oculos meos. Et, Qui confidunt in Domino, &c.

Sanè in Dominica Septuagesimę vsque ad feriam quartam cinerum dicūtur Tractus solum in Dominicis diebus, eo quod populus tunc melius cōuenit in Ecclesia, qui indiget edoceri, qualiter captiuitatem diabolicam, per Babylonicam significatam, debet plorare. Tractus enim tempus Babylonicæ captiuitatis repræsentat: sed post dictam feriam quæ est caput ieiuniorum, magis frequentatur: quia tūc magis est tempus mæroris & afflictionis: vt pote, ordinatum ad excutiendum iugum diabolicæ captiuitatis; per mærorem contritionis, & humilitatem confessionis, atque asperitatem satisfactionis; quæ præcipuè ieiunio vigent. Quod autem Tractus maiorem insinuet luctum, quam graduale, per hoc innuitur, quod numquam cū alleluia, canitur, nisi in Sabbatho Paschæ, & hoc propter specialem causam, vt ibi dicetur.

De Sequentia. Cap. 35.

POst alleluia, in aliquibus solẽnitatibus dicitur sequentia, plures erãt antiquitus sequentiæ; quę similiter sũt cantica exultationis, ad notandum geminam glorificationis stolam, quam sancti accipient, scilicet, animæ & corporis. Cantatur autem sequentia ab omnibus simul in choro, vt notetur concordia charitatis: talis enim Laus Deo placet. Nothgerius Abbas Sancti Galli in Theutonia primo sequentias composuit, & Nicolaus Papa concessit cantari ad Missas. Hermanus Contractus Theutonicus inuentor Astrolabij, composuit, Alma redemptoris mater, & alia. Petrus Cõpestellanus, Episcopus, Salue Regina misericordiæ, & cæt. Robertus rex Franciæ, Veni sancte Spiritus. Diuus Thomas Aquinas, lauda Sion Saluatorem. Et alij alias, quæ nunc non recitãtur propter incertitudinem.

De Euangelio. Cap. 36.

HIs omnibus dictis legitur Euangelium prius a Sacerdote, vel Episcopo, & fertur Missale ad sinistrã partem: & circa finem Missæ, iterum redit ad dexteram: quia cultus Dei primo fuit in populo Iudæo, & Iudęa tũc erat ad dexteram; deinde Iudæis non credentibus, & verbum Dei tanquam indignis respuentibus, cultus Dei trãsiuit ad gentes, ad quas Apostoli transierunt; & tunc Iudæa fuit a sinistra parte: & circa finem iterum ad Iudęos reuertetur, ad prædicationem Enoch & Eliæ, qui conuertent corda patrum in filios: quoniam in diebus illis saluabitur Iuda, & reliquiæ saluæ fient. Et vt citat Apostolus, Cum conuerterit Dominus captiuitatẽ plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel; quod de fine mundi intelligit Apostolus illum locum.

Quantum ad Euangelium rubrica Missalis, Rit. 6. sic ait; *Deinde Diaconus dicit: Munda cor meum, genuflexus, ante Altare, accepto libro Euangeliorum de Altari, & benedictione à celebrante, osculataque illius manu, præcedentibus thuriferario, & duobus Acoluthis cum luminaribus, seu candelabris de credentia sumptis, vadit cum Subdiacono à sinistris ad locum Euangelij contra Altare versus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acoluthos, tenentes candelabra accensa, dicit, Dominus vobiscum, iunctis manibus cum dicit, sequentia, & c. t. signat librum, frontem, os, & pectus, postea ter librum incensat, hoc est in medio, à dextris, & a sinistris, &c. quo finito Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, & à Diacono ter incensatur*; hæc autem omnia declaranda sunt.

Multa hic circa ritum fiunt: primo Diaconus, dicit Munda cor meum, & cæt. Concionator enim verbi Dei, debet prius mundari, ne sibi dicatur illud Euangelij, Medice cura teipsum. Luc. 4. & Rom. 2. Qui dicis non mæchandum mæcharis, & c. Mundet igitur prius se, sium qui vult alios curare: nam doctrina alicuius contemnitur, cuius vita vituperatur.

Accipit secundo librum de Altari; Altare significat, Sacramentum & armarium Scripturæ, & sanctificationis; de cuius scientia, & authoritate omnis vera sumenda est docendi perfectio; Isa. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, & ideo, qui de Sion, hoc est, de visione sacræ Scripturæ non accepit, docere non debet: verbum aut de Ierusalem procedit: quia doctor perfectionis pacem annunciat instruendis. Isa. 52. Quam pulchri super montes pedes annunciantis pacem, prædicantis salutem. Annunciatio enim boni est Euangelium. Et hunc modum tenuit Euangelista Angelus lucis. Luc. 2. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum:

& post pauca, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Acceptio autem libri, significata est Apoc. 5. vbi dicitur: Vidi in dextera sedētis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septē. Altare enim thronum Dei significat, in cuius eminentia Deus Rex, & Sacerdos inuisibilis Christus est sedens. Omnia sanctificationis mysteria discernens vt Rex; & perficiens vt Sacerdos, a cuius dextera accipit Diaconus librum, quando virtute dexteræ Dei, vadit ad Euangelizandum, & officium accipit Euangelicum. Vnde post pauca, subdit, ibidē. Venit Agnus & accepit de dextera sedentis super thronum librum. De agno enim est Euangelicus liber.

Vel sumitur liber de Altari, quoniā Apostoli de Altari Euangelium acceperunt, cum prædicantes passionem Christi Euāgelizabāt. Vel: Altare hoc in loco significat Iudæos, a quibus transfertur regnum Dei, & datur genti facienti fructum eius. Ex eo, quod Euangelium sumitur de Altari, significatur, quod Euangelium est verbum Dei, quod per Altare significatur. Et propter hoc quidam volentes dicere, (finita Missa,) Euangelium sancti Ioānis, imprimunt, primo signum Crucis super Altare, & postea in fronte. Sumit autem illum de dextera parte Altaris, quia Ecclesia de Iudęis, a qua nostrum sumpsit exordium, antiquitus fuit in dextris.

Et ponit eum in manu sinistra dexteram supponens: iuxta illud; lęua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: & hoc propter triplicem causam. Prima est, quia Euangelista docet cælestia, quæ per dexteram, terrenis quæ per sinistram intelliguntur, supponi.

Secunda, inclinatur liber super sinistrum humerum, ad notandum, quod Christi prædicatio de Gentili populo, transibit ad Iudaicum, Isa. 20. In diebus illis saluabitur Iuda. Tertia, quia, qui in vita temporali, quæ per illam significatur viuit, necesse est Euāgelium prædicare.

Liber autem ipse ab Aduentu Sacerdotis ad Altare donec Euāgelium legatur, super Altare remansit, quantum ad hoc significat Ierusalem: quoniam Euangelica doctrina primum in Ierusalem facta est, & ibi permansit ab Aduentu Domini, donec publicaretur Gentilibus. iuxta id. De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem. Ierusalem enim est locus passionis, quæ per Altare etiam significatur. Cæremoniale autem Episcoporum dicit, quod ante pectus librum Euangeliorum tenere debeat Diaconus; hoc fortè ad innuendum, vt prædicator verbi Dei, habeat semper ante oculos suos verba & præcepta Euangelica. Vel ad innuendum illud, quod a perfectore sanctitatis, idest Sacerdote, dicitur in benedictione, scilicet, Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, & cæt. Et liber Euangeliorum significat etiam Christum. Papa Thelesphorus septimus Pontifex ante Sacrificium Euangelium Dei legendum esse (vt fertur) statuit, sicut & Gloria in excelsis: nempe anno Domini 137.

De Benedictione à Sacerdote Diacono danda. Cap. 37.

Diaconus inclinatus petit benedictionem ab Episcopo, vel Sacerdote, dicens intelligibili voce, Iube domine benedicere &c. cui Episcopus vel Sacerdos respondet: Dominus sit in corde &c. & facit super eum signū crucis, quod fit in omnibus benedictionibus: quare hoc nō habet mysticum sensum in præsenti, nisi quod petens benedictionē benedicitur hoc signo; nisi fortè dicere velimus significare licentiam prædicandi veluti fuit data Apostolis ab ipso Christo. Nam quo-

modo prędicabunt nisi mittantur Roma. 10. Sic ergo accepto libro benedictionem postulat, & obtinet Diaconus ab Episcopo, vel Sacerdote: nec vere ad Euangelizandum actum minister sufficit, nisi gratia in ipsum a sanctitatis perfectore Deo per benedictionem diuinam descendat in ipsum 2. Corin. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis tamquam ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est. Et Eccles. 43. Multa dicimus, & defecimus in verbis; consumatio autem sermonum ipse est: quasi dicat *Multa dicimus* de Deo & eius effectibus, *& defecimus:* quia excellentia eius est à nobis incompræhensibilis: & per consequens inenarrabilis. *Consumatio autem sermonum ipse est.* Nam ipse solus se cōmpræhendit perfectè, & exprimit in verbo suo sibi consubstantiali, & coeterno. Supra autem diximus, quod perfector sanctitatis, idest, Episcopus, vel Sacerdos, repræsentat ipsum Dominum nostrum Iesum Christum. Sic Isaac benedixit filio suo, Iacob Genes. 27. Sic Iacob filios suos singulos benedixit. ibidem 49. Sic creditur fecisse Ioseph erga filios suos in fine vitæ, licet non sit scriptum.

Sic Legislator Tribubus benedixit. Deuteron. 33. Dicitur enim Hebr. 7. Absque vlla contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur, quod de benedictione sacrante intelligitur sicuti supra diximus in cap. de Gloria in excelsis. Vel. Benedictionem postulat, qa nullus debet prædicare. Nisi mittatur extra. de hæret. cum ex iniuncto. Et Dominus ait Apostolis: Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. 25. distinct. in nouo. Isaias enim cum audisset vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? Respondit, Ecce ego, mitte me. Dixitque Dominus, vade, & dices populo huic: audite audientes; & cæt. Isa. 6. & 8. qu. 1. sciendum.

Rursus, huiusmodi benedictionem præfigurauit Moyses, qui ascendens in Montem accepit tabulas, & benedictionem, & populo mandata proposuit. Et Dominus etiam benedixit ordini Diaconali, cui dedit Spiritum sanctum, & misit ad prædicandum per vniuersum orbem. Pontifex ergo, vel Sacerdos, visibiliter benedicit Diacono, qui lecturus est Euangelium, quod nō fecerat Subdiacono lecturo Epistolā: quia Christus inuisibilis manens legem & Prophetas, qui per Epistolam significantur inuisibiliter misit; sed postquam in terris visus, & cum hominibus conuersatus est, Apostolos & Euāgelistas visibiliter misit; & docuit. Euntes, inquit, prædicate dicentes; appropinquabit regnum cælorum. Illi autem egressi circuibant castella Euangelizantes, & curantes vbique: & mittit eum ad legendum Euangelium, ad notandum quod Christus misit Apostolos ad prædicandum regnum Dei: Diaconus autem ea, quæ sibi in benedictione dicuntur considerans; se corde purum; ore mundum, & opere castum studeat exhibere, quatenus sacrosanctum Euangelium possit dignè proferre; quia puteus aquarum viuentium, idest, prędicatio Euangelica non fluit impetu, idest, libere, nisi de libano, idest, de corde puro, & casto, & ore candido. Non enim est speciosa laus in ore peccatoris; immo peccatori dixit Deus; Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? 3. q. 8. §. quod testatur. Et ideo signo crucis munitur; deinde licentia, & benedictione obtentis, & insuper cruce impressâ, vt securus accedat, (immo in aliquibus Ecclesijs cum cruce ante vadit) procedit ad locum, siue pulpitum cum silentio demissis ad terram oculis, cum libro Euangeliorum. Et in quibusdam Ecclesijs transit de dextera parte chori per sinistram, quia Iudæis respuentibus Euangelium, prædicatum est illud gentibus.

Euan-

Euangelium autem dicitur quasi bonus nuncius, ab Eu quod est bonũ, & Angelus, quod est nuncius; nunciat, enim vitam post mortem, & requiem post laborem, & præmium post seruitium. Est autem Euãgelium principale omnium, quæ ad officium Missæ dicuntur, & toti præminet officio Missæ, sicut caput toti corpori; pertinetque ad doctrinam perfectorum, vt supra diximus.

In nõnullis Ecclesijs Diaconus proficisci volens ad pulpitum lecturus Euangelium, intonat Antiphonam ad Benedictus illius diei, vt notetur charitas, & cantatur sine Neuma, ad notandum, quod Deus non pręcipit nos habere nisi simplicem charitatem vt dicetur de Antiphona.

De osculo manus Pontificis, vel Sacerdotis à Diacono exhibendo. Caput 38.

Diaconus primo dexteram manũ Pontificis osculatur nihil dicẽs; quia prædicator Euangelizare debet pro gloria æterna, de qua sponsa dicit in Canticis: Dextera illius amplexabitur me. Nam & Angelus, qui resurrectionis Christi gloriam venerat nunciare, sedebat in dextera, stola candida coopertus.

Verum, Subdiaconus, vel Diaconus non manus sed pedes Romani Pontificis osculatur; vt Summo Pontifici summam exhibeat reuerentiam, & ostendat eum esse illius Vicarium, cuius pedes osculabatur mulier illa, quæ fuerat in ciuitate peccatrix. Adorandum est enim scabellum pedum eius; quia sanctum est; cuius etiam resurgentis a mortuis pedes mulieres tenẽtes adorauerunt.

Generaliter nemo debet manum Summi Pontificis osculari; nisi cum de manibus eius aliquid accipit, vel cum ad manus eius aliquid tribuit, vt ostendatur, quod ex vtraque debemus ei gratias agere, qui sicut semper dat propria, numquam recipit alienam.

De processione Diaconi cum ad legendum Euangelium vadit. Cap. 39.

Primo loco cum Diaconus vult Euangelium canere, præcedit illum thurifcrarius cum nauicula incẽsi, deinde, duo Acoluthi cum faculis, & demum Diaconus habens secum Subdiaconum a manu sinistra, vt docet rubrica Missalis ibidem.

In aliquibus Ecclesijs Subdiaconus antecedit; quia Ioannes & eius prædicatio, Christum, & eius prædicationem præcessit; portans in quibusdam Ecclesijs puluinar, quod libro supponat. Puluinar supponitur Euangelio, scilicet, quando super pulpitum recitatur, ad notandum, quod suaue est Domini iugum, siue onus Euangelij, illud portare volentibus. Vnde Math. 2. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue; huic iugo, qui subijcitur, omnia subiecta habet secundum Aug. Puluinar ergo suauitas, & dulcedo in mandatis Dei. Vnde Psalm. 83. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus, Et alibi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine. In aliquibus vero Ecclesijs, Diaconus præcedit vt doctor; Subdiaconus sequitur vt auditor; ille præcedit, vt prædicet; iste sequitur, vt ministret. Quod vero ad sinistram pergat, vt docet Missale reformatum, hoc idem potest significare, scilicet, ad adiuuandum Diaconum in ministrando illi.

Post lectionem vero Subdiaconus quasi sufficienter edoctus, præcedit, referens Euangelium, quoniam Euãgelij mercedem de sua ministratione reportat; iuxta id; Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetę recipiet: quem ideo præmit-

tit Diaconus ad Pontificem, vel ad Sacerdotem, vt ostendat se fructum prædicationis referre, de quo Dominus iusserat: Posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

Adhuc Subdiaconus librum, & puluinar reportans, significat, quod prædicator bono opere debet vitam suam Deo offerre. 1. Corint. 10. Omne quodcumque facitis aut verbo, aut opere in nomine Domini Iesu Christi facite. 27. q. vlt. non obseruetis. Quod vero in aliquibus locis præmittatur crux; hoc ideo fit, vt significetur gloriam Diaconi docentis, & virtutem suæ doctrinæ, esse in cruce. Galat. vlt. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Præmittitur etiam crux ad denotandum Diaconum debere prædicare crucifixum. Vel, quod qui intuetur eum per fidem, sanatur a morsu serpentis antiqui; ipse enim est serpens in palo. Vel, præmittit crucem, in signum quod prædicator sequi crucifixum debet. Vel, crux quæ antefertur nobis insinuat, quod vnusquisque voluntate & spiritu, si id corpore non fiat, tamen se se debet crucifigere opere, sicut Christus Dominus verbo docuit. Nam ipse ait; si quis vult venire post me tollat crucem suam, scilicet; animo, & sequatur me. Ipsaque sancta crux Christi vexillum est, quod quilibet verus Christianus imitari debet, veluti veri & fideles commilitones suum imitantur capitaneum, scilicet, ad fidem catholicam contra hæreticos defendendam & protegendã.

More Romano præcedit thuriferarius cum nauicula fumans: vt notetur quod odor bonæ opinionis, & bonæ famæ, & non infamiæ præcedere debet Euangelistam. 2. Cor. 2. Deo autem gratias, quæ triumphat nos, & odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. Christi enim bonus odor sumus, Deo in ijs, quæ pereunt, & ijs, qui salui fiunt. Nam cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contẽnatur. Extr. de sac. vnc. cap. 1. Rursus thuribulum præcedit, vt ipsius Diaconi oratio sicut incensum in conspectu Domini dirigatur.

Post thuribulũ verò præmittit duos cæreferarios cum faculis accẽsis. Primo, quia debet desiderium & gaudiũ in cordibus auditorum accendere, quatenus, & libenter audiant, & humiliter, deuotè, & lætanter obediant. Thuribulum, cæreos siue faculas præcedit, (more Romano) quoniam orationes, & opera, & virtutes, de oratione famam, lucem, & signa præcedunt. iuxta id. Luceat lux vestra: & alibi. Et virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Secundò, præmittit duos Acoluthos portantes cęreos, & incensum, ad notandum, quod Christus binos præmittebat discipulos ad prædicandum ante faciem suam in omnem ciuitatẽ & locum, quo erat ipse venturus, pręferentis miraculorum corruscationes, & virtutum odorem. Vnde reuersi, dicebant: Domine in nomine tuo etiam dæmonia subijciuntur nobis.

Tertiò, ideo præcedunt thuribulũ, & faculæ, quia doctrinam Christi, virtus, & fama præibant, Euangelista testante: Exiuit Iesus in virtute Spiritus in Galilæam: & fama exiuit de illo; & cæt. Demum præcedunt faculæ accensæ, quia vt alibi dicitur, Euangelium repræsentat Christum, qui de se ait; Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris. Vel. Cærei ipsi designant duo testamenta, quibus genus humanum illuminatur: vel, legem, & prophetas. Vel, quando legitur Euangelium duo cærei incenduntur, quod veris christicolis significat, duos populos lumine Euangelij, idest, verbo veritatis illuminatos esse, scilicet, Iudaicum & Gentilem. De vtroq; Christus ait: Habeo alias oues, scilicet, Gentiles, quæ non sunt ex hoc ouili, scilicet, Iudaico populo, quas me opor-

oportet adducere cum his, & fiet vnum ouile, ideſt, vna congregatio fidelis, & vnus paſtor, ſcilicet, Chriſtus. Item, duo cærei illuminati deſignant doctores Eccleſiæ per quos Eccleſia illuminatur; qui debet habere doctrinam vtriuſque teſtamenti. Hinc eſt, quod ipſi cærei plerumque quibuſdã lineis diuerſorum colorum decorantur; ad notandum diuerſos ſenſus ſacræ ſcripturæ. Si lineæ ſunt aureæ vel argenteæ; deſignant quod in ipſis doctoribus eſt aurum ſapientię & argentum eloquentiæ. ait Dur.

In quibuſdam tamen Eccleſijs in diebus profeſtis, ideſt, ferialibus, (aiũt quidam) vnus puer cum vno tantum cæreo Diaconum præcedit: per quod ſignificatur, quod primum Chriſti aduentum, qui humilis fuit & occultus, prçuenit tantum vnus prçcurſor, ſcilicet, Ioannes Baptiſta, qui fuit lucerna verbi. In diebus verò feſtiuis duo cçrei præcedunt; quia in ſecundo aduentu, qui ſolemnis erit, & manifeſtus, duo præmittentur præcones, ſcilicet, Elias & Enoch, qui interficientur ab Antichriſto in Ieruſalem, quod ſignificatur per extinctionem cæreorum.

Poſt hæc Diaconus aſcendit ambonem; (ambo ambonis dicitur pulpitũ, vbi legitur Euãgelium, ab ambitibus, quia locus ille gradibus ambitur.) Aſcendit inquam Auſtrali parte, quia dicitur; Deus ab Auſtro veniet. Aſcendit ſuper ambonem ad notandũ, quod Chriſtus ambit omnes, qui cuſtodiũt verbum Euangelij; & etiam aſcendit, vt poſſit ambiri, & melius ab omnibus audiri, & intelligi. Iuxta illud, Quod dico vobis in tenebris, prædicate ſuper tecta. Et etiam ad ſignificandũm, quia lex Euãgelica deſuper data eſt, vel venit. Euangelium ergo in alto & eminenti loco legitur: quia doctrina Euãgelica dilatata fuit vbique terrarum. Vel: legitur in alto, & alta voce, quia ſanctum Euangelium eſt verbũ Chriſti, in quo eſt omnis veritas; & quia veritas non debet abſcondi ſicut Chriſtus ait; prædicate Euangelium omni creaturæ, & idem manifeſtate nomen meũ omnibus hominibus; ideo oportuit ſanctum Euangelium exaltata voce per Diaconum legi, vt vnuſquiſque fidelis veritatem, ſcilicet, Chriſtum, qui veritas eſt, agnoſceret; & ſanctum eius nomen vnicuique loco manifeſtũ fieret. Et in alto legitur, ne quis ſe ſe excuſare poſſit, quod Chriſtus verbo ſuæ veritatis quoſcumque audire volentes non vocauerit, & peccatum ſe non habere dicat, quo quidem verbo audito nemo ſe excuſet dicente Ieſu Chriſto, ſi non veniſſem & loquutus eis non fuiſſem peccatum non haberent. Immo Chriſtus in occulto loquutus eſt nihil, eo dicente; Et in occulto loquutus ſum nihil. Io. 18.

Epiſtola verò in loco inferiori, quia lex & prophetæ, qui per illam figurãtur, clauſi fuerunt in Iudæa; vnde dicitur; Notus in Iudæa Deus. q. d. tantum, & non vbique. Præterea per Epiſtolam, prædicatio veteris teſtamenti, quæ humilior; per Euangelium noui teſt. quæ excelſior eſt, intelligitur; Doctrina enim Chriſti, vel lex Euangelica, excellit legalem doctrinam. Vnde Hębr. 7. lex neminem ad perfectionẽ ducit; Euãgelium autem dat ſalutem omni credenti ecce differentia magna inter Euangelium & Epiſtolam.

In Miſſa mortuorum iuxta Altare leguntur Epiſtola & Euangelium, ad denotandum, quod quantum ſpectat ad defunctos, non proſunt pręedicationes, quæ viuis publicè fiunt. Ipſis autem cum ſint abſentes, fieri nequeũt publicè, vel occultè; ſed magis ſunt pro ipſis orationes, per quas ad Chriſtum, qui per Altare ſignificatur appropinquante, eis poſſumus releuationem aliquam obtinere.

Antiquitus legebatur Euangelium ſuper Aquilam æneam, vt apparet etiã nunc in aliquibus antiquis Eccleſijs; iuxta illud; & volauit ſuper pennas

vento-

ventorum; & aquila ipsa seu locus, in quo legitur Euangelium, in diebus festiuis aliquo panno lineo, vel serico cooperitur, ad significandum mollitiem cordium Christianorum. Vnde Ezechiel. 11. Ecce cor carneum dabo vobis; & scribam legem meam in cordibus vestris. Locus verò, in quo legitur Epistola, non cooperitur, ad significandum cordium Iudęorum duritiã.

Lecturus Euangelium apponit faciem suam versus Aquilonem, contra illum, qui dixit; Ponam sedem meam ad Aquilonem, & similis ero altissimo. Nam, & secundum Ierem. 1. Ab Aquilone pandetur omne malum. Rectè, contra diabolũ Euangelium legitur, vt illum sua virtutes expellat; quoniam diabolus nihil odit tantum, quantum odit Euangelium. Siquidem Aquilo ventus frigidus, diabolum significat; qui flatu tentationum corda hominũ a Dei timore congelat, atque refrigerat. Cum ergo fides in Euangelio contineatur, quę est armatura nostra contra diabolũ, merito contra illũ legitur.

De Salutatione & responsione populi. Cap. 40.

DVximus Diaconum super pulpitum, nunc audiamus legentem. Legens autem prius salutat populum, deinde signat Euangelium; sequę signat frontem, os, pectus, signo crucis; similiter hoc faciunt audientes. Lecturus Euangelium prius salutat populum vt illum tedat attentum ad audiendum verbum Dei, dicens; Dominus vobiscum; ostendens quoque per hoc se orare, vt Dominus sit cum eis, & obseruat quod Dominus iussit; in quamcumque domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui: Chorus verò & populus respondet, quasi redditus attentus ad illum, & ad quãcumque partem in qua Euangelium legitur se vertit, quia omnibus qui propositum est.

Euangelium autem stando, & non sedendo auditur, sicut statuit Anastasius papa anno Domini 402. & habetur. de consec. distin. 1. Apostolica. vt ad prælium pro fide Christi seruanda promptitudo notetur. Vnde Luc. 22. dicitur: Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat illum. Et ideo in Hispania nudatis ensibus, auditur Euangelium.

Auditur capite discooperto, primo ad significandum, quod propter Euãgelium debemus esse prompti omnia temporalia abijcere a nobis, & abdicare. Vel; fit ob reuerentiam; nam in Euangelio loquitur nobis Christus, & cum Reges, vel principes loquuntur nobis, audimus capitibus discoopertis; ergo multo magis cum loquitur nobis Christus, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium. Secundò, auditur capite discooperto, vt attẽtio esse demonstretur. Nam stare capite discooperto, & nudato cum legitur Euangelium, significat promptitudinem (vt diximus) ad audiendum, & exequendum verba illius: sicut dicitur Ephes. 6. Estote succincti lumbos vestros, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in pręparationem Euangelij pacis. Tertiò, vt quinque sensus aperti sint ad audiendum. Quartò, ad notandum quod omnia, quæ sub velamine, & figura in lege, ac prophetis continebantur, sunt in Euangelio manifestata: nam in passione templi velum, scissum est. Quintò, stat populus capite nudato, significans, quod omnes tam sanctæ doctrinæ reuerentiam & honorem ac gloriam Deo exhibere debent, tanquam doctrinę, quę exuperat omnem sensum. Et cum oramus etiam, standum est capite discooperto vt ait Apost. 1. Cor. 11. Et Tertulianus in Apologet. ca. 36. refert quod in primitiua Ecclesia ita obseruabatur: vt ostenderent se non vereri offerre sanctum sacrificium suarum orationum.

Insu-

Insuper secundum eundem Anast. stantes curui manere debemus, vt humilitatem, quæ a Domino docetur, etiam corpore demonstremus. Aliquando autem genuflectendum est in aliquibus verbis, vt puta, cum dicitur: Et procidentes adorauerunt eum. Matth. 2. Et ad illa verba. Et verbum caro factum est. Io. 1. & hoc quidem fit specialiter vt exhibeamus vicē pro beneficio ibi cōmemorato; quia Christus cum esset Deus, exinaniuit formā serui accipiens. Philip. 2. idest, humiliauit se, carnem humanam accipiendo. Ista autem humiliatio significatur in præallegata sententia, scilicet, Et Verbum caro factum est. Ideo tunc humiliamur in reuerentiam eius, qui se pro nobis humiliauit. Eadem est ratio quare humiliamur in Symbolo cū dicitur: Et Homo factus est: quia illa fuit prima humiliatio Verbi Dei. Et similis humiliatio fit in aliquibus alijs verbis ad honorem Christi cum legūtur verba eius, de quibus facilè erit reddere rationem. Legitur enim apud authenticos scriptores, de quodā monacho, cum audiret legere, Et verbū caro factum est, eo non flectente genua, dęmonem quendam grauem alapam ei intulisse, dicendo; flecte miser, & insensate genua: quia si sicut dicitur, Verbum caro factum est, diceretur, Verbum dæmon factum est, nos a genuflexione numquam cessaremus: hæc Tostat. parte 1. in Matth. q. 32. In aliquibus Ecclesijs autem deponūtur tunc baculi & arma: primo ne imitemur Iudæos in conspectu crucifixi arundines & arma ferentes. Secundò, ad notandum quod Christo prædicāte omnes legales obseruantiæ, quæ per baculos significabantur, depositæ sunt. Tertiò, depositio huiusmodi, humilitatem notat: & Christianæ perfectionis esse non se vindicare, sed Domino reseruare vindictā; iuxta illud: Qui te percusserit in vna maxilla præbe ei & alteram. 23. qu. 1. auditur etiā cum silentio, quia omnia promissa patribus impleta sunt.

Pontifex seu Sacerdos cælebrans, dum legitur Euangelium, faciem vertit ad illud, ad notandum quod Christus prędicatores Euāgelij semper ad adiuuandum respicit: stans super scabellum, (scilicet Pontifex) ad designandum, quod per huiusmodi prædicationē omnis aduersa potestas debellatur, & Christus pedibus submittitur.

Diaconus deinde responso, Et cum Spiritu tuo, dicit: Sequentia, si non est principium Euangelij, si est principiū, tunc dicit; Initium Sancti Euangelij, & cæt. Signans deinde librum, seipsum, & demum thurificans Euangelium.

Signat autem librum signo crucis, ac si dicat, hic est liber, seu Euangelium Dei, signum verò crucis, significat, hic est liber crucifixi, signatio vero tantum, significat hoc est Euangelium Dei, quod prædico. 1. Cor. 1. prędicamus vobis Christum crucifixum.

Signat deinde frontem, quia ibi est sedes verecundiæ & gloriæ, vt significet se non erubescere Euāgelium, sed gloriari in cruce, quam Euangelium prædicat. Rom. 1. Non erubesco Euāgelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti Iudęo primū, & græco.

Os autem signat, vt ore confiteatur veritatem in salutem. Psal. 30. Domine labia mea aperies, & os meum annunciauit laudem tuam. & Ps. 70. Repleatur os meum laude tua, ut possim cantare, &c.

Pectus autem signatur, ut significetur quod corde est credendum, uel quod corde credit. Rom. 10. Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem. & ibid. Quod si confitearis ore Dominum Iesum, & corde tuo credideris, saluus eris. Psal. 115. Credidi propter quod loquutus sum. Sic ergo signat se populus, qui stat erectus, vt diximus, vt mentem

ad

ad Deum dirigat. Psalm. 5. Mane astabo tibi & videbo, &c.

Signat ergo se Diaconus, & populus in fronte, in ore, & in pectore siue in corde, ne diabolus, qui bonis operibus insidiatur, tollat ei per erubescentiam deuotionem de corde, uel sermonem de ore. q. d. Ego Christi crucem non erubesco, sed eam ore prædico, & corde credo. Rursus nos in ore signamus, ad designandum, quod de verbis Euãgelij debet esse locutio nostra. In pectore, ad designãdum, quod verba Euangelij debent nos percutere in pectore, & in mente. Si expositum est sanctiss. Sacramentum, Sacerdos non signet Altare vt alias, vt docet cęremoniale nouum lib. 2. cap. 23. de feria 5. cœnæ: his verbis: *cum Episcopus post Missam dicturus erit Euangelium; In principio erat verbum, &c. nullum signum faciet super Altari vt alias:* ratio esse potest, quia signum crucis significat passionem Christi, & Sacramentũ est ipsam passionem recolit, Altare verò significat Christum, cum ergo in ipso Altari sit Sacramentum præsens, non est opus maiori recordatione & memoria. Vel. Christus ibi in maiestate positus non est necesse recordatione improperij ipsius, quantum spectat ad Altare quod significat Christũ, licet quo ad memoriam nostram semper debemus illam considerare: & ideo dicit quod nullum signum faciẽdum est super Altari; sed nõ dicit, nos non debere signare frontem, os, & pectus. Vel. Dicit nullum signum faciẽdum esse super Altari, quia sicut ait Apostol. Petrus 1. cap. 3. Christus semel mortuus est, quod videretur repetere mortem & passionem si faceret signũ crucis, ubi, vnde adest vna commemoratio, scilicet, sanctiss. Sacramentum, quod est memoria passionis: vt patet in illis verbis. Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriã facietis. Sic intelligendum quando adest super Altari Sanctissimum Sacramentum & non in tabernaculo.

Dicto sequentia sancti Euangelij, &c. populus lætus de tam bono nũcio, conclamat in laudem Christi dicens: Gloria tibi Domine. q. d. Gloria tua, quæ nobis in Euangelio prædicatur, nobiscum sine fine permaneat, & semper crescat.

Quod autem thurificet Euangeliũ, hoc ideo facit, quia per incensi fumũ bona prædicationis opinio ĩtelligitur. Insuper thus in inceptione Euangelij super librum dirigitur vt fragrantia virtutum Euangelij significetur. Vel, thurificatio denotat quod quilibet fidelis puro corde verba sanct. Euangelij cum humilitate, & suauitate, animique mansuetudine, reuerẽter quoque suscipere debet, quod Iacobus apertè docet dicens: Cum mansuetudine suscipite insitum verbum, scilicet, Euangelij, quod debet inseri in cordibus vestris. Idque denotat, quod quisque fidelis cum charitate & vera fide, verbum Dei intelligere, & corde sentire debet, quemadmodum adolemus thuris significationem. Orare quoque nos decet prius petentes quod Dominus Iesus in suum sanctum Euangelium veram intelligentiam nobis concedat. Nam per thuris fumigationem sancta & deuota oratio intelligitur. Apocal. 8. Ascendit fumus incensorũ de orationibus sanctorum omnium super Altare aureum coram Deo.

Deinde Diaconus manibus iunctis, sanctum Euangelium cantat, denotãs quod sua voluntas iũcta est sanctæ doctrinæ quam legit, & piè ita corde credit. Tunc fidelis populus stans, idest, pedibus erectis, audit verba sancti Euangelij; Quod itaque sic a sanctis Patribus statutum fuit vt supra tactũ est: nempè a B. Anastasio summo Pontifice; vt de consec. dist. 1. Apostolica.

Hic notatione dignum est, quod Sacerdos dicto sequentia sancti Euangelij, &c. & responso, Gloria tibi Domine: incipit Euãgelium. Et sæpè hoc modo;

modo; In illo tempore dixit Iesus,&c. quod, si est ad Altare vbi asseruatur Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, meo quidē iudicio (saluo semper meliori) ad illa verba, dixit Iesus, deberet dirigere faciem inclinatam ad modū reuerentiæ, ad Sanctiss. Sacramētum: saltem pro prima vice, (quando sępius iterandum) ne erret Sacerdos sæpius faciem dirigendo ad ipsum Sacramentum. Et ratio est, quia ibidem, adest verus Iesus Christus. q.d. Iste Iesus qui hic verè est, dixit hæc, discipulis suis, vel turbis: similiter debet facere hoc in fine Euangelij antequam deosculetur Missale, quasi gratias agendo illi de tāto beneficio nobis facto; quod fuit dando Euangelium, nobis promittens æterna præmia. Quod ibi sit, nulli dubium est: nam ipse ait: Matth. vlt. ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi: quod omnes expositores intelligunt de præsentia in Sacramento Altaris. Et ibidem sunt omnia (secundum Ambros. in lib. de sacram.) quæ fuerunt realiter in vtero Virginis, scilicet, corpus, anima, sanguis, & diuinitas: non tamen est passibilis, sed impassibilis.

Circa autem hanc explanatam pręfationem notatione dignum est, quod Euangelijs, quæ in Ecclesijs leguntur generaliter duæ pręfationes prępon ũtur. Prima est. Initium sancti Euangelij. Secunda autem est: Sequentia sancti Euangelij. Siquidem prima præfatio pręmittitur principio cuiuslibet euangelij quatuor Euangelistarū, scilicet, Euangelio Matthæi: Liber generationis: & ita de cæteris principijs aliorum Euangelistarum. Et tunc non subijcitur illis. In illo tempore: quia in ipsis principijs agitur & determinatur certum tempus: vnde esset nugatio: & superfluerent verba illa. Secūda autem præfatio præmittitur omnibus alijs Euangelijs. Et dicitur sequētia; quia verba ipsa, quæ legenda sunt sequuntur post initiū, velut diximus, quæ præcedunt Euangelio vnde sumpta sunt: quare cum dicitur: Sequentiā, supplendum est, sunt verba sancti Euangelij, &c. Vel, sequentia est numeri singularis: & tunc cum dicitur, Sequentia sancti Euangelij secūdum Matthæum, suppletur, hæc est.

Sanè in Euangelijs quibus ipsa secunda præfatio proponitur, subijcitur quandoque, In illo tempore: & aliquando non subijcitur. Siquidem sine, In illo tempore, dicuntur quando ex eorum verbis certum est de tempore, vt præmissum est, & tunc incipiunt per aliquam determinationem regiæ, vel alterius potestatis: vt illud: Anno quintodecimo Tiberij. Vel, per simplicem rei gestæ, narrationem certum tempus determinantem: vt illud; Cum natus esset Iesus. & illud. Cum factus esset Iesus annorū duodecim. & illud. Vespere autem Sabbathi. Reliquis verò Euangelijs, subijcitur: In illo tempore: estque sensus: In illo tempore, scilicet, gratiæ: de quo ait Apost. 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile. de pænit. dist. 1. ecce.

Insuper, Euangelium legitur in ecclesia quandoque secundum historiā, vt illud quod dicitur in die Paschæ. Maria Magdalenæ, &c. & illud quod cantatur in Natali de pastoribus.

Quandoque secūdum allegoriam, vt illud quod legitur in festo Assumptionis B. Mariæ: in quo fit mentio de Maria & Martha. Intrauit Iesus in quoddā castellum, ut ibi explanamus.

Quandoque secundum rem, ut illud de sancta Trinitate: ubi dicitur; Baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Quandoque secundum personam, ut illud quod cantatur in festo sancti Thomæ Apostoli: ubi dicitur: Thomas unus de duodecim. Quandoque secundum partem; ut illud quod dicitur in festo sanctæ Crucis de Nicodemo; ubi dicitur: sic oportet exaltari filium hominis. In quo uerbo Christus significat suam

passionem & exaltationẽ corporis sui in cruce. Et propter hanc clausulam legitur hoc Euangelium in illo festo. Et in festo sancti Michaelis propter illam, Angeli eorum semper vident faciem patris mei. Et illud. Liber generationis, &c. propter vltimam particulam in qua fit mentio de Christo. Quandoque secundum totum, vt illud quod legitur in die circumcisionis postquam consumati sunt dies octo, & cæt. Quandoque secũdum tempus: vt illud, quod dicitur in prima die Quadragesimæ, scilicet, propter ieiunium cum ieiunatis. Quãdoque propter Litanias, vt illud, si quid petieritis, &c. quod dicitur in Litanijs in quo fit mentio de duabus, scilicet, de pane & pisce. Et quandoque propter locum, vt illud quod legitur in Dominica sexagesimæ; exijt qui seminat seminare semen suum. Hæc omnia dilucidius infra in expositione totius Missalis patebunt.

Subdiaconus autem, dum legitur Euangelium sini[s]tram manum supponit libro: vel retro stat, si est super pulpitum, vel ambabus manibus, si infra; & caput etiam supponit tenendum: vt ostendatur quod per opera legis, nemo saluabatur, nisi se supponeret futuro Messię: nam in nomine venturi saluabantur: & supra diximus, quod per Subdiaconum vetus test. siue lex vetus intelligitur, quæ lex ad gratiam disponebat, non tamen præbebat: ergo supponebat se nouo testamento, siue Euangelio. Literaliter autem, quia Subdiaconus debet ministrare Diacono tamquam inferior, in omnibus: vt patet ex dictis; mox finito euangelio munit se Diaconus, & populus signo crucis, ne diabolus semen Euangelij susceptum de vase signato subripiat. Quod dicitur de euangelio circa signũ crucis, dicitur etiam de canticis, scilicet, Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis: quia sunt de euangelio, & ideo eadem est ratio.

Sacerdos verò in Missis priuatis statim finito Euangelio osculatur illud, ad notandum se ex charitate Euangelizasse, & amore proximi: auditores similiter se muniunt signo crucis contra diabolum: ne semen verbi Dei in eis suffocetur, Luc. 8. Volucres cæli comederunt illud. Significat pectora, ne diabolus sermonem Domini rapiat de pectoribus suis. q. d. Deus nos faciat perseuerare in iugo Euangelij Christi, siue in doctrina eius. & vt significent se habere in corde, quod ore expresſũ fuit. Et nonnulli dicunt amen. Et bene. q. d. verum est, quod audiuimus in Euangelio. Vel amen, idest, fiat nobis, quod Dominus policetur in euãgelio. Nęem. 8. Benedixit Esdras Domino Deo magno. Et respondit omnis populus, amen. Et eleuantes manus suas incuruati sunt, & adorauerunt proni in terram. Alij dicunt, Deo gratias, de tanto bono nuncio. Tamen Ecclesia Romana a Spiritu sancto recta, præcipit, vt respondeatur, laus tibi Christe: quæ laus cõpetit soli Deo, & Euangelio nobis concesso.

In Missis solemnibus a Diacono finito Euangelio, Subdiaconus nulla facta reuerentia Altari, portat librum apertum, in folio, vbi est principium Euangelij cantati, & illum offert osculandum Episcopo, nulla facta ei reuerentia nisi post libro clauso. Iste mos offerendi librum ad deosculandum Euangelium sumptum est ex more antiquæ seu primitiuæ Ecclesiæ, quia tunc omnes religiosi, qui adorant Missæ sacrificio deosculabantur Euangelium, & omnibus illis offerebatur, nũc autem defertur tantum Episcopo, vel Sacerdoti cælebranti in absentia Episcopi. Hoc ait Ionas Episcopus Aurelianensis in præfatione lib. 2. de cultu imaginum aduersus Claudium [p]ręsulem Taurinensem. Fortè hoc fiebat, quia osculum est signum pacis & amicitiæ, & Euãgelium pacem cum Deo prædicat; vt ergo omnes hanc pacem confi-

confiterentur, ac haberent inter se, viri religiosi deosculabantur Euangeliũ, vt Christo Deo verò vnirẽtur, qui mediator huius pacis, scilicet, inter Deum, & hominem extitit.

Deinde Diaconus thurificat illum, siue Sacerdotem cælebrantem, si non est Episcopus. Episcopus thurificatur, & Euangelium osculatur. Primo ad notandum, quia quod Christus inspirauit, & docuit, hic approbat, & acceptat. Deus enim nihil accipit nisi, quod efficit; nec remunerat nisi quod donat, quia sicut cuncta, quæ facit, bona sunt; sic nulla sunt bona, nisi quę fecit. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona. Genes. 1.

Secundò, apertum librum osculatur, ad signandum quod scire debet; immo nuda ac aperta sibi esse debent, quæcumque sunt in lege. Luc. 8. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. & Malac. 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirũt supple subditi, de ore eius; extra de hære. cum ex iniuncto. Tertiò, quia ipse solus intrat in sancta sanctorum. Quartò, quia huiusmodi osculum significat affectum amoris ad Euangelium, qui præcipuè in episcopo vigere debet adeo, vt paratus sit mortem pro eo subire 25. q. 1. violatores. Quintò, offert ad osculandum episcopo vel Sacerdoti, ad notandum ipsum debere delectari in fide fidelium: quæ infusa est in eis, & patefacta per euangelij prædicationem: quæ prius in lege fuerat clausa. Fertur euãgelium demum Episcopo, qui Christum significat ad osculandum, idest, ad prædicationem acceptandam, & non ante, ad figurãdum quod Deus illam dumtaxat prædicationem acceptat, quæ fit ex amore & charitate. Ex his elicitur, quare Subdiaconus ita euangelium portat, nulla facta reuerentia Altari, quia ipse Episcopus repræsentat Christum. Literaliter, quia alias ita incedens cum libro aperto forte caderet.

In Missa autem pro defunctis Euangelium non fertur pontifici ad osculãdum: tum, quia tunc præmissæ rationes cessant: tum, quia in Missa illa, omnis solemnitas subtrahitur, ne festiuæ solemnitates misceantur cum mæroribus desolationis; nec osculatur librum, vt dicit rubrica.

Subdiaconus portat librum Euangelij, & Diaconus vacuus redit: vt ostendat se prædicatione finita, contemplationi vacare. Veniens autem prius ad legendum Euangelium, ferebat librum, ad notandum quod ipse non solum debebat docere, sed etiam facere. Redit etiam ad Episcopum, vel Sacerdotem, vnde venit, ad notãdum quod omnis doctrina a Deo est, & ad ipsum reuertitur.

Liber Euangelij, & thuribulum ad Pontificem reportantur: quia ad eum omnia bona referenda sunt, a quo cuncta procedunt. Nam & Apostoli prædicatione peracta ad Christum reuersi sunt referentes ei gratias de miraculis & prædicationis profectu. Sacerdos minister Põtificem, qui Christum designat, incensat ad ostendẽdum, quod Sacerdotis maximè officium est oratio nis ignitum sacrificium, quod per incensum significatur, Christo offerre, non solum in expiationem delicti, verum etiam in gratiarum actionem.

Recitandi Euangelium in Missa cõsuetudo est antiquissima. Audi Concil. Valent. Hispaniæ. Inter cætera hoc cẽsuimus esse obseruandum, vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationem in Missa Cathecumenorum in ordine lectionum post Epistolam legantur. Thelesphorus Gręcus instituit legi (vt fertur) Euangelium ad Missam anno Domini 137. Item, ne Missa ante Tertiam cælebraretur; & quod tres Missæ cælebrarentur a quolibet Sacerdote in die Natiuitatis Christi.

De prędicatione. Cap. 41.

SI erit habendus sermo (quem Episcopo celebrante, ab eo fieri consueuit, vel ab aliquo Canonico presbytero) siquidem Episcopus erit concionaturus, id faciet in propria sua sede, &c. Deinde paulo post, *si Episcopus ante Altare sermonem habuit, reuertitur ad sedem suam, vbi dicit; Credo in vnum Deum, vel, Dominus vobiscum, prout conuenit:* Ex his verbis cæremonial. patet, quod habenda est concio statim post lectionem Euangelij. Post Euangelium ergo fit populo prædicatio, quasi Euangelici verbi Expositio: qui modus sumptus est ex libro Næem. in principio, vbi legitur. Et legerunt Leuitę in libro legis Dei. Nehemias autem Sacerdos, & Esdras scriba interpraetabantur populo vniuersa. Præterea monebantur antiquitus, qui in fraterno odio erant, vt ad concordiam venirent priusquam cómunicarent, & munéra offerrent priusquam apparerent coram Christo Saluatore nostro, cui manifesta sunt abscondita cordium, ex quo siquidem prædicandi vsus in Ecclesia inoleuit. Inde etiam est, quod oratio Dominicalis in Missa dicitur alta voce, quia ibi continetur hæc monitio, scilicet, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Notatione autem dignum, quod prædicandi munus nullus suscipere debet, nisi cui committitur: aut cui ex officio sibi iniuncto incumbit. Quomodo prędicabunt nisi mittantur. Roma. 10. Et ideo prædicaturus licentiam petit, dicés: Iube Domine benedicere. Debet autē prædicator esse in loco eminentiori, sicut & Euangeliū legens: nā Iesus videns turbas ascendit in monté: & aperiés os suum docebat eos. Et Esdras fecit gradum ligneū ad loquédū.

Prædicatio autem secundum Ambros. quæ Christiana est, debet esse sine pompa, sine cultu sermonis. Et secundum Gregor. prædicator debet esse discretus in silentio: vtilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. 44. distinct. sit rector. Misit enim Christus Apostolos suos dicens; Ite in mundum vniuersum prædicate Euangelium, non prędicas fabulas: iuxta id Psalm. 118. Narrauerūt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Laudes etenim Iouis cū Christi laudibus non conueniunt, vt 86. distinct. cum multa. nec multum laudatur, qui fabulas prædicando illas moraliter populo exponit. Glos. ibidem. nam.

Non bene conueniunt nec in vna sede morantur,
Maiestas & amor, &c. supple, carnalis & lasciuus.

Item, prædicatoris & Episcopi vita (cuius officium est prædicare vt supra ostensum est) ad maximam obligatur obseruantiam: quia quanto status altior est, tanto debet esse vita sanctior: ne alijs prædicantes efficiantur reprobi. Vnde D. Hieronym. ait: Quid aliud est bene prædicare & peruerse agere, quam proprio ore se ipsum condemnare? Item, qui bene prædicat & male viuit Deum docet qualiter eum condemnare debeat, vt habetur. 40. dist. multi. Vnde Gregor. 7. Moral. Zelus animarum est acceptissimum sacrificium Deo. Si tamen ordinate fiat, scilicet, vt homo prius habeat curam proprię salutis, & postremo aliorum: alioquin nihil prodest homini si vniuersum mundum lucretur: animæ vero suæ detrimentum patiatur. Matth. 17. Nam vita Sacerdotis est alijs in exemplum imitationis posita, vt ex interpretatione nominis pręsbyter dicitur quasi præbens iter populo, & ducatum in verbo Dei, & bono exemplo. Hinc ait Gregor. Omnes, qui Sacerdotis nomine censentur, Angeli vocantur. Illud notandum valdè est, quod vbi ad calcem concionis deuentum erit, breui Epilogo quo argumentum ac capita

totius

totius concionis, renarret, vtatur. Id enim ad captum ac fulciendam memoriam auditorum plurimum fecerit.

Sed quare Ecclesia inhibuit mulieribus prædicationis officium 1. Corin. 14. Mulieres in Ecclesijs taceant. Et 1. ad Timoth. 2. Docere mulieri non permitto. Et de consecr. distin. 4. mulier. Respond. Thom. & rectè 2. 2. qu. 177. Duplici ratione. Prima, ne animi hominum alliciantur ad libidinem. Ecclesiast. 9. Colloquia mulieris quasi ignis. Bernard. Stare cum mulieribus, & immunem se conseruare, maius est quã mortuos suscitare: sequitur. Quod minus est non potes, & quod maius est vis vt credam tibi? Secunda ratio, quia mulier non est in sapientia perfecta, sicut vir, vt possit ei communiter committi publica doctrina. Si dicatur quod Magdalena, Catherina, & Cecilia prædicarunt, dic quod hoc fuit ex priuilegio particulari Spiritus sancti, & priuilegia paucorum non faciunt legem communem. Audiant ergo mulieres & velato capite. Sed cur velato capite? Quia homo (ait Ambros.) est imago Dei, mulier vero est imago hominis ex quo formata fuit. Amplius subdit, quod mos erat antiquus, quod serui portabant capita cooperta, aut ligata quibusdam ligaturis: ita quod supradicta differentia erat inter seruos & liberos. Vult ergo Deus quãdo sumus ante conspectum suum cognoscamus nostram qualitatẽ & conditionem. Homo, qui superior est domus, & qui iubet & præcipit alijs, debet habere caput discoopertum, velut liber & Dominus; sed mulier, quia est inferior & subdita homini, debet portare caput coopertum, confitendo hoc modo qualitatem & conditionem suam. Et hoc præcipit Apostolus. 1. Corint. 11. Et item D. Petrus in sua canonica; ideo sileant mulieres, & velent capita sua.

Oportet eum, qui docet & instituit, semetipsum aptare pro ingenio discentium, atque dirigere suum sermonem pro capacitate audientium: nam, qui docet ea, quæ ab auditoribus nequeũt intelligi, nõ propter eorum vtilitatem, sed propter sui ostentationem id facit. Vnde Gregor. Homil. 17. Qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium nullatenus suscipere debet. In Concil. Carthag. de consecrat. distinct. 1. Sacerdote. Statutum vt Sacerdote verbum, scilicet, prædicationis in Ecclesia faciente; qui egressus de auditorio fuerit, videlicet contemnens, excommunicetur. Ehu, quot sũt hodie, qui tantum quatuor verbis auditis, discedunt. Nota secundum Hug. septem esse genera prædicandorum; quæ continentur in hoc versiculo.

Sacra, fides, virtus, vitium, laus, præmia, pena.

Quasi dicat, sacra, idest, prædicanda sunt septem Ecclesiæ Sacramenta: fides, idest, duodecim articuli fidei: virtus, idest, virtutes Theologicę quomodo acquirantur; vitium, idest, peccata mortalia, vt vitentur; laus, idest, pręconia, exempla, & vita Christi, atque sanctorum. Præmia, idest, merces electorum; pęnæ, idest, pęnę, & damna reproborum supple, prædicanda sunt a concionatoribus.

Prædicationum variæ sunt species secundum varias ætates Ecclesiæ in vsu sanctorum habitę. Primus modus prædicandi fuit ille quem habuit Christus, & facilis sine themate, & totus in parabolis ad modum antiquorum prophetarũ vet. legis, de quo extãt aperta Euãgelistarum testimonia, & prophetarum oracula. Secundus prædicandi modus fuit ille quẽ habuerunt Apostoli: vt patet ex Actibus Apost. quos scripsit Lucas: & ex proprijs historijs singulorum: qui modus & si fuerit sine themate certo: fuit tamen aliquantulum curiosior & artificiosior primo.

Ter-

Tertius modus prædicandi fuit apud antiquos & sanctos Doctores Ecclesiæ qui post decantatum Euangelium à Diacono subijciebant ipsi Homiliam Euangelij declaratiuam, nunc ad sensum literalem, nunc vero ad alios sensus spirituales populum instruentes. Postea vero crescente & numero & curiositate fidelium auditorum subcreuit etiam & diligentia prædicantium: qui ad noua audienda semper aspirãt, ideo alium modum prædicandi magis subtilem & artificiosum inuenerunt: qui erit ordine quartus: de quo modo datur talis diffinitio. Prædicatio est thematis explicatio; a Sacerdote Ecclesiæ facta, ex charitate & scientia procedens: qua non solum fideles, sed etiam infideles instruit, de his quæ pertinent ad legem diuinam, siue naturaliter inditam, siue supernaturaliter reuelatam. In qua explicantur quatuor causæ prædicationis. Efficiens principalis, est Sacerdos Ecclesiæ: quia ille est proprius minister prædicationis de communi iure. In casu tamen necessitatis, Diaconus vel Subdiaconus idoneus potest, vel etiam alius minister. Causa efficiens instrumentalis notatur in eo quod dicitur ex charitate & scientia procedens: qui sunt habitus animam prædicatoris inclinantes ad rectè prædicandum. Causa materialis in qua recipienda est prædicatio sunt auditores tam fideles quam infideles. Sed causa materialis circa quam est thema sermonis quasi principale subiectum attributionis in tota prædicatione. Causa finalis proxima est cum dicitur de his credendis & agendis quę pertinent ad legem diuinam: quia intentio prædicatoris, debet esse vt fideles instruat in fide & moribus. Finis vero extrinsecus & mediatus est dirigere homines in vitam æternam. Per hoc quod dicitur secũdum legem Diuinam: denotat fundamentum principale prædicationis, quod debet esse sacra Scriptura, seu lex diuina reuelata vel indita hominibus; quamuis minus principaliter prædicatio aliquando, & raro fũdari possit in rationibus naturalibus aut moralibus, atque etiam in authoritatibus Philosophorũ & poetarũ, de quibus Aug. ait: l 2. de vita Christiana: quod si alicubi vera dixerunt & fidei nostræ consona: ab eis tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum sunt vendicanda.

Expletoque sermone Diaconus, qui cantauit Euangelium, & cæt. Deinde post pauca; *Et Episcopus stans sine mitra in eodem loco legit absolutionem, videlicet, precibus & meritis, &c. & dat benedictionem* & reliqua quæ sequuntur ex cærem.

Post prędicationem ergo fit confessio, & indulgentia pro commissis & ommissis conceditur; vt sic conscientijs emundatis (iuxta id *Psalm. 76.* Et scopebam spiritum meum:) & purgatis: accedant singuli ad communionis Sacramentum, saltem spiritualiter si non Sacramentaliter; quæ communio spiritualis fit per fidem operãtem per dilectionem: iuxta illud Aug. Crede, & manducasti: de consecrat. distin. 2. vt quid.

De Symbolo. *Cap. 42.*

HAbita concione mox cantatur alta voce, Credo in vnum Deũ, quoniam corde creditur ad iustitiam; ore autem cõfessio fit ad salutem. Roma. 10. Ideo sancta Mater Ecclesia, vt ostendat quod verbum, siue prædicationem fide & corde recepit, mox fide Symbolum ore decantat. Symbolum post Euangelium fidem post prædicationem ostendit. Ioan. Hęc eo loquente multi crediderunt in eum. Marcus Romanus instituit cantari post Euangelium anno Domini 338. aiunt nonnulli.

Symbolum autem Græcè, Latinè sonat iudicium, vel signum, vel collatio: tum, quia regulam fidei plenam indicat

indicat & perfectam: tum quia simul in vnum fidei continet articulos. Triplex autem est Symbolum, primum, est Symbolum Apostolorum, quod vocatur Symbolum minus, quod videlicet ex institutione Damasi Papæ, dicitur submissa voce in Horis canonicis, puta ad Primam, ad Matutinum, & ad Completorium. Et illud dicitur à Syn, quod est con, & bolos, quod est sententia, quia compositum fuit ex diuersis verbis Apostolorum, sicut pueri in festiuis conuenientes afferre solent bolos, idest frustra carnium, idest, partem carnium, & panes; quæ in vnum collecta Symbolum vocantur, idest, collectio minutiarum 44. distinct. non oportet. Traditur enim, quod antequam Apostoli inter se diuiderentur ad prædicandum, illud composuerũt, & vnusquisque suam apposuit sententiam, siue bolum, idest, partem; Petrus dixit; *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli, & terræ*; & ita fecerunt reliqui, sed non in scriptis illud fecerunt; quod apud omnes manifestum est.

Idcirco autem (ait Isidor. lib. 2. cap. 22. de Eccles. offic.) hoc patres nostri non scribi membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, vt certum esset neminem ex lectione scriptorum vitio deprauata, hæresim hausisse vt fieri solet; sed ex Apostolorum traditione fidem didicisse Catholicam. Discessuri itaque, vt dictum est, ad prædicandum istud vnanimitatis & fidei suæ Apostoli indicium posuere. Est autem Symbolũ, per quod agnoscitur Deus, quod quique proinde credentes accipiunt. In quo quidem pauca sunt verba, sed omnia continentur Sacramenta. De totis enim scripturis hęc breuiatim collecta sunt ab Apostolis; vt quia plures credentium literas nesciunt; vel qui sciunt præ occupationibus sæculi scripturas legere non possunt, hæc corde retinentes, habeant sibi sufficientem scientiam salutarem. Est enim breue fidei verbum, vt olim a Propheta Isaia cap. 10. prædictum, Verbum breuiatum faciet Dominus super terram. hæc ille.

Diuiditur autem hoc Symbolum in tres partes. Prima agit de creatione. Secunda de redemptione ibi: *Et in Iesum Christum*, & cæt. Tertia, de sanctificatione, ibi: *Credo in Spiritum sanctum*, & cæter. vsque ad finem, vt etiam supra ostensum est.

Hoc autem Symbolum minus non dicitur alta voce, sed tacite: Primò dicitur in silentio, quia compositum adhuc fide non publicè prædicata; & continet fidem implicitam, & non explicitam, quæ a singulis intelligi possit. Vel dicitur sub silentio, quia fides adhuc non erat propagata; & insecreto compositum fuit, quod non est ita de Symbolo Niceno. Vel, quia in primordio Ecclesiæ non ita clarè, & in palam fides confitebatur: quia multi latitabant.

Dicitur autem sub silẽtio in Prima, & in Completorio. In prima, ad notãdum, quod in primitiua Ecclesia præsertim tempore passionis Christi prædicatores, & fidei professores siluerũt. In Completorio, ad notandum, quod similiter in fine sæculorum Antichristi persecutione inualescente, illorum ora claudentur. Dicitur tamen alta voce ab eo, qui ordinatur in Episcopũ ad denotandum, quod propter fidem in eo contentam debet fortiter vsque ad sanguinis effusionem pugnare. Nã episcoporum est proprium, sanguine tueri fidem catholicam.

Secundum Symbolum est *Quicumque vult saluus esse*, ab Athanasio Patriarcha Alexandrino in ciuitate Treueri compositum: hoc tamen potest dici tertium; nam Nicenum, de quo est habendus sermo, fuit prius in Nicena Synodo Compilatum. Tertiũ Symbolum est Nicenum, 15. distin. cap. 1. scilicet, *Credo in vnum Deum*, & cęt. quod Damasus Papa ex condito vniuersa-

uersalis Synodi apud Constantinopolim cælebrare instituit, & in Missa cantare patenter; quamquam & Marcus Papa primus statuisset illud alta voce cantari: & vocatur Symbolum maius; duplici de causa vt puto. Primo, quia plures fuerant ad compositionem huius Symboli, scilicet. 318. episcopi; & Minus, solum 12. homines, nempè duodecim Apostoli fuerunt. Secundo, quia plura verba sunt in hoc Symbolo quam in minori, vt patet legenti. Et hoc etiam continet duodecim clausulas siue partes. Vsus cantandi Symbolum ad Missam, creditur a Græcis peruenisse.

Cantatur autem publicè, & altè ad Missam; primo, quia publicè factum est, & expressius cum explanatione fidem continet. Secundo, quia sic alta voce omnes illud addiscere possunt. Omnis enim Christianus tenetur publicè fidem catholicam profiteri; propter quod in fronte signatur. Tertio, ideo in Missa patenter dicitur, ad notandum quod hodie fides catholica liberè prædicatur & docetur. Quarto, quia non cantatur Symbolum Synodi nisi in solemnitatibus, in quibus aliqua mentio fit de Symbolo; sicut in omnibus Dominicis, quæ sunt de resurrectione, Natiuitate, Ascensione, & festo Spiritus sancti, & infra octauas ipsorum, propter octauam resurrectionis; & in festis B. Mariæ virginis; quia de ipsa fit etiã ibi mentio: & in festis Apostolorum, quia credimus, sanctam ecclesiam Catholicam & Apostolicam. Et in festo dedicationis ecclesiæ: quia credimus sanctam ecclesiam. Et in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ fuit Apostola Apostolorum, prædicauit resurrectionem alijs discipulis & Apostolis Christi. Et in festo Sanctæ crucis, quia credimus crucifixum. Potest etiam dici in festo sancti Io. Baptistæ, fit enim ibi mentio de prophetis: qui loquutus est per prophetas. Dicitur in festo doctorũ, quia Symbolum & fidem Catholicam explanarunt & prædicarunt. Et in festo Angelorum qui nunc Ecclesiam, defendunt, sicut olim Synagogam. Quibusdam tamẽ videtur in festiuitatibus Angelorum non esse Symbolum decantandum, eoquod Angeli numquã habuerunt fidem, sed speciem, non credentes, sed agnoscentes. Martyres autem, quia communiter non prædicarunt fidem catholicam nisi martyrio, & de martyrio non fit mentio in Symbolo, ideo non cantatur in festo martyrum.

Sanè Episcopus seu Sacerdos illud incipit solus, ad designandum, quod omne bonum a Christo (quem ipse repræsentat) procedit, dicendo *Credo in vnum Deum*. Nam omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum. 1. quæst. 1. quam pio.

Ne autem musicus ille cælestis dicat: Cantauimus vobis: & non saltastis; chorus Euangelicæ doctrinę consona voce respondet, & solemni tripudio fidem catholicam profert, dicens: *Patrem omnipotentem, &c.*

Episcopus seu Sacerdos illud incipiens stat erectus ante medium Altaris manibus extensis sursum eleuatis, quas iungit postquam incæpit. Siquidem Sacerdos vel Episcopus Christũ repræsentans, stat erectus: ad notandum Christum semper paratum esse cunctis spiritualia bona largiri. Et ante Altaris medium; ad innuendum, quod non est personarum acceptator; sed quantum in ipso est, semper omnibus æqualiter influit nec angulum diligit neque sinum.

Manus extendit, ad designandum quod paratus est abundanter benemeritis illa largiri: sursum tamen eleuatis, quasi ipso facto ostendens, quod quæ sursum sunt quærere, atq; a Deo misericordiam poscere, & in eo solo sperare debere, qui est pater omnipotens, vt dicitur in principio Symboli.

Deinde postquam inceperit manus iungit, quia ei soli de perceptis bonis gratias agere, & nos humiliare debemus. Et quoniam Symbolum verbum est Euangelicum quo ad sensum, ideo stando illud audire debemus. Sicut & Euangelium: & ita finito, nos signo crucis signare debemus. In quibusdã Ecclesijs, vt in Ambrosiana cantato Symbolo, populus cantat Kyrie eleyson, quoniam postquam Christus & Apostoli docuere fideles, fide recepta, laudes Deo dederunt; quas forsitan repræsentat suauissimi Symboli melodia. Nunc restat vt declaretur Symbolus, tum minus, quam Nicenum.

Diuisio & Expositio Symboli Apostolorum. Cap. 43.

DIVVS PETRVS, DIXIT.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. Et ibi siluit ipse. In capitulo præcedenti distinximus Symbolũ, in tres partes: nũc restat vt nonnulla de eo dicamus. Symbolũ ergo istud Apostolorũ quod præ manibus habemus ab Apostolis cõfectũ esse, narrat Clemens in Epistola ad Iacobũ fratrẽ Dñi: Hieronymus ad Pãmachium aduersus hæreses Ioannis Ierosolymitani. Augustinus Ser. 115. de tempore. De quo etiam Symbolo, ait Epiphanius quod Marcellus scribens Iulio Episcopo Romano, dicit: Hoc symbolum ab Apostolis fuit editum, quorum vnusquisque apposuit vnam clausulam, quam appellant articulum: & cum fuerunt tantum duodecim Apostoli, erunt secundum hãc computationem duodecim articuli. Primus autẽ articulus pertinet ad Patrẽ, scilicet, *Credo in Deũ patrẽ omnipotentẽ creatorẽ cæli & terræ.* Sex sequẽtes ad filium, articulus, scilicet, de generatione æterna, ibi; *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominũ nostrum;* Articulus de conceptione & Natiuitate, cum dicitur; *Qui cõceptus est de Spiritu sancto natus ex Maria Virgine;* Articulus de passione, morte, & sepultura, ibi, *Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus mortuus, & sepultus.* Articulus de descensu ad inferos, & de eius resurrectione, cum dicit; *Descendit ad inferos tertia die resurrexit a mortuis.* Articulus de eius ascẽsione, cum dicitur; *Ascendit ad cælos sedet ad dexterã Dei patris omnipotentis.* Et articulus de eius aduẽtu ad iudiciũ, ibi; *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.*

Alij quinque spectant ad Spiritum sanctum; quorum primus est de eius persona, cum dicitur. *Credo in Spiritum sanctum.* Secundus, de opere eius, quo vnxit & sanctificat Ecclesiam, ibi; *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.* Tertius, de remissione peccatorum, cum subditur; *Remissionem peccatorum.* Quartus, verò de resurrectione mortuorum, ibi: *Carnis resurrectionem.* Vltimus, de retributione mortuorum, cum concluditur. *Vitam æternam. Amen.*

Hi autem duodecim articuli figurati sunt Iosue. 4. vbi dixit Dominus ad Iosue. Elige tibi viros singulos per singulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, duodecim lapides, quos pones in loco castrorũ, vbi fixeritis hac nocte tentoria. Quæ verba sunt secundum eundem Dei patris ad filium suum Iesum: qui elegit duodecim viros, quos & Apostolos nominauit. Duodecim lapides durissimi sunt duodecim articuli fidei, qui tolluntur de medio Iordanis alueo, idest, de media scripturæ profunditate, vbi steterunt pedes Sacerdotum, idest, affectiones sanctorum Patrum, Patriarcharum, & prophetarum. Ponuntur autem in loco castrorum, idest, in sancta Ecclesia, quæ est vt castrorũ acies ordinata: in qua noctis præsentis vitę, quæ est speculum in ænigmate, figunt tentoria omnes fideles, vt diabolo resistant fortes in fide. 1. Pet. 5.

Doctores autem catholici ponunt duplicem fidem, scilicet, explicitam, & implicitam: & secundum hanc distinctionem aliquis articulus, vel aliqua veritas, explicitè creditur, & aliqua implicitè; fides explicita est actualis assensus catholicæ veritatis, vt assensus istius propositionis & similium; omne reuelatum a Deo est verum. Fides implicita, est fides, seu assensus habitualis, vel credulitas omnium veritatum, quæ in bona consequentia inferri possunt ex aliqua generali explicitè credita; ex cuius cognitione implicitè cognoscuntur omnia, quæ in bona consequentia eliciuntur ex illa generali. v.g. assensus actualis huius veritatis, Omne contentum in Sacra scriptura canonica est verum, est fides explicita; sed assensus omnium inclusarum in illa, quæ formali consequentia elici possunt ex illa generali, vt assensus istarum, In principio creauit Deus cælum & terram; Deus fecit hominē ad imaginem & similitudinem suam: Christus lauit pedes discipulorū suorum; & similium: est fides implicita; de quibus posset esse fides explicita, si actualiter immediatè, & particulariter cognoscerentur, & crederentur. Habens igitur fidem infusam omnia credibilia credit implicitè, etiā si actu nihil appræhendat, & careat usu rationis, vt infantes baptizati. Vnde si aliquis credat, sicut Ecclesia credit; & dissentit huic, Abraham habuit plures vxores, credens ita Ecclesiam sentire, ille implicitè credit istam, Abraham habuit plures vxores, quia sic credit Ecclesia; & explicitè eam di credit. Hæc ergo fides implicita, qua fidelis credit quicquid Ecclesia credit, vtilissima est catholico; quæ si fuerit in corde, defendit eam ab omni hæretica prauitate, vt ait doctor Ocham in tractatu de Sacramento Eucharistiæ; cap. 1. Non enim hæreticari potest qui corde credit, quicquid Ecclesia credit esse verum; quoniam talis numquam pertinaciter alicui errori fidei contrario adhæret; si enim aliquid erroneum credit, postquam sibi ostenditur contrarium Ecclesiam credere, illico corrigit errorem.

Circa ergo hunc primum articulū, cum dicitur; *Credo in Deum.* quod dicit *Credo*, idem est ac si dicat, corde assentior, deuotione tendo in Deum; qui paternitate sua principium est totius diuinitatis; ab ipso enim est filius per generationem, & ab eo, & filio, est Spiritus sanctus per processionem. Quod sequitur; *omnipotentem*; nomē est essētiale; Hester 13. Domine Deus rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere tuæ voluntati. & Rom. 9. Voluntati eius quis resistit? Ita ergo dicitur Deus omnipotēs. Quod autem sequitur, *Creatorem celi & terræ*, ad eumdē pertinet articulum, sicut effectus pertinet ad suam causam Genes. 1. In principio creauit Deus cælum & terram. & Ps. 101. In principio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarū sunt cæli. & Colos. 1. In ipso condita vniuersa in cælo, & in terra.

Item, cum dicitur *Credo in Deum* nota quod iste Deus noster, qui vnus est, & in quem credere debemus, naturaliter, essentialiter, totaliter, purè ac infinitè bonus est, immo bonitas ipsa, & ex consequenti appetibilis. Natura enim Dei, Deo ipsi summe & incomparabiliter extat amabilis, & amāda, atque superdilecta, imo ratio amādi quæcumque alia, cum nihil aliorū amabile sit, nisi inquātum aliquid diuinæ bonitatis participat: quia Deus ipse tantæ consistit bonitatis, vt eius respectu nihil creatum sit bonum, quantumlibet in suo genere bonum dicatur; vnde Mar. 10. Nemo bonus nisi solus Deus.

Ideo ipse solus infinitè amabilis, appetibilisque consistit, & præcipuè propter suam propriam puram & incomparabilem bonitatem.

Est similiter immensus, cum vbiq; sit præsentia maiestatis, & non mole corporis. Hæc immēsitas Dei quatuor complectitur. Primò, infinitatē, quia cum in Deo idem sit potentia, & essentia, sicut essentia est infinita, ita & potentia erit infinita; non negatione solum, & per abnegationem finis, nec priuatiuè, eoquod sit apta nata finiri, sed contrarie, cum habeat cōtrariam dispositionem ad finiendum. Est enim Deus infinitus non secundum dimensiuam quantitatem, quæ in Deo non est; sed secundum quantitatem virtutis, perfectionis, & essentię.

Secundò, eadem immensitas complectitur incomprehensibilitatem, cū a creatura comprehendi, siue cognosci, eo scilicet, modo, quo est comprehensibilis, non possit: est enim intelligentia nostra ad illam lucem, sicut visus vespertilionis ad lucem solis. Et sicut visus corporalis tripliciter impeditur, videlicet, per tenebras, per falsā lucem, & per auersionem a re visibili; ita eodem modo impeditur visus spiritualis circa cognitionem Dei. Impeditur autem per tenebras peccati, vel erroris. 1. Io. 2. Qui facit peccatum in tenebris est. Per falsam lucem, vt cum quis metitur ęterna secundum naturalia. Per auersionem a re visibili, vt vbi quis spreto incommutabili bono, mutabilibus rebus adhęret; talium oculis, cum sint ęgri, odiosa est lux; purisque mundis amabilissima est. Gustu autem cognoscitur dumtaxat a bonis, quibus dicitur Ps. 33. Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Cognoscibilium verò quædam sunt infra rationem, vt quę sensum percipimus, sicut sensibilia; quędam iuxta, vt quę ratione intelligimus, sicut vera, falsa, iusta, & iniusta, &c. quędam supra, vt quę sola diuina reuelatione compræhenduntur, aut authoritate scripturarum, vel Ecclesiæ, creduntur.

Tertiò, immensitas compræhendit incircumscribilitatem; cum Deus sit vbique, & tamen nusquam est; quia nec abest ab vllo, neque circumscribitur loco. Vnde Ierem. 23. Deus omnia implet, cum sit intra omnia, & vbique præsens sit; & extra omnia, quia omnia continet, nec vsque valet coarctari. Vnde hæc præpositio, extra, dicit non modo actualem præsentiam ad locum, sed & potentialem, quæ est Dei immensitas; cum infinitos mundos implere posset si infiniti essent. Ipse etiam est super omnia, quia omnibus præsidet, nec aliquid ei æquatur. Infra omnia, quia cuncta sustinet, & sine ipso nihil consistere potest.

Ante enim mundi constitutionem fuit, vbi nunc est, videlicet, in seipso; cum ipse sibi sufficiat.

In rebus tamen Deus est multipliciter, quia est vbique per essentiam, ex quo est immensus; per præsentiā, quia omnia videt, & quia omnia nuda, & aperta sunt oculis Domini. Hebr. 4. & per potentiam, quia vbique operatur; non enim moueri potest folium arboris, quin concurrat Deus, tamquam causa principalis. In bonis est per gratiam. Io. 15. Qui manet in me, & ego in eo. Per gloriam in Beatis. Per vnionem in carne humana. Dicitur etiam esse alicubi per occultorum reuelationem: Genes. 28. Verè Deus est in loco isto. Item, & per vestigiorum eius excellentem repræsentationem; Quo modo dicitur esse in cælo, quia ibi maximè relucet sua potentia, sapientia, bonitas; Vel, per naturæ identitatem, & hoc modo filius est in Patre, Pater in filio, & ambo in Spiritu sancto. Similiter & per miraculorum operationem. Exod. 8. Digitus Dei est hic.

Item, & per gubernationem, & conseruationem, sicut in mundo. Vnde Bernar. Deus vbique regnat, vbique imperat, vbique maiestas eius omnia replet, & complectitur vniuersa. Est & in Angelo, vt decor; vt veritas in anima. Sicut sapor in Ecclesia. In domo, vt pater familias. In electis vt li-

berator a malis, adiutor ĩ bonis. Deus etiam in anima fideli est, vt Sponsus in thalamo, Rex in regno, turris in castro, fons in hortis, lux in tenebris, thesaurus in agro, carbunculus in auro, manna in arca, sigillum in carta, cythara in conuiuio, imago in speculo, sicut fructus in arbore, oleum in lampade, & lilium in conualle.

Secundò, nota quod hoc nomen, pater, in hoc articulo, intelligitur prima in diuinis persona, quæ ab æterno filium genuit, sibi consubstantialem, coæternum, & in deitate æqualem: ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur. Ephes. 3. Pro cuius articuli dilucidatione, nota tertio, quod hoc nomen, Pater, dupliciter sumitur secundum doctores præcipuè Biel in canone Missæ, Lect. 20. videlicet, essentialiter & notionaliter, siue personaliter. Primò modo accipitur, quoties Deo attribuitur respectu creaturæ, quæ ab ipso dependet in esse & conseruari: & hoc modo cõuenit omnibus tribus personis simul, & singulariter singulis. Tota enim Trinitas Pater, filius, & Spiritus sanctus, vnus Pater est, sicut vnus Deus, vnus Dominus, vnus creator omnium; & singula persona Pater est, sicut singula Deus est; non tamen tres patres, sed vnus creaturæ pater. Ephes. 4. Vnus Deus & pater omnium. Cum enim oramus & dicimus Deo; Pater noster qui es in cælis, sumitur, Pater, eodem modo videlicet essentialiter; sicut & Deuter. 32. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, & creauit te? Altero modo sumitur notionaliter, vt est proprium primæ personæ, quæ a nullo est; & sic est dictio personalis, vnam tantum personam importans: quo modo semper accipitur, quando ponitur respectu prædicati, personalẽ proprietatem importantis, etiã cũ exclusione cæterarum personarũ; veluti cum dicimus: Pater a nullo est, nec factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens. Similiter Pater genuit sibi filium coæternum, & consubstantialẽ. Hoc etiam modo sumitur a Christo. Io. 10. Ego & pater vnum sumus: & ita generaliter accipitur, quoties in scriptura discernitur a persona filij, & Spiritus sancti, & specialiter in hoc articulo præposito, scilicet, *patrem omnipotentem* vbi sumitur pater notionaliter pro persona patris distincta contra personam filij, & Spiritus sancti. Similiter, & 2. Pet. 1. Non indoctas fabulas sequuti: & paulo post ait: Accipiens a Deo patrem honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Ibi sumitur, pater, notionaliter, cum per paternitatem innotescat nobis pater.

Nota secundum Theologos, quod fides catholica credit Deum; credit in Deum: & credit Deo: credere Deum est credere ipsum esse: Credere in Deũ est credendo amare & diligere Deum; ac in eum tendere per charitatem, & bona opera. Credere autem Deo, est credere verbis ipsius, idest, credere quod quicquid dicit in sacra scriptura illud esse verum. Primum, & tertium, bonorum & malorum est: sed secundum, bonorũ tantũ, quia credere Deũ & credere Deo, commune est bonis & malis; nam & dæmones etiam credũt; sed in Deũ credere, specialiter est bonorũ, scilicet, per charitatem & veram dilectionem seruando eius mandata.

Demum nota quod omnes hæretici in doctrinis suis duodecim articulos fidei, contrarij inueniuntur, idest, cõtrarium sensisse: & dixisse alicui ex duodecim articulis directè, vel indirectè, principaliter vel inductiuè: ita vt possit dicere de Ecclesia illud Psalm. 79. Singularis ferus depastus est eam. Equidem primus singularis ferus, qui depastus est, & multas vites destruxit de vinea Ecclesiæ, docens contra primum articulum fidei, fuit Arrius asserens

rens tres Personas Diuinas differentes quamquam fateatur tres Deos, & tres essentias diuinas, maioremque vnum altero. Contra illud Deuteron. 6. Dominus Deus tuum vnus est. Quod Ecclesia fatetur in Symbolo dicens; *Credo in vnum Deum.* vt patebit in sequenti Symbolo.

D. ANDREAS.

Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum. Et hic tacuit.

Secundus autem in Concilio fuit Andreas frater eius, qui posuit suum bolum, dicendo: *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum.* Incipit autem hic secunda pars de redemptione. Quod autem dixit, & in Iesum Christum, notat personam mediatoris. quasi dicat credo, *& in Iesum Christum*. Quod autem dixit, *Filium eius vnicum* in filio eius notat & generationis processionem, & connaturalitatem diuinitatis, quæ inter hominem generantem est & genitum; si ab ipso naturaliter & substantialiter generatur. Et cum deitas nec secundum esse, nec per naturam possit multiplicari: oportet quod inter generantem & genitum consubstantialitas esse credatur. Quod autem dicit, *vnicum;* notat, quod totam gloriam Patris possedit; & eam cum alio secundo genito non diuisit. Et quod dicit, *Dominum*; notat, quod omnium diuitiarum sit possessor, & largitor. Et quod dicit *nostrum:* notatur, quod noster debitor ex sua charitate, qua nostra in se suscepit sit effectus. Ecce ergo alteram in Trinitate personā hic est Iesus, qui saluū facit populum suum à peccatis eorū: hic est Christus oleo lætitiæ præ consortibus vnctus: hic est enim vnicus Patris filius, de quo Dauid cantat: filius meus es tu: Ego hodie genui te. Et Apost. Galat. 4. Misit Deus filium suum natum de muliere, factum sub lege. Hic est Dominus noster, qui nos creauit, qui nos seruos alienos prætio sanguinis eruit.

Amplius. *Et in Iesum Christum,* inquit, *Filium eius vnicum Dominum nostrum*. Filium eius, idest, Patris, *vnicum*, idest, vnigenitum. Vbi demonstratur, quod licet filius procedat a Patre, & Spiritus sanctus similiter, vnus est tamen filius, qui procedit per modum generationis Iesus Christus. Nō sic Spiritus sanctus, qui procedit per modum spirationis. Vbi August. 1. de Symbolo, vel regula fidei, ad Catechumenos cap. 1. ait; quamdiu audis vnicum Dei Filium, agnosce Deum: Si enim verus est filius, hoc est, quod Pater: & sic si Deus, Pater erit & Deus filius: quicquid enim est id, quod generat, est etiam id quod generatur. Non enim generat homo equum, aut ouis canem, sed homo hominem, & Deus Deum. Et quia vnus, scilicet, est ipse Deus, ideo, inquit, *vnicum.* Et ex consequenti, quando audis, *vnigenitum,* crede omnipotentem, & Creatorē: quia quicquid habet Pater, habet Filius. Vnde Ioan. 16. omnia quæ habet Pater mea sunt.

Si quęratur cū in Symbolo Athanasij dicatur, Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus; quare Dominum magis appropriatur filio, quam Patri, & Spiritui sancto: similiter & nostrum: cū opera ad extra sint indiuisa secundum Augustinum, Respond. Alexand. de Ales. 3. part. sum. quæst. 82. art. 2. quod quoddam dominium est increatum, & quoddam creatum. Primum non appropriatur filio, sed secundum, ad ipsius honorem: vt inquantum homo, Dominus etiam creaturæ credatur. Dicit enim de seipso Matth. vltim. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Et Psalm. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Vbi glos. Potestati eius omnia subiecisti, vt omnes eum adorent. Dicitur etiam noster, quia participat nostram naturam, quam sibi vniuit, in

vnitate

vnitate personæ, quod nec Patri, nec Spiritui sancto conuenit, cum neuter horum sit incarnatus. Dicitur etiam noster propter executionem mysterij redemptionis nostræ in carne humana.

Rectè etiam vnicus, & solus est, quia natus est, nec comparationem ali quam habere potest, quia vnicus est. Hic ergo Iesus Christus vnicus Filius Dei, in quem credere debemus, & qui etiam est Dominus noster vnicus, & ad filium referri, & ad Dominum potest. Vnus est quippe filius, vere filius: & vnus verè Dominus Iesus Christus; cæteri vero homines licet dicantur filij, adoptionis gratia tantum tales efficiuntur, non veritate naturæ. Et si dicantur alij Domini, concessa, non inge nita potestate dicuntur. Hic vero solus est vnicus filius, & solus vnicus Domi nus; sicut & Ephes. 4. dicitur: Vnus Pater Deus, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, cui est gloria in sæcula sæculorum.

Hic etiam filius dicitur Verbum Patris, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut enim verbis nostris hoc agimus, cum verum loquimur, vt animus noster innotescat audienti, & hoc conamur & verbis, & ipso sono vocis, & vultu, & gestu corporis, vt animum ipsum nostrum in nobis quidem manentes, (quoad fieri potest) cognoscendum & perspiciendum animum auditoris inferamus, quod intus est demonstrare cupiētes: Sic Deus Pater, Verbum, ad seipsum indicandum genuit, quanquam hæc similitudo infinitam dissimilitudinem habeat. Vnde etiam & virtus & sapiētia eius dicitur, quia per ipsum operatus est & disposuit omnia. Verbum autem dicitur, quasi verum, boans, idest, manifestans: ipse enim incarnatus, ait; Ioan. 16. Ego sum via, veritas, & vita. Contra & hunc articulum insurrexit alius ferus.

Secundus autem ferus singularis, fuit Sabellius hæreticus contra secundum articulum dogmatizans & asserens Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnam esse eandemque personam, quæ aliquando vocatur Pater, aliquādo Filius, aliquādo spiritus sanctus 1. Ioan. 5. Tres .s. personæ, quod fatetur Ecclesia non solum in Symbolo Apostolorum, sed etiam in Symbolo Athanasij, vbi dicitur; Alia est Persona Patris, alia filij, alia Spiritus sancti. Vide in psalterio nostro Romano ad Primam, in expositione illius Symboli.

IACOBVS MAIOR.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. & hic finem posuit.

Tertio loco sequitur Iacobus maior, qui dixit; *Qui conceptus est de Spiritu sancto natus ex Maria Virgine.* Hæc enim duo, Conceptio, & Natiuitas ad idem pertinent Sacramentum incarnationis; quia consumatio conceptionis est Natiuitas. Quod autem dicit; de Spiritu sancto, præpositio quidem notat potestatem & operationē: ac si dicat, Qui conceptus est de potestate & operatione Spiritus sancti; nō autem notat substantiam vel misericordiam; quia qui de substantia alicuius conceptus est, filius eius est, Christus autem non est filius Spiritus sancti, secundum temporalem generationem, quia secundum illam generationem non est factus de substantia Spiritus sancti. Quod autem dicitur, Natus, intelligit duas natiuitates; vnam in vtero, qua Christus naturam nostrā assumpsit, & sibi vniuit; & aliam ex vtero, qua de vtero in lucem processit; i ō reseratis claustris virginei pudoris. Et ideo dicit; De Maria Virgine: quod sicut fuit illibata ante partum, ita fuit in Conceptione sine concupiscentia. Et in grauidatione sine pondere. Et in partu sine dolore. De conceptu dicitur Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet

niet in te, & cæt. De Natiuitate dicitur Matth. 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Ecce primũ Christi Sacramentum, scilicet, incarnatio. quasi dicat Credo in Christum Iesum, qui cum sit Deus, factus est homo non ex virili semine; sed conceptus operatione Spiritus sancti; Natus ex Maria Virgine. Isa. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, idest, nobiscum Deus.

Item ait. *Qui conceptus est de Spiritu sancto natus ex Maria Virgine.* Necesse est enim Christiano, credere nõ solum Filium Dei, sed etiam credere incarnationem eius; quam incarnationem nobis insinuat Ioan. 1. cum dicit; Et Verbum caro factum est; & hoc quidem factum est tunc, quando ex purissimis Beatissimæ semper Virginis Mariæ sanguinibus, virtute Spiritus sancti formatũ est corpus Domini nostri Iesu Christi in eius vtero; & animatum anima intellectiua a Deo immediatè creata, & dicto corpori infusa, ac vnitum Verbo diuino in vnitate hypostatica.

Hæc autem incarnatio se habet ad similitudinẽ Matrimonij de quo Eph. 5. dicitur: Sacramẽtum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & Ecclesia; vbi nobis duplex explicat spiritiale Matrimonium. Primum, personæ filij Dei cum natura humana, cum dicit; In Christo: Quod Matrimoniũ, siue vnio Christi cum Natura humana, dicitur Incarnatio filij Dei. Secundum vero filij Dei incarnati cum Ecclesia; quód notatur cum dicitur, Et Ecclesia. Sed de hac vnione nihil ad præsens; de prima ergo quę maximam habet similitudinem cum carnali matrimonio, dicamus; quia omnes ferè conditiones quæ in carnali obseruantur matrimonio, reperiuntur in Incarnatione filij Dei. In matrimonio carnali quædam sunt antecedentia, quædam concomitantia, & quædam consequentia. Prima, sunt sponsalia, quæ nuptias antecedunt. Secunda, nuptiæ ipsæ, & mutua contrahentium donatio, eo quod concomitetur hinc inde omnium bonorum, & titulorum communicatio respectiuè. Tertia, sunt cõsequentia, videlicet fidelis cohabitatio & generatio; quæ omnia eminentiori & perfectiori modo obseruata fuere in incarnatione filij Dei.

Primo ergo fuerunt sponsalia siue promissio de futuro cum Abraham; quando dictum est ei Genes. 22. In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Et cum Dauid Psalm. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem meam. Vnde D. Hierony. super Math. cap. 1. ait; Quod horum duorum dicitur filius; quia ad hos tantum de Christo facta fuit promissio; quæ fuit quasi duplex denunciatio.

Secundo, fuerunt nuptiæ, hoc est, mutuus hinc inde consensus, quando videlicet, Virgo semper & immaculata Maria, Angelo assensum præbuit, dicens; Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Et fuit hinc inde facta donatio, cum natura humana communicans filio Dei humanitatem; & filius Dei communicauit Naturæ humanæ suum existere, & attributa, ac essentialia, & quæcumque conueniunt essentiæ Diuinæ per communicationem idiomatum; sic quod propter hanc communicationem prędicantur nunc de supposito, in quo humana subsistit natura; ob quam caussam humana natura est dotata honoribus, priuilegijs, titulis, & prærogatiuis filij Dei. Vnde dicimus ab eo tempore quod homo est filius Dei, omnipotens, creator, gubernator omnium, immensus, æternus, &c. Natura etiam humana communicauit personæ filij Dei suas conditiones; per quas filius Dei dicitur homo, corporalis, passibilis, mortalis, passus, & mortuus; & ita de alijs quę non important defectum, seu deformitatem.

Tertio, in Incarnatione filij Dei, siue in hoc matrimonio eiusdem cum

humana natura fuerunt consequentia ad matrimonium, videlicet, fidelis, & indiuidua cohabitatio: Natura enim humana in Christo inuiolatam seruauit filio Dei fidem: ob quam causam, dicebat Ioan. 8. Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper.

Præterea sicut in matrimonio carnali relinquit homo Patrē, & matrem vt adhęreat vxori suæ, sic Christus, vt adhæreret Naturæ humanæ reliquit patrem descendendo tñ Ioan. 6. Exiui à Patre, & veni in mundum: quod sic intelligitur, quia antequam veniret in mundum, non habebat Naturam humanam, nec matrem; & hæc dimissio intelligitur de secunda persona in diuinis, quo ad aliquem effectum personalem: quia videlicet contraxit matrimonium cum Natura humana, & assumpsit eam in vnitate suæ personæ, & non Pater. Ideo non dicimus, quod Pater in diuinis sit homo, neque quod homo sit Pater. Intelligimus ergo in hoc articulo Christum Filium Dei, ex tempore de Spiritu sancto cōceptum, & ex Virgine natum: quemadmodū multo ante Isa. cap. 7. prophetarat dicens; Ecce virgo concipiet & pariet Filium, &c. In quo articulo innuitur primo, quod Spiritus sanctus dominicæ carnis & templi eius, est formator: sic tamen vt intelligas totam Trinitatem hoc adorabile mysterium cooperatam esse, vt patet in responsione Angeli ad B. Virginem, dicens; Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et quod nascetur, ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Vbi per, altissimum, intellige Patrem, fontem & authorem deitatis. Adest etiam virtus altissimi, videlicet filius, qui propriè carnem assumpsit. Adest & Spiritus sanctus, cui hoc opus specialiter attri tunt scriptura sibi dedicat.

Sequitur. *Natus ex Maria Virgine.* Ex quibus verbis Niceni Concilij scriptura adimpletur prophetico mysterio perpetuam integritatem Virginis Mariæ, repræsentans, cum ait Ezech. 44. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, eritque clausa Principi. Clausa fuit in ea virginitatis partu, & soli Deo Christo Principi patuit, respiciens ad Oriētem, vnde sol oritur (vt ait D. Cyprianus) numquam occidens, qui visitauit nos oriens ex alto. Luc. 1. Vt illucescat his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Per hanc portam prodijt sol iustitię, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Spectabat autem portam ad viam sanctuarij exterioris, quoniam ea Natiuitas erat contra vulgarem hanc nostram scilicet, natiuitatem, nihil habens admixtum humanæ concupiscentiæ; suscipiens Verbum carnem non est mutatum in carnem, quia manens Deus suscepit hominem; Virginem vero designat ex nomine videlicet Maria, idque non temerè: quod & Lucas fecit, dicens: Missus est Angelus ad Virginem, &c. Subdens ait: & nomen Virginis, Maria. Hæc est illa ad cuius nomen omnes piorum animæ recreantur. Eua diabolo assentiens mortem orbi & maledictionem intulit. Maria vero Angelo fidem adhibens, benedictionem & vitam protulit. *Conceptus* ait, *de Spiritu sancto* sine omni humana & carnali actionę. Et id propter nos, vt conceptionem nostram carnalem ac impuram mundaret: nosque per infinitam suam patrisque misericordiam in Spiritu sācto regeneraret. *Natus ex Maria Virgine*, illæsa ipsius virginitate ac pudore permanente. Et id propter nos, & vt natiuitatem nostram originalis peccati macula pollutam purgaret Deus & homo. Nam quis potest facere mundū de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es? Iob 17.

IOANNES EVANGELISTA.

Passus sub Pontio Pilato; Crucifixus, mortuus, & sepultus. Et hic quieuit.

Quarto loco sequitur Ioannes Euãgelista: qui posuit bolum suum, dicẽs: *Passus sub Pontio Pilato: crucifixus, mortuus, & sepultus. Passus*, inquit, *sub Pontio Pilato*. Iudicis nomen sub quo passus est Christus, adiectum est, propter temporum agnitionem, & historiæ certitudinem. Erat enim id temporis Põtius Pilatus preses Iudeæ, sub Tiberio Cesare Augusto, qui Christum licet innocente, a se iudicatum, in Crucem tamen egit. Vbi nota, quod istud est mysterium excessiuæ charitatis, & passionis filij Dei, & ideo dicamus nos cum sancta Mater Ecclesia: credimus Christum vere in humana Natura passum. Vnde Isa. 53. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et Luc. 22. Dominus de seipso, ait: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare nobiscum antequam patiar. Et cap. 24. dicitur: Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et 1. Pet. 2. Qui cum pateretur non comminabatur. Proposuerat enim Deus Pater nos redimere non corruptibilibus auro & argento, sed prætioso sanguine Filij sui. Passus est igitur Saluator noster in corpore dolorem, & in anima tristitiã, de qua dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et cum esset constitutus in angonia, factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Matth. 26.

Hic notatione dignum est secũdum Thom. 3. par. quæst. 46. artic. 5. quod Christus passus est omnem humanam passionem: & hoc vel ex parte hominum a quibus passus est, vtã Gentilibus, a Iudæis, a masculis, & a fœminis, sicut patet de ancillis accusantibus Petrum, similiter de principibus Sacerdotum, ministris eorum, & popularibus, iuxta illud. Psal. 2. Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. A familiaribus etiã & notis, vt patet de Iuda eum prodente, & de Petro negante; vel ex parte etiam eorum in quibus homo potest pati. Et sic passus est Christus in suis amicis eum deserentibus. In fama per blasphemias cõtra eum prolatas: in honore & gloria, per irrisiones & contumelias sibi illatas; in rebus per hoc, quia etiam vestibus spoliatus fuit: in anima per tristitiam, tædium, & timorem: in corpore per vulnera & flagella.

Secundo, potest considerari ista passio quãtum ad corporis membra; quia idem passus est in capite pungentium spinarum coronam; in manibus & pedibus, fixionem clauorum: in faciẽ, alapas: & in toto corpore flagella. Secundum enim tactum, clauibus affixus. Secundum gustum, felle, & aceto potatus. Secundum olfactum, in loco cadauerorum; pædore infecto, appensus patibulo. Secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium, & irridentium. Secundum visum, respiciens matrem, & discipulum quem diligebat flentes; & ideo fuit etiam maior & interior omnibus doloribus. Vnde Ierem. clamat in persona Christi: Attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus. Primo propter doloris causam; nam causa doloris sensibilis fuit læsio corporalis, quæ acerbitatem habuit ex genere passionis; cum mors Crucis esset acerbissima, ex quo claui infigũtur in locis neruosis, & maxime sensibilibus, videlicet, in manibus & pedibus. Pondus etiam corporis pendentis, & doloris diuturnitas augent passionem cum non statim moriatur, sicut ij qui gladio interficiuntur. Doloris etiam interni, causa fuerunt omnia peccata humani generis, pro quibus patiendo satisfaciebat; & specialiter casus Iudæorum, & aliorum in

eius mortem delinquentium: & præcipuè discipulorum fugientium, qui passi sunt scandalum in Christi passione. Similiter & amissio vitæ corporalis quæ est vltimum terribilium, & naturaliter horribilis humanæ naturæ.

Secundo, ex perciptibilitate, patientis secundum animam & corpus. Secundum enim corpus, quia erat optimè complessionatus, ex quo corpus suum erat miraculosè formatum, virtute Spiritus sancti: (vnde & illa quæ per miraculum fiunt sunt alijs potiora, sicut ait Chrysost. de vino in quod Christus conuertit aquam in nuptijs:) ideo in eo maximè viguit sẽsus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor: anima etiam secundum vires interiores tenacissimè apprehendit omnes tristitiæ causas.

Tertiò, magnitudo doloris Christi potest considerari ex doloris & tristitiæ puritate. Nam in alijs patientibus mitigatur, interior tristitia, & exterior dolor, ex aliqua consideratione rationis per quandam redundantiam à superioribus viribus ad inferiores: quod in Christo patiente nõ fuit, quia vnicuiq; virium permisit agere, quod est sibi proprium, sicut ait Damascenus.

Quarto, potest considerari ex hoc quod passio illa & dolor, a Christo fuerunt assumpta voluntariè propter finem, liberationemque, scilicet, hominis a peccato. Et ideo tantum quantitatem doloris assumpsit quanta erat proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur. Anima etiã Christi patiebatur secundum omnes vires inferiores: quia in singulis viribus inferioribus animæ, quæ circa temporalia operantur, inueniebatur aliquid, quod erat causa doloris Christi; sed secundum hoc superior ratio non patiebatur in Christo ex parte Dei obiecti sui: qui non erat animæ Christi causa doloris, sed delectationis & gaudij: secundum autem illum modum passionis, quo potentia aliqua dicitur pati ex parte sui obiecti, sic omnes potentiæ animæ Christi patiebantur: cum omnes radicentur in essentia eius, ad quã peruenit passio, passo corpore cuius est actus. Hæc D. Tho. 3. p. q. 46.

Illud demum notatione dignum est circa hunc articulum, quod quamuis Saluator noster verè vulnera, plagas, & mortem passus sit, non tamen secundum vtrãque naturam hęc sustinuit: sed tantum secundum humanitatem. Diuinitas autem, quia suaptè natura est impassibilis, ab omni passionis iniuria credi debet esse aliena. Vnde Cassiodor. super Psalm. 21. ait: passus est impassibilis per passibilem quam suscepit humanitatem. Immortalis mortuus est, & qui numquam moritur, resurrexit. Super quo loco dicit Cyrillus. Gratia Dei pro omnibus gustauit mortem, tradens ei proprium corpus, quamuis naturaliter vita sit ipse, & resurrectio mortuorum. Et B. Ambr. ait; idẽ patiebatur, & nõ patiebatur, moriebatur, & nõ moriebatur, sepeliebatur, & nõ sepeliebatur. Vbi affirmatiua verba ad humanã; negatiua vero ad diuinã accommodantur substantiam: nẽpè, idem Christus patiebatur secundum humanitatem, & non patiebatur secundum diuinitatem.

Vt autem melius intelligatur propositum ponam exemplum D. Damas. lib. 3. cap. 26. de corpore & anima. In corpore nostro, quod anima illi coniuncta nõ incidatur, Symbolum quoddam est, & exemplum diuinitatis non sustinentis passionem, quamuis caro ei coniuncta passioni fuerit exposita, nomine carnis totam intelligendo naturam.

Quod vero patiente corpore incisionem, anima illi compatiatur, in eo dissimile est exemplum: nam neque compassa est, neque condoluit diuinitas carni patienti, cum sit prorsus aliena ab omni passibilitate, & mutatione. Et hoc præsignatum fuit in immolatione

latione ipsius Isaac facta ab Abraham, in qua Isaac ereptus fuit a gladio Angelo inclamante, ne extenderet pater in eum manus. Et sic aries hęrens cornibus inter vepres immolatus est per Isaac. Quippe in eo sacrificio, Isaac diuinitatis typum gerit, nulli molestię aut passioni obnoxię. Aries autem humanitatem Christi oblatam pro peccato designat: qui quidem cornibus hæsisse inter vepres traditur, quia Christus vt homo, inter duo brachia Crucis suspensus est: & vt ait scriptura in persona Christi, spinis peccatorū circundedit me populus hic. Vnde Genes. 22. dicitur; quod Angelus Domini de cælo clamauit dicens: non extendas manū tuam super puerum, neque facias ei quicquam: vbi Glos. interlin. ait: quia caro crucifigi, diuinitas tangi non potuit. Et Leuit. 14. Mundatus a lepra iubetur offerre pro se duos passeres viuos, quorum vnum immolari curabat, alterum autem viuum dimittere præcipiebatur, vt in agrum auolaret. Nam per duos passeres Glos. eodem loco intelligendas esse dicit Christi diuinitatem, & humanitatem: per passerem vnum qui immolari pręcipitur, significari asserit id, quod in Christo passibile est, & occidi potest: per alterum verò, qui viuus dimissus auolabat in desertum, Glos. accipi debere sentit diuinitatem Christi impassibilem. Sed aduerte cum adferuntur exempla non per omnia seruare possunt similitudinem rei illius cui præbere putantur exemplum: sed vnius alicuius partis, pro qua videntur assumpta, similitudinem tenent; alioquin si eadem essent in omnibus, iam non exempla dicerentur, sed res ipsæ potius, de quibus agitur, viderentur, & cæt.

Articulus ergo iste est passio Christi ait Alber. Determinatio autem articuli est, quod sub Pontio Pilatio passus est, & (vt fertur) erat Gallus.

Dicitur Pontius, quia Pontum insulam deuicit: veluti scipio Aphricanus, quia Aphricam deuicit. Quod addit crucifixus, modum explanat passionis. Et quod dicit, Mortuus, dicit quātitatem passionis. Philip. 2. Factus obediens vsq; ad mortē mortē autē crucis. & 1. Pet. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. Quod addit, *Et sepultus*, non aliud dicit, sed addidit officium funeris circa mortē. Tob. 4. Cum acceperit Deus animam meā, corpus meum sepeli; & ideo sepultura nihil addidit, nisi quod ad mortem pertinet. Ecce secundum Sacramentū secundum humanitatem Christi, scilicet, passio cuius tempus describitur sub Pontio Pilato: forma subditur, crucifixus; finis concluditur: Mortuus & sepultus. Vnde plangens Dauid, Psal. 21. ait: Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea, De morte ait: Domus Domini fuit exitus mortis. De sepulchro Isa. 2. ait: Et erit sepulchrum eius gloriosum.

Tandem nota quod & contra hunc articulum insurrexit & ferus, scilicet, Mahumetus cum suis saracenis, qui dicit Christum non fuisse passum, & mortuum cum Dei filius esset & impassibilis. Sed Daniel obstruit os eius, dicens. ca. 9. Occidetur Christus, &c. & 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis, & cæt.

PHILIPPVS.

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Et hic finem posuit.

Ecce tertium Sacramentum, scilicet, resurrectionem; sed de descensu ad inferna præmittitur, ex quo mortui liberantur, Oseæ. 13. De manu mortis liberabo eos: de morte redimā eos, Ero mors tua o mors, morsus, tuus ero inferne. Hic est Euangelicus fortis, qui fortem ligauit, & eius vasa dirupit. Mat. 12. Luc. 11. Hic est, qui dicit in Psal. 2. Ego dormiui & soporatus

sum, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit, me; qui Patri dicenti: Exurge gloria mea, exurge cum psalmis & cythara; breui sermone respondet; exurgam diluculo, cuius resurrectioni mulieres, & viri perhibent testimoniũ in Euangelio. Et alibi. Resurrexi & adhuc tecum sum: non enim in toto perij per mortem, sicut inimici mei Iudæi arbitrati sunt.

Item. *Descendit* inquit, *ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis*: vbi nota quod attentius ille non potest intelligi, Christum descendisse ad inferos ratione diuinitatis, secundum quam est vbique, neque ratione corporis, secundum quod fuit in sepulchro, ergo restat quod intelligatur ratione animæ. Anima igitur deitati coniuncta descendit in infernum, locumque inrum, in quo erant iusti, qui detinebantur ibidem ob reatum peccati primi parẽtis, qui vulgo limbus Patrum solet appellari. Descendit, inquam, non secundũ solam virtutis suæ operationem & manifestationem in vinctorum liberatione & aduersariorũ spoliatione (quod vtique si voluisset facere potuisset:) sed etiam secundum præsentiæ exhibitionem, & assistentiam. Vt reuera anima Christi sanctissima diuinitati vnita præsens fuerit, seque ipsam exhibuerit eidem loco, in quo sancti patres aduẽtum eius expectabant: vt quemadmodum his, qui in terra erant, iustitiæ ortus est Sol (vt ait Damasc. lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 29.) Sic & his, qui sub terra in tenebris & in vmbra mortis sedebant, lux appareret: & vt quemadmodum in terra Euangelizauerat hominibus bonæ voluntatis pacem, captiuis remissionem, cæcis visum, & credentibus factus fuerat causa salutis æternæ, incredulis autem infidelitatis improperium, & redargutio: sic & ijs, qui in inferno erant, exhiberet se præsentem, vt ipsi omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.

Quod autem secundum veritatem & præsentiam descenderit ad inferna, manifestè constat ex eo loco Psal. 15: Quoniam non derelinques animam meam in inferno: cum non nisi de anima, quæ in inferno fuerit aliquando, non tamẽ ibidem derelicta, aptè quippiam dixerit. Et Petrus ad Iudæos Act. 2. De Christo contestatur, dicens; Quẽ Deus suscitauit a mortuis solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat illum ab eo teneri. Et Christus ad patrem ait. Psal. 29. Domine abstraxisti ab inferno animam meam: vbi manifestè indicat se ibi descendisse; alioqui inde eductus non esset. Item Psal. 70. Cõuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum eduxisti me, idest, de profunda voragine inferni suscitans me, rursus in vitam me reuocasti. Et Zacar. 9. ad Christum: Tu quoque in sanguine testamenti tui, eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. & Ephes. 4. Quod autem ascendit quid est, nisi, quia & descendit primo in inferiores partes terræ? idest, ad inferos, exponit Glos. cuius probatio præmissa est, quia captiuam duxit captiuitatem, quam inde traxit. Vnde B. Ambros. eundem Apostoli locũ exponens ad literam, continuo verbis illis subnectit, dicens: Verum est, quia ideo descendit vt ascenderet, non sicut homines, qui ad hoc descenderunt, vt illic remanerent. Ex sententia enim tenebantur apud inferos, quæ sententia Saluatorem tenere non poterat, quia vicit peccatum. Victoria enim de diabolo habita descendit in cor terræ, vt ostensio eius, prædicatio esset mortuorum, vt & quotquot cupidi eius essent liberarentur.

Nec poterat non ascendere, qui ad hoc descenderat, vt vi potestatis suæ calcata morte cũm captiuis quorum causa pati se permisit, resurgeret. Ex quibus certè verbis constat, Apostolũ eo loco sermonẽ facere de Christi descensu ad inferna: licet sufficeret nobis

fidem

fidē habere huic articulo, quod Christus descendit ad inferos, ex Symbolo Apostolorum.

Ratio autem quare voluit descēdere ad eripiendos patres, qui tenebātur ibi compediti, cum etiam facere posset hoc non descendo, fuit duplex; videlicet propter victorum consolationem, vt ait Damascenus vbi supra: magna quippe fuit consolatio de præsentia ipsius animę Christi Iesu, & maximè fuit in hoc, ostensio, quod ipse personaliter voluit descendere ad eos. Secundò, propter confusionem aduersariorum, vt ipsi dæmones confunderētur ex sua præsentia, & sicut vicerat eos in terra in natura assumpta, sic anima eius de eisdem triumpharet apud inferos, ipsos inuitos expoliando sed quæret fortè aliquis vtrum Christus descēderit ad ima loca damnatorum? Resp. D. Thom. 3. p. q. 52. ar. 2. quod dupliciter dicitur aliquid esse alicubi: vno modo per suum effectum, & hoc modo Christus in quemlibet infernorum locum descendit, aliter tamen & aliter; nam in inferno damnatorum, habuit hunc effectum quod descendit ad inferos eosque de sua incredulitate & malitia compunxit. Illis verò, qui detinebantur in purgatorio, spem consequendæ gloriæ dedit. sanctis autem patribus, qui pro solo originali detinebantur in inferno, lumen æternæ gloriæ infudit. Alio modo dicitur esse aliquid alicubi per suam essentiam, & hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo iusti detinebantur; vt quos ipse per gratiam interius visitabat secundum diuinitatem, eos etiam secundum animam visitaret, & loco. Sic ergo in vna parte inferni existēs, effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes deriuauit; sicut & in vno loco terræ passus totum mūdum sua passione liberauit.

Sed quare hanc particulam Concilium Nicenum non posuit in Symbolo maiori, scilicet, Descendit ad inferos? Ad hoc resp. breuiter, quod symbolum maius editum est contra nonnullos errores symboli minoris, & quia circa descensum ad inferna nullus adhuc fuerat suscitatus error, ideo prætermiserunt illam particulam, Descendit ad inferos, tanquam notam, & concessam; nam cessata causa, cessat & effectus ipsius; ideo, quia non fuit impugnatus huiusmodi descensus, nō erat opus vt ampliori declaratione exponeretur.

Deinde sequitur alia particula de resurrectione: Christus .n. Dominus noster *tertia die surrexit a mortuis*, reassumendo corpus, nō quale prius habuit, sed impassibile, & immortale. Caro enim Christi, quæ in Natiuitate floruit, in passione aruit, per gloriam resurrectionis refloruit, & renouata est vt aquilæ iuuentus eius. Psal. 102. Tunc leo catulum suum suscitauit: tūc phœnix, reuixit; tunc vt dicitur Ierem. 18. Figulus ex eodem luto fracto vase fecit vas aliud sicut placuit in oculis eius; tunc Ionas de ventre cæti illesus exiuit: tunc suscitatum est tabernaculum Dauid, quod ceciderat; tunc refulsit Sol, qui prius erat in nubilo: tūc viuificatum est granum frumēti quod cadens in terra mortuum fuerat: tunc Ioseph eductus de carcere constituitur Dominus Aegypti; tunc cōscissus saccus circundatur lætitia resurrectionis Christi. Veritas patet ex multis Sacræ Scripturæ locis: & præcipuè Luc. vlt. Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis. Manifestatur eadē & per Angelos, qui non mentiuntur. Mat. 28. Respondens autem Angelus dixit mulieribus, quem quæritis? Surrexit non est hic. Per inimicos itidem, quorum validissimum & firmissimum est testimonium. Matt. vlt. Ecce, inquit, quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerāt: & congrati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederūt militi-

militibus, dicentes; Dicite quod discipuli eius nocte venerunt, & furati sũt eum vobis dormientibus; & si hoc auditũ fuerit a Præside nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerũt sicut erant edocti; & diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diẽ. Manifesta etiam facta est eadem resurrectio per comestionem, Luc. 24. sicut etiam quod non habebat corpus phantasticum, per tactum. Io. 20. Probauit Deus noster etiam in eodem corpore, quo fuit facta per ostensionem cicatricum. Item probauit eam fuisse in corpore glorificato vnito deitati, & hoc per ingressum in domum ianuis clausis. Probauit quoque eam multis apparitionibus. Apparuit enim quinquies in ipsa die resurrectionis, vt habetur ex scripturis. Primò, Magdalenæ. Io. 20. Mulier quid ploras? Secundò, mulieribus redeuntibus a monumento. Mat. vlt. Tertiò, Petro. Luc. 24. Quartò, duobus discipulis euntibus Emaus; ibidem. Quintò, discipulis cõgregatis propter metum Iudæorum ianuis clausis, quando Thomas non erat cum alijs. Io. 20. Item apparuit inter resurrectionem & ascensionẽ multoties, scilicet, Thomæ cum alijs, ibidem: Discipulis piscantibus ad mare Tyberiadis. Io. 21. Discipulis in monte Tabor. Mat. vlt. In Ierusalem. Marc. vlt. & demum quando comedit cum discipulis. Mar. 16. & Luc. 24. Sed num quid non amplius apparuit? Resp. Io. vlt. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ non sunt scripta. & Act. 1. concluditur quod Deus suscitauit eum tertia die, & dederit manifestum fieri non omni populo, sed testibus a Deo præordinatis, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, &c.

Diuus autem Tho. 3. p. qu. 53. ar. 1. ait; quod necessarium fuit Christum resurgere propter quinque. Primò ad commendationem diuinæ iustitiæ, ad quam spectat exaltare illos, qui se propter Deum humiliant. Luc. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Quia igitur Christus propter charitatem & obedientiam Dei se humiliauit vsque ad mortẽ crucis, oportebat quod exaltaretur a Deo vsque ad gloriosam resurrectionem: vnde in ipsius persona dicit Dauid. Psal. 138. Tu cognouisti me, idest, approbasti sessionem meam, humilitatem, & passionẽ; similiter & resurrectionem meam, idest, glorificationem in resurrectione, vt glos. exponit.

Secundo, ad fidei nostræ instructionem; quia per eius resurrectionẽ confirmata est fides nostra circa Christi diuinitatem. Vnde 2. Corint. 13. dicitur. & si crucifixus est ex infirmitate, viuit ex virtute Dei. Si enim Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra, vt dicitur. 1. Cor. 15. Vnde Glos. Super illud. Ps. 29. Quæ vtilitas in sanguine meo, & cæt. inquit, Nulla. Si enim statim nõ resurgo, corruptumque fuerit corpus meum, nemini annunciabo, nemini lucrabor. q. d. necessaria est resurrectio Christi.

Tertio, ad subleuationem nostræ spei; quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus & nos resurrecturos. Vnde idem Apost. vbi supra, ait; Si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidã dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? & Iob. 19. Scio, videlicet, per certitudinem fidei, quod redemptor meus viuit, a mortuis resurgens; & ideo in nouissimo die de terra surrecturus sũ; reposita est hæc spes mea in sino meo. Et Chrysost. hom. 65. in Io. ait; Talem de resurrectione disputans rationem Paulus etiam attulit. Quam igitur habebunt excusationem, qui resurrectioni nõ credunt, cum in seminibus & in plantis quotidie hoc videamus, ac etiã in nostro genere? Primum enim corrumpi semen oportet, inde fieri generationem.

rationem. Omnino autem, cum Deus aliquid facit, nulla opus est ratione. Quomodo nos ex nihilo fecit? Hoc ad Christianos dico, qui se dicunt credere scripturis. Hæc ille.

Quarto, ad informationem vitæ fidelium; secundum illud Rom.6. Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et paulo post. Christus resurgens ex mortuis iam nõ moritur: ita & vos existimate mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo.

Quintò, & vltimo, ad complementum nostræ salutis; quia sicut per hoc, quod mala sustinuit, humiliatus est moriendo, vt nos liberaret a malis: ita glorificatus est resurgédo, vt nos promoueret ad bona, secundum illud Roman.4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Amplius conueniens fuit Christum tertia die resurgere, iuxta illud Mat. 20. Tradetur enim gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Et bene tertia die, quia si statim post morté resurrexisset videri posset, quod eius mors vera non fuisset: & per consequens nec resurrectio. Ad veritatem igitur mortis Christi manifestandam sufficiebat, quod vsque ad tertium dié eius resurrectio prorogaretur. Quia non contingit, quin intra triduum, si Christus non fuisset verè mortuus apparuisset in eo aliqua signa & indicia vitæ. Resurrexit autem circa diluculũ illucescéte iam die, ad signandũ quod per suam resurrectionem nos ad lucẽ gloriæ inducebat.

Contra hunc articulum post Cõcil. Nicen. insurrexit quidam alius ferus hæreticus, qui dixit Christum animã non habuisse, sed loco animæ fuisse deitatem. Sed nos probauimus quod descendit secundum animam, & non secundum carnem, quæ sepulta fuit; nec secundum deitatem, quæ vbique est. Contra quem, ait Dauid. Psal. 15. in persona Christi; Non derelinques animam meam in inferno, &c. Iudęus etiam dicit, Christum non resurrexisse, sed corpus eius furatum a discipulis fuisse sed Apost. 2. Tim. 2. testatur hanc resurrectionem, dicens; Memor esto Iesum Christum resurrexisse secũdum Euangelium, in quo laboro vsq; ad vincula. & Psal. 3. Ego dormiui & soporatus sum: & exurrexi quoniam Dominus suscepit me.

BARTOLOMAEVS.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Et hic quieuit.

Ecce quantum Sacramentum, scilicet, ascensio. Sedere enim a dextris patris est terminus ascensionis. Et ideo ad idem pertinet credibile; quia autẽ Christus verus Deus fuit, ideo propria virtute non Angelorum manibus superuectus, sicut Lazarus loris ascẽdit. Michæ. 2. Ascendet pandens iter ante eos. & Io. 20. Ascendo ad patrem meũ & patrem vestrum Deum meum & Deum vestrum.

Ascendit inquit, *ad cęlos*; nam peractis his, quæ in terra gerebantur, & animabus de inferni captiuitate reuocatis, & consumato redemptionis mysterio, ascendit in cælum; non secundũ deitatem, qua semper æqualis est Patri, & vbique est, sed secundum hominem assumptum, gloria & honore coronatum, subiectis sibi omnibus, & quæ in cælo & quæ in terra. Ascendit in altum captiuam ducens captiuitatem, corporis aspectum, discipulis cælans, & animos eorum ad cælestia subuehens, promittens dona Spiritus ex alto. Ascendit autem post quadraginta dies a resurrectione; intra quos seipsum discipulis suis viuũ prębuit, in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei, idest, de regimine Ecclesiæ. Pro maiori intelli-

gentia notatione dignum est quod differentia est inter ascensionem, assumptionem, & euolationem; quoniam ascensio pertinet ad Christum, eoquod fit propria virtute ascendentis. Vnde de dicta ascensione loquebantur Angeli, dicentes. Isa. 65. Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, gradiens in multitudine virtutis suæ? Per Idumæam & Bosram intelligit Iudæam & Ierusalem (nam Bosra Metropolis est Idumeæ) quod vt illic erant Idumæi Ecclesiæ Israel hostes, sic in Iudæa & Ierusalem erant hostes Christi; quos vt debellaret descendit de cælo, & corpus sumpsit. & Micheæ. 2. de Christo dicitur; Ascendit pandẽs iter ante eos. Sed quia B. Leo Papa in sermone de Ascẽsione exponens illud verbum, Videntibus illis eleuatus est, inquit, cum audis eleuatum agnosce cælestis militiæ obsequium: in eo, qui eleuat diuinam potentiam; in eo, qui eleuatur humanam agnosce naturam; ex consequenti videtur, quod fuerit eleuatus, & ita vectus. Cui Glos. arridet super illud Psal. 90. Angelis suis Deus mandauit de te, dicens: Manibus Angelorum sublatus est Christus in cęlũ. Respon. Alex. de Alés. 3. p. q. 23. memb. 2. distinguendo; ferri (inquit) dicitur bifariam. Vno modo necessitate sustentationis, quando, scilicet, virtus corporis non est sufficiens per se ad cõplendum motũ. Alio modo obsequio venerationis, sicut Papa fertur a suis ministris, & Rex a suis. Cum ergo dicitur corpus Christi fuit latum per Angelos in Ascẽsione, hoc solum fuit obsequio venerationis, & non necessitate sustentationis; sic enim intelligunt Leo Papa, & Glosa, quæ dicit; & in manibus portabunt te; idest, Angeli, qui obsequebantur Regi. Quo etiam sensu intelligitur illud Psal. 67. Currus Dei decem millibus, multiplex millia lætantium.

Secundum igitur propriam virtutẽ ascendit; quod quidem hoc modo exponitur, quia secundum Tho. 3. p. in Christo duplex est natura, diuina, scilicet, & humana, vt alibi sæpè diximus. Et secundum vtramque potest accipi propria virtus eius secundum humanam adhuc potest virtus Christi accipi, vel pro naturali, quæ procedit ex principijs naturæ, & tali virtute manifestum est, quod Christus non ascendit in cęlum; vel pro virtute gloriæ, secundum quam Christus ascendit in cælum; huius virtutis rationem, assignat ex parte animæ glorificatæ, ex cuius redundantia glorificabatur corpus, vt ait D. Aug. ad Dioscorum. Erit enim tanta obedientia corporis gloriosi ad animam beatam secundũ eundem 22. de Ciu. Dei, vt certè vbi volet Spiritus, ibi protinus erit corpus; nec volet aliquid Spiritus quod nec Spiritũ possit decere, nec corpus. Decet autem corpus gloriosum & immortale esse in loco cælesti; & ideo ex virtute animæ volentis corpus Christi ascendit in cælum. Christus ergo ascendit in cælum non modo virtute diuina, sed & virtute animæ glorificatæ mouentis corpus, vt ipsamet vult; de quo Glos. super illud Ephes. 4. Quod autem ascendit, inquit, quid est, nisi, quia descendit? Constat igitur, quod secundum humanitatem Christus descendit & ascendit.

Assumptio autem Virginis virtute Christi assumentis fit, quia filius speciáliter obsequtur matri. Euolatio verò fit ministerio Angelorum. Alia posset assignari differẽtia, quia locus euolantium est distinctio chororum; locus verò assumptæ Virginis est supra choros Angelorum; locus autem Christi ascendentis est supra vltra locum B. Virginis.

De hac Christi Ascensione B. Greg. in homilia de Ascen. ait; quod legitur Elias in curru ascendisse, vt videlicet apertè demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno, Redẽptor autẽ noster, non curru, non Angelis

gelis subleuatus legitur, nisi eo modo quo supra monstrauimus, videlicet, obsequio venerationis; quia qui fecerat omnia, super omnia, sua virtute ferebatur. Vnde Augu. in Serm.3. de Ascens. ait. De nostro fuit, quod filius Dei pepēdit in cruce; sed de suo quod ascendit. Dilata autem fuit Ascensio Christi, vt per multa argumenta ostēderetur quod verè Christus resurrexerit, sicut prærogata fuit resurrectio vt ostenderetur quod Christus verè mortuus, fuerit.

Hic sunt multa consideranda circa Ascensionem. Primum, quod eleuatus est vidētibus omnibus discipulis. Act. 1. vt desiderium eundi ad eum excitaretur in eis. Secundum, quod nubes suscepit eum ab oculis eorum. Luc. 24. vbi per vmbram nubis figuratur quod in hoc mortali corpore Iesum in alto videre non possumus. Tertium, quod eleuatis manibus ferebatur in cælum. Eleuauit autem manus: & vt suo Patri offerret, & vt inimicos altè retracta manu perciteret. Quartum, quod benedixit eis; vt eos contra hostem muniret, & bonis cælestibus impleret. Quintum, quod ascendit in iubilatione; quod refertur ad vocem iucunditatis redemptor ascendentium cum ipso, qui prius voce lachrymabili in portis inferni clamauerunt; aduenisti tandem desiderabilis quē expectabamus in tenebris. ex Psal. 46. Sextum, quod ascendit in voce tubæ, quod refertur ad sonum prædicationis Apostolorū, qui sonus fuit ei iucundus, Matth. vlt. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Et tunc, in omnem terram exiuit sonus eorum. Septimum est, quod ascendēs in altum, captiuam duxit captiuitatē, idest, captiuos captiuitate inferni, quos secum captiuos eduxit Ephes. 4. Demum quod dedit dona hominibus; quia omnia bona nostra desursum sūt quo Christus ascendit. Ex Psal. 67.

Sequitur. *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotētis.* De sessione Christi ad dexteram patris omnipotētis loquitur Damasc. lib. 5. de fide Orthodoxa. c. 2. dic. Consessum Christi ad dexterā patris intelligere debemus sublimationem eius & exaltationem in beatitudine cælesti super omnem creaturam, & ad æqualem cum patre honorificētiam, & subleuationem, ad quam secundum captum suæ conditionis nostram subuenit sibi vnitam naturam. Nunc autem Christus non solum vt Deus, sed etiam vt homo, propter idētitatem hypostaticam gloriam & honorem super omnia habet. Exaltauit enim illum Deus propter humilitatē & obedientiam vsque ad mortem, & donauit illi nomē, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Philip. 2. & Ephes. 1. dicitur: pater Christum constituit super omnem principatum, potestatem, Dominationem, & virtutē, & super omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sęculo, sed etiam in futuro. Chrysost. Etiam exponens illud Hebr. 1. de Christo, videlicet, sedet ad dexteram maiestatis in Excelsis; ait: non loco concludit Deum, sed ostendit hominem Christum omnibus altiorem, & eminentiorem: & per dexteram non Deum deformauit, sed similitudinem honoris demonstrauit.

Consessus enim nihil aliud demonstrat nisi honoris æqualitatē, & quod sublimatus est Christus ad æqualitatē Patris. Si enim humano more loquamur non posset quispiam Augustę authoritatis, & insigni dignitate præditus, alterum sibi familiarem maiori honore afficere, aut illum euidentius sibi potestate adæquare, quam si ipsū ad dexteram suam assiuerit, & sibi collateralem collocarit. Porro nonnulli consessum Christi ad dexteram patris interpretantur (& non absurde) iudi-

ciatiam potestatem vniuersorum ipsi a patre traditam, a quo constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Non enim Pater iudicat quempiam, sed omne iudicium dedit filio, vt eum omnes honorificent, sicut honorificant Patrem. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ioan. 5. Enim verò iudicis est, cum causam examinat, & fert sententiam ad maturitatem animi & prudentiã discussionis propositæ rei experiendam sedere.

Proinde Angeli illico post Ascensionem Christi discipulis denunciarunt futurum eius aduentum ad iudicium, dicentes: Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. De sessione eius ad dexterã habetur Mar. vlt. vbi dicitur: Dñs Iesus postquam locutus est eis, ascẽdit in cælum & sedet a dextris Dei.

Et contra hunc articulum de ascensione insurrexit alius ferus, scilicet, Eutices hæreticus, negans & dicens carnem conuersam in deitatem: quod si esset non ascendisset, quia deitas in cælis & vbique est. Contra hoc Micheas propheta ait. 2. Ascendet enim pandens iter ante eos. & Psal. 46. Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.

THOMAS.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et hic finem imposuit.

Huic concordat illud Act. 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum in cælum. In forma autem humana fuit: quia in forma diuina numquam defuit: & ideo in forma humana redibit ad iudicium, in qua & a bonis, & a malis videbitur. Io. 19. Videbunt, in quẽ transfixerunt. A malis autem forma diuina videri non poterit: quia sicut ait Aug. hanc nemo videre poterit, nisi gaudeat & glorietur in ea Isa. 26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. & Act. 17. Constituit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem prębens omnibus suscitans eum a mortuis. & 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisq; propria corporis pro vt gessit siue bonum siue malum. Et hic modus iudicij describitur. Matth. 25. vbi dicitur: quod statuet oues a dextris, & hædos a sinistris. Et bonis dicet; Venite benedicti: & malis: Ite maledicti in ignẽ æternum. Ecce quintum sacramentũ quod nondum est apertũ: veniet enim rex manifestè, cui pater omne iudiciũ dedit, & sicut ait propheta. Psal. 49. Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia. Et alibi. Deus manifestè veniet. Deus noster, & non silebit.

Inde inquit *venturus est* Bernardus, in aduentu Domini, super verbis Isa. ad Achaz. Serm. 1. inquit: Triplicem aduentum Christi nouimus, scilicet, ad homines, in homines, & cõtra homines. In primo venit in carne, & in infirmitate. In secundo, in Spiritu & virtute. In tertio, in gloria & maiestate. In primo Christus fuit redẽptio nostra. In secundo requies & consolatio nostra. In vltimo apparebit gloria & vita nostra. De hoc aduentu dicitur. Luc. 21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Rationabile est, quod Deus habeat aliquid iudicium generale, in quo manifestetur sententia, vel iustitia sua, quam exercuit in iudicijs particularibus. Insuper rationabile est vt fiat iudiciũ vniuersale vt disgregentur oues ab hędis; nam qui ascribitur regno, debent ad illud consequendum determinari: & qui carceri ascribuntur, debent ibi sequestrari, vt sic fit sequestratio duarũ ciuitatum, de quibus, D. August. per totum de ciu. Dei agit. Licet ergo singulariter nunc iste, nunc ille ascribatur

tur regno; nunc iste, nunc ille carceri destinetur: tamen congruum est aliquod iudicium generale futurum esse, per quod tota multitudo præuisa ad regnum mittatur in possessionē illius, & tota alia relinquatur carceri: *iudicare viuos & mortuos*; in fine mundi.

Antequam autem fiat iudicium, hæc breuiter adnotantur signa. Primum signum est, ipsa iniquitatis abūdantia, & fidei ac charitatis defectus, secundum illud Luc. 18. filius hominis veniens, putasne inueniet fidem in terra? q. d. minimè; quia pauci pro nihilo reputantur. Et 1. ad Tim. 4. In nouissimis temporibus discedent quidam a fide. & Mat. 24. Quoniam abūdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Secūdum signum, bellorū commotio. Mat. 20. Audituri estis prę lia, & opiniones præliorum. & Luc. 21. Et in terris pressura gentium. & Mat. 13. Exurget gens contra gentem. Tertium signum, fames. Mat. 24. & Mar. 13. Erit fames per loca. & Luc. 21. Arescentibus hominibus, scilicet, famis inedia. Quartum signum pestis. Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Erūt pestilētia per loca. Quintum signum, terremotus per loca; & hoc dicūt pręfati tres Euangelistę in dictis locis. Sextum signum, discessio a fide, de qua 2. ad Thes. 2. Rogamus ne terreamini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamq; per nos missam, quasi instet dies Domini: nemo vos seducat; quoniam nisi venerit discessio primum ab obedientia Romani imperij, ac etiam ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, & fidei catholicæ, vt ait D. Thom. opusc. 60. nō erit iudicium. Septimum est prædicatio Euangelij in vniuerso mundo, vt habetur Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Ex quibus tamen septem vulgaribus signis non potest inferri certitudinaliter aduētus Christi ad iudicium, cum a præfatis Euangelistis dicatur, quod oportet primum hæc fieri, sed nōdum finis. Vnde Mat. addit: prædicabitur Euangelium regni in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gētibus; & tunc veniet consumatio. Octauum signum est Antichristus cum veritatis contradictione: de quo Apostol. 2. ad Thess. 2. cum Glos. ibid. inquit: non veniet ad iudiciū Dominus, nisi prius (vt dictum est) fiat discessio, primum a Romano imperio siue Ecclesiarum, a spirituali obedientia Romanæ Ecclesiæ, siue hominum a fide, & nisi manifestus fiat homo, peccati seruus, & fons, scilicet, Antichristus, filius perditionis, idest, diaboli, qui aduersabitur Christo in membris suis. Extolletur .s. super omne quod falsa opinione dicitur, aut colitur Deus, vt sunt Dij gentium: ita vt in templo Dei sedeat a Romanis destructo, quod Iudæi reædificabunt.

Nascetur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan reprobata, sicut ait Glos. super Apoc. & B. Ambr. in lib. de benedictionibus Patriarcharum. Fuit enim Dā filius Iacob ex Bala concubina ancilla Rachelis. Post hæc veniet in Ierusalem & circumcidet se, dicens Iudæis se esse Christum in lege promissum. Vnde plebs Iudæa specialiter ei adhærebit vt dicit Haimo super Apocal. 11. donec Enoc & Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint saluandi, ad Christum reuertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam, sed quando veniet in profundum malorum & obstinabitur taliter in peccato, quod dicet se esse Deum, tunc deseret eum Angelus bonus ex toto, nec habebit eum postmodum ad protectionem, sed ad accusationem, vt ait Viquer. in tractatu de iudicio vniuersali, de mēte D. Thomæ. Ipse autem erit incontinentissimus Dan. 11. in aperto tamē per hypocrisiam simulabit castitatem & sanctitatem, vt alios facilius decipere possit. In tantum enim eleuabitur per superbiam, vt leges & cærimonias

ciariam potestatem vniuersorum ipsi a patre traditam, a quo constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Non enim Pater iudicat quempiam, sed omne iudicium dedit filio, vt eum omnes honorificent, sicut honorificant Patrem. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ioan. 5. Enim verò iudicis est, cum causam examinat, & fert sententiam ad maturitatem animi & prudentiā discussionis propositæ rei experiendam sedere.

Proinde Angeli illico post Ascensionem Christi discipulis denunciarunt futurum eius aduentum ad iudicium, dicentes: Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. De sessione eius ad dexterā habetur Mar. vlt. vbi dicitur: Dn̄s Iesus postquam locutus est eis, ascēdit in cælum & sedet a dextris Dei.

Et contra hunc articulum de ascensione insurrexit alius ferus, scilicet, Eutices hæreticus, negans & dicens carnem conuersam in deitatem: quod si esset non ascendisset, quia deitas in cælis & vbique est. Contra hoc Micheas propheta ait. 2. Ascendet enim pandens iter ante eos. & Psal. 46. Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.

THOMAS.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et hic finem imposuit.

Huic concordat illud Act. 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum in cælum. In forma autem humana iuit: quia in forma diuina numquam defuit: & ideo in forma humana redibit ad iudicium, in qua & a bonis, & a malis videbitur. Io. 19. Videbunt, in quē transfixerunt. A malis autem forma diuina videri non poterit: quia sicut ait Aug. hanc nemo videre poterit, nisi gaudeat & glorietur in ea Isa. 26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. & Act. 17. Constituit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem prębens omnibus suscitans eum a mortuis. & 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisq; propria corporis pro vt gessit siue bonum siue malum. Et hic modus iudicij describitur. Matth. 25. vbi dicitur: quod statuet oues a dextris, & hædos a sinistris. Et bonis dicet; Venite benedicti: & malis: Ite maledicti in ignē æternum. Ecce quintum sacramentū quod nondum est apertū: veniet enim rex manifestè, cui pater omne iudiciū dedit, & sicut ait propheta. Psal. 49. Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia. Et alibi. Deus manifestè veniet. Deus noster, & non silebit.

Inde inquit *venturus est* Bernardus, in aduentu Domini, super verbis Isa. ad Achaz. Serm. 1. inquit: Triplicem aduentum Christi nouimus, scilicet, ad homines, in homines, & cōtra homines. In primo venit in carne, & in infirmitate. In secundo, in Spiritu & virtute. In tertio, in gloria & maiestate. In primo Christus fuit redēptio nostra. In secundo requies & consolatio nostra. In vltimo apparebit gloria & vita nostra. De hoc aduentu dicitur. Luc. 21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Rationabile est, quod Deus habeat aliquid iudicium generale, in quo manifestetur sententia, vel iustitia sua, quam exercuit in iudicijs particularibus. Insuper rationabile est vt fiat iudiciū vniuersale vt disgregentur oues ab hędis; nam qui ascribitur regno, debent ad illud consequendum determinari: & qui carceri ascribuntur, debent ibi sequestrari, vt sic fit sequestratio duarū ciuitatum, de quibus, D. August. per totum de ciu. Dei agit. Licet ergo singulariter nunc iste, nunc ille ascribatur

tur regno; nunc iste, nunc ille carceri destinetur: tamen congruum est aliquod iudicium generale futurum esse, per quod tota multitudo præuisa ad regnum mittatur in possessionē illius, & tota alia relinquatur carceri: *iudicare viuos & mortuos*; in fine mundi.

Antequam autem fiat iudicium, hæc breuiter adnotantur signa. Primum signum est, ipsa iniquitatis abūdantia, & fidei ac charitatis defectus, secundum illud Luc. 18. filius hominis veniens, putasne inueniet fidem in terra? q. d. minimè; quia pauci pro nihilo reputantur. Et 1. ad Tim. 4. In nouissimis temporibus discedent quidam a fide. & Mat. 24. Quoniam abūdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Secūdum signum, bellorū commotio. Mat. 20. Audituri estis prę lia, & opiniones præliorum. & Luc. 21. Et in terris præssura gentium. & Mat. 13. Exurget gens contra gentem. Tertium signum, fames. Mat. 24. & Mar. 13. Erit fames per loca. & Luc. 21. Arescentibus hominibus, scilicet, famis inedia. Quartum signum pestis. Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Erūt pestilētia per loca. Quintum signum, terremotus per loca; & hoc dicūt pręfati tres Euangelistę in dictis locis. Sextum signum, discessio a fide, de qua 2. ad Thes. 2. Rogamus ne terreamini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamq; per nos missam, quasi instet dies Domini: nemo vos seducat; quoniam nisi venerit discessio primum ab obedientia Romani imperij, ac etiam ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, & fidei catholicæ, vt ait D. Thom. opusc. 60. nō erit iudicium. Septimum est prædicatio Euangelij in vniuerso mundo, vt habetur Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Ex quibus tamen septem vulgaribus signis non potest inferri certitudinaliter aduētus Christi ad iudicium, cum a præfatis Euangelistis dicatur, quod oportet primum hæc fieri, sed nōdum finis. Vnde Mat. addit: prædicabitur Euangelium regni in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gētibus; & tunc veniet consumatio. Octauum signum est Antichristus cum veritatis contradictione: de quo Apostol. 2. ad Thes. 2. cum Glos. ibid. inquit: non veniet ad iudiciū Dominus, nisi prius (vt dictum est) fiat discessio, primum a Romano imperio siue Ecclesiarum, a spirituali obedientia Romanæ Ecclesiæ, siue hominum a fide, & nisi manifestus fiat homo, peccati seruus, & fons, scilicet, Antichristus, filius perditionis, idest, diaboli, qui aduersabitur Christo in membris suis. Extolletur .n. super omne quod falsa opinione dicitur, aut colitur Deus, vt sunt Dij gentium: ita vt in templo Dei sedeat a Romanis destructo, quod Iudæi reædificabunt.

Nascetur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan reprobata, sicut ait Glos. super Apoc. & B. Ambr. in lib. de benedictionibus Patriarcharum. Fuit enim Dā filius Iacob ex Bala concubina ancilla Rachelis. Post hæc veniet in Ierusalem & circumcidet se, dicens Iudæis se esse Christum in lege promissum. Vnde plebs Iudæa specialiter ei adhærebit vt dicit Haimo super Apocal. 11. donec Enoc & Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint saluandi, ad Christum reuertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam, sed quando veniet in profundum malorum & obstinabitur taliter in peccato, quod dicet se esse Deum, tunc deseret eum Angelus bonus ex toto, nec habebit eum postmodum ad protectionem, sed ad accusationem, vt ait Viquer. in tractatu de iudicio vniuersali, de mēte D. Thomæ. Ipse autem erit incontinentissimus Dan. 11. in aperto tamē per hypocrisiam simulabit castitatem & sanctitatem, vt alios facilius decipere possit. In tantum enim eleuabitur per superbiam, vt leges & cærimonias

ciatiam potestatem vniuersorum ipsi a patre traditam, a quo constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Non enim Pater iudicat quempiam, sed omne iudicium dedit filio, vt eum omnes honorificent, sicut honorificant Patrem. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ioan. 5. Enim verò iudicis est, cum causam examinat, & fert sententiam ad maturitatem animi & prudentiã discussionis propositæ rei experiendam sedere.

Proinde Angeli illico post Ascensionem Christi discipulis denunciarunt futurum eius aduentum ad iudicium, dicentes: Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. De sessione eius ad dexterã habetur Mar. vlt. vbi dicitur: Dñs Iesus postquam locutus est eis, ascẽdit in cælum & sedet a dextris Dei.

Et contra hunc articulum de ascensione insurrexit alius ferus, scilicet, Eutices hæreticus, negans & dicens carnem conuersam in deitatem: quod si esset non ascendisset, quia deitas in cælis & vbique est. Contra hoc Micheas propheta ait. 2. Ascendet enim pandens iter ante eos. & Psal. 46. Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.

THOMAS.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et hic finem imposuit.

Huic concordat illud Act. 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum in cælum. In forma autem humana iuit: quia in forma diuina numquam defuit: & ideo in forma humana redibit ad iudicium, in qua & a bonis, & a malis videbitur. Io. 19. Videbunt, in quẽ transfixerunt. A malis autem forma diuina videri non poterit: quia sicut ait Aug. hanc nemo videre poterit, nisi gaudeat & glorietur in ea Isa. 26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. & Act. 17. Constituit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem prębens omnibus suscitans eum a mortuis. & 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisq; propria corporis pro vt gessit siue bonum siue malum. Et hic modus iudicij describitur. Matth. 25. vbi dicitur: quod statuet oues a dextris, & hædos a sinistris. Et bonis dicet; Venite benedicti: & malis: Ite maledicti in ignẽ æternum. Ecce quintum sacramentũ quod nondum est apertũ: veniet enim rex manifestè, cui pater omne iudiciũ dedit, & sicut ait propheta. Psal. 49. Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia. Et alibi. Deus manifestè veniet. Deus noster, & non silebit.

Inde inquit *venturus est* Bernardus, in aduentu Domini, super verbis Isa. ad Achaz. Serm. 1. inquit: Triplicem aduentum Christi nouimus, scilicet, ad homines, in homines, & cõtra homines. In primo venit in carne, & in infirmitate. In secundo, in Spiritu & virtute. In tertio, in gloria & maiestate. In primo Christus fuit redẽptio nostra. In secundo requies & consolatio nostra. In vltimo apparebit gloria & vita nostra. De hoc aduentu dicitur. Luc. 21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Rationabile est, quod Deus habeat aliquid iudiciũ generale, in quo manifestetur sententia, vel iustitia sua, quam exercuit in iudicijs particularibus. Insuper rationabile est vt fiat iudiciũ vniuersale vt disgregentur oues ab hędis; nam qui ascribitur regno, debent ad illud consequendum determinari: & qui carceri ascribuntur, debent ibi sequestrari, vt sic sit sequestratio duarũ ciuitatum, de quibus, D. August. per totum de ciu. Dei agit. Licet ergo singulariter nunc iste, nunc ille ascribatur

tur regno; nunc iste, nunc ille carceri destinetur: tamen congruum est aliquod iudicium generale futurum esse, per quod tota multitudo præuisa ad regnum mittatur in possessionē illius, & tota alia relinquatur carceri: *iudicare viuos & mortuos*; in fine mundi.

Antequam autem fiat iudicium, hæc breuiter adnotantur signa. Primum signum est, ipsa iniquitatis abūdantia, & fidei ac charitatis defectus, secundum illud Luc. 18. filius hominis veniens, putasne inueniet fidem in terra? q. d. minimè; quia pauci pro nihilo reputantur. Et 1. ad Tim. 4. In nouissimis temporibus discedent quidam a fide. & Mat. 24. Quoniam abūdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Secūdum signum, bellorū commotio. Mat. 20. Audituri estis prę lia, & opiniones præliorum. & Luc. 21. Et in terris pressura gentium. & Mat. 13. Exurget gens contra gentem. Tertium signum, fames. Mat. 24. & Mar. 13. Erit fames per loca. & Luc. 21. Arescentibus hominibus, scilicet, famis inedia. Quartum signum pestis. Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Erūt pestilētia per loca. Quintum signum, terremotus per loca; & hoc dicūt prę fati tres Euangelistę in dictis locis. Sextum signum, discessio a fide, de qua 2. ad Thes. 2. Rogamus ne terreamini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamq; per nos missam, quasi instet dies Domini: nemo vos seducat; quoniam nisi venerit discessio primum ab obedientia Romani imperij, ac etiam ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, & fidei catholicæ, vt ait D. Thom. opusc. 60. nō erit iudicium. Septimum est prædicatio Euangelij in vniuerso mundo, vt habetur Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Ex quibus tamen septem vulgaribus signis non potest inferri certitudinaliter aduētus Christi ad iudicium, cum a præfatis Euangelistis dicatur, quod oportet primum hæc fieri, sed nōdum finis. Vnde Mat. addit: prædicabitur Euangelium regni in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gētibus; & tunc veniet consumatio. Octauum signum est Antichristus cum veritatis contradictione: de quo Apostol. 2. ad Thes. 2. cum Glos. ibid. inquit: non veniet ad iudiciū Dominus, nisi prius (vt dictum est) fiat discessio, primum a Romano imperio siue Ecclesiarum, a spirituali obedientia Romanæ Ecclesiæ, siue hominum a fide, & nisi manifestus fiat homo, peccati seruus, & fons, scilicet, Antichristus, filius perditionis, id est, diaboli, qui aduersabitur Christo in membris suis. Extolletur .n. super omne quod falsa opinione dicitur, aut colitur Deus, vt sunt Dij gentium: ita vt in templo Dei sedeat a Romanis destructo, quod Iudæi reædificabunt.

Nascetur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan reprobata, sicut ait Glos. super Apoc. & B. Ambr. in lib. de benedictionibus Patriarcharum. Fuit enim Dā filius Iacob ex Bala concubina ancilla Rachelis. Post hæc veniet in Ierusalem & circumcidet se, dicens Iudæis se esse Christum in lege promissum. Vnde plebs Iudæa specialiter ei adhærebit vt dicit Haimo super Apocal. 11. donec Enoc & Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint saluandi, ad Christum reuertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam, sed quando veniet in profundum malorum & obstinabitur taliter in peccato, quod dicet se esse Deum, tunc deseret eum Angelus bonus ex toto, nec habebit eum postmodum ad protectionem, sed ad accusationem, vt ait Viquer. in tractatu de iudicio vniuersali, de mēte D. Thomæ. Ipse autem erit incontinentissimus Dan. 11. in aperto tamē per hypocrisiam simulabit castitatem & sanctitatem, vt alios facilius decipere possit. In tantum enim eleuabitur per superbiam, vt leges & cærimonias

ciariam potestatem vniuersorum ipsi a patre traditam, a quo constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Non enim Pater iudicat quempiam, sed omne iudicium dedit filio, vt eum omnes honorificent, sicut honorificant Patrem. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ioan. 5. Enim verò iudicis est, cum causam examinat, & fert sententiam ad maturitatem animi & prudentiã discussionis propositæ rei experiendam sedere.

Proinde Angeli illico post Ascensionem Christi discipulis denunciarunt futurum eius aduentum ad iudicium, dicentes: Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. De sessione eius ad dexterã habetur Mar. vlt. vbi dicitur: Dñs Iesus postquam locutus est eis, ascẽdit in cælum & sedet a dextris Dei.

Et contra hunc articulum de ascensione insurrexit alius ferus, scilicet, Eutices hæreticus, negans & dicens carnem conuersam in deitatem: quod si esset non ascendisset, quia deitas in cælis & vbique est. Contra hoc Micheas propheta ait. 2. Ascendet enim pandens iter ante eos. & Psal. 46. Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.

THOMAS.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et hic finem imposuit.

Huic concordat illud Act. 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum in cælum. In forma autem humana iuit: quia in forma diuina numquam defuit: & ideo in forma humana redibit ad iudicium, in qua & a bonis, & a malis videbitur. Io. 19. Videbunt, in quẽ transfixerunt. A malis autem forma diuina videri non poterit: quia sicut ait Aug. hanc nemo videre poterit, nisi gaudeat & glorietur in ea Isa. 26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. & Act. 17. Constituit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem præbens omnibus suscitans eum a mortuis. & 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisq; propria corporis pro vt gessit siue bonum siue malum. Et hic modus iudicij describitur. Matth. 25. vbi dicitur: quod statuet oues a dextris, & hædos a sinistris. Et bonis dicet; Venite benedicti: & malis: Ite maledicti in ignẽ æternum. Ecce quintum sacramentũ quod nondum est apertũ: veniet enim rex manifestè, cui pater omne iudiciũ dedit, & sicut ait propheta. Psal. 49. Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia. Et alibi. Deus manifestè veniet. Deus noster, & non silebit.

Inde inquit *venturus est* Bernardus, in aduentu Domini, super verbis Isa. ad Achaz. Serm. 1. inquit: Triplicem aduentum Christi nouimus, scilicet, ad homines, in homines, & cõtra homines. In primo venit in carne, & in infirmitate. In secundo, in Spiritu & virtute. In tertio, in gloria & maiestate. In primo Christus fuit redẽptio nostra. In secundo requies & consolatio nostra. In vltimo apparebit gloria & vita nostra. De hoc aduentu dicitur. Luc. 21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Rationabile est, quod Deus habeat aliquid iudicium generale, in quo manifestetur sententia, vel iustitia sua, quam exercuit in iudicijs particularibus. Insuper rationabile est vt fiat iudiciũ vniuersale vt disgregentur oues ab hędis; nam qui ascribitur regno, debent ad illud consequendum determinari: & qui carceri ascribuntur, debent ibi sequestrari, vt sic sit sequestratio duarũ ciuitatum, de quibus, D. August. per totum de ciu. Dei agit. Licet ergo singulariter nunc iste, nunc ille ascribatur

tur regno; nunc iste, nunc ille carceri destinetur: tamen congruum est aliquod iudicium generale futurum esse, per quod tota multitudo præuisa ad regnum mittatur in possessionē illius, & tota alia relinquatur carceri: *iudicare viuos & mortuos*; in fine mundi.

Antequam autem fiat iudicium, hæc breuiter adnotantur signa. Primum signum est, ipsa iniquitatis abūdantia, & fidei ac charitatis defectus, secundum illud Luc. 18. filius hominis veniens, putasne inueniet fidem in terra? q. d. minimè; quia pauci pro nihilo reputantur. Et 1. ad Tim. 4. In nouissimis temporibus discedent quidam a fide. & Mat. 24. Quoniam abūdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Secūdum signum, bellorū commotio. Mat. 20. Audituri estis prælia, & opiniones præliorum. & Luc. 21. Et in terris pressura gentium. & Mat. 13. Exurget gens contra gentem. Tertium signum, fames. Mat. 24. & Mar. 13. Erit fames per loca. & Luc. 21. Arescentibus hominibus, scilicet, famis inedia. Quartum signum pestis. Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Erūt pestilētia per loca. Quintum signum, terremotus per loca; & hoc dicūt præfati tres Euangelistæ in dictis locis. Sextum signum, discessio a fide, de qua 2. ad Thes. 2. Rogamus ne terreamini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamq; per nos missam, quasi instet dies Domini: nemo vos seducat; quoniam nisi venerit discessio primum ab obedientia Romani imperij, ac etiam ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, & fidei catholicæ, vt ait D. Thom. opusc. 60. nō erit iudicium. Septimum est prædicatio Euangelij in vniuerso mundo, vt habetur Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Ex quibus tamen septem vulgaribus signis non potest inferri certitudinaliter aduētus Christi ad iudicium, cum a præfatis Euangelistis dicatur, quod oportet primum hæc fieri, sed nōdum finis. Vnde Mat. addit: prædicabitur Euangelium regni in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gētibus; & tunc veniet consumatio. Octauum signum est Antichristus cum veritatis contradictione: de quo Apostol. 2. ad Thes. 2. cum Glos. ibid. inquit: non veniet ad iudiciū Dominus, nisi prius (vt dictum est) fiat discessio, primum a Romano imperio siue Ecclesiarum, a spirituali obedientia Romanæ Ecclesiæ, siue hominum a fide, & nisi manifestus fiat homo, peccati seruus, & fons, scilicet, Antichristus, filius perditionis, idest, diaboli, qui aduersabitur Christo in membris suis. Extolletur .n. super omne quod falsa opinione dicitur, aut colitur Deus, vt sunt Dij gentium: ita vt in templo Dei sedeat a Romanis destructo, quod Iudæi reædificabunt.

Nascetur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan reprobata, sicut ait Glos. super Apoc. & B. Ambr. in lib. de benedictionibus Patriarcharum. Fuit enim Dā filius Iacob ex Bala concubina ancilla Rachelis. Post hæc veniet in Ierusalem & circumcidet se, dicens Iudæis se esse Christum in lege promissum. Vnde plebs Iudæa specialiter ei adhærebit vt dicit Haimo super Apocal. 11. donec Enoc & Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint saluandi, ad Christum reuertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam, sed quando veniet in profundum malorum & obstinabitur taliter in peccato, quod dicet se esse Deum, tunc deseret eum Angelus bonus ex toto, nec habebit eum postmodum ad protectionem, sed ad accusationem, vt ait Viquer. in tractatu de iudicio vniuersali, de mēte D. Thomæ. Ipse autem erit incontinentissimus Dan. 11. in aperto tamē per hypocrisiam simulabit castitatem & sanctitatem, vt alios facilius decipere possit. In tantum enim eleuabitur per superbiam, vt leges & cærimonias

gentia notatione dignum est quod differentia est inter ascensionem, assumptionem, & euolationem; quoniam ascensio pertinet ad Christum, eoquod fit propria virtute ascendentis. Vnde de dicta ascensione loquebantur Angeli, dicentes. Isa. 65. Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, gradiens in multitudine virtutis suæ? Per Idumæam & Bosram intelligit Iudæam & Ierusalem (nam Bosra Metropolis est Idumeæ) quod vt illic erant Idumæi Ecclesiæ Israel hostes, sic in Iudæa & Ierusalem erant hostes Christi; quos vt debellaret descendit de cælo, & corpus sumpsit. & Micheę. 2. de Christo dicitur; Ascendit pandēs iter ante eos. Sed quia B. Leo Papa in sermone de Ascēsione exponens illud verbum, Videntibus illis eleuatus est, inquit, cum audis eleuatum agnosce cælestis militiæ obsequium: in eo, qui eleuat diuinam potentiam; in eo, qui eleuatur humanam agnosce naturam; ex consequenti videtur, quod fuerit eleuatus, & ita vectus. Cui Glos. arridet super illud Psal. 90. Angelis suis Deus mandauit de te, dicens: Manibus Angelorum sublatus est Christus in cęlū. Respon. Alex. de Ales. 3. p. q. 23. membr. 2. distinguendo; ferri (inquit) dicitur bifariam. Vno modo necessitate sustentationis, quando, scilicet, virtus corporis non est sufficiens per se ad cōplendum motū. Alio modo obsequio venerationis, sicut Papa fertur a suis ministris, & Rex a suis. Cum ergo dicitur corpus Christi fuit latum per Angelos in Ascēsione, hoc solum fuit obsequio venerationis, & non necessitate sustentationis; sic enim intelligunt Leo Papa, & Glosa, quæ dicit; & in manibus portabunt te, idest, Angeli, qui obsequebantur Regi. Quo etiam sensu intelligitur illud Psal. 67. Currus Dei decem millibus, multiplex millia lætantium.

Secundum igitur propriam virtutē ascendit; quod quidem hoc modo exponitur, quia secundum Tho. 3. p. in Christo duplex est natura, diuina, scilicet, & humana, vt alibi sæpè diximus. Et secundum vtramque potest accipi propria virtus eius secundum humanam adhuc potest virtus Christi accipi, vel pro naturali, quæ procedit ex principijs naturæ, & tali virtute manifestum est, quod Christus non ascendit in cęlum; vel pro virtute gloriæ, secundum quam Christus ascendit in cælum; huius virtutis rationem assignat ex parte animæ glorificatæ, ex cuius redundantia glorificabatur corpus, vt ait D. Aug. ad Dioscorum. Erit enim tanta obedientia corporis gloriosi ad animam beatam secundū eundem 22. de Ciu. Dei, vt certè vbi volet Spiritus, ibi protinus erit corpus; nec volet aliquid Spiritus quod nec Spiritū possit decere, nec corpus. Decet autem corpus gloriosum & immortale esse in loco cælesti; & ideo ex virtute animæ volentis corpus Christi ascendit in cælum. Christus ergo ascendit in cælum non modo virtute diuina, sed & virtute animæ glorificatæ mouentis corpus, vt ipsamet vult; de quo Glos. super illud Ephes. 4. Quod autem ascendit, inquit, quid est, nisi, quia descendit? Constat igitur, quod secundum humanitatem Christus descendit & ascendit.

Assumptio autem Virginis virtute Christi assumentis fit, quia filius specialiter obsequitur matri. Euolatio verò fit ministerio Angelorum. Alia posset assignari differētia, quia locus euolantium est distinctio chororum; locus verò assumptæ Virginis est supra choros Angelorum; locus autem Christi ascendentis est supra vltra locum B. Virginis.

De hac Christi Ascensione B. Greg. in homilia de Ascen. ait; quod legitur Elias in curru ascendisse, vt videlicet apertè demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno, Redēptor autē noster, non curru, non Angelis

gelis fubleuatus legitur, nifi eo modo quo fupra monftrauimus, videlicet, obfequio venerationis; quia qui fecerat omnia, fuper omnia, fua virtute ferebatur. Vnde Augu. in Serm.3. de Afcenf. ait. De noftro fuit, quod filius Dei pepēdit in cruce; fed de fuo quod afcendit. Dilata autem fuit Afcenfio Chrifti, vt per multa argumenta oftēderetur quod verè Chriftus refurrexerit, ficut prærogata fuit refurrectio vt oftenderetur quod Chriftus verè mortuus, fuerit.

Hic funt multa confideranda circa Afcenfionem. Primum, quod eleuatus eft vidētibus omnibus difcipulis. Act. 1. vt defiderium eundi ad eum excitaretur in eis. Secundum, quod nubes fufcepit eum ab oculis eorum. Luc. 24. vbi per vmbram nubis figuratur quod in hoc mortali corpore Iefum in alto videre non poffumus. Tertium, quod eleuatis manibus ferebatur in cælum. Eleuauit autem manus: & vt fuo Patri offerret, & vt inimicos altè retracta manu perc uteret. Quartum, quod benedixit eis; vt eos contra hoftem muniret, & bonis cæleftibus impleret. Quintum, quod afcendit in iubilatione; quod refertur ad vocem iucunditatis redemptor afcendentium cum ipfo, qui prius voce lachrymabili in portis inferni clamauerunt; aduenifti tandem defiderabilis quē expectabamus in tenebris. ex Pfal. 46. Sextum, quod afcendit in voce tubæ, quod refertur ad fonum prædicationis Apoftolorū, qui fonus fuit ei iucundus, Matth. vlt. Euntes in mundum vniuerfum prædicate Euangelium omni creaturæ. Et tunc, in omnem terram exiuit fonus eorum. Septimum eft, quod afcendēs in altum, captiuam duxit captiuitatē, ideft, captiuos captiuitate inferni, quos fecum captiuos eduxit Ephef. 4. Demum quod dedit dona hominibus; quia omnia bona noftra defurfum sūt quo Chriftus afcendit. Ex Pfal. 67.

Sequitur. *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotētis.* De feffione Chrifti ad dexteram patris omnipotētis loquitur Damafc. lib. 4. de fide Orthodoxa. c. 2. dic. Confeffum Chrifti ad dexterā patris intelligere debemus fublimationem eius & exaltationem in beatitudine cælefti fuper omnem creaturam, & ad æqualem cum patre honorificētiam, & fubleuationem, ad quam fecundum captum fuæ conditionis noftram fubuenit fibi vnitam naturam. Nunc autem Chriftus non folum vt Deus, fed etiam vt homo, propter idētitatem hypoftaticam gloriam & honorem fuper omnia habet. Exaltauit enim illum Deus propter humilitatē & obedientiam vfque ad mortem, & donauit illi nomē, quod eft fuper omne nomen: vt in nomine Iefu omne genu flectatur, cæleftium, terreftrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iefus Chriftus in gloria eft Dei patris. Philip. 2. & Ephef. 1. dicitur: pater Chriftum conftituit fuper omnem principatum, poteftatem, Dominationem, & virtutē, & fuper omne nomen, quod nominatur non folum in hoc fęculo, fed etiam in futuro. Chryfoft. Etiam exponens illud Hebr. 1. de Chrifto, videlicet, fedet ad dexteram maieftatis in Excelfis; ait: non loco concludit Deum, fed oftendit hominem Chriftum omnibus altiorem, & eminentiorem: & per dexteram non Deum deformauit, fed fimilitudinem honoris demonftrauit.

Confeffus enim nihil aliud demonftrat nifi honoris æqualitatē, & quod fublimatus eft Chriftus ad æqualitatē Patris. Si enim humano more loquamur non poffet quifpiam Augufte authoritatis, & infigni dignitate præditus, alterum fibi familiarem maiori honore afficere, aut illum euidentius fibi poteftate adæquare, quam fi ipsū ad dexteram fuam affiuerit, & fibi collateralem collocarit. Porro nonnulli confeffum Chrifti ad dexteram patris interpretantur (& non abfurde) iudi-

ciariam potestatem vniuersorum ipsi a patre traditam, a quo constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Non enim Pater iudicat quempiam, sed omne iudicium dedit filio, vt eum omnes honorificent, sicut honorificant Patrem. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ioan. 5. Enim verò iudicis est, cum causam examinat, & fert sententiam ad maturitatem animi & prudentiã discussionis propositæ rei experiendam sedere.

Proinde Angeli illico post Ascensionem Christi discipulis denunciarunt futurum eius aduentum ad iudicium, dicentes: Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. De sessione eius ad dexterã habetur Mar. vlt. vbi dicitur: Dñs Iesus postquam locutus est eis, ascẽdit in cælum & sedet a dextris Dei.

Et contra hunc articulum de ascensione insurrexit alius ferus, scilicet, Eutices hæreticus, negans & dicens carnem conuersam in deitatem: quod si esset non ascendisset, quia deitas in cælis & vbique est. Contra hoc Micheas propheta ait. 2. Ascendet enim pandens iter ante eos. & Psal. 46. Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.

THOMAS.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et hic finem imposuit.

Huic concordat illud Act. 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum in cælum. In forma autem humana iuit: quia in forma diuina numquam defuit: & ideo in forma humana redibit ad iudicium, in qua & a bonis, & a malis videbitur. Io. 19. Videbunt, in quẽ transfixerunt. A malis autem forma diuina videri non poterit: quia sicut ait Aug. hanc nemo videre poterit, nisi gaudeat & glorietur in ea Isa. 26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. & Act. 17. Constituit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem præbens omnibus suscitans eum a mortuis. & 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisq; propria corporis pro vt gessit siue bonum siue malum. Et hic modus iudicij describitur. Matth. 25. vbi dicitur: quod statuet oues a dextris, & hædos a sinistris. Et bonis dicet; Venite benedicti: & malis: Ite maledicti in ignẽ æternum. Ecce quintum sacramentũ quod nondum est apertũ: veniet enim rex manifestè, cui pater omne iudiciũ dedit, & sicut ait propheta. Psal. 49. Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia. Et alibi. Deus manifestè veniet. Deus noster, & non silebit.

Inde inquit *venturus est* Bernardus, in aduentu Domini, super verbis Isa. ad Achaz. Serm. 1. inquit: Triplicem aduentum Christi nouimus, scilicet, ad homines, in homines, & cõtra homines. In primo venit in carne, & in infirmitate. In secundo, in Spiritu & virtute. In tertio, in gloria & maiestate. In primo Christus fuit redẽptio nostra. In secundo requies & consolatio nostra. In vltimo apparebit gloria & vita nostra. De hoc aduentu dicitur. Luc. 21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Rationabile est, quod Deus habeat aliquid iudicium generale, in quo manifestetur sententia, vel iustitia sua, quam exercuit in iudicijs particularibus. Insuper rationabile est vt fiat iudiciũ vniuersale vt disgregentur oues ab hædis; nam qui ascribitur regno, debent ad illud consequendum determinari: & qui carceri ascribuntur, debent ibi sequestrari, vt sic fit sequestratio duarũ ciuitatum, de quibus, D. August. per totum de ciu. Dei agit. Licet ergo singulariter nunc iste, nunc ille ascribatur

tur regno; nunc iste, nunc ille carceri destinetur: tamen congruum est aliquod iudicium generale futurum esse, per quod tota multitudo præuisa ad regnum mittatur in possessionē illius, & tota alia relinquantur carceri: *iudicare viuos & mortuos*; in fine mundi.

Antequam autem fiat iudicium, hæc breuiter adnotantur signa. Primum signum est, ipsa iniquitatis abūdantia, & fidei ac charitatis defectus, secundum illud Luc. 18. filius hominis veniens, putasne inueniet fidem in terra? q. d. minimè; quia pauci pro nihilo reputantur. Et 1. ad Tim. 4. In nouissimis temporibus discedent quidam a fide. & Mat. 24. Quoniam abūdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Secūdum signum, bellorū commotio. Mat. 20. Audituri estis prælia, & opiniones præliorum. & Luc. 21. Et in terris pressura gentium. & Mat. 13. Exurget gens contra gentem. Tertium signum, fames. Mat. 24. & Mar. 13. Erit fames per loca. & Luc. 21. Arescentibus hominibus, scilicet, famis inedia. Quartum signum pestis. Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Erūt pestilētia per loca. Quintum signum, terremotus per loca; & hoc dicūt præfati tres Euangelistę in dictis locis. Sextum signum, discessio a fide, de qua 2. ad Thes. 2. Rogamus ne terreamini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamq; per nos missam, quasi instet dies Domini: nemo vos seducat; quoniam nisi venerit discessio primum ab obedientia Romani imperij, ac etiam ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, & fidei catholicæ, vt ait D. Thom. opusc. 60. nō erit iudicium. Septimum est prædicatio Euangelij in vniuerso mundo, vt habetur Mat. Mar. & Luc. vbi supra. Ex quibus tamen septem vulgaribus signis non potest inferri certitudinaliter aduētus Christi ad iudicium, cum a præfatis Euangelistis dicatur, quod oportet primum hæc fieri, sed nōdum finis. Vnde Mat. addit: prædicabitur Euangelium regni in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gētibus; & tunc veniet consumatio. Octauum signum est Antichristus cum veritatis contradictione: de quo Apostol. 2. ad Thes. 2. cum Glos. ibid. inquit: non veniet ad iudiciū Dominus, nisi prius (vt dictum est) fiat discessio, primum a Romano imperio siue Ecclesiarum, a spirituali obedientia Romanæ Ecclesiæ, siue hominum a fide, & nisi manifestus fiat homo, peccati seruus, & fons, scilicet, Antichristus, filius perditionis, idest, diaboli, qui aduersabitur Christo in membris suis. Extolletur .n. super omne quod falsa opinione dicitur, aut colitur Deus, vt sunt Dij gentium: ita vt in templo Dei sedeat a Romanis destructo, quod Iudæi reædificabunt.

Nascetur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan reprobata, sicut ait Glos. super Apoc. & B. Ambr. in lib. de benedictionibus Patriarcharum. Fuit enim Dā filius Iacob ex Bala concubina ancilla Rachelis. Post hæc veniet in Ierusalem & circumcidet se, dicens Iudæis se esse Christum in lege promissum. Vnde plebs Iudæa specialiter ei adhærebit vt dicit Haimo super Apocal. 11. donec Enoc & Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint saluandi, ad Christum reuertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam, sed quando veniet in profundum malorum & obstinabitur taliter in peccato, quod dicet se esse Deum, tunc deseret eum Angelus bonus ex toto, nec habebit eum postmodum ad protectionem, sed ad accusationem, vt ait Viquer. in tractatu de iudicio vniuersali, de mēte D. Thomæ. Ipse autem erit incontinentissimus Dan. 11. in aperto tamē per hypocrisiam simulabit castitatem & sanctitatem, vt alios facilius decipere possit. In tantum enim eleuabitur per superbiam, vt leges & cærimonias

mutare conetur. Tantæ præsumptionis erit, quod non putabit se a Deo puniendum propter hoc, quod iudicium differtur. Psal. 9. Auferuntur iudicia tua a facie eius. Erit & blasphemus, vt dicitur Apocal. 13. Vnde Daniel. 1. ait: Aduersus Deum deorũ loquetur magnifica. Et ad maiorem Dei contumeliam faciet imaginem suam adorari, & omnes suo charactere signari in manu dextera, & frontibus suis. Confitebitur enim verè se filium Dei & hominis. Affirmabit ante se nullum fuisse Christum, sed Antichristos; vt dicit Glos. super 2. ad Thes. 2. quia sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis habitat, ad Colos. 2. ita & in Antichristo plenitudo omnis iniquitatis, ex quo in eodem erit caput omnium malorum diabolus. Vnde Glos. super illud Matth. 24. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta stantem in loco sancto, dicit: hoc esse Antichristum sedentem in loco sancto Ierusalem, & se adorari facientem. De Antichristo vide compend. Theolog. veritatis.

Contra & hunc articulum latratus est Origenes. (si hæc opinio est Origenis) dicens, Christum debere in fine omnes saluare & pro eis pati. Sed contra eum est, quod supra ait Christus: Ibunt hi in supplicium æternum, &c. & Daniel 12. De puluere terræ euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper.

MATTHÆVS.

Credo in Spiritum sanctum. & hic finiuit.

Hic incipit tertia pars huius Symboli, scilicet, de sanctificatione. *Credo in Spiritum sanctum*; quia post sacramenta, quæ fuerunt de filij diuinitate & humanitate, consequens est ponere de Spiritu sancto, qui procedit ab vtroque a Patre, scilicet, & a Filio. Dicitur autem hic, *Credo*, quia a primo articulo vsque huc intermissum fuerat: & ideo consequens erat hic iterare, quando de alia persona, articuli erant ponendi. Spiritus autem dicitur, quia spirat vitam gratiæ & intelligentiæ. Sanctus autem dicitur, quia omnis sanctitatis est perfector. Ecce igitur tertia in Trinitate persona, scilicet, Spiritus sanctus: de qua Moyses ait; Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Psal. 147. Flabit spiritus eius & fluent aquæ. Et Dominus in Euangelio. Spiritus, qui a Patre procedit, docebit vos omnia. Ille enim docet: ille sanctificat: ille venit: ille peccata remittit. Per hunc resurrectionem in gloria; per hunc consequimur vitam æternam.

Credo, inquit, *in Spiritum sanctum*, similiter tertiam in diuinis personam, ex Patre & filio procedentem, & patri ac filio coæqualem: qui viuificat & sanctificat omnia: & extra quem sanctum est nihil. Vnde Spiritus sanctus appellatur, quo inspirante loquuti sunt prophetæ, & sancti Dei homines. Spiritum sanctum esse, & Deum esse, licet indubitata fide sit tenendum, ex sacris tamen literis Sanctissimi Patres abundè comprobant. Primo ex eo B. Petri dicto ad Ananiam; Act. 5. Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto? Non es mentitus homini, sed Deo. Et patet, quod ibi expressè loquitur de eodem Spiritu sancto, de quo erat superior locutio. Idem que colligitur 1. Cor. 12. cum dicitur: Diuisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiritus; & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Ecce quomodò primo Spiritum vocat, deinde Dominum, postremo Deum.

Rursus Spiritus sanctus dicitur creare: Psalm. 103. Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & cæt. Et Iob 33. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipoten-

potentis viuificauit me. Formare itidem virtutem cælorum perhibetur. Psalm. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritus oris eius omnis virtus eorum. Hæc autem solius Dei sunt opera. Insuper Spiritum sanctum vbique esse, & omnia replere asseritur. Psalm. 138. Quo ibo a spiritu tuo & quo a facie tua fugiam? Et Sap. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: quod recitatur in Introitu Missæ Spiritus sancti, propter hoc quod attribuuntur hæc verba Spiritui sancto tertiæ in diuinis Personæ; vt ibi dicetur in expositione Missæ. Quod omnia cognoscat etiam occultissima Dei mysteria, asseritur 1. Corint. 2. vbi dicitur; Quæ Dei sunt nemo cognoscit, nisi spiritus Dei. Scrutatur etiam profunda Dei, & diuinorum numerum charismata, quibus vult dispartitur. Ioan. 3. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis. B. quoque Paulus 1. Corin. 12. Enumeratis gratiarum donis, quæ a Deo hominibus communicantur, subdit; Hęc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Præterea Sacratissimam Virginē reddidit fœcundam sine viri consortio. Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te, & cæt. Quod in ea natum est de Spiritu sancto est. Id autem virtutis creatæ nequaquam opus est. Blasphemia etiam in Spiritum sanctum, quod sit grauior quam ea quæ fit in filium hominis patet ex ipsomet Christo Matth. 12. quia non remittitur neque in hoc sęculo, neque in futuro.

Et contra hunc articulum insurrexerunt feri, scilicet, Nestorius, & Eutices Patriarchæ, vt patebit in sequenti capitulo. Dixerunt enim Spiritum sanctum esse seruum Patris & Filij.

IACOBVS MINOR.

Sanctam Ecclesiam Catholicam Sanctorum Communionem. Et hic tacuit.

Iacobus Minor sequitur, ponens suum bolum, dicens; *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, idest, Credo per Spiritum sanctum Sanctam Ecclesiā Catholicam, idest, credo per Spiritū sanctum Sanctam Ecclesiam fidelium sanctificari. Item, possunt sic coniungi, *Credo in Spiritum sanctum, Sanctorum Communionem*, idest, per Spiritum sanctum sanctos in vinculo charitatis vniri. Hoc non facit alium articulum, sed declarat eundem: quia ad sanctitatis Ecclesiæ perfectionem pertinet Sanctorum communio.

Vel sic. *Credo vnam Sanctam Ecclesiam Catholicam*, & Apostolicam, *Sanctorum Communionem*. Articulus iste non dicit, credo in vnam Sanctam Ecclesiam, & cæt. sicut nonnulli articuli dicunt, Credo in Deum, Credo in filium & cæt. sed credo vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, idest, credo Ecclesiam a Deo congregatam esse; non in sanctam Ecclesiam, vt in Deum. Hac ergo propositione, *in*, creator secernitur a creaturis; & diuina separatur ab humanis: sic enim in solum Deum credendum est. Vnde Aug. super illud, creditis in Deum & in me credite Ioan. 14. ait; Nunquam aliquis Apostolorum ausus est dicere, credite in me. Et super illud Rom. 4. omni credenti in eum, dicit; aliud est credere illi, aliud illum, aliud est credere in illum. Et cum dicitur in Symbolo, Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam, illa prępositio, *in*, non refertur ad Ecclesiam, sed ad Spiritum sanctum illam sanctificantem. Ecclesia aliquando sumitur pro domo materiali diuinis obsequijs & orationi mancipata 1. Corin. 11. An Ecclesiam Dei (hoc est domum orationis secundum Glos.) contemnitis? Quandoque sumitur pro Ecclesia particulari 2. Cor. 1. Ecclę quæ est Corinthi. Aliquando pro solis Ecclesiasticis, aut eorum maiori parte. vt in cap. 1. 63. dist. vide super de Ecclesia. Aliquando sumitur Ecclesia, vt complectitur omnes iustos tantum. Eph. 1.

De Christo ait; Ipsum constituit caput super omnem Ecclesiam, hoc est sanctorum congregationem, Angelorum & hominum, quæ in cælo, & quæ in terris est. Aliquando vt complectitur omnes, qui communionem possessionis fidei, similiter & doctrinæ, ac Sacramentorum, secundum Catholicam & Apostolicam traditionem habent. Ad Ecclesiam hoc modo acceptam nimirum attinent tam boni, quam mali, qui per quamdam colligantiam eiusdem professionis, ac exterioris participationis Sacramentorum, sunt in Ecclesia Dei. Et hæc est Ecclesia militans in qua criminosi licet sint numero, nō tamen merito. De hac loquitur Psalm. 21. Erit apud te laus mea in Ecclesia magna: & alibi. In medio Ecclesię laudabo te. Vbi glos. exponit, magna, hoc est in toto orbe diffusa. Vnde August. contra Crescen. Grammat. cap. 31. ait: Tenenda est Beatissimi Cypriani ad Maximum plenissima charitatis pietatisque sententia, dicentis: Quāquam in Ecclesia videamus esse Zizania, nō tamen debet perturbari, aut fides, aut charitas nostra: neque de Ecclesia recedere debemus ob id, quod zizania in Ecclesia esse cernimus, quia potius vbi videmus Ecclesiam opprimi per impios, hic fidei articulus, quem tractamus nos confirmabit ne desperemus. Sed sciamus Ecclesiam esse permansuram, vt nauiculam iactandam quidem ventis, sed non submergendā. Immo hæc Ecclesia vtens sacramentis ait Card. de Turr. Crem. lib. 1. ca. 28. ex quo incæpit, numquam esse desijt; nec ante vniuersale iudicium deficiet; sed perseuerabit, vsque ad consumationem sæculi. Quod apparet eo quod fides in qua fundatur Ecclesia, non deficiet vsque ad consumationem sæculi. Vnde Psal. 147. Deus fundauit eam in æternum. Et alibi. Tu es sacerdos in æternum, &c. Psal. 109. & Luc. 1. Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternū. & Christus pollicitus est quod portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiā. Et alibi dicit Petro: Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua. & Mat. vlt. Ecce ego vobiscū sum vsque ad consumationem sæculi, scilicet, in Sacramento Altaris. Si allegatur illud Ierem. Perit fides, oblata est de ore eorum; dicēdum quod prędicta authoritas, & aliæ similes, si quę sint, intelligūtur propter paucitatem, vt dictum est supra. Et licet fides cuiuslibet particularis hominis sit corruptibilis, non tamen omnium collectiuè: semper enim erunt aliqui credentes. Ecclesiæ ergo de qua loquuntur doctores, accipitur pro cætu fidelium viatorum, qui numero vel merito adunati sunt in fide, & cultu visibili vnius veri Dei: & non vt hæretici dicunt, pro congregatione sanctorum in Spiritu, quam nescimus vbi sit, aut vbi eam inquirere, aut inuenire possimus. Aciem huius Ecclesiæ perrumpere conati sunt pagani, omnia suppliciorum genera de pijs sumendo. Conati sunt Tyranni, libertatem eripiendo. Conati sunt falsi fratres, charitatē exterminando. Conati sunt Iudæi, fidem impugnando. Conati sunt schismatici, obedientiam tollendo, & eius vnitatem scindendo. Conati sunt hæretici, scripturas adulterando, veritatem earum obscurando, praueque eas interpretando. Sed fuit hæc acies terribilis omnibus, vicit, fudit, fugauit omnes. Vicit paganos, pro Christi fide vitam cum sanguine profundendo tanta animi constantia, vt gauderent etiam, eo quod digni essent habiti pro nomine Iesu contumeliam pati. Act. 5. Vicit tyrānos, in Deo spem & fiduciam collocando, ac pro se persequentibus deprecando. Vicit falsos fratres, tolerando. Vicit schismaticos, ordinē retinendo, & vnitatem capitis conseruando. Vicit Iudæos & hæreticos, verum scripturarum sensum ab illis non intellectum, sed praue detortum, aperiendo.

ciendo. Vnde Ecclesiæ suæ saluator, dixit. Luc.21. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. Hæc autẽ Ecclesia quare dicatur vna, sancta, catholica, & apostolica, dictum est supra lib.1.cap.1.

Contra hunc articulum, *Sanctam Ecclesiam*, &c. quæ significatur vtiq; per gratiam Sacramentalẽ, dixit alius ferus hæreticus, scilicet, Pelagius, asserens principaliter per proprium arbitrium posse saluari. Sed contra eum dicit Apostol. ad Ephes. 2. Gratia Dei salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Et illud ad Tit. 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos facit, per lauacrum regenerationis & renouationis, &c.

SIMON CANANÆVS.

Remissionem peccatorum. Et hic filuit.

Simon Cananæus succedit decimo loco, & dicit: *Remissionem peccatorum*. Iste Iacobus detulit Fratri primatum, eo quod Iacobus ille erat Ierosolymorum Episcopus, dicit; *Sanctam Ecclesiam, peccatorum remissionem*, idest, per fidem, quam habeo, existens in sancta, & vniuersali Ecclesia, consequor *remissionem peccatorum*, & lepræ curationem. Hoc autem dicit *Remissionem peccatorum*, respiciens ad opus Spiritus sancti. Et est sensus, Credo in Spiritum sanctum, qui facit remissionem peccatorum. Io.20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Et ita omnis Baptismus, qui est peccati ablutio dicitur fieri in Spiritu sancto. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Act.1.

Item *Remissionem*, inquit *peccatorũ* ex his, quæ supra dicta sunt, manifestissimè patet quod nec Deus pater, ob aliam causam misit filium suum, nec ipsemet filius propter aliud suscepit hominem sanandum, nec Spiritus sanctus sua dona ob aliud infudit, nisi vt animæ nostræ a sarcinis peccatorũ liberarentur. Suscepit ergo Christus totum hominem & in anima & in corpore curandum: a cura tamen animæ cæpit; tandem etiam corpori daturus, fælicitatem & immortalitatem. Nam curam animæ prius esse habendam demonstrat ipsemet Christus Mat. 9. cum paralyticum sanauit dicens: Fili confide remittuntur tibi peccata tua. Deinde cum vidisset peruersam Iudęorum mentem; inquit. Vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge tolle grabatum tuum & ambula. Congruũ est enim vt prius interius sanus sit, qui exterius saluus esse desiderat; vt Dominus docet Mat. 23. Munda, inquit, prius quod intus est, vt fiat & id quod deforis est mundum.

Credimus ergo in sola Christi Ecclesia, & non alibi, esse remissionem peccatorum per Baptismum, & post Baptismum per pęnitentiam & claues Ecclesiæ datas, Baptismus enim extra Ecclesiam esse potest apud hæreticos baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; sed prodesse non potest ad vltra ad remissionem peccatorum, nisi baptizatus ante vitæ suæ finẽ catholicæ Ecclesiæ reconciliatus, redditus, & incorporatus fuerit. De Baptismo satis supra diximus in primo lib.cap. de Baptismi sacramento.

IVDAS THADÆVS.

Carnis resurrectionem. Et hic finiuit.

Post hunc Iudas Thadæus posuit suum bolum, & est vndecimus in ordine, dicens: *Carnis resurrectionem*; qui articulus fundatur tam in opere filij: quam in opere Spiritus sancti. In operatione quidem filij, quia sicut ait

Aug.

Aug. Christi resurrectio causa est nostræ resurrectionis. Vnde 1. Cor. 15. Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit: nunc autem resurrexit Christus primitiæ dormientium. Et Apocal. 1. dicitur: primogenitus mortuorum & princeps regum terrę. Super opus autem Spiritus sancti fundatur: quia Spiritus gloriæ & incorruptionis inspirabit corpora resurgentium, cuius donatio attribuitur Spiritui sancto. Spiritus quidem gloriæ in sanctis resurgentibus ad gloriam: Spiritus autem incorruptionis in omnibus, quia omnes mortui tam in complexione, quam in compositione membrorum resurgent incorrupti. Canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti. 1. Corinth. 15. *Carnis resurrectionem*, idest, per fidem, quam habeo existens in Ecclesia consequor *Carnis resurrectionem*.

Carnis, inquit, resurrectionem. Deus enim. (ait Alber.) sicut potentissimus est in collatione gratiarum, ita & iustissimus in retributione stipendiorum. Omnis igitur homo quęcumque in anima simul & in corpore meruit vel demeruit punietur vel præmiabitur in vtroque. Vnde in eisdem oportet resurgere. Resurgent igitur omnes tam boni quam mali, sed hæc resurrectio erit similis & dissimilis. Nam mali resurgent deformes & passibiles. In bonis natura saluabitur & vitia retrahentur. Omnes verò tam boni quam mali resurgent integri corpore debita statura secundum ætatem plenitudinis Christi. Et, quia ad corpus pertinet cadere; sequitur quod resurrectio videtur magis pertinere ad corpus, quam ad animam.

Contra hunc articulum est quidam ferus hæreticus, vt ponit Greg. in Moral. qui dixit: in futura resurrectione recepturos nos esse carnem non veram, sed aeri, & vento similem. Quem elidit Iob. dicens. cap. 19. In carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse & non alius, idest, non mutatus alia carne.

Insuper, quia in resurrectione bonorum & malorum conuenit vt omnia corporis membra, & quicquid est de integritate naturæ, in vtrisque resurgent, cum resurrectio fiat opere diuino immediatè, & Dei perfecta sunt opera, sequitur, quod homo reparabitur perfectus in omnibus membris, & quamuis membra ordinentur ad actus, & post resurrectionem non sint futuri actus genitalium, (in resurrectione enim non nubent neque nubentur Matt. 22.) non tamen sequitur quod illa membra desint. Quia membra non solum sunt propter operationem, sed etiam ad ostendendam virtutem & distinctionem sexuum: & ita non erunt frustra. Erunt etiam intestina non superfluitatibus turpibus, sed nobilibus humoribus referta. Vnde Augu. ait; Melius sapere videntur, qui vtrumque sexum resurrecturum non dubitant. Deus enim in resurrectione reparabit in homine, quod fuit in prima conditione: sed tunc creauit masculum & fœminam. ergo, &c. Nec obstat illud Ephes. 4. Omnes occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, quia non intelligitur propter sexum virilē, sed propter virtutem animi & robur corporis, quę erunt tam in mulieribus quam viris. Et licet nunc mulieres subdantur viris, hoc tamen fit propter imbecillitatem animi & defectum roboris; sed cum hæc non deficiant mulieribus post resurrectionem, sequitur, quod tunc cessabit omnis prælatio vt dicit Glos. 1. Cor. 15. ideo tunc non differunt vir & mulier, quantum ad superioritatem, vel imbecillitatem.

Insuper, cum cibus & potus ordinentur ad conseruationem indiuidui, sequitur quod post resurrectionem nō erit comestio, nec potatio, aut dormitio, nec alia, quæ ad animalem vitam pertinent, quia operationes animales

non

non sunt hominis in quantum homo: ideo in eis non consistit beatitudo corporis humani. Sed corpus glorificatur ex redundantia gloriæ animæ vt supradictum est. Nec obstat quod Christus comedit & bibit post resurrectionem, quia illa sumptio cibi & potus non fuit necessitatis, quasi illis indigeret: sed fuit potestatis vt ostenderet se habere veram naturam humanam, quam prius habuerat. Hæc autem ratio non erit in resurrectione cõmuni.

Amplius, capilli, dentes, vngues resurgent in corpore humano; vnde Christus Matt. 10. Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Capilli .n., vngues, & dentes dati sunt homini in ornamentum, & in conseruationem aliarum partium, & ita videntur quodammodo esse de integritate naturæ humanæ. Vrina autem, feces, sudor, & huiusmodi superfluitates nõ resurgent in corpore humano, cum nõ pertineant ad integritatem naturę, neque ad conseruationem aliarum partium: ideo naturaliter expelluntur quasi ad nihilum vtiles.

Insuper, nõ omnes resurgent ęquales in statura siue quantitate: sed quilibet resurget, in illa quantitate, in qua fuisset in termino augumenti, si natura non errasset, aut defecisset. Quod autem superest, vel deficit, resecabit, vel implebit diuina potentia, ac defectum quantitatis, qui prouenit ex defectu virtutis formatiuæ, sicut in hominibus Nanis, & Gibbosis. Ex quo sequitur quod in resurrectione non erunt gigantes neque Nani. Non est tamen intelligendum quod omnes futuri sint æquales Christo in quantitate, sed quod omnes erunt in perfecta quantitate quam habuissent in trigesimo tertio anno.

Amplius, tam boni quam mali erũt incorruptibiles iuxta illud. De malis, quod dicitur .s. in diebus illis querent homines mortem, & non inuenient eam; desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Præterea boni præmiabuntur mercede æterna: & mali pæna æterna & perpetua. Ibunt hi in suppliciũ ęternum, iusti autem in vitam æternam. Mat. 25.

Nec tibi mirum videatur quod erit resurrectio; nam si tolleretur mortuorum resurrectio; tunc in nullo a brutis animalibus & ratione carentibus discreparemus, ait Damasc. lib. 4. Ortodox. fidei. cap. 24. Si enim non est resurrectio, ex consequenti non erit anima superstes post mortem, præmium aut pænam pro suis operibus receptura. (Et alibi probauimus animam esse immortalem: nam dicitur ab a quod est sine, & menem: quod est defectus quasi sine defectu, quia numquam illa substantia deficit.) Ideo si anima nostra post mortem non permanet eadẽ est humana conditio, quæ & brutorum, in quibus anima interit cum corpore, quinimmo deterior erit & infelicior nostra sors, quam animalium ratione carentium; nam ipsi non ieiunant, non sunt continentes, & casti, & cæt. Vnde 1. Cor. 15. dicitur; Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, & mortui non resurgunt, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Denique, qui tollunt resurrectionem, etiam tollunt Dei prouidẽtiam, & rectum, seu iustum eiusdem iudicium. Resurget ergo caro non mutata substantia, sed qualitate, quod si Deus noua corpora creare potest, cui dubiũ quin & hæc corpora ad immortalitatem restituere possit? Non mutata corporis substantia, sed corporis qualitatibus. Non contradicit ergo resurrectioni corporum, quod Apost. 1. Cor. 15. (vbi toto capitulo resurrectionem corporum ex professo demonstrat) ait: caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, hoc enim ostendere voluit, quod caro & sanguis cum his qualitatibus corruptibilibus non resurgãt. Subdit enim neque corruptio corruptelam possidebit. Sed dicet aliquis,

quando ergo mortui resurgent, quali corpore venient? Respon. D. Paulus ibid. Insipiens, tu quid seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quid seminas? Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum vt puta, tritici, aut alicuius cæterorũ. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus. q.d. Quod in seminibus, quę tu in terram iacis per annos singulos fieri vides, hoc in tua carne, quæ legi Dei seminatur in terra, futurum esse non credis? Nonne cum diuersa semina, quis in vnum permiscet, & hæc indiscreta seminat, vel passim spargit in terram vniuscuiusque seminis ratio quocumque loco fuerit, competenti tempore secundum naturæ suæ speciẽ germen produxit, & culmen suæ formæ, suique corporis reparat? Quid ergo mirum si Deus vniuscuiusque carnis substantiam, quamuis variè dispersam, mutatis qualitatibus reparet ac refingat, sic, vt vnicuique animæ non cõfusum aut extraneum corpus, sed suum quod habuerat, reparetur, vt subinde idẽ corpus cum anima sua vel pudica coronari, vel impudica puniri possit? Hæc est ergo sũma fidei nostræ, quæ separat nos ab infidelibus, qua sine, vana est fides nostra, tũ quod qui non credit resurrectionem mortuorum, neque credit quod Christus resurrexit, tum quod nos, si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores simus omnibus hominibus vt probatum est. Sed de resurrectione vide etiam opus nostrum, de immortalitate animæ.

MATTIAS.

Vitam æternam. Amen. Et hic finém dedit Symbolo.

Vltimus est Matthias, qui posuit suum bonum dicens; *vitam æternam.* Et hic articulus fundatur super trium personarum operationem in gloria, vbi pater ministrat posse, Filius autem nosse; & Spiritus vitam secundũ omne posse, & nosse. Aeterna enim vita est ęternum a vita, quę numquam habebit durationis terminum, qui est actus fluens diuinus a Deo in beatos, vt totum quod in ipsis est feliciter iuuet, omnibus infirmitatibus (quę sunt mortis pręludia) fugatis 1. Cor. 15. Absorta est mors in victoria. *vitam æternam.* idest, per fidem, quam habeo existens in Ecclesia, consequor *vitam eternam,* Hęc est terra viuentium, de qua propheta ait; Credo videre bona Domini in terra viuentium. Est autem vita ęterna videre Deum Patrem, & quem misit Iesum Christum.

Vitam inquit *ęternam.* Dulcis autẽ & iucunda est huius Symboli conclusio: qua in Christo manentibus post gloriosam resurrectionem corporum, promittitur vita æterna, a catholicis doctoribus aurea dicta: quæ non est nisi beatitudo essentialis vel substantialis animę, quę distincta est ab aureola, & quę est gloria incorruptionis secundum profectum trium virium animę in carne operantium, vt sunt vis irascibilis, concupiscibilis, & rationalis. Aureola virginum est gloria de incorruptione corporis vel carnis, attestante incorruptione mentis. Aureola martyrum est gloria de inuicta sustinentia mortis, & pro fide Christi, vel iustitia. Aureola prędicatorum est gloria de incorruptione doctrinę ad alterum verbo & exemplo prolatę. Tribus ergo generibus hominum debetur aureola propter opera excellentissima trium potentiarum animę. Excellentissimum enim opus concupiscibilis est obseruantia virginalis castitatis. Singularissimum opus rationalis est prędicatio veritatis. Et perfectissimum opus irascibilis est perpessio mortis. Virginibus ergo, prędicatoribus, & martyribus conuenit aureola. Per dictas profecto virtutes reportamus de hostibus victoriam, in spiri-

ſpirituali militia, quę eſt vita hominis ſuper terram. Iob. 7. Martyres enim vincunt mundum. Virgines carnem, prædicatores ſiue doctores veritatis, diabolum, quem non tantum de ſeipſis, verumetiam de cordibus audientium, vel legentium expellunt.

Sed antequam vltra progrediamur nota quod & contra hunc articulum quidam ferus hæreticus cum ſequacibus ſuis quæſiuit depaſcere vineam Eccleſiæ, dicens; Deum non videri per eſſentiam ſuam a ſanctis, in qua viſione eſſentiali conſiſtit vita æterna; iuxta illud Ioan. 16. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum, &c. ſed dicebat ſolum per quamdam ſpeciem, vel ſimilitudinem videri. Cui Io. in can. 1. imponit ſilentium, dicens: Videbimus eum ſicuti eſt. Quãuis contra hos duodecim articulos hę reſiarchæ nequiter operati, vineam Eccleſiæ depaſcentes, & multos inficientes, numquam tamen potuerunt præualere contra eam, quia Chriſtus orauit pro ea vt non deficiat fides eius. Vt patet Luc. 22. & Matth. 16. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & cæt.

Vitam inquit *æternam*; nam in illa vita æterna ſiue in illa gloria æterna ac ſuperna beatitudine gaudebunt ſãcti inter alia de dotibus tam animæ, quam corporis, quæ ſunt numero ſeptem: tres competunt animæ, & quatuor corpori. Dotes animæ ſunt, cognitio, dilectio, & comprahenſio, quę a quibuſdam vocatur tẽtio, & ab alijs fruitio. Dotes corporis ſunt iſtæ quatuor impaſſibilitas, claritas, agilitas, & ſubtilitas, & ita ſunt numero ſeptẽ, de quibus ſigillatim dicamus.

Prima dos animæ eſt cognitio qua diuina eſſentia videbitur tota ab omnibus, ſed non totaliter prout eſt infinita. Videbitur tamen diuina eſſentia limpidiùs ab vno quam ab alio: & iſte defectus ex parte videntis erit, & non viſi, quia idem erit viſum. Beatitudo namque conſiſtit in perfecta operatione potentiæ altiſſimæ, ſcilicet, intelligentiæ, & circa obiectum altiſſimum, ſcilicet, Deum. Ex parte igitur obiecti cum ſit vnum ſimpliciſſimum nulla poteſt eſſe diuerſitas; ſed ex parte potentiæ. Nam inquantum vna potentia magis eſt perfecta lumine gloriæ quam altera, tanto perfectius operabitur circa vnum & idem ſubiectum, ſiue obiectum: ſicut idem ſol diuerſimodè a diuerſis aſpicitur. Veluti & eadem litera a diuerſis legentibus, ſecundum quod oculus eſt magis vel minus diſpoſitus. Videbunt autem iuſti Deum vt gaudeant; videbunt gloriam ſanctorum, vt congaudeant: & videbunt pænas reproborum, vt de euaſione periculorum gratias agant. Tunc cognoſcetur quare, qui commiſit tale peccatum dãnatur, Et ille, qui commiſit eumdem; & tamen ſaluatur. & cæt. Tunc cognoſcetur quare iſte baptizatur, & quare illi moritur ſine baptiſmo. Sic dicitur de illo, qui mille peccata commiſit, & alius vnum tantum: & tamen hic damnatur, & ille ſaluatur, & ita de ſimilibus.

Secũda dos eſt dilectio, in illa enim cæleſti patria ſancti diligent Deũ. Vbi vnum ſummum bonum, quod eſt omne bonum in ſolidum poſſidetur; & nullius boni ſine dilectione eſt poſſeſſio. In qua quidem dilectione nullus eſt defectus, nulla vnquam turbatio, nulla interpollatio, de qua totum mutum eſt quod loquimur, etiam ſi ſummo ſtudio loqueremur. Hæc eſt cuius vnio animam ſibi vnitam verè beatã facit: hoc eſt gaudium de quo dicitur Io. 15. Vt gaudium meum in vobis ſit & cæt. Quod eſt gaudium patris & filij niſi amare & amari? & taliter amari quod anima famelica non ſaturabitur, niſi huic gaudio vniatur, & ipſa in hoc gaudio, & gaudium hoc in ipſa ſit. Amor. n. Dei vehemẽter ducit Deũ in animam & animã in Deum. Prima Io. 4. Qui manet in charitate, in Deo

manet, & Deus in eo. Et quare? Quia Deus charitas est. O tunc felix anima.

Tertia dos animæ est fruitio, siue compræhensio, vel tentio visi & amati. Vel tentio veri & boni & primi. Et istud verum & compræhendere sumitur pro attingere & non pro circũplecti diuinam immẽsitatem. Ad hęc bona capescẽda, metamorphosi opus est: hic sit inopia, quia illic erũt opes: hic lachrymæ, illic lætitiæ: hic nuditas & mendicitas, illic copia & abundantia; hic labor, illic quies; hic contumeliæ, illic gloria; hic malorũ perpessio, illic omnium bonorum consecutio. Ideo si hic compatimur, in cælesti regno corregnabimus. O beata regio superuarum virtutum vbi sanctissima Trinitas a beatis facie ad faciẽ videtur; vbi semper auditur Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Locus splendoris, vbi iusti fulgent sicut splendor firmamenti. Locus lætitiæ, vbi sempiterna lætitia super capita eorum. Locus abundantiæ, vbi nihil deest videntibus eum. Locus suauitatis, vbi apparet Dominus suauis vniuersis. Locus pacis, vbi factus est in pace locus eius. Locus visionis, vbi magna videbitur visio. Illic erit Deus omnia in omnibus, vbi etiam sapientia sine ignorantia, memoria sine obliuione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splẽdebit. Vbi nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit diligentibus ipsum.

Prima dos corporis erit impossibilitas, sic dicta ab opposito, scilicet, possibilitate, quæ duplex est, scilicet, corruptiua, & illa non erit in patria. Apocal. 21. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quia prima abierunt. Alia est perfectiua, & illa manebit in patria; quia cum gloria non tollat perfectionem, sed augeat corpora sanctorum, possibilia erũt passione perfectiua; hoc est, recipient qualitates perfectiuas; & sic poterunt esse in patria actus quinque sensuum, alio tamen modo quam in via; quia aliqui sensus immutantur immutatione naturali sicut sensus tactus & gustus, & aliquando auditus & odoratus; Sed in patria non immutabuntur, immutatione naturali: sed solum intentionali, siue spirituali, sicut visus hic, & nobiliori modo in patria. Viguer. de fin. beat. c. 14. ver. 3. Cicatrices vulnerum in Christo & sanctis remanebunt; non inquantum important defectum aliquem vel deformitatem, sed inquantum sunt signa constantissimę virtutis, quia passi sunt pro iustitia & fide; vt ex hoc & ipsis & alijs gaudium crescat. Nec deerunt membra separata martyribus, quia non peribit capillus de capite.

Secũda dos corporis est claritas de qua dicit Saluator Mat. 13. Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris mei, & de claritate solis post diem iudicij, ait Isa. 30. Erit lux Lunæ sicut lux solis, & lux solis septimpliciter sicut lux septẽ dierum. Claritas autẽ hæc procedit a gloria animæ, & redundabit in corpus. Et cum omne quod recipitur recipiatur per modum recipiẽtis, sequitur quod erit corporalis, potens immutare visum corporalem, sicut claritas Christi in monte Tabor: & sic potest ab oculo non glorioso corpus gloriosum videri. Verum, quia claritas corporis gloriosi prouenit ex merito volũtatis; ideo voluntati eius subditur, vt secundum eius imperium videatur vel non videatur; Et ideo in potestate beati erit ostendere gloriam suam vel occultare; sicut etiam fecit Christus post resurrectionem, præcipuè discipulis eũtibus in Emaus. Et cum anima totaliter Dominium habeat supra corpus, poterit etiam suspendere actiuitatem corporis, & se occultare, & reddere se penitus inuisibile. Et cũ gloria corporis procedat a gloria animæ (vt diximus)

mus) sequitur quod qui maius habuerint meritum, & maiorem gloriam animæ, habebunt maiorem gloriā corporis: & ita vt corpore glorioso recognoscitur gloria animæ, sicut color corporis in vaso vitreo, quamuis corpus gloriosum non sit transparens.

Tertia dos est agilitas; quod autem corpora gloriosa sint fore agilia, hoc est, prompta & facilia ad agendum & mouendum se, & agilitate vti, testatur Isa.4. cum ait; Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, & assument pænas vt aquilæ, current & non laborabunt, volabunt & non deficient. & Sap. 3. Fulgebunt iusti, & tāquam scintillæ in arundineto discurrent. Agilitas hæc deriuatur a gloria animæ in corpus, pro vt subijcitur animę, & inquantum anima est motor, vt, scilicet, expeditum sit & habile ad obediendum animæ in omnibus motibus, & affectionibus eius. Et cū proueniat ex merito voluntatis, subiacet eius imperio: & sic quando volent poterunt visitare mansionem Christi & aliorum sanctorum, quos nouerunt in via, & omnium illorum quorum voluerint habere colloquium. Et quamuis moueantur in tempore imperceptibili, non tamen in instanti; quia cū omnis motus localis fiat in tempore cum spatium, & motus, & tempus simul diuiduntur; & instans est indiuisibile. Ergo non mouetur in instanti.

Quarta dos corporis est subtilitas, quæ non debet intelligi per rarefactionem, siue propter paucitatem materiæ sub æqualibus dimensionibus, secūdum quem modum dicimus, quod ignis, & aer, qui dicuntur Spiritus, sunt subtiliores aqua, & terra; quia tātum erit de materia in corporibus gloriosis sicut nunc; nec ipsa erunt in maiori quantitate, aut sub maioribus dimensionibus, quam nunc sint; nam sancti habebunt materiam, carnes, ossa, & corpus tangibile, sicut Christus dixit Luc.24. Palpate & videte, &cæt. Et Iob 19. In carne mea videbo Deum saluatorem meum. Subtilitas corporum gloriosorum, siue subtilitatis modus est, vt dicantur subtilia propter perfectissimam corporis perfectionem ex dominio animæ ad corpus deriuatum; ratione cuius corpus gloriosum ab Apostolo dicitur Spirituale, quasi Spiritui subiectum, quoad operationes spirituales nullo modo impediens, sed subseruiens ei. Ex virtute tamen, siue ex ratione prædictæ subtilitatis non habet quod possit penetrare, sicut res acutæ propter acuitatem, vt ignis & alia huiusmodi; ita quod (vt aliqui volunt) possint per poros transire; quia esset magnæ imperfectionis, quod sub tali quantitate teneretur; nec etiam quod possit simul esse cum alio corpore in eodem loco; quia subtilitas illa non aufert corpori dimensionem per quam est in loco, & resistit alijs corporibus, ne sint in eodem loco. Poterit tamen ex operatione virtutis diuinæ simul esse in eodem loco cum alio corpore. Insuper subtilitas non impedit palpabilitatem, quæ in duobus consistit. Primò, in tangibilitate, quod possit tangi, hoc est, quod habeat qualitates tangibiles, quę erunt valdè temperatæ; sed hoc non sufficit ad palpabilitatem; quia aerem, cum habeat qualitates tangibiles, tangere possumus, sed non palpare; quia palpabile addit supra tangibile, quod resistat tangenti, vt non transeatur; quo non facit aer; ex quo patet quod omne palpabile est tangibile, sed non econtra. Viguer. ibid. cap. 14. ver. 6. Laboremus ergo nos vt ad hanc vitam æternam perueniamus tot dotibus plenam.

CAPVT

CAPVT XXXXIV.

CONCORDIA SYMBOLORVM.

Symbolum Apostolorum.

PETRVS.
Credo in Deum Patrem omnipotentem: creatorem cęli & terrę.

ANDRÆAS.
Et in Iesum Christum, filium Dei vnicum Dominum nostrum.

IACOBVS MAIOR.
Qui conceptus est de Spiritu sancto; natus ex Maria Virgine.

IOANNES.
Passus sub Pontio Pilato; crucifixus, mortuus & sepultus.

PHILIPPVS.
Descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis.

BARTOLOMAEVS.
Ascendit ad cælos: sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

THOMAS.
Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

MATTÆVS.
Credo in Spiritum sanctum.

IACOBVS MINOR.
Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.

SIMON.
Remissionem peccatorum.

THADAEVS.
Carnis resurrectionem.

MATTHIAS.
Vitam æternam.

Symbolum Nicenum.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cęli & terrę visibilium omnium & inuisibilium.

Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum; & ex Patre natum ante omnia sęcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factũ, consubstãtialem Patri, per quẽ omnia facta sunt.

Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cęlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: Et Homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: passus & sepultus est.

Et resurrexit tertia die secundum scripturas.

Et ascendit in cælum; sedet ad dexteram Patris.

Et iterum venturus est iudicare viuos & mortuos; cuius regni nõ erit finis.

Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre filioque procedit; qui cum patre & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per prophetas.

Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.

Confiteor vnum Baptisma, in remissionem peccatorum.

Et expecto resurrectionem mortuorum.

Et vitam venturi sæculi. Amen.

De

De Symboli Niceni Expositione.
Caput 46.

CRescente numero Christianorũ, multæ insurrexerunt hæreses, & ideo plura facta sunt Symbola ad maiorem fidei dilucidationem: & licet infiniti insurgant hæretici contra fidẽ catholicam, & Apostolicam; non tamen vnquam submergetur, licet possit fluctuare. Quæ fides dicitur catholica & Apostolica duabus de causis secundum Boeth. lib. de duabus naturis. Primò, quia principia eius, non particulariter, sed vniuersaliter vera sunt sine omni instantia. Secundò, quia vniuersaliter, & non particulariter in toto mundo est tenenda, quod non fuit lex vetus, quia ad illam non tenebantur nisi illi, qui fuerant in domibus Patriarcharum. Et quando in domo Patriarchæ illi, qui intus erant separabantur: ex tunc ad legis obseruantiam nõ tenebantur sicut ait Glos. Apostoli, super Epist. ad Rom.

Patres ergo in Nicena Synodo, Symbolum non aliud ab ipso quod supra dictum est, sed eosdem articulos magis ad erroris exclusionẽ explanarunt. Et primum quidem articulum expresserunt dicẽtes. *Credo in Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.*

In hoc primo articulo, principaliter credenda proponitur vnitas deitatis ad excludendam Deorum pluralitatem: quam per idolorum cultum antiquus humani generis hostis inducere tentauit. Et hanc quidem diuinæ substantiæ vnitatem, etiam Moyses Israelitico populo insinuat, dicens; Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Et complures alij sanctæ scripturæ loci: huic indiuiduæ vnitati Dei adstipulantur atque consentiunt. At quoniam in vnitate diuinitatis etiam profitenda est diuinarum personarum Trinitas, etiam hæc deinde explicatur proprijs nominibus. Primum, patris, hoc in loco, & paucis interiectis, filij: & paulo post, Spiritus sancti. Cum autem præsens Symbolum Deum patrẽ vocat omnipotentem, factorem cæli & terræ, factorem etiam visibilium omnium & inuisibilium: non sunt ab illis denominationibus secludendi filius, & Spiritus sanctus; quoniam cõmunes sunt & promiscuę omnibus diuinis personis: diuinamque concernẽtes naturam siue virtutem. Est enim etiam filius omnipotens, & factor cæli & terræ, & Spiritus sanctus itidem omnipotens: & cæli & terræ creator, quoniam diuinarum personarum ad extra profusa operatio, vna est & eadem, sicut & virtus & substantia. Nẽpè ad filium Dei, dicit Psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. Et Apostol. ad Coloss. 1. de eodem dicit. In ipso condita sunt vniuersa, in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia. At verò de Spiritu sancto dic. Psal. 103. Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ. Et Iob de eodẽ 33. ait; Spiritus Dei fecit me: & Spiraculum omnipotentis viuificauit me. Demum de filio, & Spiritu sancto; dicit Psal. 33. Verbo Domini cęli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Porro hic cæli & terræ factor dicitur Deus, ad damnandam Manichæorum impietatem dicentium inuisibilia quidem & spiritualia entium genera vt mentes angelicas, a Deo esse creata, visibilia verò & sensibilia corporea, a malo principio & dæmone tenebrarum principe ad ortum esse deducta. Contra quos est illud verbum Psal. 145. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius: qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

Dicitur autem factor, qui non ex propria substãtia, sed aliunde aliquid produxit, vt ex nihilo aut extrinseca materia. Vt architectus facit domum,

&eius dicitur opifex; quoniam ex materia præsubsistente eam constituit. Et Deus, factor dicitur cęli & terræ, quoniam ex nihilo cælum terramque produxit. Idcirco specialiori appellatione, in symbolo apostolico creator cæli & terræ dicitur. Est enim creator, qui ex nihilo quippiam deducit ad ortũ. Quare, qui creator est, idem est & factor; non autem conuertuntur. Sicut, qui creat facit: non autem ecõtra, quicumque facit creat. Et homo quidem facit opus arte, & factor dicitur. Solus autem Deus creator est, & creare ipsius proprium.

Iste totus ergo articulus est expressus, contra errorem paganorum, & hęreticorum, qui Manichæi dicuntur, a quodam Manes hæresiarca eorum. Pagani autem multos Deos essentialem diuinitatem habentes, & ab inuicem differentes esse dixerunt. Manes verò supradictus, docuit duos esse Deos. Vnum Deum principium bonorum, & alium principium malorum. Et hoc ideo, quia errantes putauerunt malũ esse essentiam: & ideo habere efficientem causam, quæ cum non possit esse bonus Deus: dixerunt Deum malum esse principium malorũ. Contra quod dixerunt patres, *Credo in vnum Deũ*; quia Deut.6. dicitur; Dominus Deus tuus vnus est: & non erunt tibi Dij alij præter me. & Psalm.80. Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim Dominus. Quod autem sancti dicuntur Dij hoc est non per essentiam, sed per participationem. Idola autem gentilium dicuntur Dij apud illos, sed non per essentiam neque per participationem, sed per nuncupationem, & vsurpationem tantum a colentibus illa. De primis dicitur Psal.81. ego dixi Dij estis, &c. De secundis dicitur ibid.95. Omnes dij gentium dæmonia; Dominus autem cælos fecit. & 1.Cor.8. Scimus. Quoniam idolum nihil est in mundo, & nullus Deus nisi vnus.

Et cum sit nisi vnus in essentia, & sit articulus fidei. vt ita credatur, hinc ẽt ad hoc notandum, (vt puto) vnica reperitur in cantu plano intonatio: q.d. Ecclesia, quoniam vnus est Deus immutabilis, & inuariabilis, ita & intonatio inuariabilis & immutabilis debet esse: atque ita credẽdum firmiter, nec vacillare debemus quod sint plures dij, quia esse plures falsũ est. Hymnus verò angelicus, quia est de lætitia & gaudio totius humani generis eiusdemque vtilitatis, siue omnium nationum (quę omnes abundant in suo sensu) quod nemo exprimere potest: ideo multis & varijs modis intonatur. Itẽ, quia dicitur Ephes.4. vnus Dominus, vna fides, &c. Et symbolum continet articulos fidei, ideo vnica gaudet intonatione. Et, quia continet fidem nostram, vno tono altius quam cætera Missæ verba (saluo meliori iudicio) recitari debetur. Ratio mea est, quia fides Christi intrepido corde, & sanguine proprio est defendenda. Ad quod forte designandum, principium est in G, Sol re vt, & finis in a la mi re, vno tono altius. Item, quia fides est de gaudio superorum, canticum autem Angelorum de gaudio inferorũ, scilicet, hominum; ideo licet principium ascẽdat, finis tamen eius intonationis descendit. Sic credo fuisse & habuisse hanc intentionem patres & authores harum intonationum. Nam Spiritus sanctus, quo vult & vbi vult spirat. Ioan.3.

Item, ista intonatio est simplex & sine Neuma, quia simpliciter & sine hæsitatione credenda sunt quæ recitãtur in hoc symbolo. Et ideo, qui intonant, quasi contorquere vocem cupiẽtes (quod vulgo vocatur, far gorga o contra punto) malè equidem agunt. Non considerantes mysteria Missæ, & propter quid sic sunt editi cantus & cæremoniæ. Qui fortiores habent rationes in medium afferant; libenter.n. illis adhærebo, & illas cupidè optareque

que amplectat. Nota hic quod secta Manichæorum diuisa est in tres: quia vna eius pars dicit duos Deos quam fecit Manes,& hanc destruxit Aug. in libro quem fecit contra Epistolam fũdamenti. Alia autem secta deriuata ab illo dixit vnum quidem esse Deum sed duos factores, qui materiam factã ab vno Deo in diuersã formauerunt. Et illi dixerunt quod vnus factor fecit incorruptibilia sicut cælum & corpora cælestia. Alter dixerunt fecit corruptibilia pugnantia, & se inuicem destruentia. Alij autem Manichæi dixerũt quod vnus factor fecit inuisibilia, sicut animas & angelos: alius autem, visibilia, sicut hæc inferiora; ideo patres vt vtrumque horum errorum excluderent, dixerunt. *Patrem omnipotentem factorem cœli & terre, visibiliũ omnium & inuisibilium*. Fundantes suam explanationem super illud. Coloss. 1. Quoniam in ipso condita sunt omnia in cælo & in terra, visibilia & inuisibilia. Et hoc est quod addiderũt explanando primum articulum.

Circa secundum articulũ dixerunt. *Et in vnum Dominum Iesum Christũ*. Hic secunda exprimitur diuinæ Trinitatis persona, nempè filius Dei, in quem credere debemus. Qui & Dominus hic nuncupatur, ad impietatem illorum elidendam: qui filium perfectionis & authoritate minorem esse patre, & quasi seruum atque subiectũ illi oblatrarunt, quod vtique locum habere nequaquam potest, sicut pater Dominus est, ita & filius Dominus. Qui enim æquam cum altero habet dominationis nuncupationem & authoritatem: quomodo minor aut inferior eo haberi poterit? Neque sine scripturæ testimonio, ipsum Domini nomen filio hic ascribitur. Ait enim Apostol. 1.Cor. 8. Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia,& nos per ipsum. Idem quoque Filius Dei vnigenitus hic dicitur, quod solus ex substantia patris est genitus. Illi verò de quibus dicit Euangelista Io. 1. Quotquot autem receperunt eum: dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, filij quidem Dei sunt nũcupatione, participatione, adoptione, & gratia, non autem substantia, neque natura. Dominus autem noster Iesus Christus Dei filius est substantia atque natura,& solus quidem, ideo hic merito dicitur filius Dei vnigenitus, sicut etiam de ipso testatur Euãgelista ibidem cum ait: Et vidimus gloriam eius: gloriam quasi vnigeniti a patre. Et paulo post, subdit; vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Eadem quoque ratione in Symbolo Apostolorum, vnicus Dei filius hoc in articulo appellatur.

Reliquæ autem huius articuli particulæ, ad extirpandam hæresim Arrianorum (quæ in concilio Niceno potissimum est damnata) sunt adiectæ. Quoniam enim illi filium Dei non ex substantia patris natum esse dicebant sed ex non extantibus productum, neque patri coæternum confitebantur, sed longo durationis interuallo post patrem & in tempore ad esse productum fides catholica eis omnino aduersa filium Dei hic profitetur ex patre, id est, substantia patris natum: & ante omnia quidem sæcula siue spacia temporalia, vt hoc verbo, Deo patri coæternus esse insinuetur. Et quidem ex sacris etiam depromptum est literis, in quibus ad filium pater dicere legitur. Psal. 109. Ex vtero ante luciferũ genui te. Et rursus. Ps. 2. Filius meus, es tu ego hodie genui te. Vbi particula, hodie, nota est æternitatis. Insuper æterna Dei sapiẽtia, quæ filius Dei est, de seipsa idem contestatur dicens. Eccles. 24. Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. Nondum erant abyssi (Prouer. 8.) & ego iam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar. Et alia multa ibi dicuntur.

Præterea, negarunt Arriani filium

esse Deum, cum creaturā esse spiritum contenderint. Fides verò Orthodoxa hic eum confitetur Deum esse de Deo genitum, vt omnino intelligatur consimilis esse eiusdemque naturæ cum Deo Patre gignente: quemadmodum in perfectis rerum rationalium generationibus videmus ignem generari de igne, pomum de pomo, equū de equo, & hominem de homine, vt tota naturæ vniuersitas proclamet suo partu & fætura licet improportionaliter inferiore filium Dei esse verum genimen patris, & Deum de Deo genitum. Sed ne, quis autumet hanc filij a patre generationem, esse corporalem, & per diuisionem substantiæ diuulsionem fieri, quomodo fiunt corporum generationes, subdit Symbolum Nicenū, filium Dei natum ex patre, vt lumen de lumine; Spirituali, scilicet, immo superspirituali & superintellectuali generatione. Videmus enim lucem siue lumen, (nam illa duo hoc in loco per eodem sumuntur) producere de se natiuum splendorem sine aliqua sui diminutione aut dissectione suæ substantiæ. Ita sane filius ipse Dei ex substantia patris sine paternæ substantiæ imminutione aut partitione ineffabiliter prodit.

Porro ad insinuandum hanc admirabilem generationem magno interstitio productiones omnes corporum longe transcendentem, ipse Dei filius in sacris literis nunc lumē appellatur, nunc lux, interdum candor, nonnumquam splendor, & cæteris nominibus conformis significationis. Lumen, Io. 1. Hic venit in testimonium, vt testimoniū perhiberet de lumine; vbi nomine luminis, vtroque in loco filius Dei signatur. Et propheta in Psal. 35. Quoniam apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen. Lux. Io. ibid. Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et Propheta in Psalmo 42. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua. Vbi nuncupatione lucis, vtrobique Dei filius indicatur. Candor, Sap. 7. de æterna sapientia; quę Dei filius est. Vapor est virtutis Dei, & emanatio quędam est claritatis omnipotentis Dei syncera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Cādor enim est lucis ęternę, & speculum sine macula Dei maiestatis. Splendor; Apost. ad Hebr. 1. Qui cum sit Splendor glorię patris; & figura substantię eius. Neque abre, *Lumen de lumine*, siue lux de luce dicitur hic Dei filius, quoniam in rebus sensibilibus nulla est productio propinquior atque vicinior illi æternæ generationi filij a patre, (quæ est inenarrabilis vt ait Isaia 53. cap.) neque vlla ad hanc super diuinam generationem exprimendam accommodatior est, quam generatio splendoris de lumine.

Et præterea quoniam Arriani & Eunomiani illis impietate non dispares, inter execrandas blasphemias suas euomuerunt & hanc, quod Dei filius non verè esset Deus, neque natura, sed sola nuncupatione & communione nominis diceretur Deus quemadmodum etiam de hominibus dicit Psal. 81. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes, ad confutandam hanc vesaniam, fides catholica confitetur hic ipsum Dei filium esse verum Deum, natum de patre Deo vero, quemadmodum naturali productione nascitur homo verus de homine vero; & verus flos de vero flore.

Amplius confixerūt Arriani filium Dei esse factum, & ex nihilo a Deo Patre formatum: idcirco posuerunt ipsū diuersam a patre habere substantiam, penitusque diuisam. Catholica vero fides profitetur eum genitum ex substantia Patris, & ipsi gignenti omnino natura cōsimilem. Negat autem eum factum a patre; quoniam factura neque est substantia facientis, neque na-

turæ

turæ cognatione illi respondens, non est etiam ipsi facienti coæua, neque naturali productione; sed solo uolūtatis ipsius factoris libertate prodit ad ortum. Fatetur etiam syncera fides filiū consubstantialem esse patri, eiusdemque penitus esse substātiæ cum Patre, secundum illud Christi verbum de se ipso ego & pater vnum sumus. Demū & illud adijcitur hoc loco, quod per filium Dei facta sunt omnia, quemadmodum Euangelista de ipso Dei verbo, ait: quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Neque ex eo rectè quis collegerit, quoniā omnia per ipsum Dei filium facta sunt & ipsum quoque factum esse; nam omnium nomine; dumtaxat creaturæ omnes compræhendūtur; nō autem Deus ipse, qui est super omnia, & omnium ambitu atque vniuersitate nequaquā comprænhenditur. Nam si factum dixeris filium Dei cum omnia per ipsum facta sint, & ipse per seipsum siue a seipso factus esset, quod veritati omnino est dissonum, nihil enim suijpsius est principium: & nihil vmquam seipsum producit aut facit. Sunt autem omnia per ipsum Dei filium facta; non quidem vt per instrumentum extrinsecum quo vsus fuerit Deus pater in mundi productione, vt cooperatorio, & adminiculario ad productionem rerum, veluti dixerunt Arriani, sed tamquam per internam & naturalem patris virtutem & sapiētiam: illi intimā, essentialem & propriam. Omnia enim (ait propheta) in sapientia fecit Deus. Ideo Apostoli ait: quod per filiū Dei, pater fecit & sæcula. Est enim ipse, virtus & sapientia patris.

Circa tertium articulum dixerunt. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem.* Hic articulus & sequētes vsque ad Octauum ea proponunt credenda, quæ ad Christi humanitatem pertinent, naturāq; humanam ab eo assumptam. Et præsens quidem articulus incarnationem Domini continet: eius primum depromens causam, quod, scilicet, facta est propter nos homines & propter nostram salutem, quod & ipse Dominus cōprobat Luc. 19. dic. venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. & 1. Tim. 1. dicitur: fidelis sermo & omni acceptione dignus; quia Christus Iesus venit in hunc mūdum, peccatores saluos facere. Quem locum exponens Augustinus ait: Nulla causa veniendi fuit Christo, nisi vt peccatores saluos faceret. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ; sed venit de cælo magnus medicus; quia magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus. Ipse ægrotus, genus humanum, quod totū perierat, ex quo peccauit vnus in quo erat totum. Sed venit vnus sine peccato; vt saluos faceret omnes a peccato. Hæc ille. Demum angelus idem cōfirmat dicens de filio Dei iam concepto: vocabis nomē eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum a peccatis eorum. Matt. 1.

Ista autem expressio articuli incarnationis facta est contra Manichęum. Ille enim dixit, quod non propter homines, nec propter salutem hominum descendit de cælis; sed potius descendit a lucifero expulsus, & quod adhuc lucifer reascēsurus sit in cælum ad sedem, vnde in ascensione Christi expulsus est. Fingit enim quod prælium magnum factum sit in cælo, sicut dicitur Apoc. 12. Et quod in primo prælio expulsus est Christus; & in secundo expulsus sit lucifer, & hoc prælium dicit fuisse inter duos Deos: Deum, scilicet, lucis, & Deum tenebrarum: siue inter Deum bonum & Deum malum. Hoc ergo excludentes patres dicunt; quod nulla necessitate, & nulla violentia detrusus: sed charitate hominū, & amore salutis eorum *descendit de cælis*; nō cælos relinquendo secundum diuinitatem: sed in nostris, quæ assumpsit visibilis in hoc mundo apparendo. Eph. 4. Qui descendit ipse est, & qui ascen-

dit super omnes cælos, vt adimpleret omnia. & Io. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.

Quia autem idem Manes dicit non esse veram carnem Christi, sed phantasticam fuisse, eoquod sicut asserit, malus Deus istam carnem vitiosam fecerit, & hanc carnem non posse esse de Deo bono: ideo addiderunt: *Et incarnatus est de Spiritu sancto*; qui non nisi bonus Deus esse poterit. Et præpositio, *de*, quando dicitur *de Spiritu sancto*, notat potestatem & operationem, & non notat materiam: quia si de materia substantiæ Spiritus sancti factus esset Christus: tunc sequeretur, quod Spiritus sanctus esset pater filij secundum humanam generationem, & hoc impium est, quia Christus non habet patrem, nisi secundum æternam generationem, vt dicit August. quod in terris est sine patre, & in cælis sine matre. *Ex Maria* autem additur, vt vera caro connaturalis matri esse credatur, & nō phātastica, sicut dixit Manichęus. *Virgine* autem additur propter Hebionitas, qui Mariam Virginem in partu non dixerunt, & post partum: quia dixerunt quod tantum Christum hominem ex maternis visceribus protulit, & non Deum.

Et, quia de vtero virginali non exit nisi apertis claustris pudoris; ideo dixerunt Mariam in partu Christi esse deuirginatam. Hi etiam dixerunt quod Maria esset Christotocos, hoc est Christi hominis mater, & non esset Theotocos, hoc est veri Dei mater. Ideo, eadē Synodus statuit quod virgo Theotocos, & non Christotocos deinceps diceretur.

Et quia Manichæus dixit, quod Christus esset humanatus, sicut habitu aliquis dicitur tunicatus, vel mantellatus aut palliatus, & non esset homo verus, eoquod non sibi naturaliter, & essentialiter vniuisset hominis naturam, sed extrinsecus tantum, & extrinsecus habitualiter assumpsisset sibi hominis naturam. Et ideo ad excludendum hunc errorem addidit sancta Synodus *Et Homo factus est*. Factum enim erat. Io. 1. Et verbum caro factum est. Et Galat. 4. Misit Deus filium suum natum ex muliere factum sub lege. Huic concordat illud Mat. 1. Quod in ea natum est de Spiritu sancto est.

Deinde sumentes quartum articulum dixerunt. *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: passus & sepultus est*. Hic articulus crucifixionem Christi & passionem exprimit. Et huic articulo non addiderunt explanationem, nisi quod dicunt; *Crucifixus etiam pro nobis*, quod etiam propter Manichęos additum est, qui dixerunt non pro nobis esse crucifixum, sed totum phantastice fuisse actū: quod dicitur de Christi passione. Porro quod pro nobis & pro nostra salute atque redemptione crucifixus est Christus, vt præsens locus ait; attestatur Beatus Petrus dicēs: Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis. Et idem alio in loco. cap. 3. Christus semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne viuificatos autem Spiritui. Et multis alijs in locis idem perhibetur. Additum est etiā propter Sabellianos hæreticos, qui & ipsi quoque contra hunc articulum dixerunt nos in nullo indigere Christo; quia etiam nos filij Dei esse possimus, quando volumus eoquod non dixerunt Christum sanctum, sed purum hominem fuisse; & ideo Synodus posuit pro nobis; vt sciamus nos nihil posse nisi per Christi sāguinem. Vnde Io. 17. Ego pro eis sanctifico meipsum, idest, in sanctum sacrificium me offero, sine quo redimi nos non poteramus.

Deinde ad quintum articulum accesse-

tesserunt: & illum his verbis declarauerunt, dicentes: *Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram;* & de descensu ad inferos diuiserunt: quia circa illud nullus error erat: sed & erat contentio de resurrectione, quibusdam dicentibus, quod non tertia die Christus resurrexit; quia non tribus diebus in sepulchro iacuit; & ideo, vt hanc determinarent contentionem, dixerunt, quod *resurrexit tertia die secundum scripturas*: hoc est, sicut illos tres dies scriptura docet computare.

Sextum articulum sumpserunt sicut Apostol. dixerat. *Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris.* Hic articulus non habebat necessariam explanationem, quia nullam audierant hæresim contra illum.

Septimum articulum perscrutâtes, dixerunt: *Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis.* Quoniam Origenes dixerat, quod adhuc venturus esset possibilis in aereo corpore, passurus ꝓ dæmonibus in aere, sicut passus fuerat pro nobis hominibus in terra: ideo addiderunt: *Et iterum venturus est cũ gloria.* Et quia nonnulli Iudaizantes hęretici, dixerunt, quod Christus venturus sit, & regnaturus annis mille in aurea Ierusalem, & tunc regnum illud finiturus, & aliud incęp turus, ideo addiderunt patres *Cuius regni non erit finis.* Quod sic est intelligendum, non de regno quo regnat in Ecclesia militanti, (quod vtique erit finis, quando, scilicet, mundus, finietur, tunc nô erit amplius Eccl'a militâs) sed de triũphâte, quia militans triumphans efficietur. Et finis non erit talis regni in quo Christus regnat cum sanctis, & sancti cum eo.

Deinde tractantes octauum articulum dixerunt: *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas.* Multæ enim hæreses iam surrexerât de Spiritu sancti processione, quas in processionis eius expressione necessariũ fuit excludere. Quod autem addunt, *In Spiritum sanctum Dominum*, contra Nestorium, & Euticen, Constantinopolitanos Patriarchas addiderunt qui Spiritum sanctum dixerũt esse seruum Patris & Filij. Et causa sui erroris fuit, quod Spiritum in Deo, sicut in homine acceperunt. In homine enim Spiritus fumus est lucidus, vel aereus, qui ex humido naturali resoluitur, & deseruit animæ in operationes animales, & vitales, & naturales; & mouetur in omnem partem corporis. Et ita Spiritus hominis in membra vehit virtutes animæ & cordis. Et ad hanc similitudinem dixerunt Spiritum sanctum creatum a Patre procedere & sic, vehere, & inuehere virtutes potẽtiæ Patris, & sapientiæ Filij omnibus creatis. Et ideo seruire Patri, & filio, & esse seruum eorum, & non quidem per se viuificare, sed vehiculum esse vitæ Patris, & filij. Cum dicitur: *Et in Spiritum sanctum*, subauditur verbum, credo: in hoc loco repetendum propter distantiam principij, quod ponitur in Symbolo Apostolorũ. Quod autem sequitur; *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur*, adhuc côtra Nestorium additum est, vt ostendatur Spiritus sanctus, sicut Deus esse adorandus: & sicut Dominus omnibus superpositus esse cum Patre & Filio glorificandus. Si autem non esset Deus, non esset vbique: dicit autem Propheta; Quo ibo a spiritu tuo? significans spiritum sanctum esse vbique. Quod additur: *Qui loquutus est per Prophetas*; additum est propter hæresim Porphirij hæretici Philosophi, qui dixit Prophetas spiritu suo, & spiritu Phantastico esse locutos. Quia vidit in eis quædam, quæ continuare nesciuit, & non intellexit. Hic est compilator prædicabilium.

Tra-

Tractātes autem nonum articulum dixerunt; *Et vnā sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Nihil huic articulo,addentes nisi quod dixerunt, *Vnam*, hoc,ad explanationem addentes contra schismaticos, tunicam Domini inconsutilem scindere intendentes. Fulti autem hac authoritate. Cantic.6. Vna est columba mea.

Tractantes vero decimum articulum, dixerunt: *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Apostolus autem Simon, dixerat, *Remissionem peccatorum*; & addidit ad expressionem sancta Synodus, confiteor, vnū baptisma; quia non remittuntur peccata, nisi per Christi Sacramenta, quorum ianua & fundamentum est baptismus: & ideo baptismus vt fundamentum in omnibus alijs remissionem operatur, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Deinde tractantes vndecimum, dixerunt: *Et expecto resurrectionem mortuorum*, cui nihil addiderunt nisi hoc, expecto, propter quosdam hæreticos, qui dixerunt, resurrectionem mortuorum esse factam, & non vlterius expectandam. Dixerunt quod resurrectio non esset, nisi animæ, quæ quotidie fit, cum anima resurgit a peccatis; ex quibus fuit Philetus & Hymenæus, qui a veritate exciderunt, dicentes; resurrectionem iam esse factam, & quosdam subuerterunt.

Vltimo tractantes articulum vltimum, dixerunt: *Et vitam venturi sæculi*. Quod Apost. Matthias dixit; *Vitam æternam*. Synodus autem vt ex meritis speretur & non putetur esse beatitudo in sæculo isto, sicut Stoici dixerūt: determinarunt esse dicendum: *Et vitam venturi sæculi*: ne hac vita beatitudo esse videatur. *Amen*, in vtroque Symbolo est responsio idiotæ, & debet interpretari, verum est, quod recitatum est.

Symbolum dici in sacrificio Missæ habetur ex Concil. Tolet. 3. circa annum Domini 580. cælebratum: cap. 1. ita: Consulta pijssimi, & gloriosissimi Ricardi Regis constituit Synodus, vt per omnes Ecclesias, Hispaniæ, & Galliciæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilij Constantinopolitani, hoc est, 150. Episcoporum Symbolum fidei recitetur: vt priusquā dominica dicatur oratio, voce clara prædicetur, quo fides vera manifesta sit, & testimonium habeat, & ad Christi corpus, & sanguinem prælibandū, pectora populorum fide purificata accedant. Nota quod septem sunt principales articuli fidei nostræ: quos quilibet Christianus scire tenetur; clerici explicitè, & laici implicitè. Et credere sicut tenet Ecclesia: & sunt hi: Incarnatio, Baptismus, Christi passio, Descensus ad inferos, Ascensus in cælum, & Aduentus ad iudicium; & continētur in his vers. vt habetur titul. 1. de sum. Trinitate.

Nascitur, abluitur, patitur, descendit ad ima.
Surrexit, scandit, veniet discernere cuncta.

Symbolum autem significat prædicationem & doctrinam Apostolorū. Item, & eorum ac aliorum discipulorum Christi conuersionem; Ipsi autem hanc doctrinam primo prædicarunt, & postea doctores dilucidarunt.

De Offertorio. Cap. 45.

Dicto Symbolo cęlebrans osculatur Altare in medio, & iunctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dextram vertit se ad populum, & extendens ac iungens manus dicit Dominus vobiscum, &c. Rit.7. nu.1.

Incipit in hoc loco secūda pars Missæ: & concluditur in præfatione. Ante offertoriū populus salutatur per, Dominus vobiscum; quod prius bis factum est. Primò post Introitum ante orationem, vt cum eis sit Dominus ad desi-

desiderij aduentus Christi completionem. Secundò, ante Euangelium, vt cũ eis sit Dominus ad salutaris instructionis perfectionem. Modo salutatur populus, vt cum eis sit Dominus ad placitam offerendorum acceptationẽ. Idipsum respondens populus imprecatur cælebranti; vt scilicet, Dominus sit cum spiritu eius, ad spiritualem ministerij sui executionem. Offertorium enim ait Isidor. lib. Etymolog. cap. 19. tali ex causa sumpsit vocabulum; fertum autem dicitur oblatio, quæ in Altari offertur, & sacrificatur à Pontificibus a quo offertorium nominatum, quasi propter fertũ; oblatio vocatur, quia offertur. Hæc Isid.

Salutationem sequitur exhortatio ad orãdum, cum cælebrans dicit, oremus. Verum priusquam subdatur oratio, quæ secreta dicitur: sequitur antiphona, quam clerus canit, sub qua fiũt oblationes nedum a cælebrante Sacerdote, sed etiam a circunstante populo, & ideo antiphona illa offerenda, vel offertorium nominatur. Tanguntur autem hic quatuor. Primò, offerẽtium exultatio in offertorio, quia dum offeruntur dona pulsatur organũ, vel cantatur offertorium. Secundum, munerum præsentatio, ibi, *suscipe sancta Trinitas*. Tertiò, precum interpellatio, ibi, *In spiritu humilitatis*. Quartò, laudum exultatio, in præfatione.

Conueniens ordo est, vt post prædicationem, sequatur fides in corde, laus in ore, fructus in opere; ideo prædicatio fuit in Euangelio, fides in Symbolo, laus in offertorio, & fructus in sacrificio. Quia sacrificium laudis offertur. Procedendum est secundum Rubricam.

Sacerdos ergo dicturus Oremus ante offertorium de quo est habẽdus sermo, pręmittit, *Dominus vobiscum*, quasi dicat, Nisi Dominus sit nobiscum, orare non possumus ad salutem nostram.

Salutat insuper populum ad consolandum de desiderio, quod aduocatus est Dominus. Tertiò, salutat, vt cum eis sit Dominus ad instructionem perficiendam; & vt Dominus adsit, qui offerenda recipiat. *Dominus*, inquit, *vobiscum*, vt in sacrificium efficiamini. *Dominus vobiscum*, vt circa saporem oblationis afficiamini. *Dominus vobiscum*, vt oblato sacrificio incorporemini. Respondetur autem ex parte offerentium *Et cum spiritu tuo*, quia hoc sacrificium, quod in spiritu offertur, acceptatur a Domino. Dan. 3. In animo contrito, & in spiritu humilitatis suscipiamur. Et Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Hac igitur de causa dicitur, *Et cum spiritu tuo*.

Responso, *Et cum spiritu tuo*, subijcit sacerdos, *Oremus*; monens, populum orare, vt fidem in Symbolo recitatam credat, & in ea stabilis permaneat, quia & Christus discipulis suis, dixit, Orate. Luc. 22. Monens etiam vnumquemque ad se redire (motu suo quem facit ad Altare:) & conscientiam suam discutere, & seipsum in holocaustum iustum Deum offerre.

Dicit Sacerdos, *Oremus*: & tamen orationem non dicit statim, sed offertorium cãtatur. Dicit autem, *Oremus*, ideo, vt magna & efficax & pura oratio exigatur ad hoc quod, populus Deo incorporandus offeratur. Et propter hoc quod dicitur *Oremus*, hic, quando recitatur secreta, tunc non dicitur, *Oremus*; quia iam recitatum est.

Offertorium autem dicitur ab offerendo, quia tunc cantante clero, fiunt oblationes sacerdoti. Vnde circa hoc notandum, quod, tria sunt offerenda. Primò, ipsæ personæ sunt offerendæ Deo. Secundò, ea, quæ sunt necessaria ipsi sacrificio, scilicet, panis, vinum, & aqua. Tertiò, solent offerri manuales oblationes a populo sacerdoti, quæ dũ offeruntur cantatur offertorium, vel pulsantur organa, ad significandum

quod

quod ea, quæ offeruntur Deo, & sacerdoti cum mentis iubilo debent offerri, quia hilarem datorem diligit Deus. 2. Cor. 9. Hæc autem consuetudo tracta est a lege 2. Paralip. 29. cum offerrent, cęperunt cantare laudes Deo, & in diuersis organis, quæ rex Dauid fecerat concrepare.

Item offerentibus hominibus, cantus cælebratur, vt ostendatur debere homines gratias & laudes Deo deferre dum manibus, cæterisque membris agere satagunt opera, quibus ei placere valeant. Vnde Moyses dicebat populo. Exod. 35. Omnis voluntarius & pronus animo offerat dona Deo, & cęt. Ecclesiast. 35. dicitur: In omni dato hilarem fac vultum & in exultatione sanctifica decimas tuas.

Dicet autem aliquis an quilibet fidelis obligetur ad offerendum in Missa: respondetur per has propositiones. Prima, est decretum Gregorij septimi de consecr. distinct. 1. Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliqua Deo offerre & ad memoriam reducere quod Dominus per Moysen dixit Exod. 23. Non apparebis in conspectu meo vacuus, & c. Sed pro intelligentia huius decreti, (quia a diuersis diuersimode intelligitur) sit hæc secunda propositio. Quod, omnis Christianus officio Missæ assistens tenetur de præcepto offerre Deo aliquam oblationem spiritualem, scilicet, interiorem voluntatem actualem vel habitualem, aut saltem virtualem: qua seipsum exhibeat promptum & obedientem diuinis præceptis: & recognoscat se subiectum Deo sicut Domino suo. Sed hęc propositio maximè vera est, de Missa quam quis ex præcepto tenetur audire, vt puta in diebus dominicis & in alijs festiuitatibus solemnissimis. De Missis autem quotidianis hæc propositio non concederetur ab omnibus doctoribus. Tertia propositio. Quod sine hac spirituali oblatione corporalia dona minimè sunt Deo accepta. Dicitur enim Genes. 4. quod respexit Deus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autē & ad munera eius non respexit; quia hic non offerebat Deo interiorem voluntatem sicut ille. Deus prius respexit ad personam quam ad munera eius, nec possunt ei placere dona oblata nisi etiam placeat ea offerens persona: ideo in Psalm. 39. dicitur sacrificium autem & oblationem noluisti: aures autem profecisti mihi, aures, inquam, ad obediendum obedienter mandata Dei. Et Christus Luc. 21. Si offers munus tuū ad Altare, &c. Et 1. Timoth. 5. Corporalis exercitatio ad modicū vtilis est: pietas autem ad omnia valet. Quarta propositio: Offerre aliquid de exteriori substantia hominis in Missa est opus bonum Deo gratum, & homini vtile ac fructuosum. Ratio est, quia ordinatur in Deum & fit propter honorem & reuerentiam eius in recognitionem supremi domini: & ad protestandum quod hæc bona exteriora sunt homini data a Deo: Deus etiam tam in veteri quam in noua lege præcepit fieri sibi oblationes, vt patuit in allegato decreto. Offerens denique in Missam; aliquem specialem fructum consequitur ex illo sacrificio; tum propter suam deuotionem; tum etiam propter Sacerdotis specialem applicationem Missæ ad offerētes. Quinta propositio. Quod in præcipuis festiuitatibus Ecclesiæ, & in alijs quibusdam vbi ex consuetudine loci fideles offerre solent; singula ex præcepto obligantur ad offerendum in Missa aliquid corporale de sua substantia primum mares; deinde fæminæ; vt habetur ex ordine Roman. de officio Missæ. Ratio huius est, quia homo aliquando obligatur iure naturali ad offerendum in Missa, scilicet, in recognitionem, & cæt. vt prius dicebatur. Sed hoc in nullis alijs diebus magis quam in prædictis dominicis diebus, & in festiuitatibus atque in diebus consuetis est obligatorium. Ergo hæc propositio est vera quæ maximè intel-

intelligi debet de illis personis quæ sunt capita domorum, & quæ possidēt bona propria: in alijs autem non cadit tanta obligatio ad offerendum. Sexta propositio. Quod presbytero parochiali pauperi, (qui populo Sacramenta ministrat) nec alia habenti vnde viuat offerre teneantur, parochiani sui bona exteriora quibus se valeat sustentare. Hæc veritas in iure naturali ac diuino fundata est; quod Apost. 1. Corin. 9. declarat dicens; Quis plantat aut colit vineam: & de fructu eius non edit? Quis pascit gregē & de lacte eius non manducat? &c. Et subdit ibidē, allegans ius diuinū reuelatū, & dicens; Nūquid secundum hominem hæc dico? idest, sola humana & naturali ratione; an & lex hoc dicit? Scriptum est Deuteron. 25. Non alligabis os boui trituranti; & quod ad literam ista lex intelligatur de Sacerdote laboranti in area fidelis populi, probat ipse, subdens; Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos hoc dicit scriptura? Si itaque nos vobis spiritualia seminamus magnū est si vestra carnalia metamus? Sequitur. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt edunt? Et qui altario seruiunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinauit in Euangelio; Luc. 10. vt qui Euangelio seruiunt de Euangelio viuant; dignus est, ait, operarius cibo suo.

De rebus autem offerendis exterius quales esse debeant: ponuntur sequentes propositiones. Prima est, quod oblatio sit pinguis, saltem deuotione; ita quod plus ex corde procedat quam ex manu offerentis. iuxta illud Psalm. 65. Holocausta medullata offerā tibi, &c. Et Ecclesiast. 35. oblatio iusti impinguat Altare; & odor suauitatis est ante conspectum Domini; ideo Christus in Euang. Luc. 16. prætulit viduam quæ ære minuta obtulit duo alijs diuitibus multo plura & maiora offerentibus, quia illa ex maiore deuotione, quam alij. Secunda propositio. Quod oblatio sit lata, scilicet, charitate ait enim Gregor. in quadam homil. exponens illud Matth. 5. si offers munus tuum ad Altare, &c. quod nullum sacrificiū Deus acceptat nisi quod in Altari boni operis flamma charitatis accendit. Prius ergo charitatem proximo exoluat; qui munus suū Deo placere exoptat; ideo notanter Dominus ait; Vade prius reconciliari fratri tuo, &c. Ergo ex his duobus propositionibus patent duæ species charitatis a quibus procedere debet omnis oblatio, scilicet, quod fiat propter honorem Dei quam vocamus deuotionem & sine detrimento proximi quod est seruare charitatem ad ipsum. Quare non iniuria reprehendit Christus. Math. 16. Pharisæos, qui suadebant hominibus melius fore si substantia terrena Domino offeratur in templo, quam si alendis parētibus expendatur in domo. Eadem ratio est de vxore, filijs, fratribus, & alijs, quibus homo est debitor, quia oblatio non est facienda in detrimētum eorum, idest, taliter quod eis desint necessaria; non enim sunt exercenda consilia violando præcepta. Tertia præpositio. Quod oblatio sit munda acquisitione: hoc est, non sit res turpiter vel iniustè acquisita, nec retenta; quia talis nō offert quod suum est, sed alienum. Contra illud Prouerb. 3. Honora Dominum de tua substantia; nam immolantis ex iniquo, oblatio est immaculata; & non sūt Deo beneplacitæ subsanationes iniustorum, quasi dicat subsanatio, vel irrisio est, non oblatio, offerre de furto, rapina, vsura, vel alio quouis iniusto lucro. Et Ecclesiast. 24. Dona iniqua non probat altissimus, neque in multitudine eorum propitiabitur peccatis. Sed de iuste turpiter acquisitis bonis dicitur Deuteron. 23. Non offeres mercedem prostribuli in domo Dei tui. Neque Sacerdos propter scandalum debent tales oblationes recipere, ait Thom. 2. 2. quæst. 46. Quarta propositio. Quod oblatio sit vtilis in suo valo-

re. Vtile enim ordinatur ad finem qui in oblatione duplex debet esse. Primus honor Dei. Secundus, sustentatio suorum ministrorum sacerdotum. Ad honorem Dei pertinent candelæ quæ significant diuinam sapientiam cuncta illuminantem, & thus & alia huiusmodi, quæ non cedunt in vsum sacerdotum extra Ecclesiam. Ad sustentationem ministrorum pertinent omnia quæ conferunt ad victum, vt panis, vinum, carnes, farina, & cæt. & omnia quæ ad vestitum, vt pannus, linteum, corium, & cæt. Et omnia vtensilia, vt arca, mensa, libri, vasa, & cæt. Et denique pecuniæ quibus omnia prædicta comparari possunt. Quinta propositio. Oblatio careat superstitione. Est enim superstitio vana obseruantia quæ neque ære natura sua, neque ex ordinatione diuina, neque ex authoritate Ecclesiastica habet aliquam virtutem ad id quod applicatur, sed si effectum cõsequatur est ex diabolica cooperatione propter pactũ expressum, vel subintellectum hominum perditorũ cum dæmonijs. Ergo si offerens offerat aliquam rem quę ad nullum finem oblationis posset referri per aliquam conuenientem rationem, idest, quæ neque pertinet ad honorẽ Dei, neque ad vtilitatem sacerdotum, talis oblatio erit superstitiosa, vana, & diabolica, non meritoria, sed criminosa: vt si offeratur vinum, quod vas debet esse talis figuræ, nempe, quadratum, &c. vel si sit pecunia quod offeratur cum tali instrumento, &c. putans tale instrumentum habere aliquam virtutem &c. Nota tamen secundum Cancellarium Parisien. in tractatu de directione cordis, non est facile rationes singulas omniũ quæ fiunt inuenire. Multę enim prima facie apparent superstitiosa in deuotionibus popularium; quæ tamen per bonam directionem intentionis saluari possent: ad quam sufficit leuis coniectura; dum populus intentione simplici sequitur ritum & modum patrię: & intendit honorare Deum vel sanctos per talia opera stante in eo semper fidei soliditate, & animo ad informationem parato vt si maiorem deuotionem habeat ad Virginem Mariam in tali Ecclesia vel imagine quam in tali. Si ad honorem huius vel illius sancti offerat animalia viua, vt porcellum, gallum, & cæt. dummodo non addatur positiue aliqua intentio praua & omnino cõtraria Catholicæ religioni; dũmodo etiam in talibus nõ ponatur firma spes putando quod sine illis obseruationibus à Deo vel sanctis auxilium consequi non possent; vel quod per eas Deus vel sancti necessitantur facere illud quod ab eis petitur. Dum denique non passim quæratur tentari Deus, aut aliquis sanctus quasi debeant miraculose facere semper illud quod ab eis quæritur. Stante hoc, quod tria (vt supra diximus) prædicta sunt offerenda. Dico. Prima oblatio est omnium, populi, scilicet, circunstantis, & Episcopi, siue sacerdotis cælebrantis. Nam omnis christianus assistens officio Missæ offerre debet seipsum oblationem spiritualem Deo actu, vel habitu, per promptã, & obediẽtem suæ voluntatis volũtati diuinę subiectionẽ: qua sẽper ex animo possit dicere ad Patrem: Nõ mea, sed tua voluntas fiat. Sine hac spirituali oblatione, exterior oblatio Deo accepta non est, dicente scriptura Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius; ad Cain autem non respexit: quia nisi arbor bona fuerit, fructum bonum facere non poterit: vt dicitur Matth. 7. Voluntas autem, arbor est, & radix operis nostri boni & mali. Necesse est ergo primo facere arborem bonam per spiritualem oblationem voluntatis, vt opera eius reddantur Deo accepta.

Secunda oblatio, donorum exteriorum ad ministrorum sustentationem, pauperum consolationem, atque ad cultus diuini conseruationem, & ampliationẽ a populo facta, ex vera charitate

ritate ortum habet, & Deo grata est, de quibus sit facienda iam dictum est, & nonnulla quoque dicentur.

Tertia oblatio est, adaptatio materiæ consecrandæ, panis, scilicet, & vini præsentatio, & per Sacerdotem acceptatio, eiusque præparatio ad consecrandum & sacrificandum: & hęc solius est sacerdotis, vel Episcopi cælebrantis. Et hic, incipiunt mysteria: & sacerdos facit triplicem præparationē, scilicet, præparat se incenso, lotione, & oratione. Incenso se præparat, deuotionis odore, per lotionem munditiæ nitore, per orationem, cordis ardore.

Quo ad primum sacerdos munera per Subdiaconum præparata, & per Diaconum sibi in calice & patena porrecta accipit (vt docet rubrica) ac in medio Altaris, explicata prius corporali palla, reponit: reposita thurificat, & incensat iuxta morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & thuribulum (in quo est incensum) per modum crucis super oblata circumducit, quatenus thuris incenso, & crucis signaculo omnes diabolicæ malignitatis fraudes, & conatus extricentur, ne contra sacerdotem, & sacrificium præualeat; sacrificium ne perficiatur impediendo, vel fructum eius tollendo, sicut de semine super viam iacto Dominus in Euangelio Matth. loquitur. Denique Tobias fumo incensi iecoris ad instructionem Raphaelis Archangeli, dęmonium effugauit. Tob. 11. significat hæc thurificatio vnctionem Domini per Mariam Magdalenam. Io. 12. & Luc. 3. cuius occasionē venditus est a Iuda. Et quia bis vnctus est ab eadem, bina fit thurificatio, vna in principio Missæ, & altera in hoc loco.

Præparat se secundo sacerdos, iterata manuum lotione, quoniam dedecet sacramenta pollutis manibus tractare licet corporali sorde non contaminentur. Attestatur enim corporalis munditia reuerentiam sacramento exhibēdam, & admonet sacerdotem spiritualis munditiæ, & purgationis mentis internæ; & vnde cum sacerdos manus lauat, ad cordis mundiciam se cōuertat, vt si aliquid sordidum, agnoscit: Contritione intima, & affectu pio in Deum, abluat, & abstergat. lotio autem corporalis manuum, significat lotionem mentium, quæ fit per orationem statim sequentem; In spiritu humilitatis, &c. Ad lotione dicitur: lauabo inter innocentes, & cæt. de qua infra, suo loco dicetur.

Tertiò præparat se sacerdos triplici oratione. Prima petitur acceptio sacrificantium cum ait; *In spiritu humilitatis, & animo contrito suscipiamur a te Domine, & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie; vt placeat tibi Domine Deus.* Cor enim contritum & humiliatum Deus non despicit. Secunda oratio est: *Veni sanctificator*, in qua petit consecrationem sacrandorū munerum. Tertia oratio, est *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem*, in qua petitur acceptatio oblationis ad honorem sanctorum, & salu[illegible] viatorum; vt patet in textu orationum.

Postquam autem cælebrans orauit, vt acceptior sit oratio, & maiorem gratiam consequatur, conuersus ad populum eius orationem per se requirit, dicēs: *Orate Fratres*; sub nomine fratres, vtrumque sexum cōpræhendens, quia secundum Apostol. Galat. 3. Non est masculus, neque femina, omnes enim vos vnum estis in Christo. Implorat quidem circumstantium orationem per se, memorans illud Apost. Hebr. 5. Quia & ipse circundatus infirmitate, & ideo vt homo infirmus, indiget oratione Ecclesiæ.

Præparato autem sacerdote ad oblationem perficiendam, adiungit pro acceptatione sacrificij. Secretam orationem. Dicitur autem hæc pars cum sequēti canone, secretum. quia ab hac oratione incipiunt, altissima mysteria quæ populo cælari debent, ne vsu communi vilescant. Vbi nota quod in pri-

ma secretela nō permittitur, Oremus, quia iā dictū est ante añam quæ offertoriū dicitur: quę dictio respicit ad primā hāc secretelā. Si vero plures legantur secretæ, sub duabus cōclusionibus, post primā conclusionem dicitur, Oremus, ante sequentem secretam. Nota, quod numerus & ordo secretarum, debet respondere numero, & ordini collectarum, ita quod cuilibet collectę debet respondere sua secreta; & non debet excedere numerum septenariū, vt vitetur confusio & tædium circunstantium.

Variantur autem secretæ quasi per singula officia, sicut & collectæ: tamen sensus earum ad hoc tendit; vt oblatio ac sacrificium acceptetur a Deo Patre ad sui gloriam, sanctorum honorem, populi salutem, aut animarum redemptionem, atque ad eorum impetrationem, pro quibus specialiter offertur, & officium cælebratur. Nam propter varia impetranda, varia ordinata sunt officia, quibus collectæ, secretæ; & post eorum vniones, sicut complendæ. In conclusione vltimæ secretæ sacerdos vocem exaltat, dicens: *Per omnia sæcula sæculorum*. Hoc ideo fit ad excitandum populi desiderium & affectum ad ea consequenda, quæ secreta a Domino concedi orauit; vnde in persona populi respondetur, *Amen*: idest, fiat quod petisti. His breuiter discussis dicamus, quæ hic fiunt sigillatim.

Quomodo nos offerre debemus. C. 6.

QVoniam supra diximus tria esse offerenda; primo, personæ: secundo, materia sacrificij; & tertio manuales oblationes; ideo de primis offerendis dicit ipse sacerdos, Oremus. Oratio enim est pius affectus mentis in Deum directus, & populus offerendus Domino prius affectu toto debet eleuari in ipsum, vt dignum Deo de ipso fiat sacrificium. Luc. 18. Oportet semper orare, & non deficere. Et Colos. 4. Orationi instate vigilantes, in ea tali amonitione facta ad orandum; voce laudis, & iucunda cantatur offertorium, in quo non tantum offert munus extrinsecum populus, sed munus intrinsecum. Recognitio est censualis, quod ipse, qui offert munus, seipsum offert sacerdoti, Deo offerendum. Vnde & ad Cain, qui munus obtulit Domino, & seipsum diabolo mancipauit, dixit Dominus Genes. 4. Nōne, si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? quasi dicat si tu peccasti. Et dicit ibi Gl. quod bene obtulit, qui creaturam creatori obtulit. Male autem diuisit, qui de bonis suis Deo, & seipsum obtulit diabolo. Est igitur oblatio exterior signum oblationis interioris; sicut homo per censum quem Domino suo offert, recognoscit quod Dominus in ipsum dominium habet. & hoc elicitur, ex Deuter. 26. vbi sic dicitur; Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones eos in cartallo (vulgo canistro) pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit vt ibi inuocetur nomen eius. Accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum, profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua iurauit patribus nostris, vt daret eam nobis. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua ponet coram Altari Domini Dei tui, & aliquibus interpositis, dicet sic ille, qui munus obtulit. Idcirco autem offero tibi primitias frugum terrę, quam Dominus dedit mihi, & dimittes eas in conspectu Domini Dei tui; & adorato Domino Deo tuo epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dedit tibi. Sic enim per oblationem recognoscit se pertinere ad dominum, & oblatus illi secum epulabitur in conuiuio corporis, & sanguinis Domini. Sic ergo oblatio exterior est signum oblationis interioris.

Hæc autem oblatio exterior debet esse vtilis valore, pinguis deuotione, ob-

oblata in charitatis dilectione, & mũda acquisitione. Vtilis, inquam, vt possit ministris Dei conuerti ad vtilitatem, vnde qui debile offert, quod ad vtilitatem conuerti non potest, maledicitur. Malac. 1. Claudum, & languidum obtulistis munus, numquid suscipiam illud de manu vestra dicit Dominus? Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, hoc est, perfectum, & valens, & votum faciens offert Domino debile, hoc est, quod non potest conuerti, in vtilitatem: vt faciũt illi qui falsas monetas, & alia nihil valentia ad altare pro decimis offerunt.

Pingue autem debet esse deuotione, vt de cordis deuotione plus procedat quam de manu: Psalm. 95. Holocausta medullata offeram tibi. Et Eccles. 35. Oblatio iusti impinguat Altare, & odor suauitatis est ante conspectum Domini. De tertio dicitur Matt. 5. si offers munus tuum, &c. Et Mal. 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Quod & munda debeat esse acquisitione, accipitur ex eo, quod dicitur Prouerb. 3. Honora dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus, quasi dicat, quod tuum est, & non quod alterius, vt faciunt vsurarij, offeres Domino. Et Ecclesiast. 34. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsanationes iniustorum. Subsanatio enim & non oblatio est eius, qui offert de furto, de rapina, vel de vsura, vel aliquo lucro iniusto. Dona iniquorum (ait Eccles. ibidem) non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Clamat namque rapina contra rapientem, Isa. 4. Rapina pauperum in domo vestra. Et Eccles. ibidem. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.

Rursus priusquam chorus cantet Offertorium salutatur a sacerdote, vt possit deuotè cantare, & mox postquam ille dixit, Oremus, Chorus cantat canticum Offertorium, & populus offert, vt notetur, quod post impletionem mandatorum offerimus nos ipsas: ac si vnusquisque offerens dicat, Credo, & fidem quam in Symbolo professus sum, opere compleo, & orationi sacerdotis consentio: vnde & sacerdos statim offert dona consecranda.

Vbi animaduersione dignum est, quod Offertorium versus cum multa diligentia ab antiquis Patribus inuenti, hodie omittuntur; tunc breuitatis causa, vt tam ministri quam populus oblationibus orationi, & sacramento Altaris vacent: tum etiam quia sicut ait August. 12. distinct. omnia. Ipsam Christianam religionem paucissimis, & manifestissimis cælebrationum Sacramentis misericordia Dei voluit esse liberam. Et secundum Hieronym. de consecr. distinct. 5 non mediocriter. Melior est quinque psalmorum cum cordis hilaritate decantatio, quam totius psalterij cum anxietate modulatio. Verborũ etenim multitudine Deus flecti non potest.

Inductum est etiam quod cantetur Offertorium, ex eo quod Salomon in dedicatione templi & Altaris, innumerabilem multitudinem holocaustorum obtulit, cum magna solemnitate; & a Moyse, cui descendenti de monte, & populum salutanti, & oranti occurrit populus, & munera obtulit; vt patet 3. Reg. 8. Et Exod. 35.

Cantatur etiam offertorium, dum offertur, ad memorandum iucunditatem populi Israelitici offerentis denaria ad ædificium tabernaculi. Dicitur autem offertorium, quia dum offerenda cantatur, sacerdos accipit oblationes, vel hostias à ministris: de quibus iam dicetur.

Non-

Nonnulli dicunt, quod silentium, quod nunc fit a Sacerdote vsque ad, *per omnia sæcula*, insinuat illud, quod Christus gessit post suscitationem Lazari, scilicet, quod abscondit se, & nõ ambulabat palam, apud Iudæos; cum cogitarent eum interficere. Et quod alte pronunciat, per omnia, insinuat regressum Christi de Effrem in Ierusalem, quando postea antequam captus est, iterũ prædicauit per paucos dies.

Hæc autem sententia licet vera sit; meliori tamen iudicio discutienda est quare hæc oratio dicitur secreta & secrete: causa est, quia iam in ista oratione a Sacerdote sanctissima postulãtur, & offeruntur: & hæc a populo cõmuni cælari debent, vt amplius venerentur. Ostensa enim populo per vsum, discuntur, & vilipenduntur, & forte ad vsus alios adhibentur, vt fit multoties. Et ideo verba consecrationis non sunt vulgo reuelanda. In signum cuius dicitur num.4. De omnibus Sacerdotibus Aaron, & filij eius Sacerdotes intrabunt, ipsique disponent onera singulorum, & diuident, quid portare, quis debeat; alij nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario, priusq̃ inuoluãtur, alioquin morientur. Quia multi vsu sanctissima contemnentes, quando eis publicè ostenduntur, accipiunt occasionem mortis in eis, quæ, si essent operta, & inuolũta, & ab eis velata, venerarentur. Matt.7. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, & conuersi dilacerent vos. Quia audita ista vilescunt, & Sacerdotes verbis dilacerarentur. Vnde Dionys. loquitur in Eccles. hierarc. de ritu sacramẽtorum, Laici hoc videntes latè ridebunt, putantes humilibus verbis, & rebus non posse inesse sanctificationem. Et hæc est vera huius silentij causa literalis. Si autem mysticè consideratur prima etiam sententia vera est.

Quod verò concludit alta voce, est quia hoc quod in conclusione est, omnibus expedit scire tam clericis, quam idiotis. Dicit igitur, *per Dominum nostrum*, &c. vt sciatur quod quicquid petitur non nisi in nomine Christi exauditur.

Quod autem dicunt aliqui, exaltatione vocis iteratam Christi prædicationem innui, quando in septimana paschæ inter decimam & decimam quintam lunam Ierusalem regrediens clamabat in templo docẽs; & quidem potest valere hæc ratio. Clamat tamen tunc Sacerdos ad populum hoc quod omnium est fides, & instructio. q.d. illud Prouerb.8. O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Abscõdit autem ea, quæ non sunt singulorũ; sed ea, quæ sunt perfectorum tantum, & paucorum, ad intelligendum, & conclusione perfecta idiota, vel is, qui loco idiotæ est, dicit: Amẽ; quod quia ad conclusionem tantum refertur interpretandum est pro, verum est, & non pro, fiat quod tu dicis, *per Dominum nostrum, & qui viuit & regnat*, & cæt. nos corde, ore, & opere profitemur, & dicimus, quod hoc est verum: ac si dicant illud Prouerb. 8. Iusti sunt sermones tui; & non est in eis prauum quid, atque peruersum.

De Descensu Pontificis a sede. Cap. 47.

QVoniam multæ cæremoniæ hoc in loco fiunt, neque possunt omnes simul explicari, ideo paulatim per capita explicandæ sunt, ne prolixitas capitulorum generet fastidium in legentium animis.

Antequam Episcopus a sede descẽdat, adsunt duo mansionarij vel tres, qui faciunt illi reuerentiam: deinde adiuuatur ab astantibus hinc inde de sede vel faldistorio ad surgẽdum, quasi iuuãtibus illum. Tres illi Sacerdotes, qui coram Pontifice reuerenter se præsentant, vel occurrunt illi obuiam, significant

gnificant illos tres Magos, qui venerunt Ierosolymam, dicentes; vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Et procidentes adorauerunt eum.

Quod autem Episcopus ab astantibus adiuuetur; illud quidem non fit ad iuuandum, sed potius ad prouocandum illum, scilicet, Christum, quem significat: quod surgat & pro populo oret, iuxta id: Exurge Domine adiuua nos. Et, quia aliqui ministri vtuntur munda tobalea, dum adiuuant Episcopum, hoc fit ad notandum, quod mediante munditia manuum, idest, operum nostrorum, excitatur Dominus ad adiuuandum omnes nos apud patrem: si autem referatur hoc ad Summum Pontificem; tunc dicendum est, quod ipse prouocatus, adiuuatur per munditiam manuum eorum, pro quibus orat; vt eius oratio efficax habeatur.

De Præparatione corporalis per Diaconum. *Cap.* 48.

Cum vero in Symbolo cantatum fuerit, Et incarnatus est, Diaconus accepta bursa de credentia, eam defert eleuatam cum solitis reuerētys ad medium Altaris, in quo explicat corporale, & reuertitur ad calebrantem. Ritus 6. num. 7. ex Missali Romano.

Cum autem hic fiat mentio de corporali ideo est habendus de eo sermo. Corporale autem passionis intentionē seu corpus Christi significat; quia sicut linum multo labore, ac tunsionibus acquirit candorem: ita Christi caro multo certamine ad resurrectionis gloriam peruenit. Secundò, significat etiā Ecclesiam: per quam corpus Christi intelligitur; quæ multis passionibus & pressuris ad candorē vitæ æternæ perducitur. Tertiò, significat ipsum Christum. Cum enim sic complicetur, vt nec initium nec eius finis appareat; sic Christi diuinitas initio caret, nec finē habebit. Et sicut oblata cōiugitur corporali, & ponitur in altari; sic Christi caro iuncta diuinitati affigitur cruci.

De hac palla siue corporali ita dicitur in canone de consec. dist. 1. consulto. Consulto omnium constituimus vt sacrificium Altaris non in serico panno, aut intincto quisquam cælebrare præsumat; sed in puro linteo ab Episcopo consecrato. Terreno, scilicet, lino, idest, de terra procreato, atque cōtexto; sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit. Et Christus veram carnem passibilem, & mortalē de terreno Virginis corpore assumpsit; de lino igitur candido non intincto ex institutione Xisti Papæ, & Eusebij: fit corporale.

Bursa autem hoc in loco significat B. Marię semper Virginis vterum. Sumitur autem corporale de credentia, quia a summo cælo egressio eius. Credentia enim quasi in loco occulto est, & Christus ex patre procedit mysterium hominibus occultissimum.

Corporale siue palla, duplex est. Vna, quam Diaconus super Altare extendit; altera, quam super calicem paratam imponit; significantes duo linteamina, quibus Ioseph corpus Christi inuoluit. Extensa, repræsentat sindonem, qua corpus Christi fuit in sepulchro inuolutum; & inde corporale vocatur, quia corpus Christi illa sindone inuolutum fuit: ergo corporale ab hoc nomine corpus deriuatur. Plicata super calicem posita, repræsentat sudarium quo caput eius fuit separatim inuolutum; siquidem extensa, quę corporale vocatur, significat fidem; plicata, quæ sudarium repræsentat, intellectum significat. Hoc enim mysterium credi debet, sed compræhendi non valet: vt fides habeat meritum, cui humana ratio non præbet experimentum. de pænit. dist. 4. in domo. & ex Innoc. 3. libro 2. mysteriorum missæ. cap. 56.

Insuper palla super calicem posita, aliquam eius superiorem partem, non totum

totum tegit secundum antiquam consuetudinem: in quo datur intelligi, quod sudarium aliquam partem capitis Christi tegebat, & aliquam non; sicut mos est Iudæis facere; quædam tamen Ecclesiæ, vt Carthusien. non habet nisi vnum corporale, & illo cooperiunt calicem, pro eo quod in Euangelio legitur, quod Ioseph corpus Iesu inuoluit in sindone munda; non autē dixit, in sindonibus in plurali; & hoc etiam ad significandum sacramenti vnitatem; & significat sindonem, qua Christi corpus fuit inuolutum.

Extendit Diaconus corporale post illa verba, & incarnatus est, vt docet rubrica Missalis, quia post incarnationis mysterium, sequitur mysterium redemptionis; nam ex vtero venit in crucem, & sacrificium Missæ significat Dominicam passionem, vt supra visum est.

Corporale autem ideo remanet super Altare vsq; post sumptionem corporis & sanguinis; & eleuationem calicis de Altari, vt faciunt nonnulli, quia linteamen & sudarium in sepulchro vsque post Domini resurrectionem remanserunt. Sother Papa dist. 22. Sacratas. Statutum est ne fœminæ sacratæ vel Monachæ sacra vasa, puta calicē, vel patenā vel sacras pallas & corporale contingant. Ipsæ tamen omnia ornamenta Altaris, & ministrorū facere possunt: exemplo Mariæ, quæ talia fecit & tenuit in vsum ministerij tabernaculi fœderis.

De alijs Cærimonijs, quę hic fiunt. Cap. 49.

AD Altare ergo Pontifex vel Sacerdos offert panem, vinum, & aquam: panem super patenam dicendo *Suscipe sancte pater*, &c. Hoc sumptum est ex ueteri lege; Exod. 40. & Leuit. 24. ponebantur enim super mēsam tabernaculi duodecim panes azimi ex simila, mundi valdè, & ponebantur seni altrinsecus, & singulis supponebatur patena aurea, & super eos pugillus thuris. Panes isti dicti sunt sacerdotales, quia soli Sacerdotes eos de Altari sublatos comedebant: vel secundum Iosephum, quia Dominus præceperat, quod soli Sacerdotes, illos formarent, coquerent, & ponerent in mensa, & tollerent: ipsi tamen hoc nō obseruarunt. Ex his elicitur quod Sacerdotes debeāt hostias per seipsos facere. Græci autem antequam cælebrēt, prius hostiam faciunt. Dicebātur etiā panes propositionis, quia positi erant super mensam propositionis corā Domino in memoriam sempiternam duodecim tribuum filiorum Israel. Sed de his satis supra dictum est.

Hostia formatur rotunda, quia sui forma significat illum, qui principio caret & fine. Et etiam, quia Domini est terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo. 8. distin. quo iure. In primis autem Subdiaconus fert in manu sinistra calicem desuper coopertum, & extergit calicē purificatorio, vt dicit Rubrica; Et Diaconus patenam cum hostia, ex institutione Concilij Ancyrani 50. dist. presbyteros. 25. dist. perlectis. Pontifici seu Sacerdoti repræsentat; quod facit subdiaconus extergendo calicem (dum Diaconus præsentat hostiam) significat, quod Dominus Subdiaconus fuit, quando lauit pedes discipulorum, qui erant vasa Spiritus sancti. Quod Diaconus vero præsentat hostiam: significat quod Dominus fuit etiam Diaconus, quando dixit, Non veni ministrari, sed ministrare.

In quibusdam Ecclesijs Subdiaconus portat calicem in sinistra, patenā in dextera & desuper corporale: vnus cantor oblatam cum fauone, & vinū cum ampulla: alter verò præbet aquā vino miscendam. Vltimo Diaconus fundens aquam in calice offert præsbytero, seu Episcopo.

Nempè Diaconus est Christus; calix,

lix, passio: patena crux: sinistra, præsens vita; dextera, futura: corporale, Ecclesia; vnus cantor, Iudaicum populum significat: alter, gentilem; ampulla, deuotionem: oblata, corpus; vinum, sanguinem: aqua, Ecclesiam; Archidiaconus, Christum; presbyter, seu Episcopus, Deum patrem. Subdiaconus ergo portat calicem in sinistra; quia Christus de torrente bibit in via, idest, passionem sustinuit in præsenti vita; patenam in dextera; quia per crucem peruenit ad gloriam; propter hoc enim exaltauit illũ Deus; desuper corporale; quia eius passionem Ecclesia non desinit imitari. Corporale enim candidatur; & Ecclesia per multas tribulationes Christo conformatur. Subdiaconus etiam noster, scilicet, Christus, patenam cũ calice portauit; quando crucem in passione baiulauit. Primus cantor offert oblatam cum fauone, & vinum cum ampulla; quia primitiua Ecclesia de Iudæis suscepit fidem passionis in deuotione mentis. Oblata ergo non nudis manibus, sed cum fauone candido, idest, cum manipula alba & munda offert; ad denotãdum quod Christi corpus ab his tantum dignè suscipitur, qui carnem suã cum vitijs & concupiscentijs crucifigunt. Alius autem cantor offert aquã, quam Diaconus miscet vino, & offert presbytero seu Episcopo; hæc est gentilitas, quæ suam obtulit multitudinẽ; quam Christus in passione obtulit Deo patri.

Nota tamen quod in pane corpus Christi, & in vino sanguis eius; in aqua vero populus repræsentatur. Panis dicitur, a pan, quod est totum: quoniam: hic & in futuro est tota vita nostra: vinum dicitur a vite, cui Dominus in Euangelio se comparat. Aqua verò ab æqualitate dicitur; quia per hoc sacramentum Angelis æquari debemus. Licet autem sint duæ species, non tamen sunt duo sacramenta panis, & vinum, sed vnum tantum, scilicet, ratione formæ.

Secundo nota, quod hostia significat corpus Christi, non sanguinem: Sacerdos significat Christum vt sæpè diximus. Solus ergo Sacerdos absque cuiusque adiutorio illam offert, dicẽs: *Suscipe sancte pater*, & cæt. quia Christus seipsum in ara crucis obtulit Deo patri: & illam in Altari super corporale ponit; innuens quod ipsemet Christus, hoc sacramentum instituit, & Ecclesiæ tradidit obseruandum, dicens, Hoc est corpus meum: hoc facite in meam commemorationem; Disponit autem, siue collocat hostiam cum signo crucis; quia sicut Christi oblatio in cruce acta fuit, sic & oblatio Sacerdotis, quæ in illius memoriam fit, cum signo crucis fieri debet. Collocat etiã illam directè super crucem in consecratione Altaris cum chrismate factam: quia & Christus carnem suam cruci affixit.

Vinum autem in calice sanguinem Christi designat: Separatim autem offertur, & non simul cum pane, ad notandum, quod in Christi immolatione sanguis fuit a corpore separatus; non tamen solus Sacerdos offert, sed vna cum Diacono profert verba, vt ait Rubrica, & ideo dicitur in oratione, *offerimus tibi Domine*, &c. hoc autem ideo fit, quia non solum Christus Deo Patri seipsum obtulit, verumetiam per Euangelium suum, cuius Diaconus est figura, & baiulus, huius sacrificij ritum instituit, & Ecclesiæ commendauit, & commendationem ipse Diaconus, tamquam prædicator Euangelij, enũciare, & manifestare debet ex suo officio, ab ista militante Ecclesia obseruanda. Ideo participari debet Sacerdoti in calice offerendo, non tamen in consecrando; quia illud solius est Sacerdotis. De missa priuata alia assignabitur ratio infra. Deinde ponit vinum in calice.

Hic non est omittẽdum etiam quod in Missis priuatis aliquibus in locis mi

nistrans Sacerdoti ampullam cum vino: manum eius non osculatur; sed ministrans ampullam cum aqua sic; quia vinum Christum; aqua genus humanum; osculum vero pacem inter Deū & hominem significat reformatam.

Regulariter tamen cum cælebranti aliquid porrigitur, vel ab eo recipitur manus osculum interponitur; ad designandum quod omne seruitium omnisque reuerentia Deo exhibita cuius vices cælebrās. Gerit procedere debet ex feruore charitatis & amoris, qui per osculum manus designatur. Hisce per ictis, scilicet, posito vino & aqua in calice: solus deinde Episcopus vel Sacerdos profert verba, *Deus, qui humanæ substantiæ*, &c. quando Subdiaconus paululum aquæ infundit, quoniam solus Christus populos sanguine suo redemit. Prçterea admixtio huiusmodi vnionem populi cum Christo designat, vt sequitur, quç fieri non potest, nisi per gratiam cuius typum gerit Pontifex, vel Sacerdos.

Hic quæri potest quare vinum porrigatur a ministro, & non aquam? Nā Ritus 7. nu. 4. Missalis reformati mentionē facit de porrigendo uino, & quo modo, de aqua uero nihil dicit expresso. Ad hoc dubium, qoia multipliciter responderi potest; (saluo semper meliori iudicio, & reuerentia Ecclesiæ Rom. cui semper in omnibus me subijcio.) ideo nota quod principalis intentio Sacerdotis in Missæ sacrificio est offerre corpus & sanguinem Christi ex substantia panis & vini prçparata; & panis significat carnem, & vinum sanguinem Christi, aqua autē significat populum: Insuper, quia panis & vinū sunt de iure diuino, aqua vero de iure humano, ideo primo sic respondeo, scilicet, quia aqua significat populum; & minister non suscipit curam offerendi populum sed Sacerdos hoc facit. q. d. Ecclesia in persona Sacerdotis, ego & populus offerimus tibi Domine, &c. vt dicitur in offerenda calicis; & ideo in plurali dicit; offerimus tibi Domine, &c. Secundo possumus dicere sic, quia est de iure humano, & ideo non porrigitur. q. d. e cælo, id est, a Deo habemus offerre panem & vinum, idest, corpus & sanguinem Christi; e terra vero & ex prçcepto Ecclesiæ offerimus simul aquā, idest, populum. Tertio, non porrigit, sic; minister aquam, quia populus debet seipsum offerre sine ministrorum auxilio, vt libentius & deuotius ostendat se velle sponte & non vi offerri. Quarto sic, non porrigitur aqua a ministro, quia Christus in sua passione non solum seipsum, verumetiam populum in se credentem obtulit Deo patri in sacrificium; sed Iudæorum voluntas erat offerre (non tamen ex intentione) tantum Christum, & non populum: (nam a tribus oblatus fuit Christus vt in expositione canonis dicetur) & sæpè ac sæpius diximus Sacerdotem Christum significare. Ergo interest Sacerdotum nō ministrorum, populū offerre. Quinto sic, quia aqua est benedicenda: ne videatur ergo Sacerdotem benedicere personam ministrantis ipsam aquam, a seipso post benedictionem illam accipit; immo in ipso actu benedicendi. Commiscetur autem aqua vino in calice, ex institutione Alexandri papæ primi, vt habetur Epistola 1. sic dicens; Non debet (vt a patribus accepimus) in calice aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum; quia vtrūque ex latere eius, in passione sua profluxisse legitur. Item Sanctus Iustinus martyr, qui vixit anno Domini 154. vbi desitum est a præcibus, adfertur Antitisti fratrum, panis, & calix aquç, & vini diluti, atque ita is capiens, laudem, & gloriam patri omnium rerum per nomen filij, & Spiritus sancti enunciat, offert, pariterque benedictionem in longum facit, vt digni ab eo istis rebus habeamur. Et sanctus Cyprianus Matt. l. 2. Epistola 3. ait: Quādo au-

do autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adiuuatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa non possit ab inuicem separari. Vnde Ecclesiam, idest, plebem in Ecclesia constitutam fideliter, & firmiter in eo quod credidit perseuerantem, nulla res separare poterit a Christo, quo minus hæreat, & maneat in diuina dilectione. Sic autem in sanctificando calicem Domini, offerri aqua sola non potest, quo modo nec vinum solum potest. Nam si quis vinum tantum offerat, sanguis Christi incipit esse sine vobis. Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem vtrumque miscetur & adunatione cōfusa sibi inuicem copulatur, tunc sacramētum spiritale, & cæleste perficitur. Quæ copulatio, & coniunctio aquę & vini, sic miscetur in calice Domini vt coniunctio illa non possit separari, sicut Ecclesia nō potest diuidi a Christo suo sponso. Quod autē aqua significat populum, patet ex eo quod dicitur Apocal. 17. Aquæ multæ, populi mundi.

Et quoniam fuit aliqua mora inter captionem, quando corpus suum obtulit percutientibus, & genas suas vellentibus, & crucifixionē quando sanguinem suum fudit abundanter; hinc est quod Sacerdos non statim post oblationem hostiæ offert materiam sanguinis, sed præparat, vt docet Missale Rom. quasi illam denotās moram inter captionem, & crucifixionem. Quędam tamen Ecclesiæ vt Dominicana, præparant vinum in calice ante principium Missæ, forte vt nulla sit mora inter oblationem corporis, & sanguinis, significantes illud, quod dicitur Genes. 14. At vero Melchisedech, rex salem proferens panem, & vinum; cuius figuram gerunt: nam & hostia tūc in principio Missæ præparatur.

Commiscetur inquam aqua vino. Primo, ad notādum, quod numquam salus populi esse potuit sine sanguinis effusione; nec etiam sanguinis effusio sine populi salute; quia Christus populū sibi reconciliauit in morte. Christus autem sanguinum suum fudit pro populo, sicut ipse testatur; Hic est sanguis meus noui testamenti: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Vel admiscetur aqua vino ad significandum quod Christus coniunctus est cum sua Ecclesia ait Platina in vita Alex. 4.

Hoc quoque mysterium lex Mosayca præsignauit; sicut Apost. exponens ait; Bibebant de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus de consec. dist. 2. reuera. Quapropter Sacerdos in calice aquam fundit, vt sicut aqua non separatur a vino, sic populus nūquam seperetur a Christo.

Tertio, commiscetur, vt diuinitas, & humanitas in vna persona coniunctæ esse intelligantur de consec. dist. 2. cap. 3. 4. & 5. Nam per vinum diuinitas, per aquam humanitas intelligitur; qui ergo in Altaris officio aquam sine vino vel econuerso ei ministrat; quantum in se est, diuinitatem ab humanitate separat.

Sacerdos siue minister, misturus vinum & aquam in calicem, prius (saltē nonnulli sic faciunt) effundit modicū in terram, non solum vt meatus siue locus vasis, per quem fluere debet, mūdetur, & si quid est in superficie vini, vel aquæ, emittatur; uerūetiam ad ostendendum quod sanguis, & aqua de latere Christi usque in terram fluxerunt, ad quod mysterium se pręparat peragendum.

Insuper est etiam considerandum, quod aqua benedicitur, quando admiscetur uino, & non uinum. Primo, quia uinū in hoc loco significat Christum, qui nulla eget benedictione; aqua populum; qui in hac uita nequit esse sine peccato, propter quod indiget benedictione Dei; vt reddatur di-

gnus ad præmissam unionem cũ Christo. Ad hoc igitur significãdum, aqua benedicitur, quãdo uino admiscetur. Quia autem mortui nequeunt vniri Christo (qui possunt) nisi postquã purgationem compleuerint, ideo non benedicitur aqua in Missis defunctorũ.

Secundò, quia populus, qui per aquam significatur, vnitur Christo solum per benedictionem gratiæ ipsius Christi quem Sacerdos benedicens figurat.

Quãdo autem ponitur hostia super pallam, vel corporale, ponitur inter calicem, & Sacerdotem. Primò, ad notandũ quod Christus est mediator Dei, & hominum. 10. dist. quando. Et secundum hoc Sacerdos Deum patrẽ, hostia Christum; aqua in calice, populum significat, quia non nisi Christo mediante ad resurrectionis gaudium possumus peruenire.

Secundò propinquior est Sacerdoti hostia, quam calix, quia prius a Christo consecrata legitur quam sanguis, & Apostolis etiam prius data.

Deposita autem hostia cum signo crucis, vt diximus, sub corporali tunc absconditur patena, vel saltem ab Altari remota retro traditur Subdiacono, qui continet illam inuolutam. Et hoc ideo fit, quia patena, quæ a patendo dicitur, cor latum & amplum significat. Super autem hanc patenam, idest, super latitudinem charitatis, sacrificium iustitiæ debet offerri, vt holocaustum animæ pingue fiat. Hanc autem cordis latitudinem habebant Apostoli cum Petrus dicebat: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter, & omnes Apostoli dixerunt. Sed latitudo cordis ab eis aufugit, & latuit cum omnes magistro relicto, fugerunt & latuerunt: & ideo absconditur ad hoc significandum. Ergo discipulorum fuga, vel latibulum, vel infidelitatis excæcatio per hoc designatur; qui dum verum sacrificium offerretur, Christo relicto fugerunt; & latuerunt, sicut ipse eis prædixerat, vt patet apud Euangelistas. Aliquanta particula patenæ non absconditur, vt ostendatur, quod Beata Virgo, & Ioan. Euangelista non fugerunt, nec latuerunt. Et ideo Sacerdos dicturus pax Domini, quasi Dominicæ resurrectionis Eulogium, idest, bonum verbum, vel nuncium, vel testimonium, annunciaturus, resumit patenam, quia cum esset sero die illa vna Sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stans in medio, dixit eis: pax vobis, resumẽs oues, quæ trepidantes aufugerãt.

Subdiaconus tenet patenam a parte posteriori eleuatam; quasi dicat, imitamini me, qui posteriorum oblitus, ad anteriora me extendo: innuens etiam quod referre debemus omnia opera nostra ad Christum & ad coronam æternam. Patena quoque a calice reuoluta, significat lapidem a sepulchro commotum & reuolutum. Et nota quod Subdiacono traditur patena tenenda a Diacono, quod ideo fit ad innuendum quod Christus contulit discipulis suis potestatem prædicandi regnum Dei.

His peractis populus offerre debet iuxta illud Exod. 23. & 32. Non apparebis in conspectu Dei tui vacuus. de consecrat. distinct. prima Omnis. Per oblata quoque munera possumus commemorare copiosam victimam, quæ oblata est a populo cum rex Salomon templum & Altare Domino sacraret. Exemplo enim illius plebs fidelis offert se, & dona Deo: sed in veteri testamento conueniebat populus in Ierusalem quibusdam magis festiuitatibus, scilicet, Pascha, Pentecoste, & in festo Scenophegiarum, vt oraret in templo: & tunc tenebatur offerre.

Et sicut ille populus offerre obligabatur; ita oẽs Christiani ex institutione

ne sanctorum patrum tenētur offerre Sacerdotibus, iuxta modum suarū facultatū in quatuor principalibus diebus, nempe Natali Domini, Paschate, Pētecoste, & in festo omnium sanctorum, vt inde sibi victū habeant Sacerdotes: Præterea, offerre debent, quo paschale cęreum ematur, & oleum ad illuminandum Sacramentum, & etiam cæra, quę portatur cum itur ad cōmunicandū infirmum: aliás autem nemo ad oblationes compellendus est, ait Io. Beleth. c. 4. de diu. offic. Si tamen fiāt; sponte fiant, quemadmodū & ille, quę post confessiones dari consueuerunt, accipiantur. Sed de his obseruentur ritus diœcesis: quia nonnulli Episcopi prohibent accipere in confessione, & hoc sub pæna suspensionis.

Nota etiā (præter ea, quę supra dicta sunt) quod oblationes facere multis est vetitum, vt habetur in Glos. dist. 90. c. Oblationes dissidentiū fratrū. Primò, non recipiuntur oblationes ab eo, qui est in mortali publico secundū Augu. Secundò, ab eo, qui pauperem opprimit. Tertiò, qui a sacrilego. vt 12. q. 2. de viro. Quartò, ab eo, qui vi extrahit seruum ad Ecclesiā confugientem, vt 12. q. 4. miror. Quintò, a raptore. Extr. de rapi. super eo. Sexto, ab vsurario. Extr. de vsuris. quia in omnibus. & 14. q. 5. nolite. vbi dicitur: nolite velle eleemosynas facere de fænore & vsuris; & etiam pænitentes quandoque prohibentur facere oblationes, de cōsec. dis. 4. eos. Idem dico de meretrice. Item, oblatio de rapina reprobatur a Deo ead. c. immolans. Item, in Concil. Elibert. cap. 18. præcipitur ne accipiantur oblationes eorum, qui non communicant.

Clerici & monachi etiā administrationes habentes non offerunt, nisi in officio mortuorum, & in noua cęlebratione Sacerdotis, & in quibusdā præcipuis festiuitatibus. de consec. dist. 1. alia. Cum enim ipsi de oblationibus viuant, & ipsi ac sua Deo oblati sint, non tenentur offerre. Viri ante mulieres offerunt. Ipsi enim fortes in Christo designant, scilicet, martyres, qui in primitiua Ecclesia plures contumelias passi, Christo victimam obtulerunt, dum occubuerūt. Deinde mulieres quę fragiliores sunt: quæ designant, confessores, qui tempore pacis Domino laudis hostias obtulerunt. Præterea vir caput est mulieris, & ideo a capite ratio est reddenda ff. de edendo. argentarius.

Aliquibus in locis primus cantor offert oblatam cum fauone, & vinum cū ampulla, quia primitiua Ecclesia de Iudæis suscepit fidem passionis in deuotione mentis. Oblatum ergo non nudis manibus, sed cum fauone candido, idest, cum manipula alba, & munda offert, ad notandum quòd Christi corpus ab his tantum dignè suscipitur, qui carnem suam cum vitijs & & concupiscentijs crucifigunt. vt supra dictum est.

Quod fortè volens Ecclesia Mediolanensis hoc significare, facit per illos seniores tam mulieres quam viros cū manipula alba, qui cum hostia & cum vino processionaliter procedunt ad offerendum. Quod vero sint senes, est ad euitandum omnem circa visum lasciuiam. Vel, quia proprium est senium crucifigere carnem cum concupiscentijs propter impotentiam. Vel, significant, hi senes, vetus testamentum, qui figuraliter obtulerunt panem & vinum, sed non sacramentaliter: quare illę hostiæ non offeruntur, neque illud vinum, cum iam a Sacerdote sit præparata hostia antequam ad Altare accedat vna cum vino; & ideo propter hoc senes & non iuuenes eliguntur. Et quia vetus testam. Sacramentaliter non obtulit hoc Sacrificium, ideo hi non admittuntur vltra. Vnde post hos sequuntur clerici seminarij, qui nouum testamentum denotant: qui seruiunt Altari. Quod vero sint viri & mulieres, potest esse, quia in veteri testamento,

vter-

pterque sexus de hoc sacrificio prophetarat: siue de hac oblatione Christi in cruce. Vel significant illi viri senes, duodecim Patriarchæ legis Naturæ: mulieres vero duodecim prophetæ minores, qui sunt testes huius sacrificij. Mulier enim posterior est viro; nam prius formatus fuit Adam, deinde Eua; sic in proposito, primo fuerunt Patriarchæ in vet. testamento, deinde prophetæ. Alius autem cantor qui offert (quamquam Diaconus miscet vino, & offert presbytero, seu Episcopo:) hæc est Gentilitas, quæ suam obtulit multitudinem, quam Christus in passione obtulit Deo Patri.

Ritus ergo Synagogæ transiuit in religionem Ecclesiæ; vt sicut populus ille Moysi descendenti de monte diuersa dona ad faciendum tabernaculum offerebat: ita Episcopo de sede venienti ad Altare, Christiani deuotas afferunt oblationes. Offerentium autem, alij offerunt aurum, imitati Magos, qui aurum obtulerunt: Alij offerunt argentum sequuti illos, qui in gazophilacium pecuniam posuerũt. Alij aliquid de sua substantia, vt associẽtur illis, qui per Paulum & Barnabam necessaria pauperibus trãsmiserunt. Nec est curandum, quæ quantitas, vel species offeratur; sed potius mens offerẽtis attenditur Prouer. 3. Honora Dominum de tua substantia. Offerens autem manum sacerdotis osculatur, per quod fides cum opere designatur. Offerens autem panem, & vinum significat discipulos præuenientes parare necessaria ad Pascha.

Romanus autem Põtifex (ut fertur) nullam oblationem manibus tangit, nisi illam, quæ pro defunctis offertur, quam ideo manibus accipit, vt confutet errorem affirmantium Eleemosynas defunctis non prodesse: & nisi oblationem panis, quam tãgit: tam propter reuerentiam sacrificij, quod ex pane cõficitur: tum, quia est vicarius eius, qui de se ait, ego sum panis viuus Io. 6. cæteras vero oblationes ad pedes accipit propter illud, quod in Actibus Apostolorum habetur; quoniam offerebant pretia eorum, quæ vendebantur, & ponebant ante pedes Apostolorum Act. 4. Et etiam, quia omnia sua sunt, vt diximus supra.

Sacerdos autem oblationes manu tangit, repræsentans illud Leuit. 1. & 4. ponentque manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem proficiens. Quod autem offeratur panis, & vinum pro mortuis, accepit Ecclesia ex eo quod dicitur Tob. 4. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, idest, distribue. Pecunia vero ex eo quod dicitur Macab. 2. cap. 12. de Iuda, qui Misit offerri duodecim millia drachmas argenti pro peccatis mortuorum. Lumen vero, ad illuminandum illos, qui in tenebris purgatorij sedent, quasi offerens ipso facto dicat, lux ęterna luceat eis Domine.

Sanè Moyses, videns quod populus multa obtulisset, iussit præconis voce cantari, ne, quis vltra offerret, Exod. 35. & 36. tamẽ hoc non fit apud nos. Susceptis itaque a populo oblationibus & choro offertorium cantante, vel organis concrepantibus, Episcopus, vel Sacerdos ad altare reuertitur; quia Christus susceptis fidelium votis, cantantibus turbis: Osanna in Excelsijs; in proximo immolandus intrauit in templum.

De Nomine Oblationis. Cap. 50.

OBlatio est nomen commune ad omnia sacrificia, propriè tamen de inanimatis erat in antiqua lege, vt de pane simila, & thure; & vocabatur oblatio sine addito, scilicet, simpliciter, cum offerebatur panis, thus & similia. Cum ergo hoc nomen sit commune vt diximus, ideo antequam vltra progrediamur considerare oportet vim huius nominis. Et primo dicendũ est,

est, quod aliquando fiebat sacrificium de animatis, quæ occidebantur, & quorum sanguis effundebatur. Et hoc genus sacrificiorum vocabatur victima, & fiebat triplici fine.

Aliquando in expiationem, & satisfactionem pro peccato, aut pro pœnis peccatis debitis; & vocabatur sacrificium expiatiuum, & hostia pro peccato.

Aliquando vero fiebat ad placandũ Deum, & dicebatur holocaustum, siue victima holocausti, & totum cędebat in cultum Dei. Holocaustum enim dicitur ab holon quod est totum, & cauum quod est incendium: quasi totum incensum, quicquid in animali erat de carnibus eius.

Aliquando autem fiebat in gratiarũ actionem pro beneficijs acceptis, & vocabatur sacrificium pacificum: & hoc etiam erat de inanimatis. Hinc habes apud legem veterem quatuor fuisse genera sacrificiorum, quæ omnia ordinabantur ad sacrificium nouæ legis, figurandum vt supra innuimus.

Cum ergo omnia illa ordinarentur in sacrificium Christi, (qui continetur in hoc sacramento Altaris) tanquam ad finem, eoquod eius sacrificium, & oblatio eminenter continet omnes effectus sacrificiorum prædictorum, sequitur quod in sacris literis hoc sacramẽtum intitulatur; & nominatur omnibus nominibus prædictorum sacrificiorum ratione contenti.

Primò enim dicitur oblatio. Ephes. 5. Qui dilexit nos, & tradidit seipsum oblationem pro nobis Deo. & Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Et in cap. Communione. de consec. dist. 2. vocatur oblatio.

Secundò dicitur hostia, siue victima in holocaustum in odorem suauissimum Domino, quia Christus ad placandum Deum, & reconciliandum nos, se obtulit, in ara crucis: ideo dicitur holocaustum, siue sacrificium reconciliatiuum. Rom. 5. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. & Ephes. 5. Tradidit semetipsum in oblationem, & hostiam in odorem suauitatis, scilicet, ad placandum Deum. Vnde Ecclesia cãtat, o salutaris hostia, quæ cæli pan dis ostium, & cæt.

Tertiò, hoc sacramentum dicitur sacrificium expiatiuum, siue sacrificium, & hostia pro peccato, eoquod expiet, & mundet peccata, & satisfaciat pro pœnis peccatorum. Vnde Apost. Hebr. 9. si enim sanguis hircorũ, aut uitulorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit cõscientiam nostram ab operibus mortuis) Et prima ad Col. 2. Donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat, Chirographum decreti, & tulit ipsum de medio, affigens illud cruci. Chirographum decreti erat obligatio pro peccatis debita, siue reatus pœnæ, quam Christus pro nobis portauit, & pro qua satisfecit: prout Isa. 53. ante prophetarat, dicens: Vere languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit. Si enim Christus emundauit conscientias nostras a peccatis, & satisfecit pro eis, & in hoc Altaris sacramento offeratur Deo Patri, consequens est, quod hoc Sacramentum, quod ipsum continet, & eum tãquam in cruce repræsentat, expiet conscientias nostras, & emundet siue liberet a maculis, & pœnis peccatorũ; & sic dicitur sacrificium expiatiuum. Sicut enim panis habet ex se uirtutem nutriendi, & reubarbarum purgandi choleram: sed si panis reubarbaro misceatur, utranque habet uirtutem: sic Christus, qui est uerus panis (ego sum panis uiuus ait ipse) currit, inquantum est sacramentum, inquantum uero mixtus reubarbaro, idest, amaritudini passionis, per quam dolores nostros ipse tulit, expiat peccata, & pœnas peccatorum, & ita Christus est

nutri-

nutrimentum, & medicamentum, ac holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates.

De alia Thurificatione in Offertorio. Cap. 51.

DIcto Veni sanctificator, celebrans ponit incensum in thuribulum ministrante Diacono nauiculam, dicẽs; per intercessionem, &c. deinde excepto thuribulo per manum Diaconi, incensat oblata, ter ducens thuribulum super calicem, & hostiam simul in modum crucis, & ter circum calicem, & hostiam, scilicet, bis a dextra ad sinistram. Et semel a sinistra ad dexteram. Deinde incensat Altare, vt supra, dicens: Dirigatur oratio mea, &c. cum reddit thuribulum, incensatur ab eo; deinde incensat Diaconus ipse chorum, & postea Subdiaconum. Rit. 7. num. 10.

Ponit inquit, incensum in thuribulo. Moraliter thus in thuribulo cor igne orationis accẽsum significat; quia vero solum oratio nostra ad Deum, & Christum mediatorem nostrum debet principaliter applicari: ideo & Altare, & crucifixus thurificari solent. Item, adolẽtum est in thuribulo cordis igne charitatis vt odorem suauitatis emittat, vt uidelicet, tam nos quam oblatio nostra, simus bonus odor Deo; de quo dicitur; fungi Sacerdotio, & cæt. Hoc enim incensum Sacerdos accipit, idest, Christus acceptat & incensat ex eo sacrificium & altare.

Quod vero statim adoletur incensum, innuitur illud quod subscribitur à Io. in Euangelio, cap. 12. de quo supra præmissum est: Maria ergo accepit librum vnguenti nardi pistici prætiosi, & vnxit pedes Iesu; & impleta est domus ex odore vnguenti.

Et Sacerdos superducit, & circumducit incensum super sacrificium & Altare: vt & crucis signaculo, & thuris incenso diabolicæ fraudis malignitas effugiat. Quod vero tertio superducit, & circumducit incẽsum, designat quod Maria ter exhibuit, & adhibuit vnguentum circa corpus Iesu. Primo unxit pedes illius ĩ domo Simonis Pharisæi. Secundo, cum in domo Simonis leprosi super caput eius effudit vnguẽtum prætiosum. Tertio cum emit aromatha vt veniens vngeret Iesum iam positum in monumento; voluntas .n. reputatur pro facto. 17. q. 1. Et si ergo. Cum per ipsam non steterit quominus expleuerit, quod ĩcæpit. Vel dicamus. quod primo ter incensat super sacrificium, quia ibi tria sunt, scilicet, panis, vinũ, & aqua: ratione prædicta. Quod vero circum calicem, & hostiam incensat, bis a dextra, & semel a sinistra ad dexteram ducens thuribulum, hoc ideo facit ad significandum illas tres nominatas vnctiones. Vltima vero uice reuertitur, quasi insinuans, quod Maria licet iuerit, vt vngeret, tamen reuersa est sine unctionis executione.

Quod vero postmodum undique totum incensatur Altare, designat, quod post factum illud totam respersit Ecclesiam, sicut Dominus ipse testatur. Amen amen dico vobis; Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mũdo, dicetur, quod & hæc fecit in memoriam eius. Possumus etiam dicere, quod Altare thurificatur in figuram Angeli, qui stetit iuxta aram templi habẽs thuribulum in manu sua: de quo fumus aromathũ ascendebat in conspectu Domini.

Christus enim magni consilij angelus carnem immaculatam igne sancti Spiritus plenam pro nobis in ara crucis obtulit Domino in suauitatem odoris: fumus aromathum sunt orationes sanctorum, quæ per ardorem charitatis ex passione Domini propagatæ ad Deum Patrem ascendunt, & nos ad coronam Trinitatis prouehunt; ideoque Sacerdos thurificat in modũ crucis, & coronæ. in Concil. Rothamagen. in Burcardo lib. 3. cap. in tempore, ita legitur. In tempore quo legitur Euan-

Euangelium, finito Euangelio, super oblationem incensum in mortem, videlicet, Redemptoris nostri ponatur, decreuimus. Quod vero ministri sustentent planetam, vel pluuiale dum Sacerdos thurificat; sumptum est ex lege, quia legalis Pontifex dum sacrificabat, sumitates Balthei super humerum reflectebat. Deinde omnibus defertur incensum, vt ostendatur quod omnia a Sacerdote facta pertinent ad omnes. vnde Ps. 211. dicitur; Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. In missis defunctorum nõ defertur; ratio ibidem assignatur.

De Lotione manuum, & orationibus Secretis. *Cap.* 52.

Thurificatione expleta digitos lauat; nec vlterius vsque post communionem eis quibus sacram hostiã tractare habet, aliquid tangat. Et licet primo, ante cælebrationem lauerit se ab iniquitate; tamen modo oblaturus sacrificium ampliori indiget ablutione etiam a venialibus, & peccatorum reliquijs; ideo dicit, *Lauabo inter, &c.* Hãc vlteriorem ablutionem petit Dauid Ps. 50. dicens. Amplius laua me ab iniquitate mea. Et infra. Amplius laua me ab iniustitia mea: ac si dicat. Lauasti a mortalibus laua etiã a venialibus.

Ablutio manuũ est vice eius, qui se lauit. Et, Innocens sũ, vociferatus est. Nobis autẽ Sacerdotibus innuit, vt puri conscientia, mente, & cogitatione, (quæ sunt manus animarum nostrarum) cum timore & mansuetudine, & clementia omni accedamus ab sanctam mensam. *Lauabo inter innocentes manus meas*. Addam puris Sacerdotibus, duas naturas meas: animæ manus dico, lauabo in castitate. *Et circũdabo Altare tuum Domine, quia semper Deo assistere debemus, nunquam ad libidinosum peccatum irruentes. Vt audiam vocem laudis tuæ,* Seruiam tibi & communicabo cum fideli populo. Audiam & docebo eum, & audientes custodiemus simul mandata tua. *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Decor Ecclesiæ est fidelis populus. Hæc ex D. Germano Episcopo. Nota quod triplici de causa lauantur manus. Primo ad abluendas sordes corporales, nempe, ante Missam. Vnde etiam antiqui Sacerdotes ante sacrificium se lauabant: vt ostenderent, quod nullus est Deo gratus, qui non est purus & lotus simul ab omni vitioso affectu. Secundò, vt significetur immũditias spirituales, vt puta in Missa. Tertio, propter reuerentiam cõtacti, nempè post Missam; vt possit cætera tangere eo modo quo uelit absque scrupulo. Hinc est quod Episcopi lauant manus suas, & os, post communionem suijpsius: antequam, accedant ad recitandum antiphonam, quæ postcommunio dicitur. Et ita his stantibus, triplex erit lotio: corporalis, spiritualis & reuerentialis. Prima fit ob corporalem mundiciam: nam ita prætiosa tractare consueuimus, nempè ablutis manibus; vt est illa, quæ fit ante Missam. Secunda in Missa, quando extremitates digitorum abluimus; quæ significat a minimis peccatis mũdationem, idest, a venialibus, secundum Albertum. Tertia, reuerentialis, nempè, quæ fit post Missam, seu post antiphonam, quæ postcommunio vocatur veluti faciunt Episcopi. Dicit ergo. Me, inquam, laua, quia nemo adeo lotus est, quin indigeat vlteriori lotione in tanti sacrificij oblatione. Hoc significauit Dominus Io. 13. quia cum loti essent Apostoli, & sic accederent ad refectionem Mẽsæ agni, noluit exhibere corpus suum, nisi iterato lauaret pedes eorum, per quos signata est affectuum ablutio, dicens: Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet: sed est mundus totus. Sic etiam Salomon in templo 3. Reg. 7. fecit mare æneũ ad cõmunem ablutionem Sacerdotũ. Ecclesia Ambrosiana lauat ante consecrationem, propter maiorem munditiam: nam nihil amplius tãgit nisi hostiam.

Lauat autem semper ad dextrum cornu Altaris. Primo, & literaliter pro maiori commoditate Sacerdotis & vasorum, quæ vasa, in illa parte regulariter ponuntur; cum etiam illa pars sit magis apta ad hoc faciendum, & Missale ad sinistram tunc temporis sit collocatum. Secundo, & moraliter, quia dextra prosperitatem, sinistra aduersitatem significat; quia ergo pluries peccatur in prosperis quã in aduersis iuxta illud Psalm. 90. cadent a latere tuo mille & decem millia a dextris tuis nõ iniuria lauandum est ad dexteram magis quam ad sinistram partem. Hoc facto procedit ad medium Altaris parãs se orationis suffragio; idque dicit: *Suscipe sancta Trinitas.* quod sumitur de tertio Danielis, vt videlicet offerat hostiam ex pinguedine charitatis, vt sit dignus ad immolandum sacrificium.

Recitans hanc orationem stat inclinatus, vt dicit Rubrica; hæc autẽ inclinatio Sacerdotis (sicut & aliæ) Christi humilitatem significat, qui exinaniuit formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. qui etiam inclinans se ad pedes discipulorum post sacramentum in cæna traditum orauit ad patrẽ. Postea vero se erigens osculatur Altare, ad notandum quod per passionem Christi populus liberatus est, & Deo patri reconciliatus. Vnde Ephes. 3. faciens pacem, ut recõciliet ambos Deo in vno corpore.

Secundum morem Rom. Ecclesiæ institutæ sunt hic tres orationes. Prima *In Spiritu humilitatis, &c.* qua postulatur acceptatio diuina respectu huius sacrificij maximè quantum ad effectum suæ consecrationis. Secunda est, *Veni sanctificator omnipotens:* qua petitur materiæ illius conuersio in res diuinas, quę est terminus consecrationis. Tertia; *Suscipe sancta Trinitas*; qua petitur sacrificij perfectus in nobis; qui est gratiarum actio & beneficiorũ Dei commemoratio, sanctorum collaudatio, & fidelium peregrinantium ad bonũ promotio. Quæ oratio notat duo, quæ maximè faciunt orationem exaudibilem apud Deum, scilicet, humilitatem orãtis & contritionem cordis. Psal. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies: quæ duo in proposito sunt valdè necessaria vbi agitur commemoratio Dominicæ passionis, quæ pro peccatis nostris ab eo humiliter suscepta est, vt supra innuimus; quare & nos in eius memoria humiliari & conteri debemus. In hac ergo humiliate Ecclesiæ orat Sacerdos suscipi oblationem huius sacrificij cõfidens quod sic oblatum non erit spernendum.

Consequenter conuertens se ad populum voce aliquantulum eleuata petit, vt oratio omnium auxilietur ei, quasi non præsumens quod solus possit tantum mysterium exequi, dicens: *Orate fratres.* In quo significatur illud, quod dicitur Luc. 22. Orate ne intretis in tentationem. Orat ergo pro se & pro populo. Appellatione fratrũ Sacerdos denotat Ecclesiæ vnitatem in charitate & pace Christi. Hæc oratio introducta fuit a Ioanne Episcopo Constantinopolitano anno Domini 580. deinde ab Ecclesia recepta.

Indiget autem Sacerdos aliorum orationibus adiuuari, quoniam ipse (vt dicitur Hebr. 5.) circumdatus est infirmitate. & ideo dicitur Iacob 5. ad Sacerdotes, orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet oratio iusti assidua. Quod vero dicit Sacerdos, *vt meum ac vestrum sacrificium*: denotat quod non solum pro se & nomine proprio; sed etiam pro alijs fidelibus, & ex parte eorum offert Deo illud sacrificium. Vnde eorum personas & munera ibi apud eum commendat: Debet enim (teste Apost. ad Hæbre. 5.) quemadmodum pro se ita & pro populo offerre hostias ad expiationem peccatorum ipse homo ex hominibus assumptus & pro hominibus constitutus

tus

tus in his, quę sunt ad Deum. Populus similiter debet sęcreto orare, & minister respõdet; *Suscipiat Dominus*; hoc facit pro omnibus assistentibus: nihilominus; qui sciunt huiusmodi orationem, illam submissa voce recitare deberent, vt nonnulli pij faciunt. Alij sunt, qui dicunt illud Psal. 19. Memor sit Dominus omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Et alij illud. Psal. 17. Mittat tibi Dominus auxilium de sancto.

In hoc innuit, quod Christus quoq; primo orauit pro se, deinde pro populo. Pro se, pater venit hora, clarifica filium tuum, &c. Pro populo, Pater sancte serua eos, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos. Extr. de Sum. Trin. cap. 1. Monito populo statim reuoluitur ad Altare, & dicit secretas: quæ ideo secretè recitantur, ne vilescat officiũ Missæ, vt diximus. Et ideo a quibusdam hæc oratio dicitur secretella, ad differentiam maioris secretæ. Secundò orat silentio, ut deuotius oret, nec cogitet, quomodo eius vox, & corporis compositio placeãt populo. Tertiò hoc silentium recolit sacramẽtum in sacrificijs patrum absconditum vt in Abel, Isaac, agno Paschali, in hirco emissorio, in vitula Rufa.

Nota quod si expositum est sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum Sacerdos dicit, orate fratres, non perficit circulum, sed eodem modo facit sicut & ad salutationem, & hoc in cornu Euangelij, ne det terga ipsi sanctissimo Sacramento, similiter dicendum cum benedicit populum in fine Missæ, vt præcipit ordo cæremon. iussu Reuerendiss. vicegerentis editus Romæ, nume. 12. Et hoc, quia si non dantur terga Regi, ergo nec Regi Regum terga dare licebit, quod infinitè distat, quantum distat creatura, a creatore.

De Accessu Præfationis. Cap. 53.

Dicta vltima secreta concludit altè, vt diximus supra, & sic incipit præfationem. Dicitur autem præfatio, idest, prælocutio, qua fit præparatio, vel dispositio ad duo, scilicet, ad hostiæ consecrationem, & ad hostię consecratæ sumptionem. Vnde Sacerdos in præfatione populum hortatur ad tria, primum ad mentium eleuationẽ in Deum cum dicit, *sursum corda*. Secundò ad exhibitionem gratiarum, cũ dicit, *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Tertiò, subiungit orationem exhibitorum, cum dicit. *Vere dignum & iustum est*.

Interpretatur autem prælocutio, quia Sacerdos sentiens iam populum ad altiora paratum, præloquitur eis publicè de sacramenti altitudine, & reuerentia; & ab hac prælocutione id, quod cantatur, nomen pręfationis accepit. Beatus autem Greg. hãc præfationem ordinãs; & Gelasius Papa hãc componens fundauerunt statutum illud in verbo Domini; quod dixit Exod. 19. vbi dixit Dominus ad Moysẽ: Descende & contestare populo, ne fortè velint transcendere terminos ad videndum, & pereat ex eis plurima multitudo.

Et ideo sicut Moyses, ita Sacerdos, siue Pontifex intonat præfationis modo magnitudinem, & altitudinem sacramenti Angelis tremendam, vt non curiositate discutiatur; sed humilitate cordis a populo suscipiatur, & veneretur.

In pręfationibus enim omnibus cõueniunt homines & Angeli, ad concinendum præconi Regij, vnde & alta, & delectabili voce cantatur; quia in eis Angelorum pręconia & laudes repræsentantur. Etiam cantatur coram Altari, & a solo Sacerdote; iuxta illud Apocal. 14. & cantabant quasi canticum nouum ante sedem; nemo pote-

rat dicere canticum nisi, & cæt.

Rursus hæc oratio vocatur præfatio: quia præcedit sacrificium principale. Est enim quasi prælocutio, idest, ad ministerium præparatio: prælocutio videlicet, totius orationis sequuturæ, a Te igitur, vsque ad, agnus Dei: in hac enim Sacerdos præloquitur grates, & laudes Deo, vt melius ad consecrandum corpus Christi valeat per venire. Vocatur etiam præfatio, quia præparat fidelium mentes ad futuræ consecrationis reuerentiam. Dicitur etiam hymnus Angelicus, quia angelicis laudibus est plenus. Vnde potest vocari secundus hymnus angelicus.

Perficit ergo Sacerdos secretam orationem, in qua per totum annum in omnibus Missis, nihil aliud petitur, nisi quod populus offerens in suis donis, & cum suis donis Deo in vnitate Christi corporis incorporandus, ipsi acceptabiliter offeratur.

Hoc autem patet in secreta Missæ Dominicæ primæ Aduentus, (vt supra diximus,) quæ sic dicit: Hæc sacra nos Domine, potenti virtute mundatos ad suum faciant puriores venire principium. Omnium enim horum principium quantum ad oblationem est oblatio, qua Christus obtulit seipsũ: hoc facillimè est inuenire, & videre in omnibus secretis, nisi quod aliquando propter festum, quod agitur de Christo vel sanctis, in secretis mentio illius festi habetur, vt gratia festi populus offerens, Christo incorporetur. Quæ oratio secreta dicitur, quia secrete recitatur, vt supra diximus. Quod verò concludat alte, per omnia sæcula, hoc ideo fit, quia ad omnes pertinet quod in secreta dictum est: propter quod respondetur a ministris, amen, quasi dicat, verum est, quod dixisti in secreta: atque corde, ore, & opere idem profitemur illud verum esse. Vel sic. Tu dicis, per Dominum nostrum Iesum, & cæt. & nos hoc credimus, & profitemur, ore, corde, & opere verum esse.

Vel dicitur alte ista conclusio a Sacerdote propter duplicem rationem: Prima est, ad significandum quod licet imminēte tempore passionis Christus prius se absconderit a Iudæis mortem eius machinantibus; (nam supra diximus quod Sacerdos incæpit iam passionem Christi tractare:) & propterea recesserit in regionem iuxta desertum; vt dicitur Io. 10. tamen postea ante sex dies Paschę se manifestauit palam; ambulans & docens in Ierusalem, vt exhiberet se promptum ad passionem quasi verum agnum paschalem pro salute omnium immolandum. Secunda ratio, quia licet illa oratio propter causam prędictam debuerit secretè dici & cælari a populo, tamen, quia fructus eius est communis omnibus, & debet percipi a pòpulo, conueniens fuit vt saltem finis & conclusio eius omnibus communicaretur, alta voce prolata. Dictæ autem conclusioni a toto populo auditæ, respondet chorus Sacerdotum, nomine omnium, dicens: amen, idest, fiat in nobis sicut tu secretè petisti pro nobis coram Deo. Vel. Verum est quod petisti: ac profitemur illud Prouerb. 8. Iusti sunt omnes sermones tui & non est in eis prauum quid atq; peruersum. Et audiens Sacerdos populi deuotionē & sentiens ipsum præ dispositum ac præparatum ad altiora; incipit præfationem.

Finis autem orationis est principiũ præfationis, per quod Sacerdos insinuat, quod Christus est lapis angularis, qui fecit vtraque vnum Iudæos continens & Gentiles, vt sit vnum ouile & vnus pastor. Vnde post laudem Iudæorum, Euangelista describit fidē Gentilium. Erāt, inquit, Gentiles quidam ex his, qui ascenderant vt adorarent in die festo, hi rogauerunt Philippum dicentes: Domine, volumus Iesum videre.

Dicturus ergo Sacerdos rem attentione dignissimam, salutat populum dicens; *Dominus vobiscum*, optans no-

tales

tales existere, cum quibus Dominus manere dignetur, & illud nobiscum celebrare conuiuium, ad quod mulier attulit alabastrum vnguenti nardi pistici prætiosi, & effudit illud super caput Domini recũbentis, & populus respondet. Et cum spiritu tuo: & ita mutuo pro se orant. Nam & in veteri testamento omnes Sacerdotes orabant, dum consumaretur sacrificium, Ionata inchoante, & cæteris respondentibus.

Salutatio ista licet in præcedẽtibus iam exposita sit, & quare non reuertitur Sacerdos, tamen est adoptatio adiutorij Domini adiuuãtis ad altissima; quia sine Domino ad ista ascendere non valemus. q. d. Sacerdos; exaltare Domine in virtute tua, cantabimus, & psallemus virtutes tuas. Exaltatur .n. in nobis quando excusso seruitutis iugo voluptatum, ad altitudinem suæ maiestatis cum iucunditate Spiritus laudes ipsius cãtamus, & opere in decachordo decem chordarum Psalterio obseruatione mandatorum psallimus. Et tunc rectè respondemus Sacerdoti, *Et cum spiritu tuo*; optantes quod Dominus subuehat eum cũ spiritu in eadem alta, quæ nobis optauit; vt, scilicet, ea, quæ nisi in Spiritu sancto agi possunt, ipse spiritui inspiret vt spiritus Sacerdotis sit cũ spiritu perficiente sanctitatem. Ioan. 4. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum in Spiritu & veritate oportet adorare, & hoc maximè necessarium est in Sacramento, in quo caro nihil prodest, sed Spiritus perficit omnia. Spiritus est, qui viuificat, caro autem non prodest quicquam. Io. 6. Hoc enim verbum dixit Christus de huius sanctissimi sacramẽti perfectione. Hoc modo Sacerdos accipiens idiotarum, & chori respõsum nititur ad altiora populum prouocare quem iam in signo obtulit in sacrificiũ expresse clamans. *Sursum corda*, supple, eleuate; sursum inquit Alber. intellectu veritatis: sursum affectu charitatis. Sursum virtute conuersationis. Et sursum rectitudine intentionis.

De prima ad superna eleuatione dicitur Psalm. 63. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ad cor altum autem in intellectum veritatis accedit, qui in sacramento nihil carnale cogitat, sed omnia alta esse intelligit, scilicet, quod in cibo sumptus Christus dentibus non discerpitur, nec diuiditur diuisione sacramenti, sed manet interger, & snmptus nos sibi incorporat, & non digeritur, vt pereat. In Altare descendens manet in dextera patris, vt incorporatos sibi ad sedem patris exaltet.

De secunda dicitur Colos. 3. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Sapimus enim, & quærimus cælestia per charitatis nostrę feruidam exultationem, & hoc in Sacramento perficitur quando nimiam Domini dilectionem pensantes aduertimus, quod ipse se nobis dat in cibum, qui nos sibi incorporet. Et sic ad alta domus patris, vbi omnes abundant panibus vitæ æternę, nos eleuando perducat.

De tertia eleuatione dicitur Philip. 3. Nostra autem cõuersatio in cęlis est vnde & saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui incorporando nos sibi, reformabit corpus humilitatis nostrę, configuratum corpori claritatis suę.

De quarta sursum eleuatione, dicitur Iob. 16. Ad Deum stillat oculus meus, hoc est, oculus altę intentionis, qui deuotione, & memoria Dominicę passionis stillat lachrymando, & non nisi in altum ad Deum dirigitur tendendo, & pergendo, & omnia in eo soli Deo attribuendo.

Ad hanc autem allocutionem respondetur ex parte populi. *Habemus ad Dominum*, quia ad altius cor exaltari non potest, nec in aliquo tutius collocari poterit, vt spiritualia, & altissima Dei dona percipiantur Tren. 3. Leuemus

uemus corda nostra cum manibus in cęlum. Ideo Sacerdos eleuat manus totum enim cor in cælestibus habitare debet, quod tam cælestia, & sublimia dona expectat a Domino Isa. 2. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Hoc habito a populo Sacerdos de tanto dono monet gratias agere dicens; *Gratias agamus Domino Deo nostro*, se connumerans populo, quia vnius sunt doni participes, tam Sacerdos quam populus. Gratiæ autem agũtur, quando dona Domini dignè percipiuntur, & distinctè cognoscuntur, & in magna deuotione in ipsum referuntur. De perceptione quidem digna dicitur 1. Paralip. vlt. Nunc igitur Domine Deus confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclitum. Quis ego, & quis populus meus, vt possimus tibi hoc vniuersum promittere; tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. Sic enim dignè percipitur a Deo donum, quod offertur Deo, & in ipso dono offerens offertur donum. De discreta autem doni Dei cognitione dicitur 1. Cor. 3. Nos non Spiritum huius mũdi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. Omnia enim dona Deus dat, in Spiritu data cognoscuntur in eodem Spiritu, præcipuè, quæ in Sacramento Altaris nobis a Deo donantur. De relatione autẽ donorum in Deum dicitur 2. Corin. 9. Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius. Nõ enim est nisi gratia, quod tantum nobis dat Sacramentum. 1. Thessal. 5. In omnibus gratias agite. *Gratias*, inquit, *agamus Domino Deo nostro. Deo*, qui creauit, *Domino*, qui redemit: *nostro*, qui saluauit. Deus noster. Deus salues, & c. Psal. 63.

Ad hanc autem communem inuitationem respondet populus, seu chorus loco populi *Dignum, & iustum est*. Dignum quidem pro magnifica liberalitate, quæ dona confert. Iustum autem pro debito receptionis donorum: quia sic obligamur ad agendum gratias. De primo dicitur Deuter. 32. Date magnificentium Deo nostro, Dei perfecta sunt opera. Magnificentia Deo datur, quando dignè liberalitas eius, quæ gratis dona dat, exprimitur. Sic enim dicitur, Hester. 2. Dona largitus est iuxta magnificentiam principalem, & hoc est perfectum opus donationis, quando nec manu retracta, sed liberalitate tota manu aperta magnum confertur, & sine improperatione: Iac. 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. Ex hoc enim ipse est gratiarum actione dignissimus. Iustum autem fit, vt gratias agamus ex ipsa receptione; quia ex illa obligamur, vt gratias agamus manui, quæ nobis largitur. Is. 1. Cognouit bos possessorem suum. & cet.

Vsus præfationis antiquissimus est. Sanctus Cyprianus martyr in concione orationis Dominicæ, ita ait: Sacerdos ante orationem præfatione prẽmissa parat fratrum mentes, dicendo, *Sursum corda*, vt dum respondet plebs *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Sanctus autem Ioan. Chrys. in Encenijs ait; Hęc ego dixerim ad eos, qui sanctorum communionem, & congregationem relinquunt, & sub horã terribilis mysticæ mensæ in vaniloquẽtiæ conuenticulis occupati sunt. Quid facis homo? Non promisisti Sacerdoti, qui dixit, *Sursum* mentem, & *corda*, & dixisti; *Habemus ad Dominum*. Non revereris & erubescis? Et illa ipsa hora, mendax inueniris. Et Aug. super illud, Mat. Confiteor tibi pater, ait: Norunt fideles vbi, & quando dicatur. *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Quis autẽ gratias agit, nisi qui sursum corda habet ad Dominum? addamus, sicut vnusquisque promisit?

De Præfatione. Cap. 54.

HAbita huiusmodi responsione Sacerdos tam magnifici doni, præfatur, vt omnes excitet in admirationem ipsius, & laudem. Subiungés. *Vere dignum, & iustum est, æquum, & salutare.* Et secundum magist. Pet. Antisiodoren. hic incipit præfatio, idest, prologus, vel prælocutio sequentis canonis: captans Domini beneuolentiã. Ac si dicat, *verè dignum est*, quia nos mensa voluntate condidit. *Iustũ est*, qa pura misericordia nos redemit: *æquum* quia nos gratuito iustificat. *Salutare*, quia nos perpetuo glorificat. Vel sic. *Vere dignum est*, ratione suæ excellentiæ. *Iustum*, ratione beneficientiæ, *Equum*, ratione sui beneplaciti, *salutare*, ratione sui promissi ex his enim tenemur gratias Deo referre. Vel ita. *Vere dignum*, quia bonus est; *iustum*, quia, beneficus; *æquum*, quia misericors, *Salutare*, quia salus.

Deinde subditur gratiarum actio. *Nos tibi semper, & vbique gratias agere*, semper, in tempore, scilicet, gratię, & æternitate; quoniam sicut in tempore accipitur Christus, verè quidem, sed latens, sub Sacramentali specie; ita in æternitate percipietur clara, & facili manifestatione, & vbique, quia per ipsum restaurantur, & quæ in cælis sunt, & quæ in terra. Ideo trina mũdi machina gratias Deo agit. Cęlum, pro ruinæ Angelicæ restauratione. Terra, pro militantis Ecclesiæ redemptione. Infernus, pro detentorum liberatione. Detentorum, scilicet, in limbo, & purgatorio. Sequitur cui agendæ sint gratię. *Domine sancte pater omnipotens, æterne Deus.* Vbique enim est Dominus. Vnde Psal. 101. In omni loco Dominationis eius benedic anima mea Domine. Et iterum. Benedicam Dominum in omni tempore; & semper laus eius in ore meo. Sequitur. *Per Christum Dominum nostrum*; tamquã per mediatorem; Aduocatũ enim habemus apud patrem Iesum Christum Dominum nostrũ, qui interpellat pro nobis; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, qui exauditur in omnibus pro sua reuerentia; per eum ergo, quasi per mediatorem, laudes offerimus. Alb. quod addit Dominum nostrum, speciale dominium notat, quo nos sanguine suo redemit in suam possessionem. Dicit enim Chrys. super Io. quod sicut homo Dominus auro seruos emit, & emptos ornat, & decorat: ita Christus nos suo sãguine in seruos emit, & emptos tam digno sui sanguinis Sacramento ornauit. 1. Cor. 6. Empti enim estis pretio magno glorificate, & portate Deum in corpore vestro. & 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de uana vestra cõuersatione paternæ traditionis: sed prætioso sanguine agni tamquam immaculati Christi. Sequitur.

Per quem, scilicet, Christum mediatorem inter patrẽ & nos homines *maiestatem tuam*, idest, magnitudinẽ tuam, supereminentem, semper stantẽ, ac immutabilem. Maiestas dicitur, quasi maior stans, vel maior potestas; quia maior est eius potestas quam hominum. Vel, *per quem*, scilicet, Christum; *maiestatem tuam laudant Angeli* testimonium exhibendo: magnitudinem tuæ potentiæ agnoscendo, & confitendo.

Adorant cultum latriæ exhibentes, *dominationes*. Angeli, scilicet, subiectis spiritibus dominantes, eis præcipiendo & ad sua ministeria secundum patris voluntatem dirigendo. *Tremũt potestates*, non metu formidinis, sed concepta admirationis, vel obedientię famulatu, inquantum omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi. Hebr. 1. Vel *tremunt potestates*, idest, Angeli potentes aereas potestates, scilicet, Dæmones coercentes. Ex his verbis ostenditur quod diuina maiestas est laudabilis, venerabilis, admirabilis.

uemus corda nostra cum manibus in cęlum. Ideo Sacerdos eleuat manus totum enim cor in cælestibus habitare debet, quod tam cælestia, & sublimia dona expectat a Domino Isa. 2. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Hoc habito a populo Sacerdos de tanto dono monet gratias agere dicens; *Gratias agamus Domino Deo nostro*, se connumerans populo, quia vnius sunt doni participes, tam Sacerdos quam populus. Gratiæ autem agũtur, quando dona Domini dignè percipiuntur, & distinctè cognoscuntur, & in magna deuotione in ipsum referuntur. De perceptione quidem digna dicitur 1. Paralip. vlt. Nunc igitur Domine Deus confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclitum. Quis ego, & quis populus meus, vt possimus tibi hoc vniuersum promittere; tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. Sic enim dignè percipitur a Deo donum, quod offertur Deo, & in ipso dono offerens offertur donum. De discreta autem doni Dei cognitione dicitur 1. Cor. 3. Nos non Spiritum huius mũdi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. Omnia enim dona Deus dat, in Spiritu data cognoscuntur in eodem Spiritu, præcipuè, quæ in Sacramento Altaris nobis a Deo donantur. De relatione autẽ donorum in Deum dicitur 2. Corin. 9. Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius. Nõ enim est nisi gratia, quod tantum nobis dat Sacramentum. 1. Thessal. 5. In omnibus gratias agite. *Gratias*, inquit, *agamus Domino Deo nostro. Deo*, qui creauit, *Domino*, qui redemit: *nostro*, qui saluauit. Deus noster. Deus salues, &c. Psal. 63.

Ad hanc autem communem inuitationem respondet populus, seu chorus loco populi *Dignum, & iustum est*. Dignum quidem pro magnifica liberalitate, quæ dona confert. Iustum autem pro debito receptionis donorum: quia sic obligamur ad agendum gratias. De primo dicitur Deuter. 32. Date magnificentium Deo nostro, Dei perfecta sunt opera. Magnificentia Deo datur, quando dignè liberalitas eius, quæ gratis dona dat, exprimitur. Sic enim dicitur, Hester. 2. Dona largitus est iuxta magnificentiam principalem, & hoc est perfectum opus donationis, quando nec manu retracta, sed liberalitate tota manu aperta magnum confertur, & sine improperatione: Iac. 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. Ex hoc enim ipse est gratiarum actione dignissimus. Iustum autem fit, vt gratias agamus ex ipsa receptione; quia ex illa obligamur, vt gratias agamus manui, quæ nobis largitur. Is. 1. Cognouit bos possessorem suum. & cet.

Vsus præfationis antiquissimus est. Sanctus Cyprianus martyr in concione orationis Dominicæ, ita ait: Sacerdos ante orationem præfatione pręmissa parat fratrum mentes, dicendo, *Sursum corda*, vt dum respondet plebs *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Sanctus autem Ioan. Chrys. in Encenijs ait; Hęc ego dixerim ad eos, qui sanctorum communionem, & congregationem relinquunt, & sub horã terribilis mysticæ mensæ in vaniloquẽtiæ conuenticulis occupati sunt. Quid facis homo? Non promisisti Sacerdoti, qui dixit, *Sursum* mentem, & *corda*, & dixisti; *Habemus ad Dominum*. Non revereris & erubescis? Et illa ipsa hora mendax inueniris. Et Aug. super illud, Mat. Confiteor tibi pater, ait: Norunt fideles vbi, & quando dicatur. *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Quis autẽ gratias agit, nisi qui sursum corda habet ad Dominum? addamus, sicut vnusquisque promisit?

De Præfatione. Cap. 54.

HAbita huiusmodi responsione Sacerdos tam magnifici doni, præfatur, vt omnes excitet in admirationem ipsius, & laudem. Subiungés. *Vere dignum, & iustum est, equum, & salutare.* Et secundum magist. Pet. Antisiodoren. hic incipit præfatio, idest, prologus, vel prælocutio sequentis canonis: captans Domini beneuolentiã. Ac si dicat, *verè dignum est*, quia nos mensa voluntate condidit. *Iustũ est*, qa pura misericordia nos redemit. *æquum* quia nos gratuito iustificat. *Salutare*, quia nos perpetuo glorificat. Vel sic. *Vere dignum est*, ratione suæ excellentiæ. *Iustum*, ratione beneficientiæ, *Equum*, ratione sui beneplaciti, *salutare*, ratione sui promissi ex his enim tenemur gratias Deo referre. Vel ita. *Vere dignum*, quia bonus est; *iustum*, quia, beneficus; *æquum*, quia misericors, *Salutare*, quia salus.

Deinde subditur gratiarum actio. *Nos tibi semper, & vbique gratias agere*, semper, in tempore, scilicet, gratię, & æternitate; quoniam sicut in tempore accipitur Christus, verè quidem, sed latens, sub Sacramentali specie; ita in æternitate percipietur clara, & facili manifestatione, & vbique, quia per ipsum restaurantur, & quæ in cælis sunt, & quæ in terra. Ideo trina mũdi machina gratias Deo agit. Cęlum, pro ruinæ Angelicæ restauratione. Terra, pro militantis Ecclesiæ redemptione. Infernus, pro detentorum liberatione. Detentorum, scilicet, in limbo, & purgatorio. Sequitur cui agendæ sint gratię. *Domine sancte pater omnipotens, æterne Deus.* Vbique enim est Dominus. Vnde Psal. 102. In omni loco Dominationis eius benedic anima mea Domine. Et iterum. Benedicam Dominum in omni tempore; & semper laus eius in ore meo. Sequitur. *Per Christum Dominum nostrum*; tamquã per mediatorem; Aduocatũ enim habemus apud patrem Iesum Christum Dominum nostrũ, qui interpellat pro nobis; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, qui exauditur in omnibus pro sua reuerentia; per eum ergo, quasi per mediatorem, laudes offerimus. A b. quod addit Dominum nostrum, speciale dominium notat, quo nos sanguine suo redemit in suam possessionem. Dicit enim Chrys. super Io. quod sicut homo Dominus auro seruos emit, & emptos ornat, & decorat: ita Christus nos suo sãguine in seruos emit, & emptos tam digno sui sanguinis Sacramento ornauit. 1. Cor. 6. Empti enim estis pretio magno glorificate, & portate Deum in corpore vestro. & 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de uana vestra cõuersatione paternæ traditionis: sed prætioso sanguine agni tamquam immaculati Christi. Sequitur.

Per quem, scilicet, Christum mediatorem inter patrẽ & nos homines *maiestatem tuam*, idest, magnitudinẽ tuam, supereminentem, semper stantẽ, ac immutabilem. Maiestas dicitur, quasi maior stans, vel maior potestas; quia maior est eius potestas quam hominum. Vel. *per quem*, scilicet, Christum; *maiestatem tuam laudant Angeli* testimonium exhibendo: magnitudinem tuæ potentiæ agnoscendo, & confitendo.

Adorant cultum latriæ exhibentes, *dominationes.* Angeli, scilicet, subiectis spiritibus dominantes, eis præcipiendo & ad sua ministeria secundum patris voluntatem dirigendo. *Tremũt potestates*, non metu formidinis, sed concepta admirationis, vel obedientię famulatu, inquantum omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi. Hebr. 1. Vel *tremunt potestates*, idest, Angeli potentes aereas potestates, scilicet, Dæmones coercentes. Ex his verbis ostenditur quod diuina maiestas est laudabilis, venerabilis, admirabilis.

rabilis. Primò, est laudabilis ab Angelis, quorum. Testimonium maximè autenticum est: vnde dicit, *laudant Angeli,* ideo propheta ait, laudate eũ omnes Angeli eius. Secundò, est venerabilis a dominationibus; vnde subdit: *adorant dominationes*. Tertiò, est admirabilis a potestatibus, quæ virtutes aduersarias subditas habent; vnde subdit; *Tremunt potestates*, & inferiores, & superiores. Vnde Iob. 26. ait: Columnæ cęli contremiscunt, & pauent aduentum eius. *Tremunt potestates*, non quod ordines Angelorum corporales sint, sed ideo dicitur, vt intelligamus omnia cęlestia, terrestria, & infernalia, ante conspectum diuinę maiestatis tremere, atque timere: sicut & nos tremere, ac timere ante Dominos nostros, solemus. Sequitur.

Cæli cælorumque virtutes: per cælos throni accipiũtur, quia Dominus ait; Act. 7. cælum mihi sedes est, Vel dicũtur cæli laudare Deum; quia laudis materiam præbent. Vnde propheta ait: cæli cælorum, & aquæ omnes, quę super cælos sunt, laudent nomen Domini. Cæli quidem diuinæ obediunt iussioni, quia ostendere se serenos, & nebulosos non habent potestatẽ: *Cherubin quoque ac Seraphin*. Pro istorum intelligentia, quę hic dicuntur, notatione dignum est, quod nouem sunt Angelorum ordines, nempè: Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, potestates, Cherubin, & Seraphin. Angelorum autẽ vocabulum nomen est officij, non naturę: Spiritus enim sunt semper: sed cum mittũtur, Angeli vocantur. Ideo dicitur Ps. 103. Qui facis Angelos tuos Spiritus. Vnde & pictores licẽtia quadam pingunt illos alatos, vt cęlerem eorum in cuncta discursum significẽt; Et iuxta fabulas poetarum, venti, propter eorum velocitatem dicuntur habere pennas. Vt dicitur Ibid. Qui ambulat super pennas uentorum.

Archangeli Gręcè summi nũcij interpretantur: nam sicut Angeli gręcè, dicuntur Latinè nuncij, scilicet, excelsi & cęlestes; eo quod de cælis ad annunciandum & exequendum Domini voluntatem mittuntur: ita Archangeli summi nuncij interpretãtur. Qui enim parua vel minima annunciant Angeli sunt, qui summa, Archangeli nuncupantur; archos enim Gręcè, Latinè princeps interpretatur. Archangeli ergo dicuntur eo quod inter Angelos teneant principatum. Quidam autem Archangelorum priuatis nominibus appellantur, vt per vocabula ipsa, in opere suo, quid valeant, designetur. Gabriel namque Hebraicè, interpretatur Latinè, fortitudo Dei. Vbi enim ipsa potentia diuina, vel fortitudo manifestatur, Gabriel mittitur. Quare ipse annunciauit Mariæ Christi incarnationem: qui diabolum deuicit, & humiliter venit ad aereas potestates debellandas.

Michael interpretatur, Quis vt deus; quando enim aliquid mire virtutis in mundo fit, hic Archangelus mittitur, & ex ipso opere nomen est ei; quia nemo valet facere, quod facere potest Deus; vnde ipse missus est in Aegyptum ad immittendas plagas.

Raphael, interpretatur medicina Dei: vbicumq; enim curandi vel medicãdi opus necessarium est: Raphael Archangelus mittitur; vnde ad Tobiã missus est, ut eum a cecitate liberaret. Vriel, interpretatur ignis Dei, sicut legimus apparuisse ignem in rubo: legimus etiam ignem missum, desuper, ac impleuisse quod præceptum est: hęc autem sunt nomina personalia Angelorum, quę nec a seipsis, nec a Deo imposita sunt: sed ab hominibus: nec alia personalia inueniuntur in Sacra scriptura.

Throni sunt agmina Angelorũ, qui Latinè, sedes interpręrantur, & vocati sunt throni, quia illic conditor pręsidet, atque per eos iudicia sua disponit. *Dominationes* sũt hi, qui in virtutibus, &

& principatus pereminent, qui pro eo quod cæteris agminibus principātur, vocantur Dominationes, quasi alijs dominantes. Hi autem nominātur ad innuendum, quod eis magis assimilari debemus, quoniam vsum dominandi docent. Dominatio enim est voluntatē Dei facere. *Virtutes* angelicæ quędam ministeria perhibent, per quas in mundo signa, & miracula fiunt: propter quod & virtutes dicuntur.

Principatus sunt, qui agminibus angelorū præsunt, qui pro eo quod subditos Angelos ad explendum ministerium diuinum disponunt; principatus vocabulum acceperunt; nam alij sunt qui administrant; alij qui adsistunt; quemadmodum & per Danielem dicitur cap. 7. Millia millium ministrabant ei: & decies centena millia assistebant ei.

Potestates sunt, quibus virtutes aduersæ subiectæ sunt, & inde potestatū nomine nuncupantur; quia maligni Spiritus eorum potestate coercentur; ne tantum noceant, quantum cupiunt nocere: nominantur autem hic, ad notandum, quod debemus arcere diaboli potestatem. *Cherubin* autem, & ipsi sublimes cælorum potestates & angelica mysteria perhibent, qui scientiæ multitudo, seu plenitudo interpretantur. Sunt enim agmina angelorū sublimiora, qui eo quod vicinius positi sunt, diuina scientia cæteris amplius pleni sunt.

Seraphin verò est multitudo Angelorum, qui ardentes, vel incendentes interpretātur, eoquod præ cæteris ardent, & accendunt in charitate, & quia inter eos & Deum nulli Angeli consistunt, & ideoquanto vicinius coram eo consistunt, tanto magis claritate diuini luminis inflammantur: vnde ipsi, sicut legitur Isa. 6. Velant faciem, & pedes sedentis in throno Dei: & idcirco cætera Angelorum turba videre plenè Dei essentiam non valet, quoniam Seraphin eam tegit secundū Isa. Nominantur autem hic Cherubin & Seraphin; quia sicut illi, toti in Dei dilectione ardere debemus. Neutraliter terminatur per in, Cherubin & Seraphin, vt in hoc loco. Si terminatur per, m, est masculini, vt illud Isa. 6. Seraphim clamabant alter ad alterum, & cæt. Alij econtra dicunt.

Verum cum nouem sint Angelorū ordines quare in præfationibus non omnes nominantur, sed tantum nominantur infimi, supremi; & medij? Angeli sunt infimi, & Seraphin, supremi: duo medij sunt potestatis & dominationes. Ad quod dicitur quod in his omnes angelici Spiritus designantur, quoniam si laudant infimi, & supremi ac duo medij, iam nullus omnino excluditur. Vel ad innuendum quod cōparatione Trinitatis ęternæ cuius maiestas in ea præcipuè commendatur, omnis alia Trinitas reperitur imperfecta: nam quis in nubibus æquabitur Domino? Quis similis Domino in filijs Dei? Etenim de omnibus ordinibus aliquis de numero subtrahitur. Vel connumerantur hic omnes implicitè, licet non explicitè. Sequitur.

Cum quibus & nostras voces. Tangitur hic deuota supplicatio, vt voces humanæ concælebrationibus cælestibus misceātur, & hoc est, *cum quibus*, scilicet, Angelis, & *nostras* humiles, tamen rationabiles *voces*; quia vox est sonus cum intentione prolatus; *vt admitti* in laudes Sacramenti, *iubeas*: Deus omnis sanctitatis perfector, *Deprecamur suppliciter*. Quia sine tuo iussu iuuante non potest fieri a nobis, quod inter Angelos nostra vox audiatur. Sicut dicitur Psal. 88. Beatus populus, qui scit iubilationem.

Supplici, quam proni ante maiestatem tuam facimus, *confessione*, laudis, *dicentes*, sanctorum hymnum Angelorum, quem Isaia referente cantarūt. Vbi populus hic duo deuotè laudat. Primò diuinitatem Christi assumens verba Angelorum, & dicens, *Sāctus*,

Sanctus, Sanctus, Isa.6. Apocal. 4. vbi dicitur ter sanctus, & semel Deus, vt Trinitatis personarum, & vnitatis essentiæ mysterium comprobetur. Secúdò laudat humanitatem Christi, assumens verbum puerorum dicentium, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Mat. 21. Gelasius Papa Tractus, & hymnos composuit, & Pręfationes cátuum dictauit. Nota, quod licet antiquitus multæ essent pręfationes, hodie tamen canonizatæ, sunt numero determinatæ, vt patet in Missali reformato. Vrbanus autem Papa 11. addidit pręfationem de B. Virgine. Ecclesia Ambrosiana habet multo plures pręfationes. In hac enim penè de singulis sanctis habetur præfatio, in qua sumariè merita; & miraculosa conuersatio declaratur.

Hunc hymnum secundum Dur. in suo Rat. in Missa cantandum instituit Xistus Papa primus ann. Domini 129. Deinde a Gelasio anno Domini 492. Secundum alios. Item, prædictus Xistus statuit vt tantum ordinati tangerent sacra mysteria. Item, vt corporale esset lineum, & non sericum, vt supra dictum est. Amplius, quod Episcopus a Domino Papa vocatus rediens iterũ ad Ecclesiam propriam ne reciperetur sine literis papæ.

De Sanctus. Cap. 55.

S*Anctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. Ista est chori responsio, quæ etiam est vox Angelorum cóposita ex tribus, vt omni firma authoritate sit. Prima enim pars sumitur ex Isa. 6. de vocibus Angelorum sic clamantium, *Sanctus, sanctus, sanctus, Deus*, exercituum, *plena est omnis terra gloria eius*. Et Apocaly. 4. dicitur, quod, quatuor animalia requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sãctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui est, & qui venturus est. Hoc autem, quod dicitur *Osanna in Excelsis, Benedictus, qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis*, continetur Io. 12. Et fuerunt voces turbarum, quę præibant, & quę sequebãtur, & quę comitabãtur Dominũ in Ierusalem ad locum passionis suę procedentem.

Compositus autem est iste hymnus trisagius a Beato Xisto ex tribus, scilicet, ex laude: ex oratione: & ex gratiarum actione. Ex laude autem, quia dicit *Sanctus*, Ex oratione, quia dicit, *Osanna*. Ex gratiarum actione, quia dicit, *Benedictus, qui venit*. Ecclesia ergo sperans sociari Angelis & Archãgelis de quibus mẽtio facta est in pręfatione, statim conformat se angelico cantui, post pręfationem cantans hũc hymnum, sanctus, &c. Cum ergo sacerdos seu Pontifex finit pręfationem, seu laudem; totus chorus, qui repræsentat Ecclesiam, simul canit dictum hymnum Angelicum, vt vna & æqualis gloria, & laus & honor decantetur patri, & filio, & spiritui sancto. Dicitur autem ter sanctus, vt notetur Trinitas, seu distinctio personarum. Item, dicitur in numero singulari sanctus, & non in plurali, puta, sancti; vt vna sanctitas in his tribus personis, & vna æternitas intelligatur. Hoc non solum Seraphin clamabant sub excelso Dei solio, secundum prophetam: sed & quatuor animalia secundum Apocal. in circuitu sedis requiem non habebãt die ac nocte dicentia, Sanctus, Sactus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.

Dicitur autem Deus Sanctus, idest, sanctificans, non autem sanctificatus, vnde dicitur: sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester Leuit. 19. Dicitur pater sanctus dicente filio: pater sanctifica eos in veritate, quos dedisti mihi, quia tu sanctus es. Io. 17. Dicitur filius sanctus protestante Angelo: Quod nascetur, inquit, ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Luc. 1. Dicitur sanctus, Spiritus sanctus, dicente Christo; Accipite spiritum sanctum

ctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,& quorum retinueritis, retenta sunt. Io. 20.

Hic notatione dignum est, quod repetitur hoc nomen sanctus, ter, propter triplicem perfectionem quam significat esse in Deo secundum triplicẽ huius nominis interpretationem: duas Latinas,& vnam Græcam. Secundum enim Gentiles sanctum dicitur quod est lege statutum & firmatum, a Sancio verbo quod est firmiter statuo, & ordino, ab omnibus inuiolabiliter obseruandum. Et sic apud eos dicuntur leges sanctę, idest, firmæ & validæ obligantes populum: secũdum Hebræos verò sanctum dicitur a sanguine, quasi sanguine tinctum vel respersum; quia vt Apostolus notat Hebr. 9. Omnia in sanguine mundantur & sanctificantur secundum legem. Nam apud eos nihil dicebatur sanctum quod nõ esset sãguine hostiæ respersum ac perinde Deo cõsecratum, & ad alios vsus communes non applicandum; & ita apud eos dicebantur Sacerdotes Sancti,& vasa templi sancta, idest, sanguine tincta. Tertiò, hoc nomen sanctus translatum est a Græco agios; idest, sine terra, vel separatum a terra: & sic sanctus dicitur ille, qui est separatus, ab immundicijs, & actibus terrenis, vel negotijs mundanis: & ita exponit Origenes illud Leuit. Sancti estote, idest, separati ab immunditijs. Est ergo sanctus idem quod firmus, ab omni imperfectione mundus, & a terra sublimiter eleuatus; quæ tria maximè conueniunt diuinæ naturæ, quia ipsa est firma cum sit immutabilis & æterna. Malac. vlt. Ego Deus & non mutor. Est ab omni imperfectione munda; quia simpliciter perfectissima Leuit. 19. Sãctus Dominus Deus noster: est denique super omnia terrena sine porportione eleuata; quia infinita. Ps. 112. Excelsus super omnes gentes Dominus;& propterea ter dicitur sanctus etiam essentialiter. Vel dicitur ter sanctus. q.d. quod Christus in hoc sacramento contentus est sanctus propter carnis mundiciam; sanctus propter animæ gratiam, sanctus denique propter diuinitatis excellentiam: quia tamen in Christo est vna tantum persona, additur in singulari, Dominus Deus Sabbaoth.

Dicitur quoque *Dominus Deus Sabbaoth*, idest, Dominus exercituum; videlicet Angelorum & hominum; quorum terribilis est, vt castrorum acies ordinata. Vel, Sabbaoth, virtutum, vel exercituum interpretatur, eoquod omnis virtus exercituum cælestium, vel terrestrium est in manu eius. Sancta enim Ecclesia in triumphantibus, & militantibus est, vt castrorum acies ordinata, terribilis dæmonibus, sicut dicitur. Cantic. 6. & totus ille exercitus vel assistit, vel ministrat in sacramento: ministrat enim Ecclesia, & assistit cælestis curia, vt dæmonum virtus excludatur, nec impediat corporis mystici ad caput vnionem;& hæc virtus profluit ab eo, de quo dicitur in Ps. 23. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Et ratione illius dicitur Deus Sabbaoth. Et hæc omnia dicuntur, vt describatur in Trinitate laudabilitas in operatione sacramenti.

Pleni sunt cæli & terra gloria tua, causa est laudis inductæ,& quod dicitur, *Pleni sunt cęli*, non est ab Angelis dictum: sed a patribus additum; hoc est, a beato Sixto Papa appositum, & a Beato Gregorio ordinatum, quia Angeli dixerunt plena est omnis terra gloria eius pro beatitudine triumphantũ in quorum memoriam sacrificium illud offertur in laudem, vt dicũt Greg. & Aug. & Ambros. Vel. *pleni sunt cæli & terra*, idest, angeli & homines *gloria tua*, quæ est beatitudo æterna; illi quidem in re & possessione: isti vero in spe & promissione. Pleni quidem quia satiati & quieti sunt: iuxta id satiabor cum apparuerit gloria tua. Ps. 16.

Terra autẽ pro terrigenis ponitur,

pro gratia, in quo offertur sacrificium in adiutorium militantium, & in cibum, & in terra comprahenduntur, qui sub terra sunt in pænis, pro quibus offertur in suffragium. Sic enim Spiritus Domini, qui operatur in Sacramēto, repleuit orbem terrarum, & hoc quod cōtinet omnia, quod nihil aliud est, nisi cælum, quia sicut dicit. Dan. Cælum est continentia visibilium, & inuisibilium creaturarum, sicut dicitur, Sap. 1. & Philip. 2. inquit Apost. omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus, qui oblatus pro nobis in Sacramento, est in gloria Dei patris.

Vel. *plena est omnis terra gloria* Christi, gloria inquam passionis, resurrectionis, Ascensionis, &c. quia in omnem terram exiuit sonus discipulorum eius: & in fines orbis terræ verba eorum; gloriam Christi prædicantium. Deinum plena est glorioso corpore Christi terra: quod viaticum concessum est hominibus ipsos producés ad gloriam sempiternam. Vel sic. *Pleni sunt celi, & terra gloria tua*, hoc est, vt eius gloria cæli, & terra gubernentur, & qui in cœlis, & qui in terra sunt, glorificent, & honorent nomen sanctum eius. *pleni* autem *sunt cæli gloria* re; & *terra* Spe. Tunc verò in re plena erit, cum adimplebitur illud: fiat voluntas tua sicut in cælo in & terra. Dum dicimus, *pleni sunt celi, & terra gloria tua*, agimus gratias creatori, de omnibus beneficijs. Dum verò dicimus, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, agimus spiritualiter gratias de beneficio redemptionis nostræ. Ceremoniale in lib. 2. cap. 8. præcipit quod in Missa solemni cantetur, Benedictus, post eleuationem sanguinis. Ratio literalis potest esse, ne in tanto silentio videatur Missa priuata: nam cantando sanctus & Benedictus simul cito finitur, & fit longum silentium. Moralis vero potest esse, quia tunc venit Christus in corpore & in sanguine. Vel fortè sumpta est hæc cæremonia, ex illo loco Iudicum cap. 9. Nūquid possum deserere vinum meum quod lætificat Deum & homines: vbi ait Rab. Salomon: quod hoc dicitur, scilicet, quod vinum lætificat Deum (nam de hominibus patet ad sēsum) propterea quod leuitæ in oblationibus hostiarum non cantabant cantica diuina donec offerrentur libamina, quæ fiebant de vino: ideo potest exponi de Sacramento Eucharistiæ quod acceptissimū est Deo, in quo conuertitur vinum in sanguinem Christi. Quare rectè cantatur, *Benedictus qui venit*, post eleuationem sanguinis Christi, quod lætificat Deū. Itē, quia eiusdem sanguinis virtute redēpti sumus. Quia ergo necessariū est ad æternam salutem incarnationis mysterium confiteri, rectè subiungitur *Benedictus, qui venit in nomine Domini*; Dicendo Benedictus debemus nos signare signo crucis: quia sunt verba sumpta ex Euangelio; quia Christus per crucem triumphauit, & nos triumphare facit. De hoc enim dicitur Io. 5. Ego (inquit Christus) veni in nomine patris; nomen patris est filius, de quo Isa. 30. Ecce nomen Domini de longinquo veniet, ita quod laudatur Christus vna cum Angelis, quando dicitur sanctus, & cæt. Sequitur.

Osanna in Excelsis. Hæc est oratio: & sicut ait Hierony. in quadam Epistola, Osanna verbum Hebræum est, & cōponitur ex verbo Hebræo, quod est Osi, & Latinè, salua, interpretatur. Vnde in Psal. Dicit litera nostra, secundum translationem. 70. O Domine saluum me fac; hebræus habet adonai osi; anna autem, quod additur in compositione, est interiectio obsecrantis motum animi significans sub deprecantis affectu. Et ideo; affectum illum, vt conceptum exprimendo, tantum valet osanna, quantum, salua obsecro. Et hæc est vox turbæ Dominum ad locum oblationis prosequentis. Ioan. 12.

Ac si

Acsi dicat Ecclesia, salus non est nisi in sanguine tuo, sicut dicitur, Hebr. 9. sine sanguinis effusione non fit remissio. Et illud Zach. 9. Tu autem in sanguine tui testamenti emisisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua: ex quo saluati sumus per sanguinem; & sine sanguine non est salus, obsecramus, vt salues in cælebratione Sacramenti sanguinis. In quo totius Trinitatis relucet operatio, & per quod cæli, & terra pleni sunt gratia & gloria tuæ maiestatis; hæc autem petitio est, vt saluet gratia sanguinis ab omni inquinamento terrenæ contagionis. Benedictum dicimus, qui venit, hoc est, quia venit ipse sicut semel se offerendo, ita quotidie oblationem illam in sacramento repręsentando. Psalm. 67. Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter (ad salutem per suam oblatione) faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Dicitur autem bis, *Osanna in Excelsis*, propter duas partes salutis; quæ sunt stola carnis, & stola mentis, quibus sancti beatificantur in gloria; vt videlicet anima, & corpore saluati inter Angelos deputemur in Excelsis, scilicet, in cælo. Reperitur autem hic versiculus in Ps. etiam 117. O Domine saluum me fac; & eisdem verbis subiungitur, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. De hymno hoc, scilicet, Sanctus, dicitur in Concil. Vasense cælebrato circa annũ Domini 450. Canon. 6. Vt in omnibus Missis, siue matutinis, siue Quadragesimalibus, siue in illis, quæ pro defunctorum cõmemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad Missas publicas, dici debeat; quia tam dulcis & desiderabilis vox etiam si die, noctuque possit dici, fastidium non poterit generare.

Ex nunc autem verbis & gestibus Christi passio repræsentatur, ideo attẽtione dignum est: Diaconus enim & Subdiaconus vadũt post dorsum Episcopi, seu Sacerdotis, in quo fuga Apostolorum in Christi in passione figuratur. Si qui verò stant retro Altare, aspicientes faciem Episcopi cælebrantis denotant mulieres a longè stantes videntes Christi passionem. Omnes autem, & qui ante, & retro sunt, stant inclinati, maiestatem diuinam, & incarnationem Domini venerantes; quę per cantum Angelorum, & hominũ introducta sunt. Ordo enim Angelorum, dicens; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, maiestatem diuinam introduxit. Ordo verò hominum dicens. *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, aduentum in carne significauit. Ipsa quoque inclinatio, significat mæstitiam Apostolorum, qui non audebant confiteri se esse discipulos Christi, qui tam turpissimè patiebatur; stant autem inclinati omnes, donec dicatur, libera nos a malo; quia vanum erat eis ante lucem surgere, idest, ante resurrectionem de Christo gloriari; per quam sunt ab omnibus tribulationibus liberati. Nihilominus vsque post sumptionem Sacramenti a Sacerdote, vel Episcopo decet sic manere. Videamus nunc alias præfationes.

De Natiuitate Domini præfatio. *Caput* 56.

ÆTerne Deus. Quia per Incarnati verbi mysterium noua mentis nostrę oculis lux tuę claritatis infulsit. Vt dum visibiliter Deum cognoscimus per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.

Et ideo cum Angelis & Archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia exercitus, hymnum glorię tuæ canimus sine fine dicentes.

Pręfatio autem quæ supra posita est, & exposita, quotidiana, & communis solet appellari, eo quod ferè quotidie, & in communibus solemnitatibus, vt dierum dominicorum, & diebus itidem

dem non solemnibus recitetur in Missæ officio & decantetur. Cæterum præter illum aliæ decē sunt speciales præfationes, & alicui peculiari festo aut tempori addictæ, propter maiorem diei cælebritatem, aut propriam temporis ad arctiorem disciplinam applicationem. Harum autem nouem nominantur a Gelasio Papa (vt dictum est) in sanctione canonica, de consecr. distinct. 1. cap. inuenimus constituta, hoc modo. Inuenimus has nouem præfationes in catalago tantummodo recipiēdas. Vnam in Albis paschalibus, aliam in die Ascensionis Domini, tertiam in die Pentecostes, quartam de Natali Domini, quintam de apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de Trinitate, octauam de Cruce, nonam de ieiunio in Quadragesima tantummodo dicendum. Decima vero propriarum prefationum quę est de sanctissima Virgine semper Maria, adijcitur supradictis nouem ex decreto Vrbani Papæ; explicata distinct. 10. cap. sanctorum canonum, his verbis. In eodem etiam concilio, antiquis nouem præfationibus decima addita est, quæ ita se habet. Æquum & salutare. *Et te in veneratione, vel assumptione, &c. Beatæ Mariæ semper Virginis*, aliqui addunt, exultantibus animis *Collaudare, benedicere & prædicare. Quæ et vnigenitū tuum sancti spiritus obumbratione concepit: & virginitatis gloria permanente, huic mundo, lumen æternum mundo effudit, Iesum Christum Dominum nostrum.*

Itaque hasce decem prefationes peculiares, sacrorum canonum sanctionibus approbatas: hoc loco etiam explicare nobis opere pretium visum est præcipuè ex Iudoco. Circa primam dicitur: *Noua mentis nostræ oculis.* Ante peractum incarnationis mysterium; *Lux diuinæ claritatis* incorporaliter solum & spiritualiter irradiauit humanis mentibus, quoniam Deus necdum in terris visibiliter apparuit. At vero post completum illud assumptæ humanitatis sacramentum, splendor diuinitatis iam corporaliter & sensibiliter illuxit mundo, obumbratus, scilicet, tegmine carnis: per quod vt interiectum velamen & vmbraculum, refulsit eximius ille deitatis radius in oculis nostris. In Christo enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter vt ait Apost. ad Coloss. 2. Et propter hunc nouum diuinæ illuminationis modū, qui nobis per hoc dispensationis carnis sacramentum indultus est: *noua lux* paternę *claritatis* perrectè dicitur *nostræ mentis oculis infulsisse*. De qua quidem luce prædixerat Isa. cap. 9. populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis: lux orta est eis. Et 60. ait: Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum; & gloria domini super te orta est. Et ambulabunt gentes in lumine tuo: & reges in splendore ortus tui.

Per hunc in inuisibilium amorē rapiamur. Propria & congenea est nostro intellectui via cognoscendi: quæ a sensibilibus ad intelligibilia conscendit: & per visibilia quasi quædam adminicula, ad inuisibilium notionem amoremque erigit & subuenit. Cum igitur visibiliter apparuit Deus mundo, in terris quidem visus & cum hominibus conuersatus: per ipsum, splendore miraculorum, doctrina cęlesti, & multiplici testimonio suam deitatem approbantem, conuenienti medio & quasi vehiculo quodam prouehimur, *vt in amorem inuisibilium*, & supernorum bonorum incitemur *rapiamur* & accendamur. Eo enim omnis ipsius tēdebat actio, & sermo, vt relicto huius mundi desiderio, ad æterna & cælestia bona auidissimè aspiraremus.

Sine fine dicentes. Sine fine, idest, sine cessatione, sine requie, sine intermissione, per quod significatur iugis & assidua illius excellentissimi hymni, Sanctus, Sanctus, Sanctus: Domi-

nus Deus Sabbaoth a nobis esse decantatio facienda.

Quod cum in hac mortali vita perfectè a nobis expleri non possit: hoc verbo tacitè & per subinsinuationem quandam expetitur æternæ beatitudinis consortium nobis demum concedi, in qua angelicis coniuncti choris sacra laudatione possimus hunc hymnum sine fine ac perpetuo decantare, quemadmodum & ipsæ supernæ virtutes atque angelicæ potestates hymnum hunc gloriæ Domini sine fine concinant: secundum illud verbū Psalmi 83. Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.

Infra actionem.

Communicantes & noctem (vel diem) sacratissimam celebrantes, qua Beatæ Mariæ intemerata virginitas huic mundo edidit saluatorem. Sed & memoriam venerātes in primis eiusdem gloriosæ semperque virginis Mariæ, Genitricis eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi. Sed & Beatorum Apostolorum. ait; *Et noctem vel diem sacratissimam celebrantes.* Cuique præfationi habenti propriam peculiaremque orationem quæ in canone Missæ ante primam sanctorum memoriam est dicenda, hoc loco subiūgitur ea oratio, pronunciāda quidem infra actionem, idest, inter verba ipsius canonis: qui actio etiam nominatur a sacris authoribus, quod in eo diuina aguntur consecranturque & conficiuntur mysteria. Et quamuis ad sacrum Missæ canonem pertineant huiusmodi orationes: hic tamen vnaquęque suæ subnectitur præfationi, ad euitandum confusionem, & rectiorem seruandum ordinem, qui digestior videtur, & dispositior: cum cuique, quod suum est adaptatur ac asciscitur. In hac autem orationis portiuncula modo adducta per disiunctionem ponitur vterque ac cusatiuus noctem vel diem: vt alterū tantum eorum nominum dicatur, secundum temporis rationem quo fit Missæ cælebratio. Si enim media nocte natiuitatis Dominicæ, fit Missæ sacrificium, cælebrans duntaxat noctem eo in loco nominare debet. Ita de die est intelligendum. Quod & in consimili particula canonis Paschę & Pentecostes, obseruandum est, vt in vigilia illorum festorum cælebrās, noctem tantummodo nominet, in die vero festo aut aliquo die octauarum, solum proferat diem.

In Epiphania Domini præfatio.
Caput 57.

Æterne Deus. Quia cum vnigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit; noua nos immortalitatis suæ luce reparauit. Et ideo.

Infra actionem.

Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes, quo vnigenitus tuus in tua tecum gloria coeternus in veritate nostræ carnis visibiliter corporalis apparuit.

Filius Dei benignitate sua de nostro accepit: vt de suo nobis conferret. Accepit enim verè, nostræ mortalitatis substantiam: & in illa hodierna die: Magis stella duce quasi primitijs electionis gentium apparuit ac demonstratus est, Suæ vero immortalitatis participationem & consortium nobis tradidit: cum nos per nouam dignitatis suæ lucem nube fulgida carnis adumbratam, in pristinam dignitatem reparauit.

Quo vnigenitus tuus, in tua tecum gloria coeternus. Quemadmodum in pręfatione huius solemnitatis Epiphaniæ Domini modo declarata, sermo totius Ecclesiæ Catholicæ ad Deum patrem dirigitur: & duplex Domini nostri Iesu Christi indicatur natura, humana, sci-

scilicet, per substantiam nostrę mortalitatis, & diuina, per lucem suæ immortalitatis, ita & in hac particula canonis illi respondente: ad Deum Patrem etiam conuertitur oratio; & gemina eius filij declaratur substantia, nempè diuina, cum dicitur, in gloria Patris coæternus, nam secundum diuinitatem, id solummodo locum habet; & humana, cum in veritate nostrę carnis visibiliter corporalis apparuisse prędicatur. Vbi veritas nostræ carnis nominatur in Christo, contra impios hæreticos, qui dixerunt ipsum secundum apparentiam tantum & phantasiam hominem esse factum, & non verum corpus humanum sed duntaxat phantasticum assumpsisse. Sed quomodo verè factus homo dici posset, visibilisque & corporalis apparuisse, ijs quibus manifestatus est, si hęc tantum secundum opinionem, & non verè gesta sunt? Itaque verbum apparuit hic positum, non phantasticam dicit apparentiam, aut fictitiam in Christo quandam ostentationem, sed veram sui manifestationem, qua in angusto Bethlehem oppido latitans, & paruo clauso tugurio, lucidę stellæ indicio, magis ab oriente profectis mõstratus est, & nouo signo cælitus ostenso, mirificè cęteris gentibus declaratus.

In Quadragesima præfatio. Cap. 58.

ÆTerne Deus. Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & premia per Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem, &c.

Tria hic exprimuntur animi bona, quæ per ieiunium rite obseruatũ Deo largitore obtinentur. Primum hoc salutari remedio comprimuntur vitia præsertim carnis, & libidinum restinguuntur incendia, perinde atque aqua superfusa elanguescit ignis, aut subtracto ligno a foco extinguitur. Vt enim testatur Salom. in Prouerb. 26. cum defecerint ligna, extinguetur ignis. Et quidam ait:

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.

Quod & Hieronym. confirmat his verbis: Ieiunio (ait) sanatur pestis corporis, & oratione, venena mentis. Secundo ieiunio, mens liberior eleuatur in Deum per orationem & diuinorum meditationem, quasi agilior facta & expeditior vt ad superiora nitatur. Comessatione enim & epulationibus crebris mens ipsa deprimitur atque degrauatur: veluti innuit Dominus noster Luc. 21. Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate, &c. Quare ex opposito per abstinentiam & ieiunium mens humana redditur eleuatior & erectior in Deum: quasi liberata mole ac pondere corporis pessulum trahente. Tertiò virtutes animi adaugentur obseruatione ieiunij: & demum æternæ vitę præmia acquiruntur. Coniungitur enim consequio quodam ipsi ieiunio puritas & mundicia vitæ, sanctimonia & castitas, quæ cæteras protinus virtutes omnes sibi comites asciscit, quibus adornata anima cęlestem demum requiem assequitur.

De Resurrectione Domini præfatio. Caput 59.

ÆQuum & salutare; te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum die gloriosius prædicare: cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi. Qui mortem nostram moriendo destruxit; & vitam resurgendo reparauit. Et ideo cum Angelis & Archangelis, &c. supra declarata sunt.

Infra actionem.

Communicantes & diem (vel noctem) sacratissimum calebrantes resurrectionem

ctionem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem. Sed & memoriam venerantes in primis gloriosę semperque Virginis Marię: Genitricis eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi. Sed & Beatorum Apostolorum. Deinde sequitur in Missali.

Alia infra actionem.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostrę sed & cunctę familię tuę, quam tibi offerimus, pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quęsumus Domine vt placatus accipias, &c. Inquit igitur.

Cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Hoc sumptum est ex 1. Cor. 5. dicente: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Et significanter addit *nostrum*: ne quis de pascha Iudæorum putet hic sermonem haberi, quod erat agnus legalis & figuralis, Mosayco ritu immolatus & manducatus. Verum illud pascha erat solum figura veri paschæ Christianorum: & agnus ille typicus vmbra fuit & imago Christi veri agni, ad tollenda mundi peccata in ara crucis oblati: de quo dixit Ioannes Baptista. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Io. 1. Præterea agnus ille hebræorum, sui sanguinis aspersione liberauit populum Domini de exterminatore primogenitorum Ægypti: exemitque e dura seruitute Pharaonis. Christus autem illius agni veritas morte sua mortem nostram destruxit: secundum illud. Ose. 13. Ero mors tua ô mors: morsus tuus ero inferne. Et resurrectione sua gloriosa vitam nostram reparauit: nō modo animę, sed & corporis, quod exemplo resurrectionis Christi in consumatione sęculi ad immortalitatem est resurrecturum.

Pro his quoque quos regenerare dignatus es. Quoniam in vigilia solemnitatis paschæ itidem & Pentecostes in primitiua Ecclesia adulti abnegata gentilitate aut Iudaismo, christianæ fidei signaculum suscipere volentes, ex instituto Ecclesiastico abluebantur sacro baptismi lauacro: ideo in vtraque dictarum cælebritatum & octauis earū adijcitur canoni Missæ hęc oratio: qua sancta mater Ecclesia peculiariter orat Deum pro filijs suis Neophytis: & tunc primum in Christo regeneratis. Quoniam autem mos ille administrandi prædictis diebus baptismum adultis sit abolitus, quod non occurrat amplius consimilis materia & occasio quæ tum offerebatur illa tamen oratio adhuc in officio Missæ diebus illis dicitur, sicut & fontium fit consecratio in memoriam illius commendabilis & antiquæ obseruationis. Nihil autem prohibet illam orationem & nunc fieri pro omnibus etiam in ætate infantili baptizatis quando quidem in eis omnibus id locum habet, quod eos tunc Deus regenerare dignatus est ex aqua & spiritu sancto, tribuitque ipsis remissionem omnium peccatorum. Et ad idipsum referri potest pia ipsius cælebrandi intentio.

In Ascensione Domini præfatio.
Caput 60.

ÆTerne Deus per Christum Dominum nostrum. Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit: & ipsis cernentibus est eleuatus in cęlum, vt nos diuinitatis suę tribueret esse participes. Et ideo cum Angelis. supra.

Infra actionem.

Communicantes & diem sacratissimum cælebrantes: quo Dominus noster filius tuus vnitam sibi fragilitatis nostrę substantiam, in glorię tuę dextera collocauit. Sed & memoriam venerantes in primis gloriosę semperque Virginis Marię eiusdem Dei & Domini nostri

stri Iesu Christi sed & Beatorum.

Quod *omnibus discipulis suis* Dominus noster *post resurrectionem suã manifestus apparuit*. Euangelistæ omnes declarant: & Paulus in prima ad Corin. 15. & in Act. Apostolorum 1. scilicet, quod præbuit seipsum viuũ post passionem suam in multis argumẽtis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Quod ipsis cernentibus est eleuatus in cælum Lucas in fine sui Euangelij & initio Actuum Apostolorum dilucide narrat. Denique, quod in cęlum eleuatus est vt nos suæ diuinitatis tribueret esse participes, innuit Apostolus ad Eph. 4. quod Christus ascendit super omnes cælos vt adimpleret omnia, idest, vt omnes homines suæ diuinitatis participatione glorificaret atque repleret. Rursus eodem in loco ait: Ascendens Christus in altum: captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Illorum autem donorum exuberanti elargitione: nobis quoq; (cuique pro suo captu & modo) suæ diuinitatis indulsit consortium.

Vnitam sibi fragilitatis nostræ substantiam. Nostræ fragilitatis substantia, natura est humana: in nobis quidem mortalem hanc adhuc degentibus vitam fragilis & infirma, & in Christo dispensatoria quadam dignatione vt offerretur in prætium nostræ redemptionis, etiam vsque ad mortem fragilitati & infirmitati subiecta. Post resurrectionẽ vero suam hæc nostra substantia mansit quidem & manebit semper illi vnita: non tamen amplius fragilitatis obnoxia, quia decorem iam indutus est Dominus per gloriam resurrectionis: indutus est fortitudinem, & præcinxit se virtute. Crucifixus est enim ex infirmitate: sed resurrexit ex virtute Dei ait Apostol. 2. Cor. 13. Et sicut prius in eo mortale induit immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: ita quod ante fuerat in ipso fragile iam inuincibilem induit virtutem indomabilemque vigorem.

In die Pentecostes præfatio.
Caput 61.

ÆTerne Deus: *per Christum Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes cælos, sedensque ad dexteram tuam promissum spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Qua propter profusis gaudijs, totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & supernæ virtutes atque angelicæ potestates, hymnum gloriæ tuæ concinunt; sine fine dicentes.*

Infra actionem.

Communicantes & diem sacratissimum Pentecosten celebrantes: quo spiritus sanctus Apostolis in linguis igneis apparuit. Sed & memoriam venerantes in primis. Quod autem ait.

Promissum spiritum sanctum, hodierna die. Sepius promiserat Dominus Apostolis, spiritum sanctum mittendum breui post suum in cælos regressum. Ioan. 14. Ego rogabo (inquit) patrem: & alium paraclitum dabit vobis. Si autem abiero mittã eum ad vos. Et alijs in locis. Præfatio ista vocat discipulos filios adoptionis: quia per spiritum sanctum (cuius acceperunt primitias) facti sunt perfectius quam ante fuerant filij adoptionis Dei. Neque id mirum, nam & spiritus sanctus ab Apostolo Roman. 8. vocatur spiritus adoptionis, quidni igitur eos quos primum suis repleuit donis: faceret adoptionis filios? cæterum hæc spiritus sancti effusio in discipulos totum genus humanum non ab re ingenti gaudio lætificat. Nam per eam cæpta est Euangelicę legis salutarisque doctrinę promulgatio, & Apostolica denunciatione totius mundi ad Christum reductio: vt paulo post Iudæis & gentibus factum fuerit vnum ouile sub Christo vno pastore.

store. Salus igitur toti mundo annunciata per missionem spiritus sancti in Apostolos, merito materiã profusioris gaudij in Domino, toti mundo ministrat.

Diem sacratissimum Pentecosten celebrantes. Alibi diximus, quod hoc nomẽ significat quinquagesimum diem. Vnde in Actis Apostolorum 20. legimus de Paulo. Festinabat enim si possibile sibi esset, vt diem Pentecosten faceret Ierosolymis, quod perinde est atque si quis diceret diem quinquagenarium siue quinquagesimum. Quod vero in linguis igneis apparuit spiritus sanctus Apostolis, vt dicit præfatio; secundum caput Actuum Apostolorum ostendit dicens. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis: seditque supra singulos eorum.

De sancta Trinitate præfatio. *Caput 62.*

ÆTerne Deus. *Qui cum vnigenito filio tuo & spiritu sancto, vnus es Deus; vnus es Dominus; non in vnius singularitate personæ, sed in vnius Trinitate substantię. Quod enim de tua gloria (te reuelante) credimus; hoc de filio tuo, hoc de spiritu sancto, sine differentia discretionis sentimus. Vt in confessione verę sempiternæque deitatis; & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas. Quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubin quoque & Seraphim, qui non cessant clamare quotidie, vna voce dicentes.* Inquit enim.

Non in vnius singularitate personę. Pater cum filio & Spiritu sancto vnus est Deus, *non in vnius singularitate persona*, quoniam ipsi tres non sunt vnica & singularis persona, sed tres personę. Neque in diuina Trinitate admittenda est vnius personæ singularitas; vt quod in ea, sola sit persona patris, aut sola filij persona, aut sola spiritus sancti. Repugnat enim & aduersatur personarum Trinitas, vnius personæ singularitati. Ipsi vero tres, pater inquam, & filius, & spiritus sanctus; vnus sũt Deus & Dominus vnius substantiæ, quod Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vna & eadem prorsus sit substantia, & in personarum trinitate: vnitas est diuinæ substantiæ.

At quoniam neutrum genus in locutionibus de sanctissima Trinitate, substantiæ & proprietatum naturalium est indicatiuum, & quęcumque proprietas essentialis conuenit Patri, eadem quoque & filio competit & spiritui sancto, vt esse Deum, immẽsum, summe potentem, æternum, bonum, perfectum & ita de cæteris: ideo quicquid de gloria summi patris profitemur ad essentiam attinens, & proprietates substantiales, idem confitemur & de filio & de spiritu sancto, sine aliqua discretionis & distinctionis differentia aut discrepantia. Nam neque secundum substantiam diuinam, neque secundum proprietates ad eã spectantes, est diuinarum inter se personarum aut differẽtia aut discretio; sed solum secundum proprietates personales, quæ ita vni personarum conueniunt, vt alteri nequaquam communicari possint. Vt Deus pater discretionem habet a cæteris duabus personis per innascibilitatem, quam alij ingignentiã vocant, quoniam est ingenitus. Filius vero per gignentiam siue nascentiam: quoniam a solo patre est genitus; & spiritus sanctus per processionem intimam, quoniam a Patre filioque procedit. In his quidem internis emanationibus & habitudinibus, est attendenda ipsarum diuinarũ personarum differentia, discretio, & distinctio. In communibus vero proprietatibus substantiæ diuinæ & personis, nequaquam. Sicut enim pater omnipotens est æternus & immensus, ita & filius, & Spiritus sanctus. Et ita de reliquis naturalibus proprietatibus.

Cæterũ hic rectè adiectum est *reue-*

lante patre nos de eius gloria quicquã credere; quoniam humano ingenio aut via non potest attingi altissimum summæ Trinitatis mysterium, sed solum diuina reuelatione, & tantum de illa credere debemus; quantum ipsa nostrum sciens imbecillem captum, reserare nobis & patefacere dignata est. Reuelare quidem Deus pater legitur sublimia indiuiduæ diuinitatis & Trinitatis Sacramentum vt apud Mathæum 16. Dominus noster dixit Petro post veræ fidei confessionem. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis. Reuelat & filius eadẽ mysteria hominibus vt apud eundem capit. 11. Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem, quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Denique & spiritus sanctus ardua reuelat deitatis mysteria, vt scribit Apostol. ad Corin. 1. cap. 2. dicens: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Et spiritus omnia scrutatur etiã profunda Dei. Ex his iam liquido constat, quod *in confessione veræ deitatis, in personis* adoranda est & profitenda *proprietas*, quandoquidem cuique personarum sua est singularis proprietas, per quam habet discretionem ab alijs vt patris proprietas est, esse ingenitum, filij, esse genitum, spiritus verò sancti, procedere. *In essentia* vero deitatis adoranda est *vnitas*, nam patris, & filij, & spiritus sancti, vna est essentia, substantia, & natura. Denique *in maiestate* deitatis, adoranda est *æqualitas*: nam æqualis est maiestas patris, & filij, & spiritus sancti, vt non sit maior patris virtus & potestas, quam cæterarum personarum, aut minor filij, aut spiritus sancti, quam patris, sed sint ipsæ tres personæ, maiestate, sapientia, bonitate, perfectione coæquales, virtuteque pares, veluti in Symbolo Athanasij dicturi sumus infra, in expositione Psalterij Romani, nempè ad Primam.

De sancta Cruce præfatio.
Caput 65.

ÆTerne Deus. Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti; vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque uinceretur, per Christum Dominum nostrum, per quem maiestatem tuam laudant Angeli: vt supra.

Immensa Dei sapientia attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, interdum per opposita ijs quæ lapsum humano generi induxerunt, ordinauit fieri reparationem, instaurationemque in salutẽ, interdum vero per similia ijs, quæ fuerũt instrumenta ruinę. Nempè primorum parentum superbia & inobedientia, intulit toti mundo damnationem. Ex opposito Domini nostri Iesu Christi humilitas & obedientia, nobis attulit salutarem redemptionem. Decidit in mortis barathrum humana propago: quod homo sibi vendicare voluerit Dei scientiam, & quandam similitudinem. Erecta autem est ad salutem; ex eo quod è diuerso filius Dei, se exinaniuerit ad assumendam humanam fragilitatem.

Rursum, nostri generis damnatio; ex ligno scientiæ boni & mali habuit exortum. Similiter diuina ordinatione nostra saluatio ex ligno crucis processit, per Christi sanguinem & mortem sanctificato. Et hoc pacto ex eodẽ secundum speciem resurrexit nobis vita, vnde mors primum fuerat suborta, scilicet, ex ligno. Et antiquus serpens, qui per lignum paradisi vicerat primos parentes, quos subdola suasione induxerat ad esum fructus eius, *in ligno* etiam victus est, scilicet, *crucis, per Christum dominum nostrũ*, qui salutaris fuit huius arboris fructus, & efficax ad tollendam præuaricationem ex noxio nobisque damnoso fructu prioris arboris inflictam.

De

De Beata Virgine Præfatio. Cap. 64.

ÆTerne deus. Et te in ueneratione Beatæ Mariæ semper Virginis (exultantibus animis addunt aliqui) collaudare, benedicere & prædicare. Quæ & unigenitum tuum sancti spiritus obumbratione concepit; & virginitatis gloria permanente, lumen eternum mundo effudit, Iesum Christum dominum nostrũ per quem maiestatem tuam laudant angeli, vt supra.

Ex præcedentibus repetendum est illud, quod in cuiusque prefationis initio ponitur; nempè, *uere dignum & iustum est, æquum & salutare*, vt cum illis nominibus verbo substantiuo adiunctis: ordinentur verba infinitiui modi hic nominata & iste habeatur sensus. Etiam *uerè dignum & iustum est, æquum & salutare*, te Deum patrẽ, *in ueneratione Beatæ Mariæ semper Virginis* & exultãtibus animis *collaudare, benedicere, & pdicare*. Cæterũ quoniã ablatiuus ille, *ueneratione*, generalis est ad omnem solemnitatem & cõmemorationẽ SS. Virginis: vbi specialis occurrit illius cælebritas, vt cõceptionis; præsentationis & huiusmodi; nomen illud peculiare in hoc præfationis loco exprimendum est, vt in festo Conceptionis eiusdem ita proferrur; *Et te in conceptione, uel, & te in assumptione, uel natiuitate*, & cætera.

Porro quod vnigenitum Dei filium Spiritu sancto obumbrante Sacrosancta Virgo concepit, Deum, scilicet, & hominem, nõ autem hominem solum ac nudum; patet Luc. 1. vbi legitur. Spiritus sanctus superueniet in te; & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Quod verò lumen illud æternum (quod in tenebris exortum est rectis corde) huic mundo fælici partu eadẽ sacratissima virgo protulit ex secundo cap. eiusdem perspicuum & clarum est. Nolite timere (dixit angelus ad pastores) annuntio vobis gaudium magnum; quia natus est vobis hodie saluator mundi, & cæt.

Denique quod intemeratæ virginitatis in ea permansit gloria singularis etiam post partum; & rubus Moysi incombustus, & porta Ezechielis clausa præsignauit, & tota itidẽ illud cõfitetur Ecclesia illi laude quotidiana cõcinens, quod, post partum inuiolata permanserit.

De Apostolis & Euangelistis Præfatio. Cap. 65.

ÆQuum & salutare. Te domine suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor eterne non deseras; sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias: ut iisdem rectoribus gubernetur; quos operis tui uicarios eidem contulisti præesse pastores. Et ideo cum angelis & Archangelis. vt supra.

Hæc præfationis verba, ad Iesum Christum Dominum nostrum dirigũtur, qui de se dicit in Euangelio Io. 10. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Grex autem eius est multitudo fidelium suo redempta preçioso sanguine, & suæ cælestis doctrinæ verbis quasi pãbulo nutrita, atque suorum mandatorum semitis, & calle directa, sicut dicit propheta in Ps. 94. Nos autem populus eius & oues pascuæ eius. Et rursum. 99. populus eius & oues pascuæ eius: introite portas eius in confessione.

Petit itaque hæc prefatio, quod ipse bonus pastor gregem suum catholicũ non derelinquat, aut suo destituat præsidio, sed per ipsos Apostolos tãquam cooperatores ipsius in custodia gregis, & coadiutores; ipsũ assidua protectione conseruet. Vt ipse grex dominicus *iisdem* Apostolis *rectoribus gubernetur: quos ut uicarios operis sui* vt pote gre-

gis

gis pascendi, ipse pastor æternus ordinauit ac sanxit debere præesse pastores eidem gregi.

Nempè ter beatum Petrum interrogasse legitur Dominus: an se diligeret, & illo respondente, ipsum, qui omnia nouit, & id scire quod amaret eum. Deinde post singulam responsionem subiunxit, pasce agnos meos, siue pasce oues meas.

Quibus verbis beatum Petrum cõstituit operis sui vicarium, voluitque ipsum præesse pastorem suo gregi.

De alijs itidem Apostolis, & eorum successoribus Episcopis, illud locum habet, quod in Actis Apostolorum dicit Paulus. cap. 20. Attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Porro huiusmodi pastores sedulos & diligentes (quales fuerunt Apostoli) se daturum suo gregi pollicitus est Dominus per Ieremiam dicens. cap. 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Vere secundum cor Domini fuerunt pastores isti Apostolici, quoniam elegit eos ex omni carne & posuit eos pascere gregem suum catholicum. Quem & scientia & doctrina Euangelicæ veritatis pauerunt, nam æternæ vitæ verba toti mundo solicita annunciatione administrarunt. Et alio in loco per eũdem prophetam Dominus ait. 39. Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas eiecero eos illuc, & conuertam eos ad rura sua, & crescent & multiplicabuntur, & suscitabo super eos pastores, & pascent eos.

Certè congregauit Dominus reliquias gregis sui, quando mortuus est non solum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnũ. Et per Apostolicam Euangelizationẽ oues illæ, quæ non erant ex ouili dominico, adductæ sunt ad caulam gregis eius, & factum est vnum ouile & vnus pastor. Creuerunt itidẽ & multiplicati sunt greges Domini, quia circa Apostolorum tẽpora, & paulo post totam repleuerunt terram.

Demum suscitauit Dominus pastores super eis: ipsos sanctos Apostolos, quos delegit a Spiritu sancto & impleuit ad exequẽdum hoc ministerium. Quod si horum spiritualium pastorũ figuram quæris & in veteri lege typũ. Ioseph prius pascens, gregem patris sui & postea totam saluãs Aegyptum. Genes. 37. Moysen autem post greges soceri sui totam Hebræorum synagogam in deserto regens. Exod. 3. Vltimo Dauid 1. Reg. 16. prius oues paternas & deinde totum regnum Israel gubernans, horum noui testamenti pastorum imago fuerunt & vmbra.

De Missæ Canone. Cap. 66.

OMnibus his habitis, quę ad oblationem pertinent, ea consequenter annectenda sunt. quæ pertinent ad huius oblationis sãctificationem: post hymnum ergo Angelicum fit secretũ silentium: in quo & missæ canon deuotè dicitur: Et sacrum mysteriũ peragitur; hoc autem fit per solum Sacerdotem; & ratio est, quia secundum Mat. ca. 28. Solus Christus orauit ab institutione sacramenti vsque ad crucem. Et nonnulli dicunt, quod in hoc loco incipit Missa; quoniam cætera sunt de solemnitate. de consec. dist. 2. pannis est.

Post acclamatum ergo præconium sequitur secretum silentium. Nam vt Io. Euangelista describit vbi Iesus honorificè fuit, receptus a turbis, cum palmis, & laudibus abijt, & abscondit se ab eis, non vtique trepidantis formidine, sed dispensantis officio, quia nondum venerat hora eius, quæ postquam aduenit, spontaneus ad passionem accessit. Surgite, inquit, Eamus, ecce appropinquat, qui me tradet, oblatus est enim, quia ipse voluit, vnde cum Cohors & ministri venissent cum lanter-

lanternis & facibus & armis, vt comprehenderent illum. Sciens Iesus omnia, quæ ventura erant super eum processit & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum, dicit eis: ego sum. Illud ergo latibulum Christi hic secretum silentium repræsentat, in quo cessante verborum tumultu, sola dirigitur ad Deum intenta deuotio. Tunc enim Sacerdos debet intrare in cubiculum cordis & ostium sensuum intercluso, Deum patrem orare, non multiloquio, sicut Ethnici faciunt, qui putant multiloquio exaudiri, sed in corde puro, & conscientia, & fide non ficta. Deus enim non est exauditor vocis, sed cordis: nec est admonendus clamoribus, quia renum est scrutator & cordium. Quod Anna typum gerens Ecclesiæ, legitur obseruasse, quæ non petitione clamosa, sed tacita deuotione impetrauit, quæ petijt. Scriptum est enim in lib. Reg. 1. c. 1. quod Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Item in Psal. 4. Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant in Spiritu & veritate oportet eos adorare. Item, sicut Moyses, qui sub silentio orabat: & Dominus; Quid clamans? cum tamen taceret. Sic & Sacerdos facere debet in hoc loco.

Canon Missæ pluribus decoratur nominibus: dicitur .n. oblatio; actio: canon: sacrificium, & secreta: oblatio est nomen commune ad omnia sacrificia, vt supra diximus.

Actio dicitur propter Sacra mysteria, quæ in eo aguntur; & quia tunc cum Deo causa nostra agitur. Est enim actio causa in iudicium deducta de verbo. Signific. Forus. In Missa quidē causa nostra agitur. Oratoriū est prætorium: Deus est iudex. Diabolus accusator. Ministri, testes. Sacerdos, aduocatus & defensor. Hic est Moyses, qui causam populi ad Dominum allegabat: cuius patrocinio delatoris fallacia confutatur; & nostra innocentia comprobatur, & absoluitur; & iudicis ita placatur; & per misericordiam culpa remittitur 46. dist. disciplina. Extr. de re iudica. cum vterini.

Canon dicitur, quod regulis patrū compositus est: a sanctis enim patribus aliqua verba mystica sunt ibi instituta. Canon autem Græcè, Latinè, regula dicitur, quia multum regulariter compositus est. Canonistæ faciunt differentiam inter canonem, decretū, & decretalem. Canon dicitur id quod statuitur in vniuersali concilio. Extr. de bigam. altercationis: Decretum dicitur quod Papa statuit de Concilio Cardinalium suorum ad nullius consultationem. Decretalis Epistola dicitur quam statuit Papa vel solus, vel cum Cardinalibus ad consultationem alicuius 59. dist. hoc ad nos. 19. dist. si Romanorum. Metropolitani possunt condere canones, de paruis negotijs, & de ijs, quæ spectant ad onus; sed nō de magnis rebus. 17. dist. multis. & 24. q. 1. quotiens. Dicitur etiam canō, quia regulariter Christus verus Sacerdos in eo repræsentatur; seu, quia per hunc regulariter fit consecratio sacramenti. Dicitur etiam quod Gelasius Papa canonem principaliter ordinauit: & licet a pluribus sit aliquid additum in eo: tamen ab vno est compositus. Hoc idem dicitur in Summa Concil. scilicet, quod canonem, & præfationes Missæ, prosas, & hymnos canticis miscuit. Hic vixit anno Domini. 494. & fuit 48. Pontifex temporibus Theodorici Regis & Zenonis Augusti. Idem affirmat Biel. lect. 15. & Dur. in suo Rationali, & Innoc. Papa. Dicitur etiam quod Clemens secundus, anno 71. post Cletum, instituit canonem ante consecrationem: & sic dicitur canon quasi ex regulis sanctorum patrū editus & cōpositus, vt supra diximus.

Sacrificium vero dicitur a sua parte digniori: eoquod offertur. Vel dicitur

tur sacrificium ratione præteriti, inquãtum, scilicet, est repræsentatiuum Dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium: & ideo inquãtum per hoc Sacramentum Dominica passio offertur dicitur sacrificium. Vel dicitur sacrificium, quia per hunc canonem ex pane & vino conficitur sacrificium salutare, sacrificium laudis, sacrificium iustitiæ lõge acceptius Deo quã antiquæ legis sacrificia comprehẽdens & complectens omnem illorum virtutem supereminenter.

Secreta vocatur, quia secretè, & sub silentio dicitur. Christus enim ad consecrationem sui corporis vẽturus, secretè & solus orabat ab hora cænæ vsque dum suspẽsus est in cruce, quas orationes secreta significat. Priscis quoq; temporibus antiqui patres sub silentio sacrificabant, & communicabant.

Secundò ideo secreta in silentio dicitur, ne Sacerdos clamando his, quæ aguntur minus intendat, vt supra diximus. Item, ne vox Sacerdotis clamore deficiat. Item, vt diximus ne sacrosancta verba vilescant, quia, quæ in publico fiunt citò, vilescunt, sicut nimia familiaritas contemptum parit. Fertur enim inquit Duran. lib. 4. cap. 35. quod cum antiquitus publicæ & alta voce diceretur canon, omnes penè per vsum illum sciebant, & in plateis, & in vicis decantabant. Vnde cũ quidam pastores illum in agro cantarent, & panem super lapidem posuissent, ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conuersus est: ipsi tamen diuino iudicio igne cælitus misso, percussi sunt: propter quod patres statuerunt verba ista sub silentio dici, inhibentes sub anathemate ne proferantur nisi a Sacerdotibus super Altare & in Missa, & cum vestibus sacris.

Consecrantis autem mens debet esse multum attenta; ne muscæ venientes perdant suauitatem vnguenti. Eccles. 10. idest, debet esse mens Sacerdotis attenta *ne muscæ*. idest, importunæ cogitationes *venientes perdant suauitatem unguenti*; idest, tollant deuotionem orationis; flabello spiritus ergo abigantur, idest, inspiratione gratiæ repellantur. quatenus Auster adueniens, & Spiritus sanctus accedens, perflet hortum, idest, mentem fæcundet: vt aromatha fluant, idest, virtutes abundent. Ad quod etiam significandum, æstiuo tempore materiale flabellum, dum dicitur secreta ab aliquibus religiosis (vt vidi) adhibetur. Hac etiam ratione *ne muscę ueniant, & cet.* elicitur quod canon dici debet expedite, non morose, ne auditoribus tædium generet. Exod. 12. Fac festinanter; quod de immolatione agni dictũ est. Et comedetis festinanter; sed tamen non nimis festinanter intelligendum est; nam non debet sacrificium sine sale, idest, sine discretione, & deuotione offerri. Canon autem iste a diuersis diuersimode diuiditur; nos autem secundum particulas in Missali positas procedemus, diuidendo illum in sex partes principales.

De Te Igitur. Cap. 67.

FInita prefatione, *Sacerdos extendens, & iungens manus eleuans ad celum oculos, & demittens, inclinatus ante Altare, dicit. Te igitur:* hæc sunt verba rubricæ Missalis Romani. Hic autem deficit lingua, superatur ingenium, obscurus redditur intellectus, ideo quicquid exponetur vix vllius apparet esset momenti.

Alber. diuidit canonem in tres partes. Alexander Ales. in tres alias non tamen eandem diuisionem facit. Durã. in partes vndecim diuidit. Mag. Biel in sex partes diuidit: & secũdum hunc, sic dicitur, quod in prima parte petitur a Deo benedictio munerum panis, & vini, quæ pro Ecclesia offeruntur. Secunda, sequitur sanctorum inuo-

inuocatio, quorum præcibus & meritis nobis dona a Domino conferuntur. In tertia oblatorum acceptatio, qua electi a perfidis diuiduntur. In quarta ponitur verborum forma, quibus perficitur consecratio, & panis, viníque substantiæ in corpus, & sanguinē Christi conuertuntur. In quinta ponitur passionis commemoratio, ac salutis petitio ijs, qui sacrificio perfruuntur. In sexta additur refrigerij postulatio animabus defunctorum, cum iterata sanctorum inuocatione, quatenus petita eorum meritis a Domino concedentur. Secunda ibi, *communicantes*. Tertia ibi, *Hanc igitur oblationem*. Quarta ibi, *Qui pridie*. Quinta ibi, *Vnde & memores*. Sexta ibi, *Memento etiam Domine*. Hanc sequemur. quæ nec breuis nec longa est.

Circa ergo hanc primam canonis partem, dico secundum Alex. de Ales, quod incipit canō a, *Te igitur*, & forte, inquit ipse, diuina factum est prouidentia, licet non sit humana industria procuratum: vt ab ea litera canon inciperet, scilicet, a, *T*, quæ Hebraice Thau, & in sui forma signum, & mysterium crucis ostendit; & exprimit; dicente Domino per Ezech. 9. Signa Thau in frontibus virorum dolentium, & gementium, super abominationibus Ierusalem; quoniam per Christi passionem hæc omnia in cruce impleta sunt, & efficaciam habent. Thau est litera hebræa, quam nos Latini. T. nuncupamus, Græci autem taf appellant. Tau itaque Hebraice, Latinè signum sonat.

Hæc ergo litera, *T*, crucis formam habet; quia signati sunt, qui ab Angelo percutiēte liberati sunt. Hoc etiam fuit signum, quo in Apoc. 7. leguntur signati in frontibus suis electi serui Dei, priusquam nocumenta inferentur terræ, & mari. Huius figuram habuit lignum, in quo Moyses æneum serpentem in deserto suspendit; vt inspicientes a monsibus venenatorum serpētum sanarentur, vt habetur. Nu. 7. ideo inter præfationem, & canonē, imago crucifixi depingitur: vt non modo intellectus, sed picturæ aspectus memoriam inspiciet Dominicæ passionis. vt dicit idem Alex. & rationabiliter quidem, quoniam quæ oculis videntur, potius mouent, quā, quæ ore proferuntur, & solo percipiuntur auditu. Hinc Damascenus 4. lib. Sentent. multoties non secundum mentem habentes Domini passionem, imaginem crucifixionis Christi videntes in salutaris passionis memoriam venimus, & procidentes adoramus. Hinc & Ezechiel propheta iussus est pingere transmigrationem Ierusalem, vt populus Iudaicus sensibilibus formis moueretur tam agnoscere futuram. Vnde Ezech. 12. Tu ergo fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, & transmigrabis per diem coram eis. Transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si fortè aspiciant, quia domus exasperans est. Et offeres vasa tua, quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum. Vbi Greg. in comment. Quia oculos ad videndum habent, & non vident, aures ad audiendum habent, & non audiunt, da eis imaginem, & picturam, & formis ostēde corporeis, vt venturam captiuitatem non solum auditu, sed & oculis recognoscant. Vnde satis ostenditur mouere magis imagines quam verba. Et hæc est præcipua ratio, cur Christiana religio sanctorum imagines admittit, scilicet, ad excitandum populis & simplicibus deuotionem. Ideo etiam pingitur crucifixi imago, vt oculis videat, quæ hic repræsentātur, scilicet, Christi passio, ac eius improperia.

Sacerdos autem secundum morem Ecclesiæ Ambrosianæ osculatur pedes crucifixi in Missali, & se signat in frōte innuens quod reuerenter & deuotè ad passionis mysterium accedit. Nos vero secundum morem Romanæ Ec-

clesiç Altare osculamur quod idem significat; & hoc facimus post illa verba, *ac petimus*, vt docet rubrica Missalis.

Quod Sacerdos hæc dicens, se inclinat, significat humiliationem Christi ad mortem. *Te igitur*, inquit *pater clementissime*; illa coniunctio, *igitur*, refertur ad ea, quæ cãtata sunt in prçfatione, & sanctus. q.d. Sacerdos in persona Ecclesiæ; quia admisisti nos o Deus vt cum sanctis Angelis, te laudaremus, & idem clamaremus ideo clementissime pater, &c. Vel sic, o pater cælestis, quia pleni sunt cæli & terra gloria tua, quia misisti miseratione tua ad nos filium tuum, qui per assumptam humanitatem venit in hunc mũdum in nomine tuo: ideo *te rogamus ac petimus*. Hic captamus beneuolentiam, & vt citius impetremus quod petimus, addimus, *clementissime*. Habet quippe humana industria, vt dum petitionis suæ effectum expectat, & desiderat, obsecrati laudes petẽdo proponat: vt sic per hoc eius beneuolentiam captet: vt videre est apud oratores in suis exordijs. Quod autem dicitur, pater. Hoc nomen, pater, vt attribuitur Deo, dupliciter accipitur. Vno modo essentialiter, vt conuenit toti Trinitati, & cuilibet personarum coniunctim, & diuisim in singulari. Hæc enim est conditio terminorum essentialium in diuinis, & illo modo dicitur pater principium productiuum, aut gubernatiuum alterius, hoc modo Deus, dicitur pater eorum, quæ creauit, & quos gubernat, & alit, secundum illud Deuter. 32. Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, & creauit te? Hoc modo prima persona est pater, filius est pater, & Spiritus sanctus est pater: & hi tres, non tres patres, sed vnus pater; sicut nõ tres creatores, sed vnus creator: nec tres Domini, sed vnus Dominus. Sic etiam accipitur in oratione Domini cap. Et generaliter quando nõ ponitur respectu termini importantis vnam personam discrete ab alia, vt quando ponitur respectu alicuius termini importantis operationem ad extra, idest, respectu creaturæ. Illæ enim operationes communes sunt omnibus tribus personis. Quicquid enim pater operatur in creatura; operatur & filius, operatur & Spiritus sanctus. Nam quorum vna est essentia, etiam operatio est indiuisa.

Alio modo pater accipitur notionaliter, siue personaliter, & sic pater dicitur tãtum generatione propriissime dicta, qua viuens generat viuens, non tantum sibi simile in specie, sed in idẽtitate essentię. Et ita tantum dicitur de prima persona in diuinis, & non de secunda, nec de tertia. Et sic accipitur, quando ponitur respectu termini importantis personam. Sicque accipitur hic, quia sequitur, *per Iesum Christũ filium tuum*, &c. quod importat secũdum personam discrete a prima, & tertia. Et licet hic accipiatur personaliter, non tamen cum exclusione aliarũ personarum. Nam eo modo, quo genitor pater noster est, etiam filius pater noster est; etiam Spiritus sanctus pater noster est. Est enim pater noster paterna virtute ac potentia nos creans, paterno affectu dulcissime de nobis cogitans, paterna prouidentia nos bonorũ suorum hçredes ordinans. Paterna disciplina instituendo nos sanctificans: & ita de alijs paternam pietatem concernentibus, quç tamen omnia non sine filio, & Spiritu sancto in nobis operatur. In eo verò quod pater dicitur, & est filij sui Domini nostri Iesu Christi, excluduntur aliæ personæ.

Per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Orationes quatenus sint impetratoriæ, dirigendæ sunt ad patrem per filium, qui mediator est inter patrem & nos, vt ait Apost. 1. Tim. 2. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Est & aduocatus noster; Aduocatum habemus apud patrẽ Iesum Christum iustum. Et ipse est propi-

propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. Io. 2. per hunc quicquid petierimus patrem, consequemur. Sic enim nobis promisit iureiurãdo filius. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine dabit vobis. io. 16. Sic etiam docet propheta cum dicit. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Psal. 83. Ideo sicut frequenter in omnibus orationibus suis Ecclesia, ita & nunc in principio canonis orationem suam format ad patrem, in nomine filij, dicens. *per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum.* Glosa super illud Psalm. 108. Oratio eius fiat in peccatum, ait: Nõ est iusta oratio nisi per Christum: & non solum non delet peccatum, sed fit in peccatum. Aug. ibid. Oratio non fit per Christum, quæ non vult sequi, sed persequi: vt erat Iudæ proditoris oratio, antequam Christum traderet, dum cogitabat tradere illum. *Supplices te rogamus ac petimus.* Rogatio ostendit humilitatem, petitio cõfidentiam; qui aliquid implorat humilitatem debet ostendere, & de impetratione confidere. Itaque *supplices rogamus*, confidenter petimus.

Supplices ait *rogamus*; Vnde Alber. ait tangit modum orationis in orante, quia dicit, *Supplices*: in oratione autẽ quia dicit; rogamus ac petimus, supplices quidem, & proni ad propitiationem tuam, Ephes. 3. Huius rei gratia flecto genua mea ad Deum patrem, ex quo omnis paternitas cælo & in terra nominatur: & ideo Sacerdos ĩ his verbis inclinat se ante Altare. *Rogamus*. Rogatio est inclinatio eius, qui rogatur ab eo, qui rogat ad exauditionis consensum. *ac petimus*. petitio autem est expressio eius, quod desideratur fieri ab eo, qui exauditurus rogatur. 2. Paralip. vlt. peto rogans te Domine. Et Philip. 4. In omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescãt apud Deum. Vt autem melius obtineat dicit: *Rogamus ac petimus*, vt sic geminata postulatione facilius exaudiatur. Vt autem impetremus, in fide postulandum est, dicente Iac. 1. postulet in fide nihil hæsitans: ipse enim dat omnibus affluenter, & non improperat. Petimus autem non superbi: sed supplices: id est, humiles; quoniam ab initio superborum supplicatio non placuit, sed humilium. Vnde Iacob 4. superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiles, inquam, non præsumentes de nostris meritis, sed in miserationibus tuis. Scientes quod oratio humiliatis se, cælos penetrat, Eccles. 35. Et Pharisæus iustificatus non est, sed publicanus confitens humiliter peccata sua. Luc. 18. Sequitur.

Vti accepta habeas & benedicas. Hic osculatur Altarę. *Hec † dona, hec † munera; hec sancta † sacrificia illibata.* Nota quod imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem obseruamus, videlicet vnam crucem, vel tres, vel quinque faciendo, & hoc vtique non sine certi mysterij causa. Nam in vna & tribus, vnum & trinum Deum intimamus. In quinque autem, quinque partita Domini passionem significamus. Merito autem impar numerus in Ecclesiasticis officijs frequentatur, quia numquam in duo æqualia vnitate impediente diuiditur sicut vnitas sanctæ Ecclesiæ nullatenus eam in duo secari patimur. Ex tom. 6. Bibliot. pat. de obseruationibus Ecclesiasticis cap. 14. Hic facit tres cruces super hostiam & super calicem simul. Postquam captauit beneuolentiam, in verbo, pater clementissime; & commemorauit mediatorem, scilicet, Christum, huius merito oratio nostra redditur patri acceptabilis: atq; postquã insinuauit affectum supplicandi, dicẽs: supplices rogamus ac petimus, ea exprimit, quæ obtinere a patre desiderat, hæc autem duo sunt. Primum; vt grata sint munera offerenda. Secũ-

dum, vt fiant sacrificia idonea: primũ ibi, vti accepta habens: secundum ibi: *& benedicas*. Inquit, *petimus*, ergo, *te pater clementissime, vt habens accepta*, idest, placita sint tibi & grata, *hæc dona, & munera*, quæ panis sunt, & vinum, terrena, & a terrenis tibi oblata, & idcirco diuinæ maiestati tuæ indigna; tamen, quia per filium tuum, stãt instituta ad hunc finem, vt a nobis iugiter offerantur; *petimus* igitur vt in honorem dilecti filij tui, *vt habeas*, inquam, *accepta*, vt placita sint tuæ voluntati: atque fiant idonea sacrificia pro nostris peccatis offerenda, & per hoc *sancta*, diuino cultui deputata, & illibata, nulla mentis; & corporis immundicia maculata: hoc ad literam petitur. Hæc autem inquit, quia oblationes, holocausta, & veteris legis sacrificia, nec sufficientia erant: nec tibi placuerunt: idcirco filius tuus in vltima cæna finem eis imponere volens acceptis in manibus pane, & vino gratias agens, benedixit, dixitque discipulis: hoc facite in meam commemorationem. Per quod hæc ipsa dona, & munera nobis in sacrificium commendauit. *Petimus, vt accepta habeas*, quia mandasti Leuit. 26. Superuenientibus nouis vetera proijcietis: & rectè proiecta sunt, quia imperfecta, ac insufficiẽtia fuerant; quoniam non placuerunt Deo: nec peccata abstulerũt; nec gratum facientem gratiam contulerunt. De primo dicitur, Ierem. 6. Holocaustomata vestra non sunt accepta; victimæ vestræ non placuerunt mihi. & Psal. 50. Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique holocaustis nõ delectaberis. Et alibi. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. De secundo dicitur. Hebræ. 10. Impossibile est sanguine hircorum, & taurorum auferri peccata. & Psal. 29. Holocaustum pro peccato non postulasti, supple pater; tunc dixi ecce venio, per passione meam, quæ in præsentia commemoratur. De tertio dicitur, Rom. 3. ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Et Ezechiel. 20. Dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent. Præcepta, scilicet, quantum ad sacrificia & cæremonialia, ac iudicialia, in quibus non viuent vita gratiæ. & Galat. 2. si propter legem iustitia; ergo Christus gratis mortuus est. Ergo pater clementissimè, quia legis oblationes, & sacrificia reprobas, tanquam inutilia ad æternæ vitæ consecutionẽ, & remissionem peccatorum. *Te supplices per Iesum Christum filium tuum petimus; vti accepta habeas hæc dona* nostra, *munera, & sancta sacrificia*: quæ idẽ filius tuus, nos tibi offerre voluit. Vt vero ipsa munera apta reddantur conuersioni in verum corpus Christi: additur, *& benedicas*: Hæc, scilicet, munera; vt idonea sint tam diuino sacramento. Christus autem, qui offertur in hoc sacramẽto, est donum, munus, & sacrificium: quia ipsum pater dedit; filius obtulit; Spiritus sanctus accepit: singuli tamen dederunt, obtulerunt, & receperunt: sed ad distinctionem dicitur pater dedisse propter authoritatem, filius obtulisse propter humilitatem, Spiritus sanctus accepisse propter benignitatem. Hæc Biel. Vel sic secundum Innoc. Donum enim est dantis, munus accipientis, sacrificium offerentis. Et pater dedit, filius obtulit, Spiritus sanctus accepit. Hinc ergo dicit Apost. Hebr. 9. Christus per sanctum Spiritum semetipsum obtulit tunc immaculatum. Singuli tamen obtulerunt, & dederunt, & acceperunt. Sed ad distinctionem dicitur pater dedisse propter authoritatem, (vt diximus) filius obtulisse propter humanitatem, Spiritus sanctus accepisse propter benignitatem. O liberalis gratia, liberalitas gratiosa, quod Deus dedit in donum, hoc accepit in munus, eadem enim sacrificia dona sunt simul & munera. Dona sunt nobis collata, munera sunt a nobis oblata. Nam, quę

sacris

sacris offeruntur Altaribus & munera nuncupantur & dona. Vnde Dominus ait in Euangelio Math. 5. Si offers munus tuum ad Altare, vade prius reconciliari fratri tuo. & Apost. ait, de Pontifice: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Hebr. 5. Daniel quoque dixit ad Balthasar. Daniel. 5. Munera tua tibi sint, & dona tua alteri da. Hęc ille.

Dicitur in plurali dona, munera, sacrificia, quia panis & vini priusquã consecrentur; & diuersæ sunt species substantiarum; & diuersæ substantiæ specierum; sed vbi consecratio cælestis accesserit; species quidem remanent, substantiæ conuertuntur; sunt diuersa continentia, vnum vero contentum; nam idem sub vtraque specie continetur, scilicet, totus Christus licet non in idem vtraque panis & vini substantia conuertatur, quia vinum in sanguinem, panis in corpus ex vi verborum; sub specie tamen panis sanguis, sub specie vini corpus, & vtrobique anima ac verbum per concomitantiam continentur.

Dicuntur sacrificia sancta, & illibata; quia panis & vinum sanctificantur in sacrosanctum corpus, & immaculatum sanguinem Christi. Illibata, idest, pura, vel immaculata, quæ sine macula cordis, & corporis oportet offerri; quatenus & cor ab iniquitate, & corpus ab immundicia purgetur, antequam offeratur, quia vt dicitur 1. Cor. 11. Quicumque manducauerit panẽ, vel biberit calicem indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Vel. Illibata, idest, incorrupta, non quia substantia panis, & vini non possit corrũpi; sed quia corpus & sanguis filij Dei, in qua virtute verborum, species, idest, panis & vinum iam transubstantiatæ corrumpi non possunt. Psalmo 15. Non dabis sanctum tuum idest, Christum, videre corruptionem.

Dum autem Sacerdos hęc profert signat panem, & vinum tribus crucibus. Vbi aduertendum est, quod huiusmodi cruces, quibus sacrificium signatur: non fiunt dumtaxat ad consecrandum hostiam secundum Tho. 3. q. 83. art. 3. alioquin post consecrationem fieri non deberent: sed principaliter per signa crucis modum, & ordinem Dominicæ passionis repræsentat, vt dicit Innocentius, & nos supra in cap. de cruce, quod verba canonis ad consecrationem, & effectum ipsis impetrandum pertinent, signa autem ad historiam recolendam. Cum ergo passio Christi in cruce sit consumata, conuenienter per signa crucis ipsa passio repræsentatur: vt hoc signo, quo passio consumata est: eius memoria in mentibus tenacius infigatur. Et ideo, quia quędam acta sunt ante crucifixionem, & quædam in cruce, ideo fiunt quædam cruces ante consecrationem, & quædam post consecrationẽ. Quæ pręcesserunt Christi crucifixionem significãtur per cruces ante consecrationẽ: & quę in cruce acta sunt, significantur per cruces post consecrationem. Crucem præcesserunt Dñi traditio, & ad mortem venditio; & quia Christus a tribus fuit traditus, scilicet, a Deo pro nobis. Rom. 8. Proprio filio suo non pepercit Deus: sed pro nobis omnibus tradidit illum: a Iuda Mat. 26. Quærebat Iudas opportunitatem, vt eum traderet Iudęis: & traditus fuit a Iudæis ipsi præsidi Pilato, Io. 18. Gens tua, & pontifices tui tradiderũt te mihi: ideo fiunt ibi tres cruces ad illa verba, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, &c. Prima traditio fuit ex gratia: quia dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis. Secunda ex auaritia; quia constituerunt ei triginta argenteos. Matth. ibidem. Tertia fuit ex inuidia.

Sciebat enim Pilatus quod per inuidiam tradidissent eum. Mat. 27. Deus ergo, tradidit ex dono, Iudas, pro munere, Iudęus vero in sacrificiũ illibatũ.

Ad

Ad hoc igitur (inquam) significandum, signat ter super oblatam, & calicem dicendo: *Hæc dona:* † *Hæc munera:* † *Hæc sancta* † *sacrificia.* quasi dicat offerimus tibi clementissime Pater hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, commemorantes illam traditionem, quam tu Deus fecisti ex dono, Iudas pro munere, Iudæus in sacrificium illibatum: singuli tamen ad mortem, mortem autem crucis: & ideo fiunt (vt diximus) tres cruces. Vel fiunt tres cruces propter tres illusiones Christo factæ, scilicet, coram Pontificibus, coram Herode, & coram Pilato. Vel fiunt tres cruces, in reuerentiam eius qui est trinus Deus: cuius potentia fit conuersio panis & vini.

Porro tria sunt Ecclesiæ sacrificia, ait Innocen. quæ significata sunt in veteri testamento per propitiatorium, thuribulum & Altare, videlicet sacrificium pœnitentiæ, sacrificium iustitiæ, & sacrificium Eucharistiæ. De primo dicitur. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. De secundo. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. De tertio. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Super Altare caro mactatur, infra thuribulum thus adoletur, ad propitiatorium sanguis mittitur. Caro mactatur in contritione, thus adoletur in deuotione, sanguis mittitur pro redemptione super Altare corporis, infra thuribulum cordis, ad propiciatorium Dei Patris. In sacrificijs illis panis & vinum & aqua spiritualiter offeruntur. In sacrificio pœnitentiæ vinum doloris & contritionis, aqua mœroris & plorationis, panis doloris, & afflictionis: doloris in corde, mœroris in ore, laboris in opere. In sacrificio iustitiæ panis fortitudinis & constantiæ, vinum rectitudinis & prudentiæ, aqua mansuetudinis & tẽperantiæ. Fortitudinis inter aduersa, rectitudinis inter iniqua, mãsuetudinis inter probra. In sacrificio Eucharistiæ panis vnitatis, & aqua fidelitatis: panis pro corpore, vinũ pro anima, & aqua pro populo, sicut & alibi plenius a nobis ostenditur. Inter hæc sacrificia, primum educit, secundum deducit, tertiũ autem inducit. Educit incipientes, deducit proficientes, inducit perficientes ex Aegypto per desertum in patriam: ex Ægypto confusionis, per desertum peregrinationis, in patriam glorificationis. Hæc tria sacrificia sacerdos offert in Missa. Primum in confessione, secundum in præfatione, tertium in actione. Nam & tria sunt quæ secundum Prophetam Mich. 6. Deus requirit ab homine. Diligere misericordiã, facere iudiciũ, & solicitum cum Deo ambulare. Diligat ergo misericordiã, qui vult offerre sacrificium pœnitentiæ: faciat iudicium, qui vult offerre sacrificium iustitiæ, cum Deo ambulet solicitus, qui vult offerre sacrificium Eucharistiæ. Sequitur.

In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia sancta, &c. Postquam sacerdos deprecatus est Deum Patrem, vt clementia sua sanctificet munera apposita: nunc specificat, pro quibus hæc dona, & munera Deo offerat. Et primo petit acceptari pro tota Ecclesia in generali. Secundo, pro summis Ecclesiæ prælatis, ibi, *Vna cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N.* Tertio, pro omnibus recte credentibus fraternaliter, ibi: *Et omnibus orthodoxis.* Quartò, pro quibusdam in speciali, ibi *Memento Domine.* Et quoniam ordo est inter eos, pro quibus petitur: sicut & charitas, quæ licet quantum ad bona spiritualia omnibus communicanda, æqualiter se ad omnes extẽdat, secundum illud: Diliges proximum tuum sicut teipsum: nihilominus habet quendam ordinem iuxta illud Cãtic. 2. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem; quantum ad diligibilia, & diligendi modum, atque dilectionis effectum: vt etiam tangit Magist. distinct. 19. lib. 3. Vnde offerẽdum est prius pro tota Ecclesia, deinde pro personis singularibus,

bus, quoniam bonum commune bono priuato, & singulari præponendum est secundum philosoph. 1. Ethic. Et per hoc personæ publicæ in sublimitate cõstitutę a quibus dependēt Respublicæ personis simplicibus præferũtur.

Hoc autem non est nouum: sed ab Apostolis accepimus: nam 1. ad Tim. 2. dicitur: Obsecro primum omnium fieri orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui sunt in sublimitate constituti. Immo a lege veteri etiam accepimus, legitur enim 1. Machab. 2. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus & cæteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificijs quæ offerimus, & in obseruationibus, sicut fas est & decet meminisse fratrũ. Et hæc scribebant Spartiatis. Ideo orationes præcipit Ecclesia fieri pro omnibus hominibus collectiue, idest pro tota Ecclesia.

Ecclesia autem vt in primo libro ostēsum est multipliciter accipitur. Sed pro nunc tripliciter accipi potest. Primo, pro congregatione omnium, a primo iusto Abel vsque ad vltimum in fine mundi nasciturum, & ita compræhendit synagogam Iudæorum, & Ecclesiam Christi fidelium. Secundo, pro sola congregatione Christianorũ, tam præteritorum, & præsentium, quam futurorum. Tertio, tantum pro congregatione omnium Christianorũ præsentium: siue nunc existentium. Et quælibet harum dicitur Ecclesia vniuersalis vera, ad differētiam Ecclesiæ repræsentatiuæ, quæ est concilium generale legitime congregatum: de alijs supra satis diximus.

In proposito autem accipitur Ecclesia, pro Ecclesia vniuersali militante, non triumphante: pro triumphante enim orandum non est: sed eius orationes pro nobis sunt expetendæ, & ideo additur *Catholicam*, idest, vniuersalis. Et hæc Ecclesia dicitur *Sancta*, licet enim multos contineat peccatores: tamen ideo sic dicitur sancta, quia vera fide formata: quia sanctissimo capiti Christo concorporata est, quia membrorum sanctitate est firmata. Nam numquam desunt sancti in Ecclesia. Item, quia veritatis spiritu gubernata; quia sanctissimis legibus fulcita, quia sacramentis sanctificantibus adornata, quia præsentia sui sponsi sustentata, quia sola gratiæ sanctificantis contentiua. Nam extra Ecclesiam nec gratia, nec salus est. Pro hac Ecclesia primo oratur vt collecta, & adunata secundum diuersos gradus eius, vt in ea hierarchicus ordo superiorum ad inferiores, & inferiorum ad superiores inconcusse seruetur in præcipiendo, & obediendo ex virtute charitatis. Dicitur etiam sancta a suo rectore. Regitur enim a spiritu sancto, quem Christus promisit Apostolis pro Ecclesia, quæ tunc in eis consistebat. Dicitur etiam sancta propter sanctas leges, & ordinationes quibus regitur, & gubernatur: leges scilicet Euangelicas: leges inobliquales, & diuinas. Demum sancta, quia nullus extra eam sanctificari potest. Pater sanctifica eos in veritate. Non pro eis rogo tantum: sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ioan. 17. Ordo ergo est. *Te igitur Pater clementissime rogamus, & petimus: vt accepta habeas dona, & munera quæ tibi offerimus. Inprimis pro Ecclesia tua* militante quæ est multitudo fidelium habentium communionem in fide & sacramentis. *Sancta, Catholica*, idest, vniuersali. *Quam*, ab hæreticis, & schismaticis, ac persecutoribus, tyrannis, à Dæmonibus, & vitijs, scilicet, petimus, *pacificare digneris*; vt pacem habeat ab his supradictis prauis hominibus: *& custodire digneris*, a vitijs, & dæmonibus. *Adunare*, quæ dispersa est inter paganos, & perfidos. *Et regere digneris*, in prosperis, & in aduersis. Tunc pacificat cum fidelium mentes adunat: vt sit fidelium anima vna, & cor vnum in charitate. Tunc custo-

gis pascendi, ipse pastor æternus ordinauit ac sanxit debere præesse pastores eidem gregi.

Nempè ter beatum Petrum interrogasse legitur Dominus: an se diligeret, & illo respondente, ipsum, qui omnia nouit, & id scire quod amaret eum. Deinde post singulam responsionem subiunxit, pasce agnos meos, siue pasce oues meas.

Quibus verbis beatum Petrum cõstituit operis sui vicarium, voluitque ipsum præesse pastorem suo gregi.

De alijs itidem Apostolis, & eorum successoribus Episcopis, illud locum habet, quod in Actis Apostolorum dicit Paulus. cap. 20. Attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Porro huiusmodi pastores sedulos & diligentes (quales fuerunt Apostoli) se daturum suo gregi pollicitus est Dominus per Ieremiam dicens. cap. 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Vere secundum cor Domini fuerunt pastores isti Apostolici, quoniam elegit eos ex omni carne & posuit eos pascere gregem suum catholicum. Quem & scientia & doctrina Euangelicæ veritatis pauerunt, nam æternæ vitæ verba toti mundo solicita annunciatione administrarunt. Et alio in loco per eũdem prophetam Dominus ait. 39. Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas eiecero eos illuc, & conuertam eos ad rura sua, & crescent & multiplicabuntur, & suscitabo super eos pastores, & pascent eos.

Certè congregauit Dominus reliquias gregis sui, quando mortuus est non solum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnũ. Et per Apostolicam Euangelizationẽ oues illæ, quæ non erant ex ouili dominico, adductæ sunt ad caulam gregis eius, & factum est vnum ouile & vnus pastor. Creuerunt itidẽ & multiplicati sunt greges Domini, quia circa Apostolorum tẽpora, & paulo post totam repleuerunt terram.

Demum suscitauit Dominus pastores super eis: ipsos sanctos Apostolos, quos delegit a Spiritu sancto & impleuit ad exequẽdum hoc ministerium. Quod si horrum spiritualium pastorũ figuram quæris & in veteri lege typũ. Ioseph prius pascens gregem patris sui & postea totam saluãs Aegyptum. Genes. 37. Moysen autem post greges soceri sui totam Hebræorum synagogam in deserto regens. Exod. 3. Vltimo Dauid 1. Reg. 16. prius oues paternas & deinde totum regnum Israel gubernans, horum noui testamenti pastorum imago fuerunt & vmbra.

De Missæ Canone. Cap. 66.

OMnibus his habitis, quę ad oblationem pertinent, ea consequenter annectenda sunt, quæ pertinent ad huius oblationis sãctificationem: post hymnum ergo Angelicum fit secretũ silentium: in quo & missæ canon deuotè dicitur: Et sacrum mysteriũ peragitur; hoc autem fit per solum Sacerdotem; & ratio est, quia secundum Mat. ca. 28. Solus Christus orauit ab institutione sacramenti vsque ad crucem. Et nonnulli dicunt, quod in hoc loco incipit Missa; quoniam cætera sunt de solemnitate. de consec. dist. 2. pannis est.

Post acclamatum ergo præconium sequitur secretum silentium. Nam vt Io. Euangelista describit vbi Iesus honorificè fuit, receptus a turbis, cum palmis, & laudibus abijt, & abscondit se ab eis, non vtique trepidantis formidine, sed dispensantis officio, quia nondum venerat hora eius, quæ postquam aduenit, spontaneus ad passionem accessit. Surgite, inquit, Eamus, ecce appropinquat, qui me tradet, oblatus est enim, quia ipse voluit, vnde cum Cohors & ministri venissent cum

lanter-

lanternis & facibus & armis, vt comprehenderent illum. Sciens Iesus omnia, quæ ventura erant super eum processit & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum, dicit eis: ego sum. Illud ergo latibulum Christi hic secretum silentium repræsentat, in quo cessante verborum tumultu, sola dirigitur ad Deum intenta deuotio. Tunc enim Sacerdos debet intrare in cubiculum cordis & ostium sensuum intercluso, Deum patrem orare, non multiloquio, sicut Ethnici faciunt, qui putant multiloquio exaudiri, sed in corde puro, & conscientia, & fide non ficta. Deus enim non est exauditor vocis, sed cordis: nec est admonendus clamoribus, quia renum est scrutator & cordium. Quod Anna typum gerens Ecclesiæ, legitur obseruasse, quæ non petitione clamosa, sed tacita deuotione impetrauit, quæ petijt. Scriptum est enim in lib. Reg. 1. c. 1. quod Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Item in Psal. 4. Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant in Spiritu & veritate oportet eos adorare. Item, sicut Moyses, qui sub silentio orabat: & Dominus; Quid clamans? cum tamen taceret. Sic & Sacerdos facere debet in hoc loco.

Canon Missæ pluribus decoratur nominibus: dicitur .n. oblatio; actio: canon: sacrificium, & secreta: oblatio est nomen commune ad omnia sacrificia, vt supra diximus.

Actio dicitur propter Sacra mysteria, quæ in eo aguntur; & quia tunc cum Deo causa nostra agitur. Est enim actio causa in iudicium deducta de verbo. Signific. Forus. In Missa quidē causa nostra agitur. Oratoriū est prætorium: Deus est iudex. Diabolus accusator. Ministri, testes. Sacerdos, aduocatus & defensor. Hic est Moyses, qui causam populi ad Dominum allegabat: cuius patrocinio delatoris fallacia confutatur; & nostra innocentia comprobatur, & absoluitur; & iudicis ira placatur; & per misericordiam culpa remittitur 46. dist. disciplina. Extr. de re iudica. cum vterini.

Canon dicitur, quod regulis patrū compositus est: a sanctis enim patribus aliqua verba mystica sunt ibi instituta. Canon autem Græcè, Latinè, regula dicitur, quia multum regulariter compositus est. Canonistæ faciunt differentiam inter canonem, decretū, & decretalem. Canon dicitur id quod statuitur in vniuersali concilio. Extr. de bigam. altercationis: Decretum dicitur quod Papa statuit de Concilio Cardinalium suorum ad nullius consultationem. Decretalis Epistola dicitur quam statuit Papa vel solus, vel cum Cardinalibus ad consultationem alicuius 59. dist. hoc ad nos. 19. dist. si Romanorum. Metropolitani possunt condere canones, de paruis negotijs, & de ijs, quæ spectant ad onus; sed nō de magnis rebus. 17. dist. multis. & 24. q. 1. quotiens. Dicitur etiam canō, quia regulariter Christus verus Sacerdos in eo repræsentatur; seu, quia per hunc regulariter fit consecratio sacramenti. Dicitur etiam quod Gelasius Papa canonem principaliter ordinauit: & licet a pluribus sit aliquid additum in eo: tamen ab vno est compositus. Hoc idem dicitur in Summa Concil. scilicet, quod canonem, & præfationes Missæ, prosas, & hymnos canticis miscuit. Hic vixit anno Domini. 494. & fuit 48. Pontifex temporibus Theodorici Regis & Zenonis Augusti. Idem affirmat Biel. lect. 15. & Dur. in suo Rationali, & Innoc. Papa. Dicitur etiam quod Clemens secundus, anno 71. post Cletum, instituit canonem ante consecrationem: & sic dicitur canon quasi ex regulis sanctorum patrū editus & cōpositus, vt supra diximus.

Sacrificium vero dicitur a sua parte digniori: eoquod offertur. Vel dicitur

tur sacrificium ratione præteriti, inquãtum, scilicet, est repræsentatiuum Dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium: & ideo inquãtum per hoc Sacramentum Dominica passio offertur dicitur sacrificium. Vel dicitur sacrificium, quia per hunc canonem ex pane & vino conficitur sacrificium salutare, sacrificium laudis, sacrificium iustitiæ lõge acceptius Deo quã antiquæ legis sacrificia comprehẽdens & complectens omnem illorum virtutem supereminenter.

Secreta vocatur, quia secretè, & sub silentio dicitur. Christus enim ad consecrationem sui corporis venturus, secretè & solus orabat ab hora cænæ vsque dum suspẽsus est in cruce, quas orationes secreta significat. Priscis quoq; temporibus antiqui patres sub silentio sacrificabant, & communicabant.

Secundò ideo secreta in silentio dicitur, ne Sacerdos clamando his, quæ aguntur minus intendat, vt supra diximus. Item, ne vox Sacerdotis clamore deficiat. Item, vt diximus ne sacrosancta verba vilescant, quia, quæ in publico fiunt cito, vilescunt, sicut nimia familiaritas contemptum parit. Fertur enim inquit Duran. lib. 4. cap. 35. quod cum antiquitus publicæ & alta voce diceretur canon, omnes penè per vsum illum sciebant, & in plateis, & in vicis decantabant. Vnde cũ quidam pastores illum in agro cantarent, & panem super lapidem posuissent, ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conuersus est: ipsi tamen diuino iudicio igne cælitus misso, percussi sunt: propter quod patres statuerunt verba ista sub silentio dici, inhibentes sub anathemate ne proferantur nisi a Sacerdotibus super Altare & in Missa, & cum vestibus sacris.

Consecrantis autem mens debet esse multum attenta; ne muscæ venientes perdant suauitatem vnguenti. Eccles. 10. idest, debet esse mens Sacerdotis attenta *ne muscæ*. idest, importunæ cogitationes *venientes perdant suauitatem unguenti*; idest, tollant deuotionem orationis; flabello spiritus ergo abigantur, idest, inspiratione gratiæ repellantur. quatenus Auster adueniens, & Spiritus sanctus accedens, perflet hortum, idest, mentem fæcundet: vt aromatha fluant, idest, virtutes abundent. Ad quod etiam significandum, æstiuo tempore materiale flabellum, dum dicitur secreta ab aliquibus religiosis (vt vidi) adhibetur. Hac etiam ratione *ne muscę ueniant. & cet.* elicitur quod canon dici debet expedite, non morose, ne auditoribus tædium generet. Exod. 12. Fac festinanter; quod de immolatione agni dictũ est. Et comedetis festinanter; sed tamen non nimis festinanter intelligendum est; nam non debet sacrificium sine sale, idest, sine discretione, & deuotione offerri. Canon autem iste a diuersis diuersimode diuiditur; nos autem secundum particulas in Missali positas procedemus, diuidendo illum in sex partes principales.

De Te Igitur. Cap. 67.

F*Inita prefatione, Sacerdos extendens, & iungens manus eleuans ad celum oculos, & demittens, inclinatus ante Altare, dicit. Te igitur:* hæc sunt verba rubricæ Missalis Romani. Hic autem deficit lingua, superatur ingenium, obscurus redditur intellectus, ideo quicquid exponetur vix vllius apparet esset momenti.

Alber. diuidit canonem in tres partes. Alexander Ales. in tres alias non tamen eandem diuisionem facit. Durã. in partes vndecim diuidit. Mag. Biel in sex partes diuidit: & secũdum hunc, sic dicitur, quod in prima parte petitur a Deo benedictio munerum panis, & vini, quæ pro Ecclesia offeruntur. Secunda, sequitur sanctorum

inuo-

inuocatio, quorum præcibus & meritis nobis dona a Domino conferuntur. In tertia oblatorum acceptatio, qua electi a perfidis diuiduntur. In quarta ponitur verborum forma, quibus perficitur consecratio, & panis, vinique substantiæ in corpus, & sanguinẽ Christi conuertuntur. In quinta ponitur passionis commemoratio, ac salutis petitio ijs, qui sacrificio perfruuntur. In sexta additur refrigerij postulatio animabus defunctorum, cum iterata sanctorum inuocatione, quatenus petita eorum meritis a Domino concedentur. Secunda ibi, *communicantes*. Tertia ibi, *Hanc igitur oblationem*. Quarta ibi, *Qui pridie*. Quinta ibi, *Vnde & memores*. Sexta ibi, *Memento etiam Domine*. Hanc sequemur. quæ nec breuis nec longa est.

Circa ergo hanc primam canonis partem, dico secundum Alex. de Ales, quod incipit canō a, *Te igitur*, & forte, inquit ipse, diuina factum est prouidentia, licet non sit humana industria procuratum: vt ab ea litera canon inciperet, scilicet, a, *T*, quæ Hebraice Thau, & in sui forma signum, & mysterium crucis ostendit; & exprimit; dicente Domino per Ezech. 9. Signa Thau in frontibus virorum dolentium, & gementium, super abominationibus Ierusalem; quoniam per Christi passionem hæc omnia in cruce impleta sunt, & efficaciam habent. Thau est litera hebræa, quam nos Latini. T. nuncupamus, Græci autem taf appellant. Tau itaque Hebraice, Latinè signum sonat.

Hæc ergo litera, *T*, crucis formam habet; quia signati sunt, qui ab Angelo percutiẽte liberati sunt. Hoc etiam fuit signum, quo in Apoc. 7. leguntur signati in frontibus suis electi serui Dei, priusquam nocumenta inferentur terræ, & mari. Huius figuram habuit lignum, in quo Moyses æneum serpentem in deserto suspendit; vt inspicientes a morsibus venenatorum serpẽtum sanarentur, vt habetur. Nu. 7. ideo inter præfationem, & canonẽ, imago crucifixi depingitur: vt non modo intellectus, sed picturæ aspectus memoriam inspiciet Dominicæ passionis. vt dicit idem Alex. & rationabiliter quidem, quoniam quæ oculis videntur, potius mouent, quã, quæ ore proferuntur, & solo percipiuntur auditu. Hinc Damascenus 4. lib. Sentent. multoties non secundum mentem habentes Domini passionem, imaginem crucifixionis Christi videntes in salutaris passionis memoriam venimus, & procidentes adoramus. Hinc & Ezechiel propheta iussus est pingere transmigrationem Ierusalem, vt populus Iudaicus sensibilibus formis moueretur eam agnoscere futuram. Vnde Ezech. 12. Tu ergo fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, & transmigrabis per diem coram eis. Transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si fortè aspiciant, quia domus exasperans est. Et offeres vasa tua, quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum. Vbi Greg. in comment. Quia oculos ad videndum habent, & non vident, aures ad audiendum habent, & non audiunt, da eis imaginem, & picturam, & formis ostẽde corporeis, vt venturam captiuitatem non solum auditu, sed & oculis recognoscant. Vnde satis ostenditur mouere magis imagines quam verba. Et hæc est pręcipua ratio, cur Christiana religio sanctorum imagines admittit, scilicet, ad excitandum populis & simplicibus deuotionem. Ideo etiam pingitur crucifixi imago, vt oculis videat, quæ hic repræsentãtur, scilicet, Christi passio, ac eius improperia.

Sacerdos autem secundum morem Ecclesiæ Ambrosianæ osculatur pedes crucifixi in Missali, & se signat in frõte innuens quod reuerenter & deuotè ad passionis mysterium accedit. Nos vero secundum morem Romanæ Ec-

clesię Altare osculamur quod idem significat; & hoc facimus post illa verba, *ac petimus*, vt docet rubrica Missalis.

Quod Sacerdos hæc dicens, se inclinat, significat humiliationem Christi ad mortem. *Te igitur*, inquit *pater clementissime*; illa coniunctio, *igitur*, refertur ad ea, quæ cãtata sunt in prefatione, & sanctus. q.d. Sacerdos in persona Ecclesiæ; quia admisisti nos o Deus vt cum sanctis Angelis, te laudaremus, & idem clamaremus ideo clementissime pater, &c. Vel sic. o pater cælestis, quia pleni sunt cæli & terra gloria tua, quia misisti miseratione tua ad nos filium tuum, qui per assumptam humanitatem venit in hunc mũdum in nomine tuo: ideo *te rogamus ac petimus*. Hic captamus beneuolentiam, & vt citius impetremus quod petimus, addimus, *clementissimè*. Habet quippe humana industria, vt dum petitionis suæ effectum expectat, & desiderat, obsecrati laudes petẽdo proponat: vt sic per hoc eius beneuolentiam captet: vt videre est apud oratores in suis exordijs. Quod autem dicitur, pater. Hoc nomen, pater, vt attribuitur Deo, dupliciter accipitur. Vno modo essentialiter, vt conuenit toti Trinitati, & cuilibet personarum coniunctim, & diuisim in singulari. Hæc enim est conditio terminorum essentialium in diuinis, & illo modo dicitur pater principium productiuum, aut gubernatiuum alterius, hoc modo Deus, dicitur pater eorum, quæ creauit, & quos gubernat, & alit, secundum illud Deuter. 32. Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, & creauit te? Hoc modo prima persona est pater, filius est pater, & Spiritus sanctus est pater: & hi tres, non tres patres, sed vnus pater; sicut nõ tres creatores, sed vnus creator: nec tres Domini, sed vnus Dominus. Sic etiam accipitur in oratione Domini cap. Et generaliter quando nõ ponitur respectu termini importantis vnam personam discrete ab alia, vt quando ponitur respectu alicuius termini importantis operationem ad extra, idest, respectu creaturæ. Illæ enim operationes communes sunt omnibus tribus personis. Quicquid enim pater operatur in creatura; operatur & filius, operatur & Spiritus sanctus. Nam quorum vna est essentia, etiam operatio est indiuisa.

Alio modo pater accipitur notionaliter, siue personaliter, & sic pater dicitur tãtum generatione proprijssime dicta, qua viuens generat viuens, non tantum sibi simile in specie, sed in idẽtitate essentię. Et ita tantum dicitur de prima persona in diuinis, & non de secunda, nec de tertia. Et sic accipitur, quando ponitur respectu termini importantis personam. Sicque accipitur hic, quia sequitur, *per Iesum Christũ filium tuum*, &c. quod importat secũdum personam discrete a prima, & tertia. Et licet hic accipiatur personaliter, non tamen cum exclusione aliarũ personarum. Nam eo modo, quo genitor pater noster est, etiam filius pater noster est; etiam Spiritus sanctus pater noster est. Est enim pater noster paterna virtute ac potentia nos creans, paterno affectu dulcissime de nobis cogitans, paterna prouidentia nos bonorũ suorum hęredes ordinans. Paterna disciplina instituendo nos sanctificans: & ita de alijs paternam pietatem concernentibus, quę tamen omnia non sine filio, & Spiritu sancto in nobis operatur. In eo verò quod pater dicitur, & est filij sui Domini nostri Iesu Christi, excluduntur aliæ personæ.

Per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Orationes quatenus sint impetratoriæ, dirigendæ sunt ad patrem per filium, qui mediator est inter patrem & nos, vt ait Apost. 1. Tim. 2. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Est & aduocatus noster; Aduocatum habemus apud patrẽ Iesum Christum iustum. Et ipse est propi-

propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. Io. 2. per hunc quicquid petierimus patrem, consequemur. Sic enim nobis promisit iureiurãdo filius. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine dabit vobis. io. 16. Sic etiam docet propheta cum dicit. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Psal. 83. Ideo sicut frequenter in omnibus orationibus suis Ecclesia, ita & nunc in principio canonis orationem suam format ad patrem, in nomine filij, dicens. *per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum.* Glosa super illud Psalm. 108. Oratio eius fiat in peccatum, ait: Nõ est iusta oratio nisi per Christum: & non solum non delet peccatum, sed fit in peccatum. Aug. ibid. Oratio non fit per Christum, quæ non vult sequi, sed persequi: vt erat Iudæ proditoris oratio, antequam Christum traderet, dum cogitabat tradere illum. *Supplices te rogamus ac petimus.* Rogatio ostendit humilitatem, petitio cõfidentiam; qui aliquid implorat humilitatem debet ostendere, & de impetratione confidere. Itaque *supplices rogamus*, confidenter petimus.

Supplices ait *rogamus*; Vnde Alber. ait tangit modum orationis in orante, quia dicit, *Supplices:* in oratione autẽ quia dicit, rogamus ac petimus, supplices quidem, & proni ad propitiationem tuam, Ephes. 3. Huius rei gratia flecto genua mea ad Deum patrem, ex quo omnis paternitas cælo & in terra nominatur: & ideo Sacerdos ĩ his verbis inclinat se ante Altare. *Rogamus.* Rogatio est inclinatio eius, qui rogatur ab eo, qui rogat ad exauditionis consensum. *ac petimus.* petitio autem est expressio eius, quod desideratur fieri ab eo, qui exauditurus rogatur. 2. Paralip. vlt. peto rogans te Domine. Et Philip. 4. In omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescãt apud Deum. Vt autem melius obtineat dicit: *Rogamus ac petimus*, vt sic geminata postulatione facilius exaudiatur. Vt autem impetremus, in fide postulandum est, dicente Iac. 1. postulet in fide nihil hæsitans: ipse enim dat omnibus affluenter, & non improperat. Petimus autem non superbi: sed supplices: idest, humiles; quoniam ab initio superborum supplicatio non placuit, sed humilium. Vnde Iacob 4. superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiles, inquam, non præsumentes de nostris meritis, sed in miserationibus tuis. Scientes quod oratio humiliantis se, cælos penetrat, Eccles. 35. Et Pharisæus iustificatus non est, sed publicanus confitens humiliter peccata sua. Luc. 18. Sequitur.

Vti accepta habeas & benedicas. Hic osculatur Altare. *Hec † dona; hec † munera; hec sancta † sacrificia illibata.* Nota quod imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem obseruamus, videlicet vnam crucem, vel tres, vel quinque faciendo, & hoc vtique non sine certi mysterij causa. Nam in vna & tribus, vnum & trinum Deum intimamus. In quinque autem, quinque partita Domini passionem significamus. Merito autem impar numerus in Ecclesiasticis officijs frequentatur, quia numquam in duo æqualia vnitate impediente diuiditur sicut vnitas sanctæ Ecclesiæ nullatenus eam in duo secari patimur. Ex tom. 6. Bibliot. pat. de obseruationibus Ecclesiasticis cap. 14. Hic facit tres cruces super hostiam & super calicem simul. Postquam captauit beneuolentiam, in verbo, pater clementissime; & commemorauit mediatorem, scilicet, Christum, huius merito oratio nostra redditur patri acceptabilis: atq; postquã insinuauit affectum supplicandi, dicẽs: supplices rogamus ac petimus, ea exprimit, quæ obtinere a patre desiderat, hæc autem duo sunt. Primum; vt grata sint munera offerenda. Secũ-

dum, vt fiant sacrificia idonea: primū ibi, vti accepta habens: secundum ibi: *& benedicas.* Inquit, *petimus,* ergo, *te pater clementissime, vt habens accepta,* idest, placita sint tibi & grata, *hæc dona, & munera,* quæ panis sunt, & vinum, terrena, & a terrenis tibi oblata, & idcirco diuinæ maiestati tuæ indigna; tamen, quia per filium tuum, stāt instituta ad hunc finem, vt a nobis iugiter offerantur; *petimus* igitur vt in honorem dilecti filij tui, *vt habeas,* inquam, *accepta,* vt placita sint tuæ voluntati: atque fiant idonea sacrificia pro nostris peccatis offerenda, & per hoc *sancta,* diuino cultui deputata, & illibata, nulla mentis; & corporis immundicia maculata: hoc ad literam petitur. Hæc autem inquit, quia oblationes, holocausta, & veteris legis sacrificia, nec sufficientia erant: nec tibi placuerunt: idcirco filius tuus in vltima cæna finem eis imponere volens acceptis in manibus pane, & vino gratias agens, benedixit, dixitque discipulis: hoc facite in meam commemorationem. Per quod hæc ipsa dona, & munera nobis in sacrificium commendauit. *Petimus, vt accepta habeas,* quia mandasti Leuit. 26. Superuenientibus nouis vetera proijcietis: & rectè proiecta sunt, quia imperfecta, ac insufficiētia fuerant; quoniam non placuerunt Deo: nec peccata abstulerūt; nec gratum facientem gratiam contulerunt. De primo dicitur, Ierem. 6. Holocaustomata vestra non sunt accepta; victimæ vestræ non placuerunt mihi. & Psal. 50. Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique holocaustis nō delectaberis. Et alibi. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. De secundo dicitur. Hebrę. 10. Impossibile est sanguine hircorum, & taurorum auferri peccata. & Psal. 29. Holocaustum pro peccato non postulasti, supple pater; tunc dixi ecce venio, per passione meam, quæ in præsentia commemoratur. De tertio dicitur, Rom. 3. ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Et Ezechiel. 20. Dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent. Præcepta, scilicet, quantum ad sacrificia & cæremonialia, ac iudicialia, in quibus non viuent vita gratiæ. & Galat. 2. si propter legem iustitia; ergo Christus gratis mortuus est. Ergo pater clementissimè, quia legis oblationes, & sacrificia reprobas, tanquam inutilia ad æternæ vitæ consecutionē, & remissionem peccatorum. *Te supplices per Iesum Christum filium tuum petimus; vti accepta habeas h c dona nostra, munera, & sancta sacrificia:* quæ idē filius tuus, nos tibi offerre voluit. Vt vero ipsa munera apta reddantur conuersioni in verum corpus Christi: additur, *& benedicas:* Hæc, scilicet, munera; vt idonea sint tam diuino sacramento. Christus autem, qui offertur in hoc sacramēto, est domum, munus, & sacrificium: quia ipsum pater dedit; filius obtulit; Spiritus sanctus accepit: singuli tamen dederunt, obtulerunt, & receperunt: sed ad distinctionem dicitur pater dedisse propter authoritatem, filius obtulisse propter humilitatem, Spiritus sanctus accepisse propter benignitatem. Hæc Biel. Vel sic secundum Innoc. Donum enim est dantis, munus accipientis, sacrificium offerentis. Et pater dedit, filius obtulit, Spiritus sanctus accepit. Hinc ergo dicit Apost. Hebr. 9. Christus per sanctum Spiritum semetipsum obtulit tunc immaculatum. Singuli tamen obtulerunt, & dederunt, & acceperunt. Sed ad distinctionem dicitur pater dedisse propter authoritatem, (vt diximus) filius obtulisse propter humanitatem, Spiritus sanctus accepisse propter benignitatem. O liberalis gratia, liberalitas gratiosa, quod Deus dedit in donum, hoc accepit in munus, eadem enim sacrificia dona sunt simul & munera. Dona sunt nobis collata, munera sunt a nobis oblata. Nam, quę

sacris offeruntur Altaribus & munera nuncupantur & dona. Vnde Dominus ait in Euangelio Math. 5. Si offers munus tuum ad Altare, vade prius reconciliari fratri tuo. & Apost. ait, de Pontifice: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Hebr. 5. Daniel quoque dixit ad Balthasar. Daniel. 5. Munera tua tibi sint, & dona tua alteri da. Hęc ille.

Dicitur in plurali dona, munera, sacrificia, quia panis & vini priusquã consecrentur; & diuersæ sunt species substantiarum; & diuersæ substantiæ specierum; sed vbi consecratio cælestis accesserit; species quidem remanent, substantiæ conuertuntur; sunt diuersa continentia, vnum vero contentum; nam idem sub vtraque specie continetur, scilicet, totus Christus licet non in idem vtraque panis & vini substantia conuertatur, quia vinum in sanguinem, panis n corpus ex vi verborum; sub specie tamen panis sanguis, sub specie vini corpus, & vtrobique anima ac verbum per concomitantiam continentur.

Dicuntur sacrificia sancta, & illibata; quia panis & vinum sanctificantur in sacrosanctum corpus, & immaculatum sanguinem Christi. Illibata, idest, pura, vel immaculata, quæ sine macula cordis, & corporis oportet offerri; quatenus & cor ab iniquitate, & corpus ab immundicia purgetur, antequam offeratur, quia vt dicitur 1. Cor. 11. Quicumque manducauerit panẽ, vel biberit calicem indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Vel. Illibata, idest, incorrupta, non quia substantia panis, & vini non possit corrũpi; sed quia corpus & sanguis filij Dei, in qua virtute verborum, species, idest, panis & vinum iam transubstantiatæ corrumpi non possunt. Psalmo 15. Non dabis sanctum tuum idest, Christum, videre corruptionem.

Dum autem Sacerdos hęc profert signat panem, & vinum tribus crucibus. Vbi aduertendum est, quod huiusmodi cruces, quibus sacrificium signatur: non fiunt dumtaxat ad consecrandum hostiam secundum Tho. 3. q. 83. art. 3. alioquin post consecrationem fieri non deberent: sed principaliter per signa crucis modum, & ordinem Dominicæ passionis repræsentat, vt dicit Innocentius, & nos supra in cap. de cruce, quod verba canonis ad consecrationem, & effectum ipsis impetrandum pertinent, signa autem ad historiam recolendam. Cum ergo passio Christi in cruce sit consumata, conuenienter per signa crucis ipsa passio repræsentatur: vt hoc signo, quo passio consumata est: eius memoria in mentibus tenacius infigatur. Et ideo, quia quędam acta sunt ante crucifixionem, & quædam in cruce, ideo fiunt quædam cruces ante consecrationem, & quædam post consecrationẽ. Quæ pręcesserunt Christi crucifixionem significãtur per cruces ante consecrationẽ: & quę in cruce acta sunt, significantur per cruces post consecrationem. Crucem præcesserunt Dñi traditio, & ad mortem venditio; & quia Christus a tribus fuit traditus, scilicet, a Deo pro nobis. Rom. 8. Proprio filio suo non pepercit Deus: sed pro nobis omnibus tradidit illum: a Iuda Mat. 26. Quærebat Iudas opportunitatem, vt eum traderet Iudęis: & traditus fuit a Iudæis ipsi præsidi Pilato, Io. 18. Gens tua, & pontifices tui tradiderũt te mihi: ideo fiunt ibi tres cruces ad illa verba, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, &c. Prima traditio fuit ex gratia: quia dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis. Secunda ex auaritia; quia constituerunt ei triginta argenteos. Matth. ibidem. Tertia fuit ex inuidia.

Sciebat enim Pilatus quod per inuidiam tradidissent eum. Mat. 27. Deus ergo, tradidit ex dono, Iudas, pro munere, Iudęus vero in sacrificiũ illibatũ.

Ad hoc igitur (inquam) significandum, signat ter super oblatam, & calicem dicendo: *Hæc dona:* † *Hæc munera:* † *Hæc sancta* † *sacrificia.* quasi dicat offerimus tibi clementissime Pater hęc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, commemorantes illam traditionem, quam tu Deus fecisti ex dono, Iudas pro munere, Iudæus in sacrificium illibatum: singuli tamen ad mortem, mortem autem crucis: & ideo fiunt (vt diximus) tres cruces. Vel fiunt tres cruces propter tres illusiones Christo factæ, scilicet, coram Pontificibus, coram Herode, & coram Pilato. Vel fiunt tres cruces, in reuerentiam eius qui est trinus Deus: cuius potentia fit conuersio panis & vini.

Porro tria sunt Ecclesiæ sacrificia, ait Innocen. quæ significata sunt in veteri testamento per propitiatorium, thuribulum & Altare, videlicet sacrificium pœnitentiæ, sacrificium iustitiæ, & sacrificium Eucharistiæ. De primo dicitur. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. De secundo. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. De tertio. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Super Altare caro mactatur, infra thuribulum thus adoletur, ad propitiatorium sanguis infertur. Caro mactatur in contritione, thus adoletur in deuotione, sanguis infertur pro redemptione super Altare corporis, infra thuribulum cordis, ad propiciatorium Dei Patris. In sacrificijs illis panis & vinum & aqua spiritualiter offeruntur. In sacrificio pœnitentiæ vinum doloris & contritionis, aqua mœroris & plorationis, panis doloris, & afflictionis: doloris in corde, mæroris in ore, laboris in opere. In sacrificio iustitiæ panis fortitudinis & constantiæ, vinum rectitudinis & prudentiæ, aqua mansuetudinis & temperantiæ. Fortitudinis inter aduersa, rectitudinis inter iniqua, mansuetudinis inter probra. In sacrificio Eucharistiæ panis vnitatis, & aqua fidelitatis: panis pro corpore, vinū pro anima, & aqua pro populo, sicut & alibi plenius a nobis ostenditur. Inter hæc sacrificia, primum educit, secundum deducit, tertiū autem inducit. Educit incipientes, deducit proficientes, inducit perficientes ex Aegypto per desertum in patriam: ex Ægypto confusionis, per desertum peregrinationis, in patriam glorificationis. Hæc tria sacrificia sacerdos offert in Missa. Primum in confessione, secundum in præfatione, tertium in actione. Nam & tria sunt quæ secundum Prophetam Mich. 6. Deus requirit ab homine. Diligere misericordiā, facere iudiciū, & solicitum cum Deo ambulare. Diligat ergo misericordiā, qui vult offerre sacrificium pœnitentiæ: faciat iudicium, qui vult offerre sacrificium iustitiæ, cum Deo ambulet solicitus, qui vult offerre sacrificium Eucharistiæ. Sequitur.

In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia sancta, &c. Postquam sacerdos deprecatus est Deum Patrem, vt clementia sua sanctificet munera apposita: nunc specificat, pro quibus hęc dona, & munera Deo offerat. Et primo petit acceptari pro tota Ecclesia in generali. Secundo, pro summis Ecclesiæ prælatis, ibi, *Vna cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N.* Tertio, pro omnibus rectè credentibus fraternaliter, ibi: *Et omnibus orthodoxis.* Quartò, pro quibusdam in speciali, ibi *Memento Domine.* Et quoniam ordo est inter eos, pro quibus petitur: sicut & charitas, quæ licet quantum ad bona spiritualia omnibus communicanda, æqualiter se ad omnes extēdat, secundum illud: Diliges proximum tuum sicut teipsum: nihilominus habet quendam ordinem iuxta illud Cātic. 2. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem; quantum ad diligibilia, & diligendi modum, atque dilectionis effectum: vt etiam tangit Magist. distinct. 19. lib. 3. Vnde offerēdum est prius pro tota Ecclesia, deinde pro personis singularibus,

bus, quoniam bonum commune bono priuato, & singulari preponendum est secundum philosoph. 1. Ethic. Et per hoc personæ publicæ in sublimitate cõstitutę a quibus dependẽt Respublicæ personis simplicibus preferũtur.

Hoc autem non est nouum: sed ab Apostolis accepimus: nam 1. ad Tim. 2. dicitur: Obsecro primum omnium fieri orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui sunt in sublimitate constituti. Immo a lege veteri etiam accepimus, legitur enim 1. Machab. 2. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus & cæteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificijs quæ offerimus, & in obseruationibus, sicut fas est & decet meminisse fratrũ. Et hæc scribebant Spartiatis. Ideo orationes præcipit Ecclesia fieri pro omnibus hominibus collectiue, idest pro tota Ecclesia.

Ecclesia autem vt in primo libro ostẽsum est multipliciter accipitur. Sed pro nunc tripliciter accipi potest. Primo, pro congregatione omnium, a primo iusto Abel vsque ad vltimum in fine mundi nasciturum, & ita compræhendit synagogam Iudæorum, & Ecclesiam Christi fidelium. Secundo, pro sola congregatione Christianorũ, tam præteritorum, & præsentium, quam futurorum. Tertio, tantum pro congregatione omnium Christianorũ præsentium: siue nunc existentium. Et quælibet harum dicitur Ecclesia vniuersalis vera, ad differẽtiam Ecclesiæ repræsentatiuæ, quæ est concilium generale legitime congregatum: de alijs supra satis diximus.

In proposito autem accipitur Ecclesia, pro Ecclesia vniuersali militante, non triumphante: pro triumphante enim orandum non est: sed eius orationes pro nobis sunt expetendæ, & ideo additur *Catholicam*, idest, vniuersalis. Et hæc Ecclesia dicitur *Sancta*, licet enim multos contineat peccatores: tamen ideo sic dicitur sancta, quia vera fide formata: quia sanctissimo capiti Christo concorporata est, quia membrorum sanctitate est firmata. Nam numquam desunt sancti in Ecclesia. Item, quia veritatis spiritu gubernata; quia sanctissimis legibus fulcita, quia sacramentis sanctificantibus adornata, quia præsentia sui sponsi sustentata, quia sola gratiæ sanctificantis contentiua. Nam extra Ecclesiam nec gratia, nec salus est. Pro hac Ecclesia primo oratur vt collecta, & adunata secundum diuersos gradus eius, vt in ea hierarchicus ordo superiorum ad inferiores, & inferiorum ad superiores inconcusse seruetur in præcipiendo, & obediendo ex virtute charitatis. Dicitur etiam sancta a suo rectore. Regitur enim a spiritu sancto, quem Christus promisit Apostolis pro Ecclesia, quæ tunc in eis consistebat. Dicitur etiam sancta propter sanctas leges, & ordinationes quibus regitur, & gubernatur: leges scilicet Euangelicas: leges inobliquales, & diuinas. Demum sancta, quia nullus extra eam sanctificari potest. Pater sanctifica eos in veritate. Non pro eis rogo tantum: sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ioan. 17. Ordo ergo est. *Te igitur Pater clementissime rogamus, & petimus: vt accepta habeas dona, & munera quæ tibi offerimus. In primis pro Ecclesia tua* militante quæ est multitudo fidelium habentium communionem in fide & sacramentis. *Sancta, Catholica*, idest, vniuersali. *Quam*, ab hæreticis, & schismaticis, ac persecutoribus, tyrannis, à Dæmonibus, & vitijs, scilicet, petimus, *pacificare digneris*; vt pacem habeat ab his supradictis prauis hominibus: *& custodire digneris*, a vitijs, & dæmonibus. *Adunare*, quæ dispersa est inter paganos, & perfides. *Et regere digneris*, in prosperis, & in aduersis. Tunc pacificat cum fidelium mentes adunat: vt sit fidelium anima vna, & cor vnum in charitate. Tunc custo-

custodit cum inter mundi pericula regit: & mittit auxilium de sancto. *Toto orbe terrarum*, quia Ecclesia, vel diffusa, vel diffundenda est in toto orbe terrarum sicut vocata est de omnibus finibus terrarum. Isa. 49. Dedi te in lucē gentium vt sis salus mea vsque ad extremum terræ & Act. 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.

Vna cum famulo tuo papa nostro N. & Antistite nostro N. nomen Pontificis exprimi debet secūdum decretum Gelasij Papæ. Item in Cōcilio Vasensi statutum est ita. Et hoc nobis iustum visum est, vt nomē Domini Papę quicumque sedi Apostolicæ præfuerit in nostris Ecclesijs recitetur.

Papa dicitur famulus: quia ad Ecclesiasticum huius officij pertinet famulatum. Papa autem dicitur; quia est pater patrum, & successor Petri, & Vicarius Christi. Noster autem dicitur: quia per ipsum nobis hęc influitur cōmunio. & ideo non valet oblatio, si ab vnione ordinis, & obedientiæ ad Papam scindatur vel separetur.

Fallentes semetipsos carne & ambitione oppressi & agitati. Vnde Pelagius papa dicit; ab vniuersis orbis cōmunione separati sunt, qui qualibet discessione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis nomen secundum consuetudinem non frequentant; hinc sequitur quod esset peccatum ommittere nomen Summi Pontificis. Ceterū cum Papa cælebrat, nō dicit, vna cum famulo tuo Papa nostro, cū idem pro se videretur orare, ac super se Antistitem habere. Verum dicere solet, vna mecum indigno famulo tuo. Hæc Innoc. 3. in cap. 3. de cæleb. Miss. Hoc cōfirmat D. Clemens lib. 8. constit. Apostol. cap. 12. Adhuc obsecramus te pro me qui nihil sum qui tibi oblationem facio.

Et Antistite nostro N. Secundo gradu. quia Antistes noster est quasi canalis, per quem in nos a primo capite Papa communio descendit vnitatis: sicut vnguentum a capite primo descēdit in barbam, quæ capiti adhæret, & a barba stillat in superiora: & a superioribus in media; & fluit vsque in oram & fimbriam vestimenti: Papa enim & Episcopi quamuis super homines sint constituti: & in hoc sint loco sacerdotis existentis ad altare, quodammodo tamē & ipsi homines sunt, & fragiles; & ideo indigent vt oretur pro ipsis; & magis etiam indigent quā alij; quia quantoplus innititur eis Ecclesia tanto indigent maiori adiutorio gratiæ, quia plus eis quam alijs diabolus insidiatur. Vnde Thren. 1. facti sunt hostes eius in capite; & inimici eius locupletati sunt. Ex decreto Missalis reformati debent nominari Episcopi ciuitatis etiam a Religiosis. & nō prælati Religionum, nisi adsit speciale priuilegium. Vide Rit. 8. num. 2. Romæ tamen non dicitur pro Antistite nostro, quia ibi papa est Episcopus.

In aliquibus regnis additur in canone, & rege nostro. N. nam & Reges in exterioribus defendendis, & regendis vnitati pacis, & communionis Ecclesiæ subministrant. & fluit ab eis in nos rectitudo iustitiæ & pacis. Vnde secundum Ierem. Inuenimus scripsisse per manum Baruc notarij sui, sic, vt dicitur Baruc. 1. Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babyloniæ: & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies ipsorū, sicut dies cæli, vt meminit Tertullianus in Apologet. cap. 5. & Euseb. in Chronic. Item, Imperator Marcus Antonius, Scripsit senatui Romæ quod per orationes Christianorum obtinuit de inimicis suis victoriam. Et propter hoc etiam Gregorius in benedictione cærei posuit Imperatorem. Et in Litanijs posuit Pontificem, Imperatorem, reges & alios principes vt dicimus infra in expositione Missalis, in cap. de Litanijs. lib. 5. sub die negationum.

His autem sicut membra simplicia adiunguntur omnes Christi fideles, qui

qui sub vtraque potestate, scilicet, Ecclesiastica, & seculari fidem Catholicam tenent, venerantur, & colũt: cum dicitur; *& omnibus Orthodoxis*. Orthodoxum dicitur, à verbo græco Orthos, quod est rectum: & doxos, quod est doctrinalis regula: hoc est, qui rectam & sanam fidei doctrinam tenent. Sicut dicitur Galat. vlt. Quicumque hanc regulam sequuti fuerint pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. Vel orthos Græcè Latinè rectum, & doxa opinio, idest, pro hominibus rectę opinionis, seu sanctæ intẽtionis. Vel. Orthos rectum, doxa, gloria: inde dicitur fides Orthodoxa, idest, Catholica recta, scilicet, in qua recte gloriamur. Io. de Fan.

Catholicæ & Apostolicæ fidei; hoc est vniuersalis, & Apostolis fundatæ fidei, cuius symbolum cultoribus exposuimus. Hanc orationem quidam dicunt esse factam à Pelagio Papa, quæ aliquando sola, & nulla alia, confectioni sacramenti præmittebatur: quia Beatus Petrus primam Missam Antiochiæ faciens, fertur, non nisi tres tantum recitasse orationes. Ante confectionem sacramenti vnam: & eam quam dixit in confectione: & dominicam orationem post sacramenti confectionem. Quidam tamen dicunt Beatum Gregorium composuisse illam. Vnde sequitur, quod qui recta fide & vnione carent, neque capiti Christo adherent, neque cæteris membris Ecclesiæ connectuntur, excluduntur ab hac oratione: neque pro illis orat Ecclesia; vt sunt Hæretici, Schismatici, & huiusmodi. *Interim quatuor, sex, aut ad summum octo ministri cum cottis induti afferant totidem funalia ceræ albæ accensa*, &c. Ex cæremonial. lib. 2. cap. 8. deinde infra, *Eleuato Sacramento*, &c. *discedãt nisi facienda sit communio:* quod ideo puto vt & communicandi hac adoratione fateantur & ipsi Christum verum lumen esse sicut fatentur assistentes. Et in missis defunctorum expectatur vsque ad assumptionem: quod puto fieri propter memento mortuorum, q. d. Ecclesia etiam mortui confessi sunt in vita Christum verum lumen vitæ nostræ, &c. Vel dicas fieri propter reuerentiam sacramenti.

De Memento viuorum. Cap. 68.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum N. & N. Rubrica sic ait. *Orat aliquantulum pro quibus intendit orare*. Postquam sacerdos orauit pro omnibus rectè credentibus fraternaliter: in hac particula orat pro quibusdam specialius singulariter. Sed quæret fortè aliquis: cum Deus nihil ignoret, nec alicuius valeat obliuisci, quid est quod petimus, vt Deus nostri meminerit? Ad quod dicendum, quod Deus dicitur scire quos approbat: vnde dicitur 2. Timoth. 2. Nouit Dominus, qui sunt eius. Et dicitur nescire quos reprobat. Vnde dicitur fatuis virginibus. Nescio vos. Mat. 25. Item dicitur obliuisci malorum, cum malus ad bonum reuertitur: vnde si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum eius non recordabor. Ezech. 18. & dicitur obliuisci bonorum, cum bonus ad malum peruertitur: & ita dicitur ibidem. Si iustus a iustitia sua auerterit se, omnes iustitias eius non recordabor; rectè ergo dicitur: *Memento Domine:* non inquam, quod Deus alicuius obliuiscatur: sed quod in nobis est per passionem attribuimus Deo per effectum.

Famulorum. Hoc autem prius dicitur, & fit de illis memoria propter nobilitatem sexus. *Famularumque tuarũ*: quia aliter nisi per famulatum diuini cultus ad Ecclesiæ vnitatem non referuntur *N. & N.* Dicit famulorum famularumque tuarum; nõ dicit seruorum: quia seruus peccatum designat Ioan. 8. Qui facit peccatum seruus est peccati; & tales quandiu sunt in peccatis, obliuiscũtur a Deo: iuxta id, Deus

peccatores non audit. Io. 9. sed famulus dicitur a fauore, quia est in fauore & gratia Domini: vt sunt peccatores conuersi & pœnitentes pro peccatis; & tales Deus nouit: vnde petit Sacerdos recordari talium. Hic nominandi sunt viui: maximè tamē & primo loco, qui oblationes suas ad Altaria tulerunt: & in hoc famulos se esse agnoscunt. Vnde cum peteret sapientia Salomonis mitti sibi sapientiam a sede magnitudinis diuinæ vt secum esset, & secum laboraret; per quam sciret quid acceptū esset coram Deo omni tempore: stans statim subiunxit famulatum; dicens; Quoniam ego seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ, scilicet, Ecclesiæ, per quem paratus sum ad tua obsequia. Et Dauid Psal. 115. O Domine, quia ego seruus tuus sum, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Ne autem Sacerdos nimis moretur in memoria, vnde circumstantes tædio affligantur, & Sacerdos a distractione præseruetur, vtile est ante accessum se recolligere, pro quibus velit specialiter celebrare, & tunc sufficeret in hoc loco habere memoriam vnius, vel duorum nominatim, & cęterorum prius memoratorum in genere; vt sic cogitando, illius & illius, & eorum, quorū prius specialem habuit memoriam. Et primo debent memorari personæ, pro quibus sacrificium offertur. Deinde parentes, & cognati carnales, & spirituales. Tertio subiecti ipsi Sacerdoti tanquam filij sui. Quarto confratres suos, qui sunt eiusdem corporis, vel religionis, vel domus, vel confraternitatis, &c. Quinto, pro infidelibus vt conuertantur ad fidem; & ante omnes suiipsius memoria specialissimè præferenda est; quia ordinata charitas incipit a seipso; de qua dicitur in Cant. 2. Ordinauit in me charitatem. Faciendo memoriam suiipsius, debet cogitare tantū in mente, & exprimere vt Deus sui misereatur, & dimittat peccata, & tribuat gratiam. Deinde pro alijs, pro quibus quidam faciunt localem memoriam, iuxta ordinem casuū nominis; quorū primus est nominatiuus, in quo recordantur suiipsius. Secundus genitiuus, & significat genitorem, idest, parentes. Tertius datiuus, & significat datorem, vel benefactorem. Quartus, accusatiuus, & significat accusatorem, vel inimicum. Quintus, vocatiuus, & significat vocandos ad fidem. Sextus, ablatiuus, & significat mortuos a nobis ablatos: & de istis fit mentio in secunda memoria, vel secundo memento: tamen in sacrario melius fiunt hæ memoriæ, propter rationem allatam, scilicet, ne tedium generet.

Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. Orauit specialiter pro commissis singulariter; consequenter orat specialiter pro circumstantibus non commissis peculiariter. Patet autem ex hac particula, & euidenter secundum Innoc. & Alex. de Ales, quam sanctum, & salubre est Missarum solemnijs interesse; cum sacrificium Eucharistiæ pro circumstantibus specialiter offeratur. Ideo vt omnes fideles sint participes huius sacrificij, sancta & pia mater Ecclesia salubriter instituit, ut omnes fideles in sacris solemnitatibus ad Ecclesiam conueniant; missas audiant; & ante finem non recedant. Vnde de cōsec. dist. 1. Missas. dicitur. Missas die Dominico sæcularibus totas audire specialiordine præcipimus; ita vt ante benedictionem Sacerdotis, populus egredi non præsumat; quod si fecerit ab Episcopo publicè confundatur. Ex hoc cap. & alijs, quæ omittimus, præceptum est Missam audire in diebus festis. Notanter dicit, & omnium circūstantium non circumgirantium, & confabulantium, quia tales non solum non fiunt participes Missæ; sed etiam peccant transgrediendo præceptum Ecclesiæ de audiendo Missam die

Domini-

Dominica; si aliam Missam non audierint ea die. Contra quos est illud distichon Francisci Vercellensis ingeniose compositum, scilicet.

Friuola, qui profert quando sacra presbyter offert,
Lectio sacra Dei non reputatur ei.

Stent ergo deuoti, genuflexi, cum inclinatione capitis more Samaritani vt exaudiantur; nam humiles, & non superbos Deus audit: Samaritanus exauditus fuit, & Pharisæus nequaquam.

Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio Requiritur primo fides, vt credatur sub speciebus panis, & vini post consecrationis verba, verum corpus Christi, & verus sanguis eius contineri; quod quia non fit virtute naturali, nec potestate creata; sed infinita creatoris potentia; ideo requiritur ad huius veritatis assensum ipsa fides; nam hæc transcendunt intellectum, ergo fides est necessaria. Vnde August. Mira mihi videntur, quæ de illo sacramento leguntur. Fides est necessaria: scientia rationis superuacua. Scientia ratione, & intellectu colligitur. Fides authoritate videtur. Hæc sunt ergo, quæ fidem de necessitate exigunt, rationem omnino non admittunt. Expetunt simplicem creditorem; & cætera. Requiritur ergo fides circumstantium; vt ipsis proficiat oblationis sacrificium, per quam in vnitatem recipiuntur sacramenti; & adhærent cæteris membris Christi mystici; & Christo huius corporis capiti. Sicque viuunt, & spiritualis vitæ influxum participare possunt. Requiritur etiam deuotio, & attentio eorumdem, & eleuatio mentis in Deum per deuotum affectum; quo desiderent oblationem huius hostiæ salutaris sibi proficere ad salutem. Quæ deuotio, & fides supradicta, & si homines latet, tamen *tibi* Deo *cognita est, & nota.* Cognita per approbationem; & nota per acceptationem. Tibi, quia propitiaris fidelibus, & deuotis secundum Innocen. qui solus vides in conscientijs, qui rectè credunt, & deuotè diligunt; quia scrutator es renum, & cordium.

Pro quibus tibi offerimus. Quibus, scilicet, famulis, & famulabus tuis; & omnibus circumstantibus fidelibus, & deuotis, offerimus; quod dicitur in plurali ad denotandum; quod Sacerdos loquitur in persona totius Ecclesiæ, quæ est offerens principale. Vel secundum Alber. Dicitur offerimus, ad denotandum vnitatem corporis mystici, scilicet, Ecclesiæ, quæ in totius multitudinis fidelium & cleri seruitute offert hostiam salutarem; & est idem in sententia cum priori. Sequitur.

Vel qui tibi offerunt, idest, vel eorum circumstantium fidelium, qui tibi mediatè, & spiritualiter offerunt. Offerunt enim circumstantes mediatè; Sacerdos cælebrans immediate; offerunt & ipsi spiritualiter. Vel, *qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*; hoc respondet ad hoc quod dixit nota deuotio. Speciali enim voto offerunt illi, qui se, & sua deferunt ad Altare; & ideo etiam specialiter illi in Altaris oblatione continentur, & offeruntur; quia sicut Sacerdos offert mysterijs; ita illi offerunt Spirituali uoto; & ideo illorum est specialis recordatio. Fit ergo hæc oratio spiritualiter pro offerentibus, & consequenter pro alijs: & ideo monendus est populus vt offerat; quia per oblationes speciali voto hostiæ coniungitur, qui offertur; ipse hostiam offert uoto quam Sacerdos offert mysterio. Et hoc est quod ait. *Vel, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Sacrificium dicitur,

quia sacros facit. Laudis autem dicitur: quia nihil est in eo, nisi quod est laudis, & honoris. Psalm. 49. Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Iter enim ad salutem per nullum vnquam sacrificium, fuit nisi per istud. Vel secundum Innoc. & Alexand. sacrificium laudis dicitur: quia propter hoc maximè Deum laudare debemus, quod non solum se pro nobis dederit in pretium: sed etiam se dederit nobis in cibum: vt per pretium redimeret nos a morte: per cibum aleret ad conseruationem vitæ spiritualis, & roboraret in via, ad conseruationem vitalis gloriæ sempiternæ. Ioan. 6. Qui manducat me: & ipse viuet propter me. Vel dicitur sacrificium laudis; quia Christus ipsum instituit cum laude, & cum gratiarum actione.

Pro se suisque omnibus. Præponitur pro se: nam charitas ordinata, & si ad omnes se extendit, vt diximus; tamen a seipsa incipit, hoc est in ipsum in quo est primum, & principaliter tendit. Sic enim quilibet se primo, & plus diligit: deinde cæteros ordine quodam, scilicet, consanguineos propinquiores, deinde amicos, postmodum fratres eiusdem patriæ, vel societatis, & benefactores, & cæt. *suis*, dico, quibus magis vinculo naturę & familiaritatis sunt coniuncti: quia ad hoc est inclinatio naturalis, quę semper recta est.

Pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ: hoc est quo indigemus secundum animã. Redemptio enim animæ est per gratiam, & virtutes a peccato. Per sanguinem enim Christi ab originali debito liberati sumus. Petit hic duo, scilicet, liberationem animæ, & liberationem corporis. q. d. pro redemptione animarum suarum, quantum ad consecutionem beatitudinis, pro spe salutis, & incolumitatis suæ quantum ad bona corporis. Est igitur redemptio animæ, scilicet, a peccato: est & redemptio a præsenti miseria, & exilio. Vtraque fit per Christi sanguinem qui offertur.

Pro spe salutis. Petit a peccatorum remissione, quam præcedere oportet salutem, etiam pro ipsa salute orat, dicens: pro spe salutis, idest, beatitudinis: idest beatitudine sperata. Spe namque salui facti sumus. Roman. 8. est autem vita beata id, pro quo principaliter orare debemus, eamque petere tamquam summam nostram perfectionem, ad quam conditi sumus a Domino. Alber. Vel. *Pro spe salutis.* Hoc pertinet ad corpus, & duo petuntur; pro infirmis enim offertur pro spe salutis: & pro sanis offertur pro spe incolumitatis eorum. Sanitatem infirmis petimus, vt fortiores sint in Dei seruitio. Ioann. 5. Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne tibi aliquid deterius contingat. Et Psal. 102. Qui sanat omnes infirmitates tuas. Est etiam quædam spes salutis euadendi machinationes inimicorum. Psalm. 21. salua me ex ore Leonis; & a cornibus vnicornium humilitatem meam.

Et incolumitatis suæ, idest, commoditate corporali, quæ ad salutem, & beatitudinem obtinendam ordinatur. Pro quo & orauit Propheta cum dixit. Conserua me Domine quoniam speraui in te. Et alibi. Ne proijcias me in tempore senectutis, in qua plures corporis aduersitates adsolẽt aduenire. Vnde sequitur. Cum defecerit virtus mea ne derelinquas me. Psal. 70. Vel secundum Alber. *Et incolumitatis suæ.* Incolumitas dicitur perfectæ sanitatis integritas. Et hanc petimus pro sanis in sacrificij istius oblatione, quia nisi Deus conseruet, sanitas non stabit: quia super fundamentum debile est ædificata: quod est continua pugna contrariorum. Scilicet, humidi & sicci: calidi & frigidi, & cæt. quasi dicat. Cum petit sacerdos pro spe salutis, petit pro debilibus & infirmis. Cum

pro

pro spe incolumitatis, tunc petit pro valentibus & sanis. Sequitur.

Tibique reddunt vota sua æterno Deo viuo & vero. Tangit rationem exauditionis, quasi dicat. *Memento Domine illorum, pro quibus tibi offerimus sacrificium laudis: qui tibi reddunt vota sua*, idest, deuotionẽ, vel affectionem suã, vel bona opera sua: qui voto proprio, & non obligatione alicuius necessitatis in se, & in suis obtulerunt ad Altare. Psalm. 75. Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera: quia sicut dicitur Prou. 20. Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare. Vnde ait Augus. Quod vouere est voluntatis, & reddere necessitatis. Vota ergo quibus se deuotarũt ad sanctum Altare reddunt.

Aeterno Deo viuo & vero. Sunt enim Dij participatione diuinæ potestatis Dij facti, sicut dictum est Moysi. Exo. 7. Constitui te Deum Pharaonis. Et Psalm. 81. Ego dixi Dij estis: & isti sunt veri & viui, sed non æterni. Vnde de his dicitur ibidem. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Sunt etiam Dij, qui diuinitatis gloriam vsurpant: sicut dæmones. Et ideo dicitur Matth. 4. Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me, supple, vt Deum. Ad exclusionem omnium istorum dicit: *æterno Deo viuo, & vero*. De cuius æternitate dicitur 1. Timoth. vlt. Qui solus habet immortalitatem: quia sicut ibidem dicit glos. Vera immortalitas est vera æternitas, & incommutabilitas. De vita dicitur 3. Reg. 17. Viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto. De veritate dicitur Ioann. 3. Qui autem accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est. Notatione dignum est quod tria sunt hominis bona, temporalia, spiritualia, & æterna, scilicet, infima, media, & suprema pro quibus sacerdos dicit se offerre. Et pro his tribus Christus quoque docet orare. Pro æternis. Adueniat regnum tuum. Pro spiritualibus: fiat voluntas tua sicut in cęlo & in terra. Pro temporalibus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Offerimus enim sacrificium pro æternis, vt dẽtur nobis in præmiũ. Pro spiritualibus, vt dentur nobis in meritum. Pro corporalibus, vt dentur nobis in adminiculum; vt per hæc, & ista, perueniamus ad illa.

De secunda Canonis parte. s. communicantes, &c. Cap. 69.

C*Ommunicantes, & memoriam venerantes*. Hæc est secunda pars principalis sacri canonis, in qua post petitionem benedictionis appositorum numerum pro tota Ecclesia offerendorum in præcedente parte præmissa, ponitur sanctorum inuocatio, quorum præcibus & meritis eorumdem donorum, nobis a Deo facta est collatio. Et primo ponitur sanctorum inuocatio, deinde additur per eorum merita, & præces ad Deum supplicatio, ibi: *Quorum meritis*. Hoc autem non est nouum vt inuocentur sancti, sed antiquissimum. Audi Diu. Dionys. Diui Pauli Discipulum cap. 3. Eccles. Hierarc. dicens; Sed & illa sacratius intuere, quod impositis sancto Altari venerabilibus signis, per quæ Christus, & signatur, & sumitur, adest protinus atque incunctanter sanctorum descriptio, coniunctionem eorum indiuiduam, vnionemque cum illo altissimam & sacratissimam indicans. Et Chrysost. homil. 21. in Actibus Apostolorum ait: Quid tibi videtur, quod pro martyribus offertur, quod inuocantur in illa hora? Magnus honor nominari Domino pręsente, dum mors illa celebratur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta. Et August. Trac. 84. in Ioan. ita ait; Ideo ad mensam Domini, non sic martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam

pro

pro eis oremus; sed magis, vt ipsi orent pro nobis, vt eorum vestigijs adhæreamus. Et Ser. 17. de verb. Apost. sic ait: Habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cum martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem cõmemoratis defunctis oretur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare.

Petimus hic sanctorum suffragium, significantes quod quamdiu sumus in hac vita, necesse habemus eorum suffragia postulare, cum ipsi Christo sint in gloria propinqui, vnde possunt nobis impetrare gloriam. Post eleuationem vero petimus eorum cõsortium: designantes per hoc quod post resurrectionem iungemur sanctorum consortio, & non indigebimus suffragio. Non dirigimus autem orationes nostras ad sanctos: vt per eos impleantur quæ postulamus: sed vt eorum precibus nostræ orationes sortiantur effectum. Nota secundum Bernard. de Parantin. quod sancti non cognoscunt orationes nostras cognitione naturali vel beata, sed virtute reuelationis per quas cognoscunt orationes nostras vocales, siue mentales.

Communicantes ergo, pro intelligentia huius, notatione dignum est, secundum Innocen. quod extra vnitatem Ecclesiæ non est locus offerendi sacrificium vnitatis. Ideo sanctorum memoriam agimus in sacrificio: quatenus in ipsorum oratione communionem habentes sacrificium offeramus. Scriptum est enim Leuit. 22. Alienigena non uescetur ex eis, quoniam sanctæ sunt (alias ibidem. Omnis alienigena non comedet de sanctificatis.) ideo solum illum ad esum huius agni recipimus, qui nostræ coniunctus est domui; videlicet omnem domesticum fidei a principe vsque ad plebeium: a Pharisæo vsque ad publicanum. Ex sanctis autem, & fidelibus viatoribus vna domus, & Ecclesiæ constat; ideo vt non rumpatur vnitas, offerimus sacrificium laudis cum sanctis communicantes. *Communicantes*, scilicet, in vsu, & oblatione huius sacrificij cum sanctis, qui hoc sacrificij medio salutem cõsecuti sunt; quoniam ipsum est, viaticum ad vitam æternam perducens.

Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Ioan. 6. Dixi in vsu communicantes: quia de sanctis dicitur Act. 2. quod erant perseuerantes in doctrina Apostolorum & in communicatione fractionis panis. Communicamus ergo cum sanctis in hoc sacrificio per continuationem, scilicet, quia ab ipsis, dum uiuerent, communionem, & vsum illius sacrificij accepimus, & ipsorum patrocinio in ipsa communione perseueramus. Hæc Biel. Vel secundum Innocen. *Communicantes* in via cum sanctis in una fide, quam & ipsi viatores habuerunt. *Communicantes*, & in spe: quia quod ipsi sperabant & nos speramus. In patria vero communicabimus sanctis per rem quam ipsi habent; quando eam & nos habebimus. Nos si quidem habemus & spem: ipsi visionem & rem. Vel secundum Alber. *Communicamus* cum sanctis in sacramento Altaris: quia quod illi percipiunt in rei veritate: nos frequentamus in sacramentali specie. Communio est perceptio vnius, & eiusdem, in quo vniuntur, qui communicant, quamuis diuersimode illud vnum participant. Sic enim in Symbolo dicimus: Credo sanctorum communionem. & Hebr. 13. Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Sequitur.

Et memoriam venerantes. Semper est veneranda sanctorum memoria a quibus dum viuerent istam accepimus communionem: & quorum patrocinijs stamus in ea. Hoc enim a lege sumpsit exordium: quia Moyses

Patrum

Patrum memoriam coram Deo allegauit vt auerteret iram ipsius dicens: Memento Abraham, Isaac, & Iacob. Et post pauca sequitur. Et placatus est Dominus de malignitate quam dixit facere populo suo. Exod. 32. Similiter hoc patet 3. Reg. 11. Dominus enim ad Salomonem ait: in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum de manu filij tui scindam regnũ tuum: nec totum regnum tuum auferam: Sed Tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi. Hac igitur authoritate freta Ecclesia charissimos Deo martyres, & Apostolos ponit in supplicatione sanctę memoriæ.

In primis, quæ merito semper prima ponitur: quia per secundum propitiatorium designatur. Exod. 27. in qua Deus corporaliter apparuit, vt propitiaretur: & in quod omnes Angeli versi vultibus respiciunt, vt ab ipsa accipiant splendoris illuminationem: quæ duas habet excellentias: & vnam tangit dicens.

Gloriosæ semper Virginis Mariæ; gloriosa autem est; quia sic tota mente & corpore virgo fuit, vt sola illibata ab omni concupiscentia. Et pro eo dicitur Iob. 3. Nunquam cum ludentibus me miscui, nec cum eis, qui in leuitate ambulant participem me præbui: numquam concupiui virum, mũdam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Et quia multæ filiæ, idest, animæ sanctorum congregauerunt diuitias sanctitatis: Beata Virgo supergressa est vniuersas ideo ponitur prima in canone.

Genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi. Et ideo Theotocos, vt supra diximus, & non Christotocos est dicenda; filius enim suus ideo Emanuel dicitur, & vocatur, quia verus Deus & verus homo est. Isa. 7. Et ipsa personæ filij mater, qui in duabus naturis est verus Deus patris æterni filius; quem sicut pater secundum diuinitatem sine corruptione genuit ab æterno; ita eundem uerum Deum mater Virgo sine virginitatis diminutione aliqua secundum humanitatem genuit in tempore.

Sed & Beatorum Apostolorum, quia fidei nostrę fuerunt fundatores & prędicatores, sicut dicitur Psalm. 86. Fundamenta eius in montibus sanctis. Et Apocalyp. 21. Fundamenta ciuitatis duodecim. Hi sunt duodecim lapides electi de medio Iordanis. Iosue. 4. propter fidei suæ soliditatem. Hi sunt duodecim portæ ciuitatis Ierusalem Apocalyp. 21. Portæ dicti sunt, quia per eos ad Ecclesiam introitus hos elegit Dominus Ioann. 15. His dixit. Elegi uos vt eatis, & fructum afferatis; & fructus uester maneat. Hi sunt principes nostri in hac communione congregati cum Deo Abraham, merito ante omnes ante ponendi.

Ac martyrum tuorum: qui fuerunt testes nostræ fidei; quia martyr Græcè, Latinè, testis. Patriarchæ autem, & prophetæ non ponuntur; quia ad limbum descenderunt; ibi spe felici consolationem redemptionis expectantes. Confessores, non ponuntur in canone, quia canon fuit prius editus, quam memoriam sanctorum confessorum Ecclesia cælebraret. Ecclesia enim cæpit venerari memoriam sanctorum confessorum post B. Siluestri tempus. Potest etiam dici, quod ideo in canone fit solum mentio de martyribus, quia cum hoc sacramentum, sit sacramentum amoris, in ipsius sacramẽti ministerio debet solum fieri memoria de illis, in quibus specialius apparuit signum veri amoris. In Apostolis apparuit per temporalem abiectionem in martyribus per corporum tormentis expositionem. Nominantur duodecim Apostoli, & duodecim martyres, quia huius sacrificij omnes testes fuerunt, & passionem Christi verbis, & effusionis sanguinis testimonio probarunt.

In

In primis nominatur B. semper virgo Maria, quia ipsa eũ, qui oblaturus est, & qui verè hostia est, genuit: & obtinet principatum in cælis. Post hãc ponitur Petrus cum dicit, *Petri*, qui fuit summus Sacerdos, caput, & princeps Apostolorum cui collatæ sunt claues regni cælorum. Subdit.

Et Pauli: qui non ab hominibus neque per hominem electus est: sed per Iesum Christum merito & gradui Apostolorum est additus, vt situas electionis eius: quod portet nomen Domini coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Act. 9. *Andreæ*, qui voce Ioannis ad Christum veniens fratrem suum Petrum adduxit. *Iacobi* maioris, qui primatum tenuit inter Apostolos in hoc, quod primus inter eos martyrio laureatus siue coronatus est. *Ioannis*, qui dilectus Domini discipulus fuit: qui virgo electus, virgo in eum permansit. *Thomæ*, qui dubitauit in principio de Christi resurrectione, sed postea roboratus pro fide Christi martyrio est coronatus. *Iacobi*, minoris, qui fuit primus Episcopus Ierosolymorũ, qui frater Domini est vocatus propter similitudinem vultus. *Philippi*, qui de diuinitate patris, & filij instructus est. Io. 16. *Bartholomæi*, qui & nobilis & Philosophus solus fertur fuisse inter Apostolos. Vnde & Euangelium scripsit, de quo Dionys. meminit. *Mathæi*, qui ex telonio Apostolus, & Euãgelista factus est, ad spem peccatorum. *Simonis*, qui fuit frater Iacobi minoris qui Chananæus dicitur a zelo, quem habuit Christianæ religionis. *Et Thadæi*, qui Iudas Thadæus, (quod interpretatur carculum) propter diligentẽ cordis custodiam ab Apostolis sic dicebatur. Hos duodecim elegit Dominus vndecim in terra, & duodecimum Paulum de cælo.

His etiam martyres duodecim adiungit, de quorum fide & causa martyrij indubitata extitit fortitudo. Multos autem Ecclesia non ponit; quia legitur in Ecclesiast. historia, quod hæretici aliquando cum martyribus passi fuerunt, eo quod tunc Ecclesia Synodos & visitationes, & examinationes habere non potuit propter tyrannorũ persecutiones. Ponit eximios martyres, quos Ecclesia Romana in græmio habuit, scilicet. *Lini*, qui fuit primus Papa post Petrum, per plurima genera tormentorum pro Christo triumphãs. *Cleti*, qui & ipse Papa fuit, & martyr. *Clementis*, Petri discipulus fuit, & acta eiusdem scripsit; qui Papa & martyr extitit. *Xisti* Papæ & martyris, qui in ipsis Missarum solemnijs, sanctus, & Agnus Dei, cantari ordinauit. *Cornelij*, cuius fuit indubitatum martyriũ apud sanctos patres Ambrosium, & Augustinum. *Cypriani*, cuius tanta fuit fides, vt lecta in concistorio Romano condemnatione publicè clamarit, Deo gratias, in cuius corde in testimonium fidei figura crucis in specie auri fertur fuisse depicta. *Laurentij*, de cuius martyrio illustri habetur in Breuiario. *Chrysogoni*, cuius tanta fuit fides quod sponte pro Christi amore mortem subijt. *Ioannis & Pauli* fratrum, qui imperialis aulæ domestici se gloriose Christianos publica confessione ostenderunt. *Cosmæ & Damiani*, qui ambo medici gratis exhibuerunt medicinam, magis virtute crucis quã herbis sanantes homines.

Et omnium sanctorum tuorum in cõmuni, quorum nomina Deo nota sũt. *Quorum meritis precibusque concedas*, quia merita supererogationis eorum etiam alijs possunt subuenire; præces autem semper suffragantur *Vt in omnibus* indulgendis, agendis & appetẽdis. *Protectionis*, siue defensionis, *tuæ*, Domine, *Muniamur*, cõtra omnes machinationes inimicorum visibilium & inuisibilium, *Auxilio*, Auxilium enim tuum, & tuorum habentes securi stabimus. *Per eundem Christum Dominũ nostrum. Amen.* Sic enim hæc oratio per eundem Christũ terminatur, quia

sicut

ficut per filium omnia facta sunt, ita per ipsum habent omnia esse reparata, & terminata. Nota secundum Alex. de Ales, quod in hac commemoratione sanctorũ, quæ fit ante consecrationẽ corporis Christi, imploratur suffragiũ sanctorum In ea uero, quę fit post consecrationẽ corporis Christi, sanctorum consortium postulatur; quia nimirum antequam corpus Christi quod est vniuersalis Ecclesia, consecretur, idest, antequam regnum adueniat, necessarium est nobis in via sanctorum suffragium & meritis eorum, & præcibus diuinæ protectionis muniamur auxilio. Sed vbi corpus Christi fuerit consecratum, idest, vbi regnum aduenerit, assequemur in patria consortium sanctorum; vt societatem & partem cum sanctis Apostolis & martyribus habeamus quod in commemoratione sanctorum infrà postulantur.

De Tertia Canonis Parte. Cap. 70.

HAnc igitur oblationem seruitutis nostræ. In hac tertia parte post sanctorum inuocationem petitur oblationis, & sacrificij placida acceptatio; Et primo generaliter. Petit enim Sacerdos non tantum vt hæc oblatio sua, sed & cunctæ familiæ Christi (oblatio inquam debitæ seruitutis, idest, cultus latriæ soli Deo debitæ; quæ in hoc sacrificio principaliter Deo exhibetur intellectu, & affectu, fide & charitate, profitendo in hoc sacramento fore vere & realiter Deum primum & vniuersale omnium principium & finem, & vt talem diligendo) placidè accipiatur: non quantum est ex parte sacrificij in se, quoniam illud displicere nõ potest: cum dilectissimus filius suus sibi offeratur, in quo sibi semper benè complacet: sed petitur acceptari quantum est ex parte ministrorum Ecclesiæ offerrẽtium occasione quorum aliquando acceptum non est, dum indignè offerunt. Quibus per Ierem. 11. cap. ait; Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ aufferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? q. d. non.

Petit secundo a Deo patre, vt secundum vniuersale eius dominium, quod habet in cęlo in terra, atque in inferno, triplici, scilicet, machina mundi, triplicia bona conferat. In terra tranquillitatem, qua dies nostros in sua pace (nõ pace cum mundo, qualis est pax peccatorum) disponat. In inferno, vt nos ab æterna damnatione eripiat. In cælo, vt nos in grege electorum connumerari iubeat. *per eumdem Christum Dominũ nostrum*. Qui traditus est in manus eorum, qui pacem oderunt, qui ad inferna descendit, patres inde liberauit: qui ascendens ad cælos præcessit nobis parare locum, vt veniens nos recipiat ad seipsum: vt vbi est & nos simus, vt promisit nobis. Ioann. 14. q. d. ergo, quia non est locus offerendi sacrificium vnitatis extra vnitatem Ecclesiæ; sanctorum memoriæ communicantes, & in eorum communione sacrificium offerentes: qui ritum huius sacrificij nobis tradiderunt: & ipsum offerendo gratiam, & misericordiam consecuti sunt: rogamus quatenus eis intercedentibus hanc oblationem, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata seruitutis nostræ; quam, scilicet, facimus in vero cultu soli Deo debito: *Sed & cunctæ familiæ tuæ*, scilicet, sub crucis vexillo militantis, *Quæsumus Domine*, Deus omnipotens, & clementissime pater: vt placatus meritis, & præcibus Beatiss. Virg. Mariæ, sanctorum Apostolorum, martyrum, & omnium sanctorum tuorum *accipias*, idest, vt gratẽ acceptes. Quod dicitur *seruitutis nostræ*, dicitur pro clero: Quod sequitur vero, *sed & cunctæ familiæ tuæ*, dicitur pro laico populo. q. d. *quæsumus Domine, ut placatus accipias*, scilicet, seruitute cleri, & voto totius populi, acceptã habeas pro omnibus, scilicet, pro quibus tibi offertur. *Diesque nostros in tua*

pace disponas. Petuntur hic commoda sacrificantibus. Et primo temporalia. Secundo, æterna, & associatio electorum gloriæ. Et has tres petitiones B. Gregorius fertur addidisse in canone secundum Innoc. vnde petit Sacerdos. *Diesque nostros in tua pace disponas*. O Domine per eum, qui pro nobis traditus est in manus eorum, qui pacem oderũt. *Atque ab eterna damnatione nos eripi*, scilicet, iubeas. Per eum, qui pro nobis temporali morte damnatus est. *Et in electorum iubeas grege numerari*. Per eum, scilicet, qui pro nobis deputatus est cum iniquis. In his tribus profitetur Ecclesia in Deo esse vniuersale dominium: quod ad triplicem mundi machinam, hoc est, quo ad omnes creaturas. Per primum, scilicet, *Diesque nostros, &c.* recognoscit ipsum Dominum in terris. Per secundum, *Atque ab eterna*, profitetur ipsum Dominum in infernis. Per tertium. *Et in electorum*, profitetur ipsum Dominum in cælis. Hæc petuntur secundum Alber.

Vel. *Hanc igitur oblationem, &c.* Sic dicas quod hic petit Sacerdos quatuor Primò petit oblactionis acceptationẽ; vndè dicit; *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ*, idest, cleri: Et nota quare hic Sacerdos specialiter se appellat seruum: superius vero alias appellat famulos. Ratio est, quia quilibet se debet reputare peccatorem & non alios. Dicitur autẽ hæc oblatio seruitutis: quia sumus empti ista oblatione; iuxta id: Empti enim estis pretio magno. *Sed & cunctæ familiæ tuæ*, idest, totius assistentiæ collectæ, quæ tibi famulantur & seruiunt, *vt placatus accipias*: licet enim Deus sit semper placatus, idest, misericors quantum est in ipso sacrificio: tamen sæpè offenditur ex parte ministrorum, quando sunt in peccato. Sequitur. *Diesque nostros*, vbi petit fędus pacis, vnde dicit, diesque nostros in tua pace disponas. Et loquitur non solum de pace temporis, sed etiam pectoris, quæ est cessatio a peccatis. *Atque ab eterna damnatione nos eripi*; vbi petit euasionem carceris, scilicet, damnationem æternam. *Et in electorum tuorũ iubeas grege numerari*. Vbi petit adiunctionem cum electis. *Per eumdem Christum Dominum nostrum*. Fit autem appositio istius particulæ certis diebus, vt in Natali, Epiphania, Feria quinta cænæ, Resurrectione, & Pentecoste; quia ibi petimus protectionem diuinam specialem: in quibus diebus specialia dona circa nos facta recoluntur, quæ nobis dari tunc postulamus.

Circa cæremonias. *Sacerdos tenens manus expansas super oblata, dicit: hanc igitur*. Hæc sunt verba rubricæ. Sane legalis pontifex orans, fumo thymiamatis obumbrabatur, & tegebatur, ne pateret alicui dum cremaret incensum quem modum nunc a Græcis obseruatur. Et Christus dum patrem pro nobis interpellat, Angelorum pertransit intuitum, quia intelligi non potest inquantum pręsentia assumptæ carnis impetret pro nobis apud patrem. Sacerdos quoque dum Christi vicem gerit, quodammodo tegitur & latet, quia nec cogitari, nec narrari potest, quanta virtus & potentia sit in verbis eius, & in hoc mysterio, quod latet homines & Angelos. Noniniuria Sacerdos tenet manus expansas super oblata, vt ostendat incomprehensibilia esse tam apud Angelos quam apud homines. Sacerdos dum dicit. Hanc igitur oblationẽ, meo iudicio facere debet nutum inclinatione capitis ad hostiam demonstratam nõ nimis tamen profunde propter occupationem, licet hoc rubrica non dicat: tamen antiquitus fiebat. Vide in biblioteca patrum Tom. 6. de Ecclesiasticis obseruationibus. cap. 14. Et significat quod Christus orauit profunde se inclinando & humiliando ante horam passionis. Vel quod humiliauit se pro nobis vsque ad mortem crucis.

De Particula, Quam oblationem tu Deus, &c. Cap. 71.

QVam oblationem tu Deus, quæsumus, Hæc pars coniungitur superiori parti: in qua petitur perfectio oblationis quantum ad finem principalẽ, quæ est transubstantiatio: vt, scilicet, ex esca, et potu materialibus fiat nobis corpus verum Christi, & sanguis eius verus. Et primo petitur oblationis grata acceptatio. Secundo, corporis Christi, & sanguinis consecratio. Quo ad primum petitur quod oblationem hãc faciat benedictam effectiuè: vt, scilicet, per ipsam benedicamur per multiplicationem Spiritualium bonorum. *Ascriptam*, Vt per eam Angelorum sociati in cælo ascribamur. *Ratam*, idest, firmam, vt ipsa vsque ad consumationem sæculi perfruamur. *Rationabilem*, vt per eam spiritu vegetati a bestiali sensu exuamur, ad cõgruè discernendum credenda, & agenda. *Acceptabilem*, per quam tibi Deo grati, & acceptabiles reddamur. Quæ omnes conditiones defuerunt sacrificijs veteris legis. Ipsa enim non fuere benedicta; quia vacua, tantum significabant, & promittebant, non conferebant salutem. Neque firma, quia successione legis Euangelicæ reuocata. Nec ascripta, ad perpetuam memoriam, quia mutanda. Sed nec rationabilia spiritũ vitæ conferentia, sed magis literalia, sensibilia & carnalia. Nec tandem acceptabilia, & ex se Deo accepta. Ps. 50. Vtique holocaustis non delectaberis, sed magis permissa, ne Idolis exhiberentur. Sequitur. Vt nobis, idest, ad nostram vtilitatem, & salutem, *fiat*. Vel, *vt nobis corpus, & sanguis fiat*, per substantialem conuersionẽm panis & vini in ipsum; *dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi*. Sacerdos cum hęc profert post inclinationem in priori orationem factam (vt diximus in fine præcedentis cap.) corpore & mente per cordis humilitatẽ, qua se recognoscit ad tanta mysteria indignum, se erigit corpore, vt mente ad cælum eleuet obsecraturus quatenus manna cæleste, quod super nos est, descendat in sacrificium Altaris, id patre clementissimo efficiente, exemplo Dauid, qui orando, ait: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ps. 122. Eleuat etiam manus ad cælum in alto complicans, & deponit, ad excitandum conformiter ad uerba effectum. Quasi dilectissimum patris filium, amorosè affectionis brachijs ad se stringere desiderat, atq; deuotissimè amplecti: secundum Dur. Hæc verba exponuntur per oppositum a venditione Iudæ. Sic. *Quam oblationem*, idest, terrenam nostram ad corpus filij tui destinatam, *Tu Deus quæsumus in omnibus*, idest, tota cogitatione, tota mente, & toto intellectu digneris facere *benedictam*. Ad quod notandum est, quod quarta feria Iudas a diabolo supplantato in mane sacrilegiũ perpetrauit: dum filium Dei triginta, argenteis Christum vendidit; & hoc fecit, quia de trecentis denarijs decima, quæ illi debebatur, erat triginta, dixerat enim, poterat vngentum istud venundari trecentis denarijs: & quia mos erat quod illi qui huiusmodi officio procuratoris fungebantur, (vt erat ipse) dabatur illi decima pars, puta de centum dabantur decem, & de trecentis dabantur triginta pro suo labore, ideo ne amitteret illam portionem de vnguẽto quod putabat effusum inane vendidit Christum Sacerdotibus, scribis, & Pharisæis, in recompensationẽ damni quod incurrerat propter vnguẽti effusionem. Ad designandum ergo prætij quantitatem quo Christus venditus est, Sacerdos facit hic tres cruces super oblatam, & calicem, cum dicit: *Benedictam, ascriptam, & ratam*; nam & 300. pariter, & triginta multiplicationem suscipiunt a ternario.

Alexander de Ales ait: quod Sacerdos facit tres cruces super oblatam du-

plici ratione. Prima est, quia Christus tria, fecit communiter circa panem & vinum, scilicet, accepit, benedixit, ac fregit. Secunda ratio est, quia Iudas vendidit Christum Sacerdotibus, scribis, & Pharisæis ad crucifigendum, & ideo ad notandum tres venditiones Sacerdos facit tres cruces.

Thomas autem 3. par. qu. 83. dicit, quod cruces toties in Missa fiunt propter duplicem causam. Prima est, quia vbicumque in Missa fit mentio de consecratione Eucharistiæ, de acceptatione huius sacrificij: & de fructu illius fit cruce signatione ad significandū quod ista proueniunt ex virtute crucis Christi. Alia est, quia tali cruce signatione repræsentatur passio Christi, & quia in ipsa passione multa gesta sunt, oportuit fieri plures cruce signationes. Albertus Magnus dicit. cap. 10. tractat. 3. de officio Missæ, quod tres cruces hic fiunt vt significetur ista procedere in hostiam a primo perfectore sanctitatis cuius vicarius stat ad Altare, duæ vero cruces fiunt, inquit, vt virtus incorporationis, & virtus viuificationis nostræ a Deo procedere notetur in sacramentum.

Duran. ait: quod postmodum ad designandum venditionem, & emptionem, duas imprimit cruces sigillatim: vnam super hostiam, & alteram super calicem, cum dicit, *Vt nobis corpus, & sanguis fiat*. Sequitur de aiijs dicens: illa venditio fuit maledicta, proscripta, irrita, iniqua, & detestabilis; *Sed tu Deus hanc oblationem digneris facere benedictam*, per quam nos in cælestibus benedicas. Iudas deletus est de libro viuentium, vt cum iustis non scribatur. Psal. 108. Sed tu Deus hanc oblationē digneris facere *ascriptam*, per quā nos inter electos ascribas. Iudas laqueo se suspendit, & episcopatum eius accepit alter, scilicet, Matthias, Psal. ibid. Sed tu Deus hāc oblationem facere digneris ratam siue stabilem, per quam ratū sit nostræ salutis promissum. Iudas exiuit condemnatus, & oratio eius facta est in peccatum: sed tu Deus hanc oblationem facere digneris *rationabilem*, idest, ratione plenam, per quam rationabile. Fiat nostræ seruitutis obsequiū. Iudas reddidit malum pro bono; & odium pro dilectione retribuit; sed tu Deus hanc oblationem facere digneris *acceptabilem*, per quam nos tibi reddas acceptos. Deinde fiunt duæ cruces ad notandum discretè venditorem & venditum: vel tradentem, & traditum. Potest etiam ordinari hæc litera sic; *Quā oblationem* cleri, & populi, *Tu Deus*, cui soli offerendū est: quia dixisti Exo. 20. Non erunt tibi dij alij præter me. *In omnibus*, gradibus cleri, & populi, *quæsumus*, idest, rogamus, nullum ab oratione excipientes. Sap. 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ipsi cura de omnibus. *Benedictā*, quinque fuerunt in antiquis oblationibus, ad exclusionem quorum hic quinque dicuntur. Antiquæ enim oblationes fuerunt vacuæ a gratia: & ideo nulla ab ipsis profluxit benedictio. Antiquæ oblationes ob memoriam æternam nō fuerunt ascriptæ: sed potius ab hominibus inuentæ & a Deo, ne idolis fierēt ordinatæ. Antiquæ etiam oblationes non fuerunt ratæ: quia multa ratione improbatæ: & quia conuulsæ fuerunt irrationabiles, & nunquam secundum cor Dei acceptæ. Et ideo contraria dicit quinque de ista. *Benedictam*, idest, benedictione gratiæ plenam. Deut. 23. Vertetque maledictionem eius in benedictionem tuam: eoquod diligeret te. *Ascriptam*, inter acceptissima munera Dei ad tantæ rei æternam memoriam. Apocal. 3. Non delebo nomina eorum de libro vitæ: Vel. *ascriptam*, idest, non finitam. Petit enim vt hanc oblationem, quæ ante consecrationem circumscripta est, & finita, faciat incircumscriptam & infinitam. In sacramēto Eucharistiæ Christus est incircumscriptus aiunt Theologi. *Ratam*, ratum est firmū & stabile, quod nulla ratione

potest

potest esse conuulsum: nunquam enim oblatio patietur repulsam, & nunquam erit conuulsa; quia sicut dicit Psalm. 109. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Ita enim rata est oblatio quod propter eam sacerdotium (quod est seruitus eius) manet in æternum. Hebr. 7. Hic autem, quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium; vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis.

Rationabilem, quia omne ratione plenum est, quod Christi sanguis emũdet inquinatos. Penitus autem fuit irrationabile, quod sanguis hircorum, aut taurorum, aut agnorum aliquem emundaret. Vnde Hebr. 9. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit, immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti.

Acceptabilemque facere digneris, quia in illis sacrificijs veteris legis nihil fuit acceptum: ista autem rationem habent acceptationis ex vnione eius cui offertur. In istis autem duobus dictionibus, scilicet, *Rationabilem*, & *Acceptabilem*, cruces non fiunt a Sacerdote, quia rationabilis, & acceptabilis est hæc oblatio ex seipsa. Sed benedictionem, & ascriptionem, & ratitudinem habet à Patre, qui est primus perfector sanctitatis. Et hanc in ea sacerdos signat procedere per crucem quam facit triplicem. Alber. ibidem.

Vel sic secundum Pascasium Abbat. lib. de corpore & sanguine Domini: *Rogamus hanc oblationem* inquit sacerdos, *benedictam*, per quam nos benedicamus, *Adscriptam*, per quam nos omnes in cœlo conscribamur: *Ratam*, per quam in visceribus Iesu Christi censeamur. *Rationabilem*, per quam a bestiali sensu exuamur; *Acceptabilemque facere digneris*; quatenus & nos per hoc quod in nobis displicuimus, acceptabiles in eius vnico filio simus. *Vt nobis fiat corpus & sanguis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi.* Ecce quid fides instituit. Ecce quid Christus indulsit, vt nobis sit corpus & sanguis: quatenus per hoc nos in corpus Christi quotidie trasferamur, prius autem quam corpus consecratione fiat, oblatio sacerdotis est, sicut ipse confitetur, vel cunctę familię offerentis eam: sed in verbo & virtute spiritus sancti, noua fit creatura in corpore creatoris ad nostræ reparationis salutem. Vnde iuxta sublimis aram Altaris semper adsistere scriptura teste probatur; vt ex eius immolatione corpus & sanguinem percipiamus.

Ceterum sacerdos, quia vices Christi visibilis specie inter Deum & populum agere videtur, aufert per manus, Vota quidem offert & munera, refert autem impetrata per corpus & sanguinem, & distribuit singulis: non quantum visus exterior præbet; sed quantũ fides capit. Vbi licet Sacerdos conscientia malus conuincatur, non suum est quod offert, sed omnium præces & vota per omnem canonis textura commendat. Nam & finis orationis cũctorum vocibus confirmatur: vbi omnes, amen, voce consona dicunt. Idcirco non vnius est quod pro multis offertur, & multorum præcibus confirmatur. Nam & Dominus ait, quod pro multis effunderetur in remissionem peccatorum. Si enim pro se tantum esset, eius merita Deus forsitan non attenderet. Nunc autem licet leprosus sit, qui offert, munda sunt quæ hauriuntur: quia caro & sanguis saluatoris, nullius immunditia sordidantur. Ex officio ergo Sacerdotis ista, & non ex merito pręstantur; idcirco licet reus sit, officium mysterij sacrum est, & gra-

dus

dus sacerdotij à summo Pōtifice Christo compensantur, vt nihil minus carnis & sanguinis habeat hoc mysteriū à quouis indigno, quam ab Apostolica propagine cōsecrata exhibeatur, quia non ex eo, sed ex eius officio, a Summo Pontifice gratia quam ipsa veritas repromisit, impletur, vt in nullo sacerdotium eius & Pontificatus officium, alicuius merito minoretur, virtus enim consecrandi est in eo, quod habet is, qui ordinatur. Et ideo reuertentes, qui baptizati sunt prius, sicut non rebaptizantur ita vtique, qui prius ordinati rursus non reordinantur ad vnitatem catholicam, si recesserint redeūtes. Sed aut ministrent, si hoc Ecclesiæ vtilitas postulat, aut si non, sacramentum tamen ordinationis suę gerunt.

Vel *oblationem* ita ait Innoc. *quam tu Deus digneris in omnibus facere benedictam,* hoc est transferre in eam hostiam, quæ est in omnibus benedicta, ascripta, rata, rationabilis, & acceptabilis. Benedicta dicitur hostia salutaris, idest, ab omni causa maledictionis immunis tam originali quam actuali, tam criminali quam veniali. Sicut Elisabeth inquit ad Virginem, Benedictus fructus ventris tui. *Ascripta* dicitur, idest, figuris & scripturis veteribus designata, tam in agno paschali, quam in manna cælesti, tam in Isaac immolando quam in Abel immolato. Quoniam (vt inquit Ioannes) hic est agnus, qui occisus est ab origine mundi. *Rata* dicitur, quasi non transitoria, sicut vetus quæ recessit & noua successit, sed quæ permanet in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Rationabilis* dicitur, quasi non pecorialis, sicut erat legalis, quæ sanguine taurorum & hircorum non poterat a peccato mundare, sed quæ sanguine proprio conscientias emundat ab operibus mortuis. *Acceptabilis* dicitur, quasi non illa de qua dicit Propheta: sacrificium & oblationem noluisti. Sed sicut Dominus ait: Sacrificium laudis honorificabit me. Secundum hāc dispositionem vel expositionem rectè subiungitur, *vt fiat corpus & sanguis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi*. hæc ille.

De quarta canonis parte. Quipridie, &c. *Cap. 72.*

HÆc est quarta pars principalis canonis, in qua præmissis primo orationibus ad patrem clementissimum, pro benedictione appositorum munerum, & secūdo sanctorum commemoratione pro impetratione benedictionis, addita tertio deprecatione pro acceptatione oblationis, nūc proceditur in ista quarta parte ad perfectionem sacrificij, scilicet, materiæ idoneæ, & sanctificatæ consecrationem: quia panis vinique substātia in verum corpus Christi & sanguinem conuertuntur. Et subdiuiditur in duas partes. In prima fit consecratio panis, in secunda vini; ibi. *simili modo, &c.* In prima parte præmittitur modus institutionis huius sacramenti à Christo. Secunda ponitur verborum forma, qua perficitur ipsa consecratio; ibi. *Hoc est enim corpus meum*. Circa primum tangitur huius institutionis tempus & hora, cum dicitur; *Qui pridie quam pateretur,* idest, decima quarta luna primi mensis. Nam die 15. passus est, & 14. quæ erat prima azimorum, pascha comedit cum discipulis suis ad vesperum, post cuius esum Dominus Sacramentum instituit. In ipsa nocte compræhensus: mane parasceues paschæ crucifixus est, vt manifeste patet ex decursu Euangeliorum Matth. Mar. & Luc. licet Græci errauerint, dicentes, quod Christus cęnam vna die præuenerit. Hęc verba dicitur addidisse Alexander Papa primus. Quod ergo hoc loco agitur, repræsentat id quod Christus in cęna gessit, sensus est. *Qui pridie,* idest, priori die *quam pateretur,* idest, vna die antequam ipse passus est pro nobis, hoc est feria 5. in nocte, in

qua tradebatur, postquam in parasceue, hoc est, in sexta feria, patiebatur: in illa autem nocte luna fuit 14. & non erat fermentatum in domibus eorum, & ideo conuincitur cælebrasse in azimo contra Græcos. Exod. 12. Septem diebus comedetis azima. Hoc enim competit signato 1. Cor. 5. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in azimis synceritatis & veritatis. Vna ergo die antequã pateretur pro nobis voluit tradere discipulis suis corporis & sanguinis sui mysterium, vt illi traderent nobis. Illud autem notatione dignum est, quod sicut manna data fuit Hebræis post transitũ maris rubri demersis Ægyptijs; sic Eucharistia datur Christianis post ablutionem Baptismi, iam deletis peccatis; vt per Baptismum mundemur a malo: per Eucharistiam confirmemur in bono: sicut enim manna populum illum per vastitatem in viæ solitudinis ad terram promissionis perduxit, sic Eucharistia populum istum per incolatum vitæ præsentis ad patriam paradisi perducit. Sequitur.

Accepit panem, de frumento puro azimum, *in sanctas*, idest, sanctificantes, *ac venerabiles*, propter vnitam manibus deitatem, *manus suas*, vt tactu suarum sanctarum, & diuinarum manuum tali materiæ vim sacramenti conferret, quod in omni tempore in corpus Christi transubstantiari posset. Hoc contactu panem deputauit in materiam huius sacrificij. Nam sicut secundum Bedam, Christus tactu suæ mundissimæ carnis dedit vim regeneratiuam aquis, deputando aquam vt esset materia sacramenti Baptismi: ita & acceptatione panis in sanctas, & venerabiles manus suas, vim pani tribuit: vt ex eo tanquam ex congrua materia corpus suum confici posset. Hæc autem vis aquæ, pani, aut vino data, non est aliqua qualitas aut entitas positiua aquæ, pani vel vino impressa: sed est deputatio horum à Deo, vt essent materia congrua sanctorum Baptismi & Eucharistiæ. Est autem omnium doctorum catholicorum sententia, quod materia necessaria ad cõsecrationem Eucharistiæ, est panis, & vinum de vuis vitium expressum.

Accepit ergo *panẽ in sanctas ac venerabiles manus suas*. Hunc sacrificij ritũ Melchisedech legitur cęlebrasse primus, offerens panem & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi. Vnde Dauid ad Christum ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: ideo verò panem, & vinum in sacrificium corporis, & sanguinis sui Christus instituit, ut in sumptione corporis & sãguinis Christi, doceatur esse perfecta refectio; quia sicut præ cæteris cibis, & potibus corporalibus panis cor hominis confirmat, & vinum cor hominis lętificat; ita & corpus & sanguis Christi præ cæteris cibis & potibus spiritualibus interiorem hominẽ reficiunt & satiant. In his enim duobus plena cõsistit & perfecta refectio, sicut ipse ait Io. 6. caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Sequitur.

Et eleuatis oculis in cœlum ad te Deũ patrem suum omnipotentem; per hoc. n. quod Christus in cęlum oculos suos leuauit, insinuat nobis, se habere a patre quod habet, & quod in principio nostrorum operum debemus dirigere mentis oculos ad Dominum, tãquam ad Doctorem omnium operum bonorum. Item per hoc quod oculos ad cęlum leuauit, & patri gratias egit, docuit nos, quod semper patri supplicare debemus, vt hoc tam magnum sacramentum per manus nostras perficere dignetur. Rursus significat istam oblationem semper in cęlum esse eleuandam: quia & ipse sacerdos & hostia sic pro nobis ad patrem in cœlum ascendit. Hebr. 9. Non enim in manufacta sãcta introiuit Iesus exemplaria

vero-

verorum: sed in ipsum cœlum vt appareant nunc vultui Dei pro nobis. Et hoc est, *Ad te Deum*, secundum humanitatem, *Patrem suum*, secundum diuinitatem, *omnipotentem*, propter transubstantiationis potentiam: quia in potentia Dei radicatur: quia sicut dicitur Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Sequitur.

Tibi gratias agens. Fuit enim dignũ gratias agere de tanto dono: de tam excellenti gratia: de tam efficaci cibo; de tam digno sacramento Io. 11. Pater gratias ago tibi, quia audisti me, ego autem sciebam, quia tu semper me audis. Quod autem rubrica ait: accipit hostiam, eleuat oculos ad cœlum: ideo id dicit, quia verba Christi denotant sic fecisse, & ideo ipsi sacerdotes facere hoc debent. Vnde circa hoc est aduertendum, quod mos est vt sacerdos prius pollices, & indices vtriusque manus ducat super pallam Altaris, tergens eos, licet eosdem ante canonis inceptionem lauerit, ad designandũ, quod sacrificium non nisi mundis manibus, nullo pollutis vitio, debet venerabiliter, ac cum summa reuerentia contrectari. Et tersis deinde digitis hostiam de palla sumit in manus, exemplo Christi qui panem accepit in manus suas ipsum consecraturus: dans sacerdotibus exemplum similiter faciendi. Caueat tamen sacerdos ne hostiam, nimis eleuet ante consecrationẽ, ne populus a latere circumstans, hostiam non consecratam, vt vulgo dicitur, adoret. Sequitur.

Benedixit, benedictione cœlesti, & virtute verbi, qua conuertitur panis in substantiam corporis Christi. Et in prolatione huius dictionis, *Benedixit*, Fit crux super panem, vt dicit rubrica, quæ significat, quod Christus passus est etiam in natura: totus enim passus est; & secundum animam, & secũdum corpus, vt totum redimeret hominem. Vel. Sacerdos facit duas cruces separatim, vnam super panem in verbo; *Corpus*: aliam super calicem in verbo: *Sanguis*; tum vt materia panis, & vini sanctificetur (nam in Cruce Christi omnia sanctificantur) tum ad repræsentandum huius sacramenti institutionem in materia panis, & vini, qua præsignabatur Passio Christi. Vel: ad significandũ, quod Christus passus est in corpore simul & in anima, ideo vna crux signatur super panem in corpus Christi conuertendum: alia super vinum in Christi sanguinem transmutandum. In sanguine autem, sedes est animæ, sicut scriptum est Leuit. 17. Anima carnis in sanguine est. Ordo horum verborum est secundum Alex. Ales. 4. p. q. 33. membr. 2. Thom. p. 3. q. 78. artic. 1. ad 1. & talis inquam est, *Accepit panem, & benedixit, dicens, hoc est corpus meum*, ac deinde *fregit, & dedit discipulis, dicens accipite & manducante*, licet in canone sint verba præpostera. Sequitur.

Fregit, postquam in corpus suum transubstantiauit: & hæc fractio est in solis formis sacramentalibus, & non in corpore Christi. Hæc enim est spiritualis fractio in qua virtus cognoscitur deitatis, vt forma panis frangatur, & corpus integrum remaneat. Luc. vlt. Cognouerunt eum in fractione panis.

Dedit discipulis suis: dono dedit, sicut dicitur Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Non autem dedit, nisi discipulis suis significans, quod indignus accedere non debet. 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Et ideo indigno in confessione interdici debet, & si publicè inter alios accedit, sacerdos illi porrigit, quia nullum prodit, sed ille tunc rapit sicut Iudam Dominus inter alios accedentem nõ prohibuit, quia erat peccator secretus: ideo & nos hoc facere debemus; si autem publicus peccator esset, tunc nec communicandus. Sequitur.

Dicens accipite, Luc. 22. accipite, inquit,

quit, supple in officium. *Hoc facite in meam commemorationem*; ideo sacerdos non ex se dicit, quod ipse creator corporis & sanguinis esse possit: quia si hoc posset (quod absurdum est) creator creatoris fieret. Sed obsecrat per filium, patrem, per quem ad eum habemus accessum; quare verba antecedentia sunt Euãgelistarum verba: porro deinceps verba sunt Dei, potestate & omni efficientia plena.

Et manducate ex hoc omnes, discipuli, vt omnes mihi incorporemini, & spiritui meo sociemini; quia aliter non potestis Deo patri offerri. *Hoc est* enim *corpus meum*. Forma est sacramenti, qua omnis sacerdos deinceps, vti debuit, & habetur Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. In hac enim forma verbum increatum descendit in verbum creatum; ait Alber. & sua inuisibili potentia operatur transubstantiationem panis in corpus Christi, sicut etiam a principio in verbo instituta & facta est omnis creatura. Io. 1. omnia per ipsum facta sunt. Et Hebre. 1. Portans omnia verbo virtutis suę. Quis vnquã crederet, quod panis in carnem, & vinum in sanguinem conuerti potuisset: nisi ipse saluator hoc diceret? Qui panem & vinum & omnia ex inuisibilibus creauit: voluit ergo per nos panem & vinum sic offerri; & ab ipso diuinitus consecrari: vt fidelis populus credat verum esse mysteriũ, quod ipse *tradidit discipulis suis dicens: Accipite & manducate*; & *Similiter de calice dixit*. Est communis opinio, quod Christus accipiendo panem in manus benedixit consecrando his verbis: *Hoc est corpus meum*. vt diximus, ac *deinde fregit ac dedit discipulis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes*; & secundum hoc eisdem verbis consecrauit quibus & nos. Hæ quatuor dictiones. *Hoc est corpus meum*, sunt forma consecrationis. Quod autẽ additur, *enim* ex institutione ecclesiæ factũ est, propter cõnexionem formæ ad præcedentia; quæ coniunctio, *enim*, nõ est de necessitate cõsecrationis, quia ea dimissa nihilominus fieret consecratio: licet sacerdos omittens ex proposito peccaret mortaliter. Tenetur enim se conformare ordinationi Ecclesiæ. Facta consecratione ait Rubrica: *statim hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit ostendit populo*. Populus adorando percutit pectus, confitens hoc actu Christum Crucifixum & in cruce eleuatum fuisse propter peccata nostra: Cur autem ostenditur & eleuetur in aere, dicitur in cap. seq. Dum eleuatur corpus Christi fit signum tintinabulo ex decreto Gregorij IX. anno Domini 1227. & item, quod ad sonum campanæ diceretur, Aue Maria &c. vna cum salue Regina &c. in meridie mane, & sero.

De simili modo. *Cap. 73.*

DEterminata forma consecrationis, qua panis in Corpus Christi conuertitur, sequitur altera pars eiusdem formæ, qua vinum in sanguinem eiusdem Christi transubstantiatur. Et primo tãgitur modus institutionis huius sanctæ conuersionis. Secundo, subditur forma cõsecrationis ibi. *Hic est enim calix*. Tertio, additur commissio frequentandæ huius sacramentalis oblationis, cum dicitur, *Hæc quotiescunque feceritis*. Circa primum dicit.

Simili modo, quantum ad causam, virtutem, & operationis conformitatem, nam eadem potentia, charitate, & gestuum similitudine, qua panem consecrauit; consecrauit & vinum, illud conuertendo in corpus suum, hũc in sanguinem nẽpe postquã cęnatum est a Christo & discipulis vtraque cęna; agni scilicet, paschalis, figuralis, & typici, atque participatione agni veri præfigurati corporis Christi, in quo notatur hora, qua Dominus sanguinẽ suum consecrauit.

verorum: sed in ipsum cœlum vt appareant nunc vultui Dei pro nobis. Et hoc est, *Ad te Deum*, secundum humanitatem, *Patrem suum*, secundum diuinitatem, *omnipotentem*, propter transubstantiationis potentiam: quia in potentia Dei radicatur: quia sicut dicitur Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Sequitur.

Tibi gratias agens. Fuit enim dignũ gratias agere de tanto dono: de tam excellenti gratia: de tam efficaci cibo; de tam digno sacramento Io. 11. Pater gratias ago tibi, quia audisti me, ego autem sciebam, quia tu semper me audis. Quod autem rubrica ait: accipit hostiam; eleuat oculos ad cœlum: ideo id dicit, quia verba Christi denotant sic fecisse, & ideo ipsi sacerdotes facere hoc debent. Vnde circa hoc est aduertendum, quod mos est vt sacerdos prius pollices, & indices vtriusque manus ducat super pallam Altaris, tergens eos, licet eosdem ante canonis inceptionem lauerit, ad designandũ, quod sacrificium non nisi mundis manibus, nullo pollutis vitio, debet venerabiliter, ac cum summa reuerentia contrectari. Et tersis deinde digitis hostiam de palla sumit in manus, exemplo Christi qui panem accepit in manus suas ipsum consecraturus: dans sacerdotibus exemplum similiter faciendi. Caueat tamen sacerdos ne hostiam, nimis eleuet ante consecrationẽ, ne populus a latere circumstans, hostiam non consecratam, vt vulgo dicitur, adoret. Sequitur.

Benedixit, benedictione cœlesti, & virtute verbi, qua conuertitur panis in substantiam corporis Christi. Et in prolatione huius dictionis, *Benedixit*, Fit crux super panem, vt dicit rubrica, quæ significat, quod Christus passus est etiam in natura: totus enim passus est; & secundum animam, & secũdum corpus, vt totum redimeret hominem. Vel. Sacerdos facit duas cruces separatim, vnam super panem in verbo; *Corpus*: aliam super calicem in verbo: *Sanguis*; tum vt materia panis, & vini sanctificetur (nam in Cruce Christi omnia sanctificantur) tum ad repræsentandum huius sacramenti institutionem in materia panis, & vini, qua præsignabatur Passio Christi. Vel: ad significandũ, quod Christus passus est in corpore simul & in anima, ideo vna crux signatur super panem in corpus Christi conuertendum: alia super vinum in Christi sanguinem transmutandum. In sanguine autem, sedes est animæ, sicut scriptum est Leuit. 17. Anima carnis in sanguine est. Ordo horum verborum est secundum Alex. Ales. 4. p. q. 33. membr. 2. Thom. p. 3. q. 78. artic. 1. ad 1. & talis inquam est, *Accepit panem, & benedixit, dicens, hoc est corpus meum*, ac *deinde fregit, & dedit discipulis, dicens accipite & manducante*, licet in canone sint verba præpostera. Sequitur.

Fregit, postquam in corpus suum transubstantiauit: & hæc fractio est in solis formis sacramentalibus, & non in corpore Christi. Hæc enim est spiritualis fractio in qua virtus cognoscitur deitatis, vt forma panis frangatur, & corpus integrum remaneat. Luc. vlt. Cognouerunt eum in fractione panis.

Dedit discipulis suis: dono dedit; sicut dicitur Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Non autem dedit, nisi discipulis suis significans, quod indignus accedere non debet. 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Et ideo indigno in confessione interdici debet, & si publicè inter alios accedit, sacerdos illi porrigit, quia nullum prodit, sed ille tunc rapit sicut Iudam Dominus inter alios accedentem nõ prohibuit, quia erat peccator secretus: ideo & nos hoc facere debemus; si autem publicus peccator esset, tunc nec communicandus. Sequitur.

Dicens accipite, Luc. 22. accipite, inquit,

quit, supple in officium. *Hoc facite in meam commemorationem*; ideo sacerdos non ex se dicit, quod ipse creator corporis & sanguinis esse possit: quia si hoc posset (quod absurdum est) creator creatoris fieret. Sed obsecrat per filium, patrem, per quem ad eum habemus accessum; quare verba antecedentia sunt Euãgelistarum verba: porro deinceps verba sunt Dei, potestate & omni efficientia plena.

Et manducate ex hoc omnes, discipuli, vt omnes mihi incorporemini, & spiritui meo sociemini; quia aliter non potestis Deo patri offerri. *Hoc est* enim *corpus meum*. Forma est sacramenti, qua omnis sacerdos deinceps, vti debuit, & habetur Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. In hac enim forma verbum increatum descendit in verbum creatum; ait Alber. & sua inuisibili potentia operatur transubstantiationem panis in corpus Christi, sicut etiam a principio in verbo instituta & facta est omnis creatura. Io. 1. omnia per ipsum facta sunt. Et Hebre. 1. Portans omnia verbo virtutis suę. Quis vnquã crederet, quod panis in carnem, & vinum in sanguinem conuerti potuisset: nisi ipse saluator hoc diceret? Qui panem & vinum & omnia ex inuisibilibus creauit: voluit ergo per nos panem & vinum sic offerri; & ab ipso diuinitus consecrari: vt fidelis populus credat verum esse mysteriũ, quod ipse *tradidit discipulis suis dicens: Accipite & manducate*; & *Similiter de calice dixit*. Est communis opinio, quod Christus accipiendo panem in manus benedixit consecrando his verbis: *Hoc est corpus meum*. vt diximus, ac *deinde fregit ac dedit discipulis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes*; & secundum hoc eisdem verbis consecrauit quibus & nos. Hæ quatuor dictiones. *Hoc est corpus meum*, sunt forma consecrationis. Quod autẽ additur, *enim* ex institutione ecclesiæ factũ est, propter cõnexionem formæ ad præcedẽtia; quæ coniunctio, *enim*, nõ est de necessitate cõsecrationis, quia ea dimissa nihilominus fieret consecratio: licet sacerdos omittens ex proposito peccaret mortaliter. Tenetur enim se conformare ordinationi Ecclesiæ. Facta consecratione ait Rubrica: *statim hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit ostendit populo*. Populus adorando percutit pectus, confitens hoc actu Christum Crucifixum & in cruce eleuatum fuisse propter peccata nostra: Cur autem ostenditur & eleuetur in aere, dicitur in cap. seq. Dum eleuatur corpus Christi fit signum tintinabulo ex decreto Gregorij IX. anno Domini 1227. & item, quod ad sonum campanæ diceretur, Aue Maria &c. vna cum salue Regina &c. in meridie mane, & sero.

De simili modo. *Cap. 73.*

Determinata forma consecrationis, qua panis in Corpus Christi conuertitur, sequitur altera pars eiusdem formæ, qua vinum in sanguinem eiusdem Christi transubstantiatur. Et primo tãgitur modus institutionis huius sanctæ conuersionis. Secundo, subditur forma cõsecrationis ibi. *Hic est enim calix*. Tertio, additur commissio frequentandæ huius sacramentalis oblationis, cum dicitur, *Hæc quotiescunque feceritis*. Circa primum dicit.

Simili modo, quantum ad causam, virtutem, & operationis conformitatem, nam eadem potentia, charitate, & gestuum similitudine, qua panem consecrauit; consecrauit & vinum, illud conuertendo in corpus suum, hũc in sanguinem nẽpe postquã cęnatum est a Christo & discipulis vtraque cęna; agni scilicet, paschalis, figuralis, & typici, atque participatione agni veri præfigurati corporis Christi, in quo notatur hora, qua Dominus sanguinẽ suum consecrauit.

verorum: sed in ipsum cœlum vt appareant nunc vultui Dei pro nobis. Et hoc est, *Ad te Deum*, secundum humanitatem, *Patrem suum*, secundum diuinitatem, *omnipotentem*, propter transubstantiationis potentiam: quia in potentia Dei radicatur: quia sicut dicitur Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Sequitur.

Tibi gratias agens. Fuit enim dignũ gratias agere de tanto dono: de tam excellenti gratia: de tam efficaci cibo; de tam digno sacramento Io. 11. Pater gratias ago tibi, quia audisti me, ego autem sciebam, quia tu semper me audis. Quod autem rubrica ait: accipit hostiam; eleuat oculos ad cœlum: ideo id dicit, quia verba Christi denotant sic fecisse, & ideo ipsi sacerdotes facere hoc debent. Vnde circa hoc est aduertendum, quod mos est vt sacerdos prius pollices, & indices vtriusque manus ducat super pallam Altaris, tergens eos, licet eosdem ante canonis inceptionem lauerit, ad designandũ, quod sacrificium non nisi mundis manibus, nullo pollutis vitio, debet venerabiliter, ac cum summa reuerentia contrectari. Et tersis deinde digitis hostiam de palla sumit in manus, exemplo Christi qui panem accepit in manus suas ipsum consecraturus: dans sacerdotibus exemplum similiter faciendi. Caueat tamen sacerdos ne hostiam, nimis eleuet ante consecrationẽ, ne populus a latere circumstans, hostiam non consecratam, vt vulgo dicitur, adoret. Sequitur.

Benedixit, benedictione cęlesti, & virtute verbi, qua conuertitur panis in substantiam corporis Christi. Et in prolatione huius dictionis, *Benedixit*, Fit crux super panem, vt dicit rubrica, quæ significat, quod Christus passus est etiam in natura: totus enim passus est; & secundum animam, & secũdum corpus, vt totum redimeret hominem. Vel. Sacerdos facit duas cruces separatim, vnam super panem in verbo; *Corpus*: aliam super calicem in verbo: *Sanguis*; tum vt materia panis, & vini sanctificetur (nam in Cruce Christi omnia sanctificantur) tum ad repræsentandum huius sacramenti institutionem in materia panis, & vini, qua præsignabatur Passio Christi. Vel: ad significandũ, quod Christus passus est in corpore simul & in anima, ideo vna crux signatur super panem in corpus Christi conuertendum: alia super vinum in Christi sanguinem transmutandum. In sanguine autem, sedes est animæ, sicut scriptum est Leuit. 17. Anima carnis in sanguine est. Ordo horum verborum est secundum Alex. Ales. 4. p. q. 33. membr. 2. Thom. p. 3. q. 78. artic. 1. ad 1. & talis inquam est, *Accepit panem, & benedixit, dicens, hoc est corpus meum*, ac deinde *fregit, & dedit discipulis, dicens accipite & manducante*, licet in canone sint verba præpostera. Sequitur.

Fregit, postquam in corpus suum transubstantiauit: & hæc fractio est in solis formis sacramentalibus, & non in corpore Christi. Hæc enim est spiritualis fractio in qua virtus cognoscitur deitatis, vt forma panis frangatur, & corpus integrum remaneat. Luc. vlt. Cognouerunt eum in fractione panis.

Dedit discipulis suis: dono dedit; sicut dicitur Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Non autem dedit, nisi discipulis suis significans, quod indignus accedere non debet. 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Et ideo indigno in confessione interdici debet, & si publicè inter alios accedit, sacerdos illi porrigit, quia nullum prodit, sed ille tunc rapit sicut Iudam Dominus inter alios accedentem nó prohibuit, quia erat pęccator secretus: ideo & nos hoc facere debemus; si autem publicus peccator esset, tunc nec communicandus. Sequitur.

Dicens accipite, Luc. 22. accipite, inquit,

quit, supple in officium. *Hoc facite in meam commemorationem*; ideo sacerdos non ex se dicit, quod ipse creator corporis & sanguinis esse possit: quia si hoc posset (quod absurdum est) creator creatoris fieret. Sed obsecrat per filium, patrem, per quem ad eum habemus accessum; quare verba antecedentia sunt Euãgelistarum verba: porro deinceps verba sunt Dei, potestate & omni efficientia plena.

Et manducate ex hoc omnes, discipuli, vt omnes mihi incorporemini, & spiritui meo sociemini; quia aliter non potestis Deo patri offerri. *Hoc est* enim *corpus meum*. Forma est sacramenti, qua omnis sacerdos deinceps, vti debuit, & habetur Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. In hac enim forma verbum increatum descendit in verbum creatum; ait Alber. & sua inuisibili potentia operatur transsubstantiationem panis in corpus Christi, sicut etiam a principio in verbo instituta & facta est omnis creatura. Io. 1. omnia per ipsum facta sunt. Et Hebre. 1. Portans omnia verbo virtutis suę. Quis vnquã crederet, quod panis in carnem, & vinum in sanguinem conuerti potuisset: nisi ipse saluator hoc diceret? Qui panem & vinum & omnia ex inuisibilibus creauit: voluit ergo per nos panem & vinum sic offerri; & ab ipso diuinitus consecrari: vt fidelis populus credat verum esse mysteriũ, quod ipse *tradidit discipulis suis dicens: Accipite & manducate*; & *Similiter de calice dixit*. Est communis opinio, quod Christus accipiendo panem in manus benedixit consecrando his verbis: *Hoc est corpus meum*. vt diximus, ac *deinde fregit ac dedit discipulis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes*; & secundum hoc eisdem verbis consecrauit quibus & nos. Hæ quatuor dictiones. *Hoc est corpus meum*, sunt forma consecrationis. Quod autẽ additur, *enim* ex institutione ecclesiæ factũ est, propter cõnexionem formæ ad præcedẽtia; quæ coniunctio, *enim*, nõ est de necessitate cõsecrationis, quia ea dimissa nihilominus fieret consecratio: licet sacerdos omittens ex proposito peccaret mortaliter. Tenetur enim se conformare ordinationi Ecclesiæ. Facta consecratione ait Rubrica: *statim hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit ostendit populo*. Populus adorando percutit pectus, confitens hoc actu Christum Crucifixum & in cruce eleuatum fuisse propter peccata nostra: Cur autem ostenditur & eleuetur in aere, dicitur in cap. seq. Dum eleuatur corpus Christi fit signum tintinabulo ex decreto Gregorij IX. anno Domini 1227. & item, quod ad sonum campanæ diceretur, Aue Maria &c. vna cum salue Regina &c. in meridie mane, & sero.

De simili modo. Cap. 73.

DEterminata forma consecrationis, qua panis in Corpus Christi conuertitur, sequitur altera pars eiusdem formæ, qua vinum in sanguinem eiusdem Christi transsubstantiatur. Et primo tãgitur modus institutionis huius sanctæ conuersionis. Secundo, subditur forma cõsecrationis ibi. *Hic est enim calix*. Tertio, additur commissio frequentandæ huius sacramentalis oblationis, cum dicitur, *Hæc quotiescunque feceritis*. Circa primum dicit.

Simili modo, quantum ad causam, virtutem, & operationis conformitatem, nam eadem potentia, charitate, & gestuum similitudine, qua panem consecrauit; consecrauit & vinum, illud conuertendo in corpus suum, hũc in sanguinem nẽpe postquã cęnatum est a Christo & discipulis vtraque cęna; agni scilicet, paschalis, figuralis, & typici, atque participatione agni veri præfigurati corporis Christi, in quo notatur hora, qua Dominus sanguinẽ suum consecrauit.

verorum: sed in ipsum cœlum vt appareant nunc vultui Dei pro nobis. Et hoc est, *Ad te Deum*, secundum humanitatem, *Patrem suum*, secundum diuinitatem, *omnipotentem*, propter transubstantiationis potentiam: quia in potentia Dei radicatur: quia sicut dicitur Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Sequitur.

Tibi gratias agens. Fuit enim dignū gratias agere de tanto dono, de tam excellenti gratia: de tam efficaci cibo; de tam digno sacramento Io. 11. Pater gratias ago tibi, quia audisti me, ego autem sciebam, quia tu semper me audis. Quod autem rubrica ait: accipit hostiam; eleuat oculos ad cœlum: ideo id dicit, quia verba Christi denotant sic fecisse, & ideo ipsi sacerdotes facere hoc debent. Vnde circa hoc est aduertendum, quod mos est vt sacerdos prius pollices, & indices vtriusque manus ducat super pallam Altaris, tergens eos, licet eosdem ante canonis inceptionem lauerit, ad designandū, quod sacrificium non nisi mundis manibus, nullo pollutis vitio, debet venerabiliter, ac cum summa reuerentia contrectari. Et tersis deinde digitis hostiam de palla sumit in manus, exemplo Christi qui panem accepit in manus suas ipsum consecraturus: dans sacerdotibus exemplum similiter faciendi. Caueat tamen sacerdos ne hostiam, nimis eleuet ante consecrationē, ne populus a latere circumstans, hostiam non consecratam, vt vulgo dicitur, adoret. Sequitur.

Benedixit, benedictione cęlesti, & virtute verbi, qua conuertitur panis in substantiam corporis Christi. Et in prolatione huius dictionis, *Benedixit*, Fit crux super panem, vt dicit rubrica, quæ significat, quod Christus passus est etiam in natura: totus enim passus est; & secundum animam, & secūdum corpus, vt totum redimeret hominem. Vel. Sacerdos facit duas cruces separatim, vnam super panem in verbo; *Corpus*: aliam super calicem in verbo: *Sanguis*; tum vt materia panis, & vini sanctificetur (nam in Cruce Christi omnia sanctificantur) tum ad repræsentandum huius sacramenti institutionem in materia panis, & vini, qua præsignabatur Passio Christi. Vel: ad significandū, quod Christus passus est in corpore simul & in anima, ideo vna crux signatur super panem in corpus Christi conuertendum: alia super vinum in Christi sanguinem transmutandum. In sanguine autem, sedes est animæ, sicut scriptum est Leuit. 17. Anima carnis in sanguine est. Ordo horum verborum est secundum Alex. Ales. 4. p. q. 33. membr. 1. Thom. p. 3. q. 78. artic. 1. ad 1. & talis inquam est, *Accepit panem, & benedixit, dicens, hoc est corpus meum*, ac *deinde fregit, & dedit discipulis, dicens accipite & manducante*, licet in canone sint verba præpostera. Sequitur.

Fregit, postquam in corpus suum transubstantiauit: & hæc fractio est in solis formis sacramentalibus, & non in corpore Christi. Hæc enim est spiritualis fractio in qua virtus cognoscitur deitatis, vt forma panis frangatur, & corpus integrum remaneat. Luc. vlt. Cognouerunt eum in fractione panis.

Dedit discipulis suis: dono dedit, sicut dicitur Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Non autem dedit, nisi discipulis suis significans, quod indignus accedere non debet. 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Et ideo indigno in confessione interdici debet, & si publicè inter alios accedit, sacerdos illi porrigit, quia nullum prodit, sed ille tunc rapit sicut Iudam Dominus inter alios accedentem nō prohibuit, quia erat peccator secretus: ideo & nos hoc facere debemus; si autem publicus peccator esset, tunc nec communicandus. Sequitur.

Dicens accipite, Luc. 22. accipite, inquit,

quit, supple in officium. *Hoc facite in meam commemorationem*; ideo sacerdos non ex se dicit, quod ipse creator corporis & sanguinis esse possit: quia si hoc posset (quod absurdum est) creator creatoris fieret. Sed obsecrat per filium, patrem, per quem ad eum habemus accessum; quare verba antecedentia sunt Euāgelistarum verba: porro deinceps verba sunt Dei, potestate & omni efficientia plena.

Et manducate ex hoc omnes, discipuli, vt omnes mihi incorporemini, & spiritui meo sociemini; quia aliter non potestis Deo patri offerri. *Hoc est* enim *corpus meum*. Forma est sacramenti, qua omnis sacerdos deinceps, vti debuit, & habetur Matth.26. Mar.14. Luc.22. In hac enim forma verbum increatum descendit in verbum creatum; ait Alber. & sua inuisibili potentia operatur transubstantiationem panis in corpus Christi, sicut etiam a principio in verbo instituta & facta est omnis creatura. Io.1. omnia per ipsum facta sunt. Et Hebre.1. Portans omnia verbo virtutis suę. Quis vnquā crederet, quod panis in carnem, & vinum in sanguinem conuerti potuisset: nisi ipse saluator hoc diceret? Qui panem & vinum & omnia ex inuisibilibus creauit: voluit ergo per nos panem & vinum sic offerri; & ab ipso diuinitus consecrari: vt fidelis populus credat verum esse mysteriū, quod ipse *tradidit discipulis suis dicens: Accipite & manducate*; & *Similiter de calice dixit*. Est communis opinio, quod Christus accipiendo panem in manus benedixit consecrando his verbis: *Hoc est corpus meum*. vt diximus, ac *deinde fregit ac dedit discipulis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes*; & secundum hoc eisdem verbis consecrauit quibus & nos. Hæ quatuor dictiones. *Hoc est corpus meum*, sunt forma consecrationis. Quod autē additur, *enim* ex institutione ecclesiæ factū est, propter cōnexionem formæ ad præcedētia; quæ coniunctio, *enim*, nō est de necessitate cōsecrationis, quia ea dimissa nihilominus fieret consecratio: licet sacerdos omittens ex proposito peccaret mortaliter. Tenetur enim se conformare ordinationi Ecclesiæ. Facta consecratione ait Rubrica: *statim hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit ostendit populo*. Populus adorando percutit pectus, confitens hoc actu Christum Crucifixum & in cruce eleuatum fuisse propter peccata nostra: Cur autem ostenditur & eleuetur in aere, dicitur in cap. seq. Dum eleuatur corpus Christi fit signum tintinabulo ex decreto Gregorij IX. anno Domini 1227. & item, quod ad sonum campanæ diceretur, Aue Maria &c. vna cum salue Regina &c. in meridie mane, & sero.

De simili modo. Cap. 73.

DEterminata forma consecrationis, qua panis in Corpus Christi conuertitur, sequitur altera pars eiusdem formæ, qua vinum in sanguinem eiusdem Christi transubstantiatur. Et primo tāgitur modus institutionis huius sanctæ conuersionis. Secundo, subditur forma cōsecrationis ibi. *Hic est enim calix*. Tertio, additur commissio frequentandæ huius sacramentalis oblationis cum dicitur, *Hæc quotiescunque feceritis*. Circa primum dicit.

Simili modo, quantum ad causam, virtutem, & operationis conformitatem, nam eadem potentia, charitate, & gestuum similitudine, qua panem consecrauit; consecrauit & vinum, illud conuertendo in corpus suum, hūc in sanguinem nēpè postquā cęnatum est a Christo & discipulis vtraque cęna; agni scilicet, paschalis, figuralis, & typici, atque participatione agni veri præfigurati corporis Christi, in quo notatur hora, qua Dominus sanguinē suum consecrauit.

dus sacerdotij à summo Pôtifice Christo compensantur, vt nihil minus carnis & sanguinis habeat hoc mysteriũ à quouis indigno, quam ab Apostolica propagine cõsecrata exhibeatur, quia non ex eo, sed ex eius officio, a Summo Pontifice gratia quam ipsa veritas repromisit, impletur, vt in nullo sacerdotium eius & Pontificatus officium, alicuius merito minoretur, virtus enim consecrandi est in eo, quod habet is, qui ordinatur. Et ideo reuertentes, qui baptizati sunt prius, sicut non rebaptizantur ita vtique, qui prius ordinati rursus non reordinantur ad vnitatem catholicam, si recessetint redeũtes. Sed aut ministrent, si hoc Ecclesiæ vtilitas postulat, aut si non, sacramentum tamen ordinationis suę gerunt.

Vel *oblationem* ita ait Innoc. *quam tu Deus digneris in omnibus facere benedictam*, hoc est transferre in eam hostiam, quæ est in omnibus benedicta, ascripta, rata, rationabilis, & acceptabilis. Benedicta dicitur hostia salutaris, idest, ab omni causa maledictionis immunis tam originali quam actuali, tam criminali quam veniali. Sicut Elisabeth inquit ad Virginem, Benedictus fructus ventris tui. *Ascripta* dicitur, idest, figuris & scripturis veteribus designata, tam in agno paschali, quam in manna cælesti, tam in Isaac immolando quam in Abel immolato. Quoniam (vt inquit Ioannes) hic est agnus. qui occisus est ab origine mundi. *Rata* dicitur, quasi non transitoria, sicut vetus quæ recessit & noua successit, sed quæ permanet in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Rationabilis* dicitur, quasi non pecorialis, sicut erat legalis, quæ sanguine taurorum & hircorum non poterat a peccato mundare, sed quæ sanguine proprio conscientias emundat ab operibus mortuis. *Acceptabilis* dicitur, quasi non illa de qua dicit Propheta: sacrificium & oblationem noluisti. Sed sicut Dominus ait: Sacrificium laudis honorificabit me. Secundum hâc dispositionem vel expositionem rectè subiungitur, *vt fiat corpus & sanguis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi*. hæc ille.

De quarta canonis parte. Qui pridie, &c. *Cap*. 72.

HÆc est quarta pars principalis canonis, in qua præmissis primo orationibus ad patrem clementissimum, pro benedictione appositorum munerum, & secũdo sanctorum commemoratione pro impetratione benedictionis, addita tertio depræcatione pro acceptatione oblationis, nũc proceditur in ista quarta parte ad perfectionem sacrificij, scilicet, materiæ idoneæ, & sanctificatæ consecrationem: quia panis vinique substãtia in verum corpus Christi & sanguinem conuertuntur. Et subdiuiditur in duas partes. In prima fit consecratio panis, in secunda vini; ibi, *simili modo, &c*. In prima parte præmittitur modus institutionis huius sacramenti à Christo. Secunda ponitur verborum forma, qua perficitur ipsa consecratio; ibi. *Hoc est enim corpus meum*. Circa primum tangitur huius institutionis tempus & hora, cum dicitur; *Qui pridie quam pateretur*, idest, decima quarta luna primi mensis. Nam die 15. passus est, & 14. quæ erat prima azimorum, pascha comedit cum discipulis suis ad vesperum, post cuius esum Dominus Sacramentum instituit. In ipsa nocte compræhensus; mane parasceues paschæ crucifixus est, vt manifeste patet ex decursu Euangeliorum Matth. Mar. & Luc. licet Græci errauerint, dicentes, quod Christus cęnam vna die præuenerit. Hęc verba dicitur addidisse Alexander Papa primus. Quod ergo hoc loco agitur, repræsentat id quod Christus in cęna gessit, sensus est. *Qui pridie*, idest, priori die *quam pateretur*, idest, vna die antequam ipse passus est pro nobis, hoc est feria 5. in nocte, in

qua

qua tradebatur, postquam in parasceue, hoc est, in sexta feria, patiebatur: in illa autem nocte luna fuit 14. & non erat fermentatum in domibus eorum, & ideo conuincitur cælebrasse in azimo contra Græcos. Exod. 12. Septem diebus comedetis azima. Hoc enim competit signato 1. Cor. 5. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in azimis synceritatis & veritatis. Vna ergo die antequã pateretur pro nobis voluit tradere discipulis suis corporis & sanguinis sui mysterium, vt illi traderent nobis. Illud autem notatione dignum est, quod sicut manna data fuit Hebræis post transitũ maris rubri demersis Ægyptijs; sic Eucharistia datur Christianis post ablutionem Baptismi, iam deletis peccatis; vt per Baptismum mundemur a malo: per Eucharistiam confirmemur in bono: sicut enim manna populum illum per vastitatem in viæ solitudinis ad terram promissionis perduxit, sic Eucharistia populum istum per incolatum vitæ præsentis ad patriam paradisi perducit. Sequitur.

Accepit panem, de frumento puro azimum, *in sanctas*, idest, sanctificantes, *ac venerabiles*, propter vnitam manibus deitatem, *manus suas*, vt tactu suarum sanctarum, & diuinarum manuum tali materiæ vim sacramenti conferret, quod in omni tempore in corpus Christi transsubstantiari posset. Hoc contactu panem deputauit in materiam huius sacrificij. Nam sicut secundum Bedam, Christus tactu suæ mundissimæ carnis dedit vim regeneratiuam aquis, deputando aquam vt esset materia sacramenti Baptismi: ita & acceptatione panis in sanctas, & venerabiles manus suas, vim pani tribuit: vt ex eo tanquam ex congrua materia corpus suum confici posset. Hæc autem vis aquæ, pani, aut vino data, non est aliqua qualitas aut entitas positiua aquæ, pani vel vino impressa: sed est deputatio horum à Deo, vt essent materia congrua sanctorum Baptismi & Eucharistiæ. Est autem omnium doctorum catholicorum sententia, quod materia necessaria ad cõsecrationem Eucharistiæ, est panis, & vinum de vuis vitium expressum.

Accepit ergo *panẽ in sanctas ac venerabiles manus suas.* Hunc sacrificij ritũ Melchisedech legitur cęlebrasse primus, offerens panem & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi. Vnde Dauid ad Christum ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: ideo verò panem, & vinum in sacrificium corporis, & sanguinis sui Christus instituit, ut in sumptione corporis & sãguinis Christi, doceatur esse perfecta refectio; quia sicut præ cæteris cibis, & potibus corporalibus panis cor hominis confirmat, & vinum cor hominis lętificat; ita & corpus & sanguis Christi præ cæteris cibis & potibus spiritualibus interiorem hominẽ reficiunt & satiant. In his enim duobus plena cõsistit & perfecta refectio, sicut ipse ait Io. 6. caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Sequitur.

Et eleuatis oculis in cœlum ad te Deũ patrem suum omnipotentem, per hoc. n. quod Christus in cęlum oculos suos leuauit, insinuat nobis, se habere a patre quod habet, & quod in principio nostrorum operum debemus dirigere mentis oculos ad Dominum, tãquam ad Doctorem omnium operum bonorum. Item per hoc quod oculos ad cęlum leuauit, & patri gratias egit, docuit nos, quod semper patri supplicare debemus, vt hoc tam magnum sacramentum per manus nostras perficere dignetur. Rursus significat istam oblationem semper in cęlum esse eleuandam: quia & ipse sacerdos & hostia sic pro nobis ad patrem in cœlum ascendit. Hebr. 9. Non enim in manufacta sãcta introiuit Iesus exemplaria

vero-

verorum: sed in ipsum cœlum vt appareant nunc vultui Dei pro nobis. Et hoc est, *Ad te Deum*, secundum humanitatem, *Patrem suum*, secundum diuinitatem, *omnipotentem*, propter transubstantiationis potentiam: quia in potentia Dei radicatur: quia sicut dicitur Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Sequitur.

Tibi gratias agens. Fuit enim dignũ gratias agere de tanto dono: de tam excellenti gratia: de tam efficaci cibo; de tam digno sacramento Io. 11. Pater gratias ago tibi, quia audisti me, ego autem sciebam, quia tu semper me audis. Quod autem rubrica ait: accipit hostiam; eleuat oculos ad cœlum: ideo id dicit, quia verba Christi denotant sic fecisse, & ideo ipsi sacerdotes facere hoc debent. Vnde circa hoc est aduertendum, quod mos est vt sacerdos prius pollices, & indices vtriusque manus ducat super pallam Altaris, tergens eos, licet eosdem ante canonis inceptionem lauerit, ad designandũ, quod sacrificium non nisi mundis manibus, nullo pollutis vitio, debet venerabiliter, ac cum summa reuerentia contrectari. Et tersis deinde digitis hostiam de palla sumit in manus, exemplo Christi qui panem accepit in manus suas ipsum consecraturus: dans sacerdotibus exemplum similiter faciendi. Caueat tamen sacerdos ne hostiam, nimis eleuet ante consecrationẽ, ne populus a latere circumstans, hostiam non consecratam, vt vulgo dicitur, adoret. Sequitur.

Benedixit, benedictione cęlesti, & virtute verbi, qua conuertitur panis in substantiam corporis Christi. Et in prolatione huius dictionis, *Benedixit*, Fit crux super panem, vt dicit rubrica, quæ significat, quod Christus passus est etiam in natura: totus enim passus est; & secundum animam, & secũdum corpus, vt totum redimeret hominem. Vel. Sacerdos facit duas cruces separatim, vnam super panem in verbo; *Corpus*: aliam super calicem in verbo: *Sanguis*; tum vt materia panis, & vini sanctificetur (nam in Cruce Christi omnia sanctificantur) tum ad repræsentandum huius sacramenti institutionem in materia panis, & vini, qua præsignabatur Passio Christi. Vel: ad significandũ, quod Christus passus est in corpore simul & in anima, ideo vna crux signatur super panem in corpus Christi conuertendum: alia super vinum in Christi sanguinem transmutandum. In sanguine autem, sedes est animæ, sicut scriptum est Leuit. 17. Anima carnis in sanguine est. Ordo horum verborum est secundum Alex. Alef. 4. p. q. 33. membr. 2. Thom. p. 3. q. 78. artic. 1. ad 1. & talis inquam est, *Accepit panem, & benedixit, dicens, hoc est corpus meum*, ac *deinde fregit, & dedit discipulis, dicens accipite & manducante*, licet in canone sint verba præpostera. Sequitur.

Fregit, postquam in corpus suum transubstantiauit: & hæc fractio est in solis formis sacramentalibus, & non in corpore Christi. Hæc enim est spiritualis fractio in qua virtus cognoscitur deitatis, vt forma panis frangatur, & corpus integrum remaneat. Luc. vlt. Cognouerunt eum in fractione panis.

Dedit discipulis suis: dono dedit, sicut dicitur Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Non autem dedit, nisi discipulis suis significans, quod indignus accedere non debet. 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Et ideo indigno in confessione interdici debet, & si publicè inter alios accedit, sacerdos illi porrigit, quia nullum prodit, sed ille tunc rapit sicut Iudam Dominus inter alios accedentem nõ prohibuit, quia erat peccator secretus: ideo & nos hoc facere debemus; si autem publicus peccator esset, tunc nec communicandus. Sequitur.

Dicens accipite, Luc. 22. accipite, inquit,

quit, supple in officium. *Hoc facite in meam commemorationem*; ideo sacerdos non ex se dicit, quod ipse creator corporis & sanguinis esse possit: quia si hoc posset (quod absurdum est) creator creatoris fieret. Sed obsecrat per filium, patrem, per quem ad eum habemus accessum; quare verba antecedentia sunt Euãgelistarum verba: porro deinceps verba sunt Dei, potestate & omni efficientia plena.

Et manducate ex hoc omnes, discipuli, vt omnes mihi incorporemini, & spiritui meo sociemini; quia aliter non potestis Deo patri offerri. *Hoc est* enim *corpus meum*. Forma est sacramenti, qua omnis sacerdos deinceps, vti debuit, & habetur Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. In hac enim forma verbum increatum descendit in verbum creatum; ait Alber. & sua inuisibili potentia operatur transubstantiationem panis in corpus Christi, sicut etiam a principio in verbo instituta & facta est omnis creatura. Io. 1. omnia per ipsum facta sunt. Et Hebre. 1. Portans omnia verbo virtutis suę. Quis vnquã crederet, quod panis in carnem, & vinum in sanguinem conuerti potuisset: nisi ipse saluator hoc diceret? Qui panem & vinum & omnia ex inuisibilibus creauit: voluit ergo per nos panem & vinum sic offerri; & ab ipso diuinitus consecrari: vt fidelis populus credat verum esse mysteriũ, quod ipse *tradidit discipulis suis dicens: Accipite & manducate*; & *Similiter de calice dixit*. Est communis opinio, quod Christus accipiendo panem in manus benedixit consecrando his verbis: *Hoc est corpus meum*. vt diximus, ac *deinde fregit ac dedit discipulis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes*; & secundum hoc eisdem verbis consecrauit quibus & nos. Hæ quatuor dictiones. *Hoc est corpus meum*, sunt forma consecrationis. Quod autẽ additur, *enim* ex institutione ecclesiæ factũ est, propter cõnexionem formæ ad præcedẽtia; quæ coniunctio, *enim*, nõ est de necessitate cõsecrationis, quia ea dimissa nihilominus fieret consecratio: licet sacerdos omittens ex proposito peccaret mortaliter. Tenetur enim se conformare ordinationi Ecclesiæ. Facta consecratione ait Rubrica: *statim hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit ostendit populo*. Populus adorando percutit pectus, confitens hoc actu Christum Crucifixum & in cruce eleuatum fuisse propter peccata nostra: Cur autem ostenditur & eleuetur in aere, dicitur in cap. seq. Dum eleuatur corpus Christi fit signum tintinabulo ex decreto Gregorij IX. anno Domini 1227. & item, quod ad sonum campanæ diceretur, Aue Maria &c. vna cum salue Regina &c. in meridie mane, & sero.

De simili modo. *Cap.* 73.

DEterminata forma consecrationis, qua panis in Corpus Christi conuertitur, sequitur altera pars eiusdem formæ, qua vinum in sanguinem eiusdem Christi transubstantiatur. Et primo tãgitur modus institutionis huius sanctæ conuersionis. Secundo, subditur forma cõsecrationis ibi. *Hic est enim calix*. Tertio, additur commissio frequentandæ huius sacramentalis oblationis, cum dicitur, *Hæc quotiescunque feceritis*. Circa primum dicit.

Simili modo, quantum ad causam, virtutem, & operationis conformitatem, nam eadem potentia, charitate, & gestuum similitudine, qua panem consecrauit; consecrauit & vinum, illud conuertendo in corpus suum, hũc in sanguinem nẽpẽ postquã cęnatum est a Christo & discipulis vtraque cęna: agni scilicet, paschalis, figuralis, & typici, atque participatione agni veri præfigurati corporis Christi, in quo notatur hora, qua Dominus sanguinẽ suum consecrauit.

Accipiens, & hunc præclarum calicem, præclarum, idest, præ alijs clarũ, non modo figuralem, & nubilum, vel signum tantum; sed veritatem offerendi sanguinis continentẽ, *calicem*, idest, vasculum vinum continens; accipitur enim tripliciter, vt supra diximus. lib. 1. Hoc pronomen, *Hunc*, accipitur secundum demonstrationem impersonalem. Non enim demonstrat calicẽ, quem sacerdos in manu accipit; illum namque eundem nõ accepit Christus in manus suas tempore cęnæ; sed demonstrat eum, quem Christus accepit similem huic, atque eundem nominis appellatione, & liquoris eiusdem speciei, aut nominis continentia. Et per hoc innuitur materia consecrationis sanguinis, quoniam calicem vacuum non accepit, sed uino infusum. Quod manifeste patet ex eo quod subdit secundum Matth. Dico autem vobis, non bibam amplius de hoc genimine vitis, &c. quo aperte significatur, qđ in calice fuit genimen vitis, quod est vinum, Materia ergo consecrationis sanguinis est vinum de vua vitis expressum. Dicitur vinum propter agrestam, & acetum, quorum neutrum est vinum. Sed licet sub utraque specie sumatur vtrumque, scilicet, corpus & sanguis; vtraque tamen species consecratur, & neutra superfluit, de consecr. distin. 2. Comperimus, & hoc fit, ut ostẽdatur Christum humanam sumpsisse naturam, scilicet, corpus & animam, vt totum redimeret. Panis enim refertur ad carnem, & uinum ad animam; quia uinum sanguinem operatur; in quo sedes est animæ. 23. q. 2. Moyses. Moyses quoque testatur, quod caro pro corpore, sanguis autem offertur pro anima; quocirca panis & vinum in sacrificio offeruntur; quod ualet ad tuitionẽ corporis, & animę: ne sub specie panis, sanguis sumatur cum corpore, & sic sub altera tãtum specie sumatur ad alterius tantum pateteur peruenire salutẽ. Vnde rectè statuitur in canone de cõsecra. dist. 2. cõperimus, quod corpus Christi Sacerdos, sine eius sanguine non sumat, quod si populus sub vna tantum specie sumit, hoc ideo fit pluribus de causis. Primo propter periculum irreuerentiæ & effusionis, quia si fieret cõmunio sub vtraque specie, oporteret habere magna vasa vini, & attenta multitudine, & indeuotione, esset periculum effusionis, & vix posset obseruari quin effunderetur. Secunda causa, quia hoc sacramentum est communionis, in quo omnes debent conuenire. Vnde Apost. omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus: vbi calix pro passione Christi accipitur, quæ participatur communicando sub specie panis. Aliqui enim tantum abhorrent a uino, vt non possent eius odorem sufferre: ideo illis non conueniret: & ita non esset omnium cõmunio. Tertia causa, quia vinum faciliter, vbi que inueniri non potest, & aliquando bella impediunt pro tanta multitudine deferri.

Quarta causa, ad reprobandum Nestorij errorem, qui dicebat, quod sub specie panis non erat sanguis, sed corpus exangue, & cadauer; & sub specie vini solus sanguis, quod cedebat in errorem, & scandalum pusillorum, & simpliciũ; quia inde sequebatur Christum non resurrexisse: ideo in Concilio Basilien. Sess. 30. & Constantien. Sess. 13. corrobatur ritus, & consuetudo consumendi Eucharistiam a Laicis sub specie panis dumtaxat, ubi iam recepta erat: & condemnati fuerunt veluti hæretici, qui huiusmodi ritum impugnare auderent, & tamquam illicitum reprobarent, cæteris suæ libertate relicti.

Dicit, Postquam cænatum est, vbi notat Ioan. Immolen. in clementinas, quod triplici de causa Christus instituit hoc Sacramentum in vltima cęna. Primò, ut deficiente eius pręsentia corporali, realiter dimitteret nobis suum

corpus

corpus in signum maximè dilectionis. Secundò, quia hoc sacramentum est perpetuum memoriale suæ passionis, & ideo ipsa passione imminentem debuit fieri. Tertiò, quia hoc fuit factum tamquam vltimum, vt maiori, & recentiori memoriæ traderetur: quia post commestionem agni & typicũ pascha completum, conueniens fuit nouum Sacramentum institui. Ideo dixit; Hoc facite in meam commemorationem. Hac igitur institutione formati cęlebramus iugiter per mysteriũ, quod semel offerebatur in pretium: nam vbi veritas venit, signa, (vt erat agnus Paschalis) cessauit. Sequitur. *accipiens & hunc pr clarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, &c.* exponantur: vt supra. Deinde ponitur forma. Consecrationis vini, &c.

Hic est enim sanguis sanguinis mei, idest, continens sanguinem meum, ponitur continens pro contento. Vel. *Hic est calix*, idest, potus, qui est *sanguis meus*, sicut in simili dicitur: creatura salis, idest, creatura, quę est sali, *Noui & aeterni testamenti* noui autem dicit; quia in ritu, & effectu est nouum; nam aliud est oblatio siue sacrificium agni, & aliud panis & vini. Apocalyp. 21. Et dixit, qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia. Aeternum autem dicitur, quia numquam alterius testamenti, vel sacramenti recipiet super ordinationem: sicut superordinatum, est Sacramentũ veteris legis, idest, æternũ; quia aliud non succedit. Ierem. 31. sanctum Domini non euelletur, & non destruetur vltra in perpetuum. Nam lex Naturę legem scriptam expectauit & lex scripta legem gratię. At vero hęc nullam aliam hic expectat. Etenim ipsa perfectior & vltima est. Tam perfecta est, quod etiam a malis laudatur. Vnde & dirus Mahumetus in suo Alacorano cap. 3. ait: Qui voluerit perfectus esse seruet Euangelium Iesu Christi. Et interrogatus deinde, si hoc est verum, cur legem tam contrariam illi scripsisti, quem adeo perfectam esse fateris? Audite responsionem insanam. Scitote, (inquit,) Deum in mundo Iesum misisse vt eius Euangelio ex hominibus Angelos faceret, & sciens Deus paucos fore, qui illam perfectionem sequerentur, misertus hominum ne damnarentur, me misit ut hanc legem tam amplam darem, & tam conformẽ carnis appetitui propter debiles. Aduertite hominis infernalis astutiam, qui cum non posset altissimam perfectionem legis gratię negare, hoc artificium quæsiuit, vt stupidos homines falleret. Nam satis stolidus & amens est ille, qui credit quod idem Deus, qui vires suggerit hominibus ad obseruandum cum suauitate perfectissimam legem Euangelicam, alteram ita contrariam illi daturus erat.

Vel. *Aeterni*, dicit, quia lex noua nõ est transitoria, sicut antiqua, extra de cælebr. Mis. cap. cum Matthæ. Vetus enim testamentum, quod hircorum, & vitulorum, fuit sanguine dedicatum. Vt dicitur Hebr. 9. promittebat homini temporalia, & transitoria; nouum vero, quod Christi sanguine fuit consecratum, promittit æterna, & ideo, testamentum illud fuit vetus, & transitorium: hoc autem nouum est & æternum. Et quia sicut nec primum testamentum sine sanguine dedicatum est vt ait Apost. Hebr. 9. lecto enim vniuerso legis mandato, Moyses accipiens sanguinem hircorum, aut vitulorum, ipsum librum, & omnem populum aspersit dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad nos Deus. Exo. 24. ita nec secundum; nam sine sanguinis effusione non fit remissio. Ecce quam propriè Moyses verba pręcepit, quibus Christus vsus est in cæna. Testamentum autem in mortuis confirmatur; alioquin non valet, dum viuit, qui testatus est, ergo, &c. *Mysterium fidei*, mysterium dicitur a Græco mystin, quod est secretum, quia secretum fuit, qualiter in morte vitam ęternam, & in

sanguine perficeret sanctitatem: & ideo multis huius mundi stultitia videbatur. Inde dicit Isa. 24. Secretum meũ mihi, secretum meum mihi. Iob. 28. Profunda fluuiorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem. Fluuij enim sunt flumina vulnerum, quorum est profunda sapientia, qualiter sanguine Christi redemptus est mundus. Alber. Et in hoc profundo omnia mysteria fidei sunt reuelata. Si ergo est sãguis testamenti æterni; est etiam & mysterium fidei. Vel. *Mysterium fidei*, idest, occultum quod sola fide cernitur. Vel. *mysterium fidei*, idest, secretum, quia quod sensibus nostris est occultum, fide est reuelatum. Vel. *mysterium fidei*, q. d. Sacramenta, quæ vides in altari æstimanda sunt, non spe, sed fide. *Qui pro vobis, & pro multis* bonis, scilicet, efficaciter; pro omnibus tamen effusus est sufficienter; vel *pro vobis* Iudæis. & *pro multis* Gẽtilibus. Non dicit pro omnibus, quia licet sanguis & passio Christi sufficienter satisfecerit pro infinitis mundi, si essent; non tamen efficaciter, quia non omnibus applicatur propter eorum indispositionem, eo quod non curant se præparare. Et quo ad hoc habetur figura 4. Reg. 4. vbi dicitur, oleum, quod erat in lecyto impleuisse omnia vasa applicata, quantumcumque magna, quando non fuit vas, stetit oleum.

In remissionem peccatorum: quia sedes animæ in sanguine est, qui est pretium redemptionis. 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine tamquam agni immaculati Christi.

Vel sic. *Hic est calix sanguinis mei*, idest, hic est sanguis meus in calice cõtentus; noui, idest, vltimi & æterni, idest, perpetui, *testamentum*; *mysterium fidei*, idest, habens secretam & absconditam intelligentiam tenendam per fidem; *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, dicatur vt supra.

Hic potest quæri quare scriptura vocatur testamentum vetus, nostra uero testamentum nouum? Respond. quod scriptura dicitur testamentum vetus: primo, quia vetera, idest, terrena, scilicet, ad veterem hominem pertinentia promittebat, dicens: si hæc & illa feceritis bona terræ comedetis. Et alibi. Terram fluentem lacte & melle dabo uobis, & similia. Vnde illud vetus & transitorium fuit. Secundo, dicitur testamentum vetus, quod per veterem hominem, scilicet, per Moysem veterem vetustate peccati ministratũ fuit. Tertiò, quia noua superueniente cessauit & desijt tãquam aliquid vetustum. Vnde 2. Cor. 5. dicitur; Vetera transierunt ecce noua facta sunt omnia. Quarto, dicitur vetus respectu noui, quia fuit eo antiquius tempore. Quinto, quia a vetustate peccati non liberat.

Nostra vero scriptura, nouum dicitur testamentum: primo, quia noua, idest, cælestia, scilicet, ad cælestis hominis conseruationem pertinentia promittit, dicens: Qui reliquerit domum, aut agrum, &c. centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Secundo, dicitur nouum, quia per nouum hominem, idest, ab omni peccato immunem, scilicet, Christum ministratum est. Tertio, dicitur nouum, idest, vltimum quia nouissimum apud homines testamentũ immobile perseuerat: quod testatoris obitu confirmatur; vt Extr. de cælebr. Miss. Cum Marthæ. §. cæterum. Hinc enim dicitur æternum, idest, perpetuum quasi durabile ac immutabile de quo supra diximus. Christus enim iam non moritur & mors illi vltra non dominabitur. de consec. dist. 2. Semel. Quarto, dicitur nouum respectu veteris, quia illo magis est nouum tempore, vel, quia vetus lex est quasi radix; ipsum vero nouum est quasi fructus. Quinto, quia innouat, non enim illud dicunt nisi homines renati ex vetustate

custate per gratiam pertinentes ad nouum testamentum quod est regnum cælorum.

Item, lex Euangelica respectu legis Moysi est perfecta, & excellentias multas sortitur; & ipsa cæteras vniuersas superat leges in perfectione. Quæ a Diuo Iac. 7. dicitur lex perfectæ libertatis. Primo, quia per eam exoneramur ab obligatione obseruantiæ vete. legis. Propter quod Pet. ait; Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari. Act. 12. & Rom. 7. dicitur; lex Spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me a lege peccati & mortis. Et rursus clarius ait. Nunc sine lege iustitia Dei manifesta est, per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Secundo, quia lex Euangelica est lex charitatis & gratiæ. Lex vetus, lex timoris & pænæ. Idcirco secundum Augu. Breuis differentia Euangelij & legis, est, amor, & timor. lex quippe Euangelica dicitur lex amoris & gratiæ: inquantum continet salutifera sacramenta gratię contentiua: & quia in Euangelio preclarissimè describuntur amor & pietas Dei ad homines, & beneficia ac promissa ipsius, inducit quoque lex ista ad sui obseruãtiam potius per amorem, & præmij policitationem, quam per terrorem, & comminationem pænarum. Porro, lex vetus dicitur lex timoris; Quia nec gratiam continebat, & transgressoribus suis etiam temporalem mortem mox infligi præcepit. Et ita quasi quadam coactione, atque formidine, ad sui obseruationem induxit. Propter quod Hebr. 10. dicitur: Irritam quis faciens legem Moysi absque vlla contradictione duobus aut tribus testibus moritur. Lex autem Euangelica transgressoribus pænitentiam consulit, veniamque promittit. Tertiò, quia per Euangelicæ legis obseruationem, liberamur ab omni iugo diaboli, & seruiture peccati, quemadmodum Paulus Act. 13. ait; per Iesum remissio vobis peccatorum annunciatur, ab omnibus a quibus non potuistis in lege Moysi iustificari. Quartò, quia per impletionem Euangelicæ legis, ad æternam fælicitatem, in qua est cælestis ac plena libertas, perducimus, quod per Mosaicæ legis obseruantiam non fiebat. Hinc filius Dei ait; Ioan. 8. Si filius vos liberauit, verè liberi eritis.

Fiunt autem istæ consecrationes cũ signo crucis; quia virtute crucis & verborũ fit transubstãtiatio naturarũ. Prolatis verbis adorat ipse prius, deinde ostendit populo sicut fecit de corpore. Hoc autem antiquissimum est, vt patet ex Dionysio. capitul. 3. de Eccles. hierarch. ait enim; At vero Pontifex cum diuina munera laude prosequutus fuerit, sacrosancta, & augustissima mysteria conficit; & quæ ante laudauerat, venerandis operta signis atque abdita, in conspectu agit, diuinaque munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem, & ipse conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur literaliter autem patet, quia omne sacrificium debet cum aliqua eleuatione in aere versus Deum fieri. Leuit. 23. Sacerdos eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis; nam eleuando sic offerrimus Deo hostiam nostram, quod fasciculus ille denotet eleuationem Christi in Golgota: vide nostras etiam meditationes. capit. 42. Moraliter: significat Christum eleuatum in cruce & ostensum populo post suam crucifixionem. Voluit sic eleuari vt sanctificaret aerem suo flatu, sicut sanctificabat terrã suo prætioso sanguine. Vel eleuando, quasi dicat Sacerdos in tali actione, ò pater peccauimus & te ad iracundiã prouocauimus: sed nunc respice in faciem Christi tui: & miserere nostri. Dum autem ostendit, dicit: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam*

memoriam facietis, id est, hæc quotiescumque feceritis ad aram denotando Sacramẽtum, in mei, obeuntis ad passionem memoriam facietis. Carthusiani autem eleuant calicem coopertum, ad ostendendum hoc sacramentum occultissimum fore, & difficillimum ad intelligendum, vel quod tempore institutionis huius sacramenti sanguis Christi inuisibiliter erat, qui inter eius venas existebat. Aliæ vero Ecclesiæ absque palla, seu velamine eleuant, primo ad designandum, quod post institutionem huius sacramenti, sanguis Christi factus fuit visibilis per ipsius effusionem in cruce; vnde hic dicitur, *Hic est sanguis meus*. Secundo, propter ventum, quia periculosum est cum palla eleuare. Tertio, quia Romana Ecclesia sic habet vsum.

Notatione dignum est, quod Sacerdos tam calicem, quam hostiam eleuat. Primo, vt populus adoret hostiam, & sanguinem; atque vt videãt, & petant quod proficit ad salutem. Secundo, ad notandum, quod non est aliud dignum sacrificium: immo est super omnes hostias. Tertiò, exaltatio huiusmodi significat Christum verũ panem per Prophetas in scripturis exaltatum: quando scilicet, incarnationem eius prophetizabant. Quarto, significat resurrectionem. Quinto, hostia eleuatur, vt populus non præueniens consecrationem: sed ex hoc cognoscens illam factam esse, & Christum super altare venisse reuerẽter ad terram prosternatur. Philip. 2. In nomine Iesu omne genuflectatur. Et tam calix, quam hostia cum vtraque manu eleuantur propter maiorem reuerentiam, & securitatem.

Ecclesia Græca (vt elicitur ex Sancto Germano Archiep. Constantinopol. in theoria rerum ecclesiasticarũ) cum eleuat Sacerdos diuinum panẽ, signum crucis ter facit in aere cum venerabili & viuifico pane. Hoc autem vult innuere, quod vna crux quæ fit sursum designat supernum ætherem sanctificatum. Media crux aerem: infima quæ fit supra & prope discũ, terram in qua viuificum illud corpus Christi sepultum est.

Quod autem in calice faciat crucis signum idque tertium; sanctificatum iudicat, quatuor finibus terminatum vniuersum mundum, a diuina per carnem assumptam dispensatione, & ab ipsa viuifica passione Christi Dei. Et Christus Iesus cruci affixus ad occidentem erat intuens, eius vero venerandarum manuum, altera in meridiem, altera in Septentrionem erat extensa. Hoc autem ad Orientem, prout ait quidam, Deus a Theman veniet: quia ipse est spiritalis sol iustitiæ: & oriens nomen eius: & propterea quod illinc expectamus æternam requiem & resurrectionem. Quod autem tres fiant cruces, id sanctæ Trinitatis mysterium significat. Post pauca subdit, quod autem subleuet diuinum panem solum, id est, quia ipse est rex Dominus, & ipse est caput, vt Apost. ait; Alia autem veneranda dona, membra sunt Christi, & corpus Christi, idest, venerandi corporis Christi Dei. Ille enim est solus in quo figuratur & monstratur diuina & viuifica passio eius, qui est immolatus pro mundi vita. hæc ille.

In eleuatione pulsatur tintinabulum; nam & in vet. testamento Leuitę tempore sacrificij tubas clangebant argenteas, vt earum sonitu populus præmonitus, foret ad adorandum dominum præparatus. Et propter eandem causam pulsatur dum corpus Christi ad infirmum portatur; mula etiam capellam Domini Papæ baiulans fert tintinabulum ob reuerentiam sacramenti, quod portat. Quod sequatur Pontifex Sanctis. Sacramentum; hoc vult innuere se esse verum Vicarium illius quem sequitur.

De Quinta Canonis parte, Vnde memores. *Cap.*74.

QVoniam Dominus dixerat, vt hoc in sui memoriam faceremus: ideo Ecclesia in hac parte tria sibi præponit memoranda, scilicet, tam beatam passionẽ, necnon ab inferis resurrectionem, sed in cęlos gloriosam ascensionem: quorum primum, scilicet, passio excitat charitatem. Secundum, scilicet, resurrectio, corroborat fidem. Tertium, scilicet, ascensio, lætificat spem. Quid enim magis in nobis charitatem accendit, quam quod proprio filio suo non pepercit Deus? Rom.8. Quid magis in nobis fidem confirmat, quam quod Christus resurrexit a mortuis? Sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 1. Corin.15. Quid magis in nobis amplificat spem, quam, quod Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus; vt vbi ipse est, illic sit & minister eius? Hæc est autem quinta canonis pars, & diuiditur in tres partes. In quarum prima ponitur consecratorum, (in memoriam Christi) oblatio. In secunda petitur acceptatio oblatorum ibi; *Supraque propitio*, &c. In tertia postulatur diuinæ gratiæ participatio; ibi, *Supplices te rogamus*, & cæt.

Quoad primum, quia Dominus ipse hæc in sui memoriam pręcipit fieri dicens: Hoc facite in meam commemorationem. *Vnde*, idest, ex hoc præcepto sacerdos in persona Ecclesiæ ad patrem dicit. O pater clementissime. *Vnde*, idest, ex quo Christus filius tuus voluit, vt illa in sui memoriam faceremus, quæ ipse benignissimus in vltima cœna facere & instituere dignatus est pro sua benignitate, & misericordia. *Nos serui tui*, Sacerdotes. & Clerici, qui nostrorum ordinum seruitute ad hæc offerenda accepimus. Isai. 61. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini ministri Dei nostri. *Nos* inquam *serui*, qui succedimus Apostolis, quos in sacerdotes filius tuus personaliter consecrauit; & in ministeriũ suum specialiter deputauit, dum eis dixit, Hoc facite in meam commemorationem. *Nos*, in idem opus ab Ecclesia ordinati, & potestatem ab eodem Christo Domino nostro accipientes: *Sed & plebs tua*, idest, tota communitas Christiana, *Sancta*, idest, sacratis sacramentis imbuta. Vel, *Sancta*, idest, fide, & charitate in susceptione baptismatis sanctificata. *Nos* inquam *serui tui: sed & plebs tua sancta, memores eiusdem Christi filij tui* cuius corpus, & sanguinem confecimus, & participamus. *Eiusdem* inquam *Christi* mediatoris Dei, & hominum: *Filij tui*, tibi consubstantialis, vt sic per ipsum ad te habeamus accessum. Roma.5. Pacem habeamus ad Deum per dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus per fidem in istam gratiam in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Ipse enim est hostium Ioan.10. Ego sum ostium: per me si quis introierit saluabitur; & ingredietur, & egreditur & pascua inueniet. Et ibidem. Huic ostiarius aperit. Vbi dicit glos. Aug. quod Christus mediator est ostium, & ostiarius fideles inducens ad patrem Domini nostri, qui facultatibus diues est in omnes. Roman. 10. Idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. *Domini nostri*, idest, Dei, quia nisi esset Deus, nos vsq; ad te per hostiam suam nos induceret. Ioan.1. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu patris ipse enarrauit.

Tam beatæ passionis, hæc enim sunt sacramenta Christi, per quæ nos eleuat: quorum primum ab infimis eleuat & absoluit. Secundum, ad beatitudinis eleuat gloriam. Tertium autem, extollit ad beatorum locum. Et hoc est, *Tam beata*, idest, tam excellen-

ter beatificantis passionis, quæ mortuos a uinculis mortis absoluit. Moriente Christo in passione, monumenta aperta sunt;&c. Matth.27. Sic ergo mors Christi mortuos, in imis soluit, vt eleuari possint. Psalm.145. Dominus soluit compeditos. Vnde gratulantes iam soluti dicunt; Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis & nomen Domini inuocabo.

Nec non & ab inferis, qui multos tenuerunt absorptos in anima, & multo plures in culpa per malum meritum, quo descendere meruerunt ad inferos. Psalm.48. Verum tamen Deus ab inferno redimet animam meam, cum acceperit me.

Resurrectionis, qua resurrexit & alios secum resurgere fecit, quosdam in re, & quosdam in certa, & felici spe. Isai. 26. Viuent mortui tui, interfectique mei resurgent. 1. Cor.15. Mortui resurgent, vnusquisque in ordine suo: primitiæ Christus; deinde ij, qui sunt Christi, qui ad aduentum eius crediderunt: & ita in Christo resurgimus a morte animæ ad iustificationem, & a morte corporis ad gloriam. Rom. 4. Qui traditus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram.

Sed & in cælos, tangit aliud, nos eleuans sacramentum. Et dicit cælos pluraliter, quia quamuis Christus pluraliter ad dexteram patris ascendit super omnes cęlos, sicut dicitur Ephes.4. tamen in omnes cælos omnium per ordines singulos ascendit; quia omnibus & singulis illuminationes suas inuehit, & inuexit, & inuehet in ęternum. Et ideo decem sunt dies, quibus cælebratur ascensio: quia nouem Angelorum cęlos conscendit: & sic decimo in dextera patris resedit. Psal.18. A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, nec est, qui se abscondat a calore eius.

Gloriose, quia omnia quæcumque fecit & dixit, credibilia fecit. Psal. 92. Mirabilis in altis Dominus, testimonia tua credibilia facta sunt nimis. *Ascensionis*, quę nos in hostia Christo incorporatos in cælum ascendere facit. Mich. 2. Ascendit pandens iter ante eos. Et Ioann.14. si quo minus dixissem vobis, quia uado parare vobis locum: Manus nunc aliquantulum altius erigit: quia Christus eleuatis manibus ferebatur in cælum.

Offerimus, tangit tertium: quod est hostiæ in cælum a sacerdote cum clero, & populo oblatio; & ideo dicit offerimus in plurali. Heb.13. per Christum offeramus hostiam laudis semper Deo.

Præclaræ maiestati tuę, quæ licet in omnibus clara sit: tamen præclara hoc est, præ alijs clara est in cælis, & gloria beatorum, vbi nihil habet obscuritatis admixtum: vbi in dispari claritate sanctorum est par gaudium vt ait August. & Matth. 13. dicitur Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei.

De tuis donis, quæ a te accepimus, idest, de frugibus segetũ. & hoc quantum ad panem, qui consecratus est in carnem. *Ac datis*, idest, fructibus arborum, quantum ad vinum in sanguinem Christi conuersum. Non quod in oblatione hic sit panis & vinum, sed quia quæ offeruntur, ex pane & vino sunt confecta, & sub speciebus panis, & vini remanentibus latentia; & idcirco offerre nos dicimus de fructibus segetum & arborum. Cõstrue sic. *Vnde nos serui tui*, Sacerdotes, *& plebs tua sancta eiusdem Christi filij tui Domini nostri, tam beatæ passionis, resurrectionis, & ascensionis filij tui* clementissime pater, simul *memores*, *Offerimus* simul, non tamen simili modo. Nos enim Sacerdotes offerimus in ministerio & opere; Sed plebs tua sancta dumtaxat, & deuotione. Sacerdotes namque soli consecrant, & soli offerunt, vt personæ publicæ pro salute totius Ecclesiæ. Alij autem offerre dicuntur; quia desiderant, & præcantur Deum,

Deum; vt Sacerdotis oblatio accepta habeatur, & salus, quæ petitur, fidelibus concedatur. *offerrimus* igitur o pater clementissime *preclare maiestati tue* idest, præ ceteris claræ. Nam si iusti fulgebũt sicut Sol in regno patris eorum, quãto magis refulget diuina maiestas? *offerrimus* inquam de tuis donis ac datis vt supra diximus.

Deinde facit Sacerdos quinque cruces, tres super corpus, & sanguinem, & semel super corpus tantum, & semel super sanguinem tantum, dicens; *Hostiam † puram,* supple offerrimus, *hostiam*, quæ iam ad ostium cæli eleuata offertur; Etenim virtute Eucharistiæ fit introitus ad vitam æternam. *puram*, idest, mundam a fomite originalis peccati, inquit Alex. *hostiam sanctam*; quantum ad locutionem, idest, omnis sanctitatis virtutem tribuentem, in qua sanctum sanctorum continetur. Io. 17. Ego pro ipsis sanctifico meipsum, scilicet. *Hostiam immaculatam*: hoc est maculam a nobis actualem abstergẽtem; eoquod immaculatus Dominus in ea continetur, qui est agnus sine macula. Ephes. 5. Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam.

Vel *hostiam puram*, quãtum ad deitatem, quæ est lux purissima, in qua nõ sunt tenebræ vllæ. 1. Ioann. 1. Habitat enim lucem inaccessibilem. *hostiam sanctam*, quoad animam, omni gratia, & sanctitate plenissimam. De cuius plenitudine omnes accepimus gratiã pro gratia. Ioan. 1. *hostiam immaculatam*, quantum ad carnem de purissima Virgine sancti Spiritus operatione conceptã, & ideo omni naturali corporis perfectione decoram. Psal. 44. Speciosus forma præ filijs hominum. *panem sanctum* dicitur panis per similitudinem: quia substantia panis, quæ ibi fuit, iam in corpus Christi est transubstantiata & non est ibi: & panis dicitur sanctus, quia sanctis, & non immundis est communicandus. *Vite eterne*, quia autem vegetat ad vitam æternam: ideo dicitur panis vitæ æternæ. Si quis manducauerit hunc panem viuet in ęternum. Io. 6. Et Ecclesi. 15. Cibauit eum pane vitæ, & intellectus.

Et calicem; a quo spirat Spiritus cui per sanguinem Christi communicamus; & quia sanguis lauando saluat a peccatis, & periculo; ideo additur, salutis perpetuę. 1. Corint. 12. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, aut liberi. Et omnes vno Spiritu potati sumus. ibid. 10. Omnes eundem potum biberunt: bibebãt autem de spirituali, consequente eos petra, petra autem erat Christus. Nota quod tres primę cruces fiunt super oblatam & calicem; quia in tribus illis verbis, vtrumque pariter intelligitur; aliæ vero duæ fiunt super panem, scilicet, prima; secunda super calicem: quia specialiter nominantur. Aduerte quod numquam in crucis signaculo panis separatur a calice, nisi cum separatim nominantur in canone.

Dur. vult, quod istæ quinque cruces denotent quinque Christi plagas. Vel: quod Christus quinque sæcula redemit. Notatione autem dignum est circa has cruces; quod illæ, quæ factæ ante consecrationem, significant ea, quæ acta sunt ante crucifixionem Christi. Istæ vero, quæ fiunt post consecrationem, repræsentant ea, quæ Christus in cruce, & morte perpessus est. Sed iuxta hæc oritur, quæstio secundum Innoc. & Alex. non omnino subterfugienda. Cum enim plenè & perfectè consecratio sit celebrata, quare super Eucharistiam benedictam & plenissimè consecratum, adhuc benedictionis insignia imprimuntur? Resp. Innoc. (præterea, quæ dicta sunt) præmissa protestatione non præiudicandi saniori sententiæ, quod in canone aliud verba significãt, aliud signa prætendunt. Significant .n. verba, & referuntur, ac principaliter; spectant ad Eucharistiæ consecrationẽ ac oblationem, Signa vero principaliter,

ter, pertinent ad historiam Dominicæ passionis recolendam. Nam verbis vtimur ad consecrandum panem, & vinũ in corpus & sanguinem Christi. Signis verò vtimur ad recolendum ea, quæ per hebdomadam ante paschalem gesta sunt, & acta circa Christum. Secundum hoc igitur dicendum: quod signa nõ requiruntur ad consecrationẽ: quia illa iam perfecta est per verba ad hoc instituta; sed referuntur ad passionem Christi recolendam, quæ post consecrationem Eucharistiæ a Christo in cæna factam est consumata. Sed fortasse dicis non solum benedictionis signa: sed etiam verba subiunguntur, quæ ad consecrationem pertinere videntur, & innuere, quod nondũ sit consecratio consumata. Sicut illa verba ante orationẽ Dominicam prolata, *per quem hæc omnia semper bona creas, sanctificas, viuificas.* Item post diuisionem sacramenti, cum dicit: *Fiat hæc commixtio & consecratio corporis & sanguis, &c.* Ad hoc Respon. Alex. par. 4. q. 37. post Dominum Innoc. quod quantum ad ordinem Eucharistiæ consecrandæ capitulum illud, Qui pridie, in quo fit consecratio, in fine canonis subijci debuisset; cum iam in eo consecratio cõsumatur. Sed ordo iste impediuisset ordinem historiæ recolendæ, quia quod gestum fuit in medio, recoletur in fine. Prouidus igitur canonis ordinator, vt ordinẽ seruaret historiæ, quasi quadam necessitate compulsus capitulum illud, Qui pridie quam pateretur, quasi cor canonis in medio collocauit, vt quæ sequũtur intelligantur præcedere, secundum illam figuram, quę sæpè fit, vt, quæ narratione succedunt, intellectu pręcedãt. Vel potius, vt tam literæ, quam historiæ suus ordo seruetur; hæc Alexa. Vnde videtur dicendum, quod quæcumque sequentia verba, quæ consecrationem sonare videntur: intelligenda sunt non pro tempore, pro quo referuntur, sed pro instanti prolationis formę consecrationis. Non enim possunt simul dici, quæ simul facta sunt, & fiunt. Licet ergo pro diuersis temporibus dicantur: sunt tamen accipiẽda, ac si pro eodem instanti proferantur. Vnde omnia verba canonis Eucharistiæ consecrationem designantia, referenda sunt ad instans consecrationis, & intelligenda, ac si pro eodem instanti simul cum forma consecrationis fuissent prolata. Ita quod verba pręsentis temporis in illis successiuè prolata idem tempus, scilicet, prolationis formæ consecrationis, quasi præsens importent: vt exempli gratia, *per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, uiuificas, benedicis*, conuertendo in sanctum, viuũ, & benedictum corpus, & sanguinem eius: non modo cum hæc proferuntur: sed tunc cum verba consecrationis proferuntur, seu prolata fuerunt. Similiter cum dicitur, *Fiat hæc commixtio, & consecratio*, non quæ nunc fit: sed quæ facta est in termino prolationis formæ consecrationis. Sed de crucibus vide in fine capitis de signo crucis, illam triplicem differentiam clariorem supra a nobis positam.

De petitione acceptationis oblatorum. Cap. 75.

S*Vpra, quæ propitio, ac sereno uultu respicere digneris, & accepta habere.* Hæc est secũda pars huius quintæ partis principalis canonis: in quo post rememoratiuam oblationem consecratorum in parte præcedente, additur petitio acceptationis oblatorum. Et subdiuiditur in duas partes. In prima petitur acceptatio oblatorum, & hoc primo in genere. In secunda modus acceptationis petitur in specie ibi, *sicuti accepta habere dignatus es, &c.*

Circa primum ait, supra, quæ, scilicet, dona, & data tibi in hoc sacrificio oblata, corpus, scilicet, & sanguinem Christi filij tui, o pater clementissime, *propitius respicere digneris* de cælo tuo habitaculo: sicut olim propheta tuus orauit,

prauit, vt Ecclesiam respiceres, dicens: Respice de cælo & vide & visita vineã istam, sanguine filij tui, supra quam hic respicere peteris, plantatam. Quæ dona & data, panem, scilicet, vitæ, & calicem salutis perpetuæ, scilicet, causatiuum, vt supra diximus: quæ pluraliter referuntur ratione proprietatum per hæc verba, Hostiam puram, hostiã sanctam, hostiam immaculatam consignatarum. *Respicere digneris*. Nam & hoc pater clementissime pollicitus es Isa. 66. Ad quem respiciam, inquiẽs, nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu; & trementem sermones meos? Hic autem propter nos oblatus Christus, scilicet, pauperculus fuit, cum nudus in cruce tibi offerebatur. Tremebat quoque sermonem Patris, dum offerens dixit: Non mea, sed tua voluntas fiat: per hunc itaque oramus digneris respicere: non nostris meritis: sed tua misericordia, *propitio, ac sereno vultu*. Propitio, idest, placabili vultu: facilitate dimissionis peccati, pro quo offertur hostia, ut effectum remissionis peccatorum nostrorum contra te commissorum audire mereamur. Propitius ero peccatis eorum: & iniquitatum eorum non recordabor amplius. Iere. 3.

Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel; & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ; & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Hæc est secunda particula huius partis, in qua additur specificatio huius oblationis nostræ acceptationis per oblationem patrum eam figurantium. Adducuntur autem figurę tres, quarum semper vna plus manifestat de veritate, quam alia. Prima enim manifestat oblati passionem. Secunda, dignitatem vnigeniti oblati; Tertia, ritũ, & veritatem sacrificij. Dic. *sicuti*, &c. Hoc aduerbium, *sicuti*, secundum Innoc. Alexand. & Alber. innuit similitudinem, non æqualitatem. Multo quippe acceptius est hoc sacrificium, quam quod obtulit Abel, quam quod obtulit Abrahã, quã quod obtulit Melchisedech. Nulla. n. oblatio ac potior: sed hæc, omnes præcellit, de cõsec. dist. 2. nihil. Et Vgo de sacr. li. 2. par. 8. c. 1. sacramentum corporis & sanguinis Christi vnum est ex eis, in quibus principaliter salus consistit: & inter omnia singulare. Quia ex ipso omnis sanctificatio est. Hæc enim hostia pro salute mundi oblata, omnibus præcedentibus, & sequentibus sacramentis virtutem dedit, vt ex illa sanctificarent, per illam liberando omnes. Valet enim res magis, quam vmbra; veritas quam figura. Ipsam igitur similitudinẽ magis debemus attendere quam quantitatem, similitudinem dico talem qualis esse poterat typi ad veritatem. Ista enim sacrificia, quæ hic annumerantur, fuerunt figuræ huius nostri sacrificij veri: de quo hic est sermo. Quapropter dignius est hoc, quam illa, istud namque acceptum est ex se, & propter se ex opere operato. Illa autẽ ex fide, & deuotione afferentium. Nõ igitur, *sicut*, notat æqualitatem in similitudine secundum eundem gradum similitudinis, quantum ad ipsa sacrificia in se; sed aliqualem, quantum ad offerentes. Vnde iste est sensus, *supra quæ*, pater clementissime *respicere digneris propitio ac sereno vultu, & accepta habere*: *sicuti accepta habere dignatus es*, & accepta tibi fuerunt, *munera iusti Abel, Abraham, & Melchisedech* ex fide, & deuotione offerentium. Ita vt acceptum habeas nostrum sacrificium vltra hoc, quod ex se tibi placet: etiam gratum sit ex nobis offerentibus, hoc est tales nos offerentes facito fide, & deuotione, quales fuerũt Abel, Abraham, Melchisedech. Et vt nostra petitio sortiatur effectum: conemur etiam nos assimilari his patribus, quorum sacrificia placuerũt. Assimilemur inquam Abel, quatenus quod rectè offerimus, rectè diuidamus, quod quia Cain non fecit, peccauit. Sua namque

rectè, cui debebat, obtulit, Deo, scilicet; sed retinens sibi seipsum, & cor suum auferens Deo malè diuisit. Abel autem acceptum Deo in corde intus obtulit holocaustum: quia non se sibi retinuit: sed Deo totum se subdidit, & impendit. Ideo respexit Deus ad Abel & munera eius: ad Cain autem & munera eius non respexit. Genes. 4. prius ad Abel, postea ad munera eius respexit: quia non offerens placuit ex oblato sed munus ex offerente. Similiter Abraham egregiè fide totum se prius offerebat altissimo, et propterea placidas hostias offerebat. Et vt placidum sibi Deus faceret Abrahæ sacrificium, primo ab illo affectum exigebat. Tolle inquit filium tuum quem diligis Isaac, & offeres illum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi, statimque promptum inuenerat ad obediendum, & pro vnigenito, quem in corde obtulit, arietem inuenit, quem occidit. Genes. 22. Melchisedech quoque nisi se prius, post munus acceptum obtulisset, futurorum causas minimè præuidisset: quorum intuitu mysticum panem, & vinum in sacrificium obtulit. Erat enim sacerdos Dei altissimi. Genes. 14.

Nos ergo assistentes ad offerẽdum, si rectè diuidimus prius nos in sacrificium offeramus: ac deinde sicut munus Abel, sicut sacrificium Abrahę, sicut hostiam Melchisedech, vota nostra Dominus acceptabit.

Munera dicitur *pueri tui Abel*. Munera scilicet, quæ de tuis donis acceptis offerens de primogenitis, & adipibus gregis sui. Genes. 4. Dicit pueri, scilicet, obedientia, & puritate: non sensu & intellectu. Vnde 1. Cor. 14. dicitur. Nolite pueri effici sensu, & intellectu: sed malitia paruuli estote, sensu autem perfecti. Dicit, *Tui*, secũdum quandam assimilationem. Isa. 42. ecce puer meus electus, quem elegi, posui super eum spiritũ meum. *Iusti Abel*, in quo occisus est agnus ille ab origine mũdi, qui est sacrificium nostrum. Apocal. 13.

Et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ: patris, scilicet, patrum, & patris multarum gentium. *Nostri*, quia non tam Israeliticæ plebis, quam tui populi Christiani pater: illius per carnem, istius per fidem. Vnde dicit: Non vltra vocabitur tibi nomen Abram; sed appellaberis Abraham; quia patrem multarum gentium constitui te. Qui tibi obtulit vnigenitum secundum illud. Per memetipsum iuraui dicit Dominus: quia fecisti hanc rem & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi. Sequitur.

Et quod, secundum sacrificium *obtulit tibi* primus & *summus sacerdos tuus Melchisedech*, rex Salem proferẽs panem & uinum, reddendo gratias tibi Deo de victoria Abrahæ veniẽtis do cæde quatuor regum, vt habetur Genes. 14. Sacerdos tuus non solum, quia tibi ministrans, sed quia te significãs. Glo. Gen. 14. Melchisedech qui interpretatur rex iustitiæ, & dicitur rex pacis, Christum significat: per quem reconciliati sumus, & qui in fine seculi iudicaturus est.

Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Hanc clausulam secundũ Innoc. addidit Leo Papa primus an. Domini 445. & potest referri ad sacrificiũ Melchisedech, quod dicitur sanctum, & immaculatum: nõ in se formaliter; sed figuratiuè propter sacrificium nostrum, quod in illo expressius fuit prçfiguratum: quapropter & illi, nostri sacrificij conditiones attribuũtur. Hoc quidem sanctum est propter plenitudinem gratiæ, & virtutum copiã. (Nõ enim dedit Deus spiritum ad mensurã filio suo) qui in hoc sacrificio nostro continetur. Io. 3. est & sacrificium immaculatum quo ad innocentiam; & peccati immunitatem. Christus enim nec peccatum fecit nec inuentus est dolus in ore eius. Isa. 53. & 1. Pet. 2.

Abel ergo quia pro sacrificio mortẽ per-

pertulit, & hoc a fratre; significauit mortem Christi a fratribus, Iudæis perpetratam: natus enim erat in Iudæa, & de Iudæis Christus.

Abraham qui obtulit proprium filium, quantum ad animi præparationem, significat in nostra oblatione patri cęlesti vnigenitum suum offerri: nihil autem vnigenito dignius Rom.8. Proprio filio suo non pepercit Deus. Offerens autem panem & vinum Melchisedech, nostri sacrificij ritum figurabat, & sua persona, personam Christi, qui est sacerdos in æternum. Et tam propriè Melchisedech oblatio nouũ sacrificium præfigurauit, vt inde prędictum sit: Tu es sacerdos in æternũ, secundum ordinem Melchisedech; qui secundum Apost. Hebr.7. per omnia assimilatus est filio Dei. Existens sine patre, sine matre, non quia nõ habuit; sed quia scriptura non meminit, nec exprimit, quod prouidè fuit factũ in figura Christi, qui fuit sine matre in cœlo secundum diuinam naturam, & sine patre in terra, secundum naturam humanam. Sine genealogia, (subdit Apost.) idest, sine genere, seu prole, vel quia non habuit; vel quia scriptura prouidè hoc subticet; neque initium dierum, neque finem vitæ, idest, quia non describitur ortus vel occasus vitæ; & in hoc figura Christi; quia secundum diuinam naturam ęternus est. Si autẽ dicatur quod in genesi parentes, & genealogia Sem describuntur: dici potest, quod scriptura non dicit hoc sub nomine Melchisedech. Hoc nomen Melchisedech interpretatur rex iustitiæ. Melcos, rex, Sedech, iustitia, quasi rex iustitię. Hic est Christus qui filios regit per iustitiam inter procellas seculi. Rex Salẽ, interpretatur rex pacis. Christus rex pacis est: quia quos hic regit in iustitia in pace æterna regere non desinit. Ipse etiam est sacerdos Dei summi vt dicitur de Melchisedech, qui se in ara Crucis Patri obtulit. Ipse etiã obuiauit Abrahæ regresso a cæde Regum. i. obuiat & occurrit dando gratiam cuique fideli. Dat enim panem, & uinum. i. corpus suum & sanguinem, quo pasti a præteritis mundantur, & in futurũ confortantur: ecce quomodo Melchisedech figura est Christi.

Item eliguntur horũ trium patrũ sacrificia qui, & ipsi fuerũt figuræ Christi. Abel propter martyrium. Abrahã propter perfectam obedientiam. Melchisedech propter pacis principium. Nam Christus sui sanguinis effusione factus est martyrum corona, speculũ obedientiæ, princeps pacis, paterque futuri seculi. Amplius quia illa sacrificia processerunt ex pura, & integra fide & deuotione ad Deum, non ex timore vt alia legalia sacramenta.

De participatione diuinę gratię. Cap. 76.

SVpplices te rogamus omnipotẽs Deus. Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuum in cõspectu diuinę maiestatis tuę. Vt quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hæc est tertia pars huius quintę partis principalis canonis, in qua post petitam oblatorum acceptationem, petit Sacerdos diuinę gratię, & benedictionis participationem, Sacerdos autem dicens hanc orationem quinq; facit; recitat illam inclinatus, vt dicit rubrica, osculatur Altare, signat hostiam, calicem, & seipsum. Humiliter se inclinat, vt per signum sensibile foris exhibitum, significet interiorem humilitatem, qua supplicans debet animo vestiri, vt sua oratio exaudiatur ab eo, qui humilium non spernit affectum. Iungit insuper manus ad ampliorem humilitatem ostendendã. Osculatur Altare in dictione illa, *participa-*

ticipatione, vt se fieri participem ostẽdat Altaris sacrificij, cum omnibus alijs, vel vt significet reconciliationem humani generis cum Deo patre in Altari crucis factum per filij mortem. Ps. 118. participem me fac Deus omniũ timentium te, & custodientium mandata tua.

Deinde Sacerdos tres cruces facit, primam in verbo *corpus:* secundam in verbo, *& sanguinem*; tertiam in verbo, *omni benedictione,* signans corpus, siue species panis, species vini, & seipsum. Quę cruces secundum diuersos varia habent significata. Per primam secundum aliquos, commemoratur rigidissima in cruce tensio nobilissimi corporis, vsque ad omnium neruorum, & ossium dinumerationem. Per secundam crucem, effusio largissima sanguinis figuratur, qua omni defluxo humore, corpus saluatoris sacratissimum testum est, sicut cremium in frixorio, & aruit tanquam testa virtus eius. Per tertiam, innuitur passionis fructus, qui est omnis benedictionis, & gratię deriuatio a Christo in redẽptos per ipsum. Nam de plenitudine eius omnes accepimus. Ideo fit hęc signatio ante faciem Sacerdotis: vt significetur hic fructus & benedictio in Sacerdote, & in his pro quibus offert permanere.

Secundũ alios. Primę duę cruces significãt, quod Christus pro duobus populis passus est. Vel. Quod per mortem Christi, & sanguinis effusionem, a duplici morte, corporis, .s. & animę liberati sumus. Tertia autẽ fit ante faciẽ Sacerdotis: vt crucis, & passionis Christi teneat memoriam, & sic passionis socius factus, fiat particeps & regni. iuxta id. 2. Timoth. 2. Si sustinebimus, & corregnabimus. Vel. Per tertiã crucem significari potest, quod per Christi passionem in cruce consumatam, crux facta est figura dęmonibus formidabilis: qua contra eos efficaciter munimur & defensamur. Vel. crux super corpus, vincula significat, quibus ligatus fuit Dominus; super calicem flagella repræsentat: ante faciem Sacerdotis, significat sputa, & alapas, quibus facies ligata, & percussa est. Secundum Alber. Per primam crucem super corpus dicit significari, plenitudinem benedictionis a primo perfectore sanctitatis, scilicet, Christo in corpus Christi mysticum procedere. Per secũdam super calicem signatam, significari in idem corpus Christi mysticum gratiam recipi. Per tertiam ante faciem Sacerdotis figuratam, significari eãdem gratiam in Sacerdote, & eis, pro quibus offert, permanere. Sicque vario modo exponitur, & etiam ab alijs aliter; quos omitto breuitatis causa.

Supplices, inquit, idest humiles *Te rogamus*. Allegamus autem humilitatem nostram in petendo benedictionis gratiam: instructi doctrina Iac. dicentis; Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et scientes etiam, quod oratio humilium cælos penetrat: & non discedit, donec altissimus in eam inspiciat. Eccles. 35. *Rogamus te omnipotens Deus*; quia nemo potens est præstare quæ petimus. *Omnipotens Deus*, qui es rex Angelorũ, Dominus cæli & terræ: in cuius dictione cuncta sunt posita.

Iube hæc perferri. Tantæ sunt profunditatis hęc verba, inquit Innocent. vt intellectus humanus vix ea sufficiat penetrare. Greg. 4. lib. Dialog. cap. 50. Quis inquit, fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse: summis ima sociari, terrena cælestibus coniungi. Vnum quoque ex visibilibus, & inuisibilibus fieri. Idem; Vno eodemque tempore, & momento, & in cælum rapitur ministerio, Angelorum sociandus corpori Christi, & ante oculos Sacerdotis in Altari videtur: & ponuntur hæc verba de consecr. distinct. 2. quid sit sanguis.

guis. Subdit Innocent. saluo tamen occulto cælestis oraculi Sacramento, possunt hæc verba, licet simplicius, tamen securius intelligi sic, tripliciter quidem; secundum quod pronomen, *Hæc*, potest demonstrare; vel fidelium vota, vel corporis, & sanguinis sacramenta, vel per ea mystice significata. Primo modo sic. *Iube hæc*, scilicet vota fidelium, supplicationes, & præces, *perferri*, idest, repræsentari: *per manus sancti Angeli tui*, idest, per ministerium Angelorum, qui (vt dicitur Hebr. 1.) sunt omnes administratorij spiritus. Hi quidem nunciant orationes nostras Deo, quas fundimus: iuxta id Iob. 12. Quando orabas cum lachrymis. &c. Ego tuli orationem tuam Domino. Et secundum Alber. non intelligitur pro vno Angelo in præsenti, sed pro omnibus. Omnes enim cęlestes essentiæ creatæ (ait Dionys.) Angeli vocantur, quorum innumera est multitudo: Daniel. 7. Millia millium ministrabant ei. Hoc autem maxime intelligendum est fieri, dicit, in sacramento Altaris, allegans illud Gregor. assistunt autem Angeli non ad hoc Sacramentum consecrandum, quia ad hoc non acceperunt potestatem: Adsunt autem vt honorem, & reuerentiam exhibeant regi suo Christo. Vt quoque vota, & præces, & desideria Sacerdotis, & totius populi repræsentent Deo. Non autem hoc petitur secundum August. vt Deus per Angelos noscat primo, quid petimus, aut desideramus, quia omnia nouit antequam fiant: sed quia necesse habet rationalis creatura temporales causas in Deum, & æternitatem referre, siue petendo, quid erga se fiat; siue consulendo, quid faciat: aut quid Deo iubente implendum esse cognoscat, hoc nobis euidenter, vel latenter, Angelus reportet. Sic enim Deus iuxta ordinem suæ sapientiæ statuit, vt infima per media reducantur ad suprema. Sic docet homines per Angelos, inferiores per superiores, vt omnis illuminatio a Patre luminum ordinatè procedat; vt ait Dionys. in lib. de Ang. hierachia.

Secundo, exponitur sic. *Iube hæc perferri. Hæc*, idest, corpus, & sanguinem filij tui *in sublime Altare* idest, in cælum, non secundum realem loci translationem; quia ibi iam residet in forma gloriosa, sed secundum acceptationem gratam, inquantum tibi hæc, corpus, & sanguinem offerimus, petentes, vt ex eorum participatione *cælesti gratia repleamur*.

Tertio sic exponitur. *Iube hæc perferri. Hæc*, idest, signatum per sacramenta corporis, & sanguinis: quod est Ecclesia militans, Ecclesiam militantem, eiusque membra: *Iube tu pater cælestis perferri in sublime Altare tuum*, idest, Ecclesiam triumphantem, quæ Altare dicitur: iuxta id Leuit. 6. Ignis in Altare meo semper ardebit, idest, feruor charitatis in Ecclesia triumphante: & dicitur Altare, quia ibi sacrificatur sacrificium laudis. Psalm. 83. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Vnde Ambrosius ait: Non dubites assistere Angelos quando Christus assistit immolatus. Sequitur. *In sublime Altare tuum*: hoc intelligitur esse Sancta Trinitas ait Bonau. de quo legitur: Non ascendes per gradus ad Altare meum: quod est dicere; Æqualitatem Trinitatis crede: non descensionem vel ascensionem sicut fit in gradu. Quidam hæretici putant patrẽ maiorem filio: & hi conantur ascendere ad altare: sed repelluntur a filio: qui ait: Ioan. 10. Ego & pater vnum sumus. Altare Sanctæ Trinitatis dicitur sublime, idest, inaccessibile puro homini; vel incompræhensibile. Sed sacrificium Altaris, scilicet, hostia salutaris Dominus noster Iesus Christus per mortem ad hoc Altare coæternus patri introiuit semel, æterna redemptione inuenta: sicut ait Apost. & apparuit vultui Dei pro nobis, *In conspectu Diuinæ Maiestatis* ipsius

sius Patris. Vel. *in conspectu Diuinæ Maiestatis tuæ*, idest, supremæ & altissimæ diuinitatis tuæ: quæ in cælo, & Ecclesia triumphante singulari fulgore rutilat; *Per manus sancti Angeli tui*; idest, per ministerium & seruitium Angelorum, vt supra diximus. Vel. *Per manus Angeli tui*, idest, Christi, qui est magni consilij Angelus. Isa. 9. Vocabitur nomen eius magni consilij Angelus. *Vt quotquot* de seruitute cleri, vel voto populi. *Ex hac Altaris participatione*; hoc est ex sacrificij Altaris communione: *Sumpserimus*, & hoc sacramentaliter, vt cælebrans, vel spiritualiter tantum vt populus circumstans: *Sacrosanctum filij tui corpus*, quod operatione spiritus sancti de purissimis sanguinibus Virginis formatum. *Et sanguinem*, naturalem pro nobis fusum eiusdem filij tui. *Omni cælesti benedictione*, omnium spiritualium charismatum, gratiarum, donorum & virtutum: *Repleamur*, quia sine horum largitione omne opus nostrum inualidum est. *Repleamur*, a te Patre luminum; a quo omne datum optimum. Concluditur *per eundem Christum Dominum nostrum*, quem constituisti mediatorem, inter te & nos peccatores, atque aduocatum, ut causam nostram coram te pijssimo iudice, & iustissimo ageret: & pro nobis efficaciter interpellaret, quasi dicat non per merita nostra placere tibi poterit nostra oratio. Placeat ergo tibi salutem Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, in quo tibi bene complacuisse testatus es. Per hunc accedimus ad te.

De sexta parte canonis. Cap. 77.

MEmento etiam Domine famulorum famularumque tuarum. N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis vt indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.* Antequam vltra progrediamur, quæritur quare prius pro viuis quam pro defunctis oramus, nempe in primo memento? Respond. quia viui sunt in maiori periculo, eo quod possunt damnari; mortui autem pro quibus oratur sunt in Purgatorio de quibus non timetur. Et de hac memoria pro mortuis, scilicet, debet Sacerdos se cito expedire, propter distractionem & euagationem mentis & etiam ne generetur tædium in audientibus, qui aliquando e Missa recedunt.

Hæc est sexta pars principalis totius canonis, in qua post consecratorum commemorationem, & petitam salutem ijs, qui sacrificio perfruuntur; in parte ista subinfertur refrigerij, ac suffragij postulatio, & iterata sanctorum inuocatio; quatenus petita a Domino concedantur. Et diuiditur in duas partes. In prima petitur refrigerium pro defunctis, in secunda, petitur suffragium pro viuis, adiunctis sanctorum memorijs. ibi. *Nobis quoque peccatoribus.* Circa primum duo facit sacerdos. Primo, orat pro quibusdam mortuis specifice: Deinde pro mortuis in generali. ibi: *Et omnibus in Christo quiescentibus.*

Primum nota, quod orare pro defunctis in Missæ sacrificio non est nouum, sed cõsuetudo antiquissima; audi Tertul. lib. de Monogamia, qui fuit vicinus temporibus Apostolorum. Orationes, pro defunctis, inquit, pro natalitijs, annua facimus. Ergo perseueret in ea cum eo necesse est, quem iam repudiare non poterit: nec sic quidem nuptura, si repudiare potuisset. & pro anima eius oret, & refrigerium interim ad postulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus. Et Chrysost. in homil. 69. ad populum Antiochen. ai: Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur

gatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam, &c. non desunt alia testimonia. Dicit ergo. *Memento etiam.* Etiam, est signum continuatiuũ distinctorum abinuicem; & in proposito continuat hanc orationẽ proximæ præcedẽti: vt sit sensus, cum hoc, quod petimus, quod nos viui cęlesti benedictione, & gratia repleamur, etiam petimus Dñe, vt memoriã habeas *Famulorum famularumque tuarum*, &c. credentes nostrum sacrificium nõ solum prodesse viuis, sed & defunctis. Vnde Innocent. Papa ait: orat pia mater Ecclesia non solum pro viuis, sed etiam pro defunctis, & eos sacræ oblationis intercessioni commendat certissime credens, quod sanguis ille prætiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viuentium, verum etiam ad absolutionem valeat mortuorum. Vnde de consecr. distinct. 1. visum in Concilio Gabilonen. decretum est in hunc modum. Visum nobis est, vt in omnibus Missarum solemnijs pro spiritibus defunctorum loco competenti in Ecclesia ad Dominum deprætetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & quibuslibet necessitatibus Dominum deprætetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium præces ad Dominum in Missarum solemnijs fundantur. Vnde August. Non sunt prætermittendæ, inquit, supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate laudamus, defunctorum etiam tacitis nominibus eorum, quos sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicumque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeatur pia mater Ecclesia.

Orat ergo, *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum*: qui tibi in obedientia mandatorum tuorum, famulati sunt, quia de ijs, qui nũquam famulari voluerunt, nulla est apud Deum recordatio. 2. Tim. 2. cognouit Dominus, qui sunt eius; & Ioã. 10. cognosco oues meas, & cognoscũt me meæ. Exprimit autem Sacerdos famulatum eorum pro quibus orat; vt quod petit, valeat citius impetrare: exemplo sapientis, qui cum sapiẽtiam de sede magnitudinis sibi mitti petijt; statim induxit famulatũ, dicens: Quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ. Sapien. 9. Et ita fecit Dauid Psalm. 142. Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum. Sequitur.

Qui nos præcesserunt cum signo fidei; tangit pietatem mortuorum, & professionem. Qui nos pręcesserunt ante hos decedendo *cum signo fidei*, hoc est, sacramento fidei, venerabiliter, & reuerenter suscipiendo. De illis enim est spes apud Ecclesiam, & pro illis, intercedit. Nam quid mihi de ijs, qui foris sunt? ait Apost. 1. Cor. 5. Vel secundum Innocen. *Cum signo fidei*, idest, cum charactere Christianitatis: quo fideles ab infidelibus discernuntur; iuxta id. Apocal. 7. Audiui numerum signatorum, &c. In susceptione quidem baptismatis, imprimitur quoddam signũ spirituale, ac indelebile in animam baptizati, per quod discernitur ab infideli, & non baptizato. Vel *qui præcesserunt cum signo fidei*, idest, qui dum vixerunt apparuerunt in eis signa, quod fuerunt fideles & veri Christiani, de quibus non est desperandum, sed magis pro eis orandum. Sequitur.

Et dormiunt in somno pacis, idest, sine peccato mortali secundum Bernardum de Parantinis, sed in Dei amicitia, & gratia. His enim duntaxat prosunt orationes viuentium. Frequenter autẽ scriptura mortuos dormientes vocat: pro eo, quod sicut dormientes somno naturali a somno euigilant, sic & mortui a somno resurgent. Vnde 1. Thessal. 4. Nolumus vos ignorare

rare de dormientibus vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Et Ioa. 11. Lazarus amicus noster dormit. Et Luc. 8. Non est enim mortua puella, sed dormit. Qui naturæ sunt mortui Deo dormiunt: nam secundum Augustin. Non tam facilè quis dormientem a somno excitat, quam facilè Deus a morte resuscitat. Ex hoc verbo videtur innui secundum Alber. quod animæ in Purgatorio non affliguntur ministerio dæmonum: quia cum dæmonibus somnum pacis non haberent, sed purgantur per se ipsas: sicut aurum purgatur, & rutilat in igne. Vnde. 1. Cor. 3. Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Vnde non opinor ait Alber. quod dæmones animas purgandas deferant ad loca pœnarum: quia sanctæ sunt animæ illæ. Et dicit Propheta: Non tradas bestijs animas confidentes tibi: hoc est, non tradas eas potestati dæmonum affligendas, qui sunt bestiæ dictæ; & animas pauperũ tuorum ne obliuiscaris in finem, quia purgatos educis de locis pœnarum. Hic sacerdos debet facere specialẽ memoriam defunctorum secundum Innoc. & Alber. scilicet, parentum, consanguineorum, specialiter commissorum, & eorum quibus Missam suam applicare maluerit: quorum memoriã non verbaliter exprimat, sed tantum mentaliter cogitabit personas ipsas, ne turbetur astantium deuotio. Et memoria debet esse breuis, vt diximus, ne afficiant circũstantes tædio. Sequitur.

Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescẽtibus: pro omnibus generaliter orat: ipsis, scilicet, quos spirituali recordatione designauimus: *Et omnibus in Christo quiescentibus*, idest, in fide, & confessione Christi defunctis. De quibus dicitur: Beati mortui qui in Domino moriũtur. *Vt indulgeas*, idest, concedas. *Locum refrigerij*, in quo nõ est ardor pęnarum. Hic est locus, qui petitur in gratia defunctis, scilicet, quantum ad pœnam ignis. Quia licet consolationem habeant ex certitudine adipiscendæ beatitudinis & charitate Dei, quam replentur; non tamen habent refrigerium a pœna, quam adhuc sustinent pro peccatis in vita præsenti commissis, & non plenè remissis quãtum ad satisfactionem. Tale est refrigerium, quod per aquã designat Zac. 9. Tu in sanguine testamẽti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua refrigerij: scilicet, ab afflictione pœnarum: quamuis nõ desit refrigerium diuinæ consolationis. Sequitur, *lucis*, idest locum illum, in quo non est obscuritas tenebrarum. Sunt enim animæ in Purgatorio priuatæ aperta Dei uisione, in qua est lux maxima: habitat enim Deus lucem inaccessibilẽ. In his ergo tenebris sunt: non in tenebris culpæ, infidelitatis, aut desperationis, habent enim lumen cognitionis spei, & charitatis. De quibus accipi potest illud Mich. 7. Ne læteris inimica mea super me quia cecidi consurgam; Cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est. Sequitur.

Et pacis. In qua non est afflictio hostium Apocal. 21. Absterget Deus omni lachrymam ab oculis sanctorum, &c. Vel *pacis*, contra vermen conscientiæ: qui in ijs, qui a pace æternitatis perfecta seiuncti sunt, non moritur; Donec perueniat ad locum vbi delectabuntur multitudine pacis, cum placebunt coram Deo in lumine viuentium. Hic locus refrigerij, lucis, & pacis, cælum est Empireum. Locus beatorum, locus consolationis & refrigerij. De quo Sapien. 4. Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Locus claritatis, & lucis, quam claritas Dei illuminat secundum id Apoc. 21. Ciuitas non eget sole, neque luna: vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam: & lucerna eius est agnus. *Vt indulgeas*, idest; ex bonitate

tatē tuā indulgentiam tribuas, depræcamur, omnes qui tibi sacrificium offerimus, siue seruitute, siue voto; seruitute, vt Sacerdos & clerici ministrātes: voto, vt assistentes.

Concluditur *Per eundem Christum Dominum nostrum*; qui ad inferos descendens defunctos liberauit a locis pænarum, inducens in locum refrigerij, beatitudinis æternæ. Ipse autem est splendor paternæ gloriæ, lux & veritas, quem expectabant sedentes in tenebris, vt educerentur ad locum diuinæ claritatis. Congrue ergo petimus, per Dominum nostrum Iesum Christum, vt in ipso donetur quiescentibus defūctis locus refrigerij, lucis, & pacis

De suffragio viuorum. Nobis quoque peccatoribus. *Cap. 78.*

CVm sacerdos post defunctorum memoriam ad viuos redit, quasi signo visibili se profitens peccatorem, significans simul contritionem in pectore, dicit. *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, &c.*

Hæc est secunda pars principalis huius sextæ partis totius canonis, in qua post petitum refrigerium pro defunctis petitur suffragium pro viuis: & consortium cum sanctis triumphantis Ecclesiæ membris. Et subdiuiditur in tres alias particulas: secunda ibi: *cum sanctis Apostolis*. Tertia, ibi; *Per quem hæc omnia*. Rubrica ita dicit. *Percutit pectus elata parum voce, dicens: Nobis quoque peccatoribus*. Quidam dicunt quod significat clamorem Christi in Cruce morientis, sed hoc non admittitur, quia Christus clamauit voce magna, & Sacerdos hic parum clara voce hæc ait, vt docet rubrica. Alij vero dicunt, quod Sacerdos hæc verba proferendo paululum expressa voce percusso pectore silentium interrumpens, repræsentat contritionem & confessionem latronis in illo passionis dominicæ articulo increpantis alterum, & dicentis, Nos digna factis recipimus; hic autem nihil mali gessit, & dicebat ad Iesum Luc. 23. Domine memēto mei, dum veneris in regnum tuum; propter, quod dixit illi Iesus; hodie mecum eris in paradiso. Alij vero dicunt, quod per exaltationem vocis, & percussionem pectoris exprimitur illud, quod Centurio & qui cum illo erant, visis his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes; Vere filius Dei erat iste. Et percutiebant pectora sua. Matth. 27. Et reuertebantur ad propria. Noti vero eius & mulieres quæ Christum secutæ fuerant a Galilæa stabant a longe hæc videntes, quos significant ministri, scilicet Diaconus & Subdiaconus retro stantes, qui ad hanc vocem erecti in os Sacerdotis, uel Episcopi intuentur. Fit ista percussio tribus digitis, literaliter, quia dedecet aperire digitos quibus tetigit sacramentum Eucharistiæ. Mystice autem, vt notetur Trinitas in vnitate. Vel, quia peccauimus corde, ore, & opere. Vel. Exaltat vocem sacerdos dans signum populo, vt & ipse populus confiteatur se peccatorem, & contritum, pectora sua ad Sacerdotis exemplum similiter tundendo.

Nobis quoque. Nobis, (secundum Alber.) quoque qui pro mortuis intercessimus, & sacrificium pro eorum liberatione a pęnis obtulimus, cum tamen nos magis hac gratia indigeamus. Debet etiam Sacerdos quemadmodum pro alijs: ita etiam pro seipso offerre pro peccatis. vt dicitur Heb. 5. quoniam & ipse circundatus est infirmitate. Addit, *peccatoribus*, peccatores se & alios viuos pronunciat, quia & dilectus Christi discipulus, mundissimus, & purissimus de seipso & alijs ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et addit Innocen. & post eum Alex. de Ales. licet omni tempore debeamus ex corde nos recognoscere peccatores, præcipuè tamen illud expedit in Missæ sacrificio, quod

in remissione peccatorum cælebratur; Missale reformatum pręcipit in rubrica; vt cum dicimus, *Nobis quoque peccatoribus*; stemus manu sinistra super Altare: (& Altare significat Christum vt sæpe diximus) hoc ideo præcipit, innuens quod latro ab ipso Christo (quē prius offenderat) petebat sibi dari regnum, cum esset Dominus vniuersorum. Vel, innuens, quod Centurio & qui cum eo erant percutiebant pectora sua de peccato cōmisso cōtra Christum, illudendo, blasphemando, &c. Et propter hoc tenet manuum sinistra super Altare, ipsum significantem, quasi a nobis & ab illis offensum. Sequitur.

Famulis tuis, per veram ac humilem obedientiam; & *de multitudine miserationum tuarum sperantibus*, in qua propheta confisus petiuit peccatorum remissionem, dicens; secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Psalm. 50. Dicitur autem, *de multitudine miserationum*; non quod in Deo sint multæ misericordiæ, quia nulla est ibi pluralitas, vbi omnia sunt vnum. Dicitur pluraliter, propter varios, & multos diuinæ misericordiæ effectus, qui nonnunquam Dei miserationes nominātur. Sequit.

Partem aliquam; exprimit petitionis materiam. Hoc est illud, quod petitur nobis peccatoribus, quod est habere partem, siue Dei participationem beatificam *cum sanctis Apostolis, & Martyribus*, iam in gloria sublimatis, vt transferat nos a potestate tenebrarum, & det nobis partem sortis sanctorum in lumine. Coloss. 1. Et Psalm. 15. Dominus pars hæreditatis meæ. Et sequitur. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. Funes, scilicet, consortium nostrarum partem in beatitudine mensurantes: ceciderunt nobis in præclaris partibus hæreditatis ęternæ. Sed quare dicit partem cum Deus sit sūmè simplex nō habens partē? Dicit, quod licet Deus sit simplex nō habens partes; tñ dicit *partē aliquā*, ppterhoc, qa quilibet secundum meritū habebit diuinæ faciei visionem, ita quod vnus alio perfectius videbit Deum; vel quia sancti videbunt eum totum, non tamen totaliter, idest, non secundum omnes modos quibus est visibilis; quia est infinitus: & cū cōpræhendi nō possit: ergo quasi partem dabit nobis. Totaliter autem non est compræhensibilis Deus, nisi filio suo, qui est in sinu suo. Vt dicit Ioan. 1.

Et societatum cum sanctis. In hoc enim est summa iucunditas societatis beatorum, quod omnes simul beatifice Deum intuentur. De quo in Psalm. 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te: per continuum & stabilem aspectum: in quo omnes communicant beati, & societatem habere dicuntur, quia vniuscuiusque sanctorum bona efficiuntur omnium in beatitudine communia. Sequitur.

Donare digneris, tua scilicet, gratia, & benignitate; *Cum tuis sanctis Apostolis*: Ecce cum quibus; & tangit Ecclesia tantum eos, de quorum fide & beatitudine sufficienter est certificata: & alios non tangit nisi in communi. *Cum tuis sanctis*, inquit, *Apostolis, & martyrib.* quos firma fide credimus illa beatifica Dei visione perfui, & inuicē congaudere æterna, & iucūdissima societate, quales sūt, quorum hic noīa recitantur. Et hic fit secunda, & iterata sanctorum commemoratio, quod secundum Innoc. signum est, quod canon non simul ab vno est compositus: sed successiuis temporibus particulatim a pluribus. Vnde in hac commemoratione supplentur magna ex parte, qui de primitiuæ Ecclesiæ sanctis deesse videbantur in commemoratione prima.

Cum sanctis Apostolis, non a Domino electis, sed sorte, vel alio signo spiritus sancti: & martyribus fidei testibus. *cum Ioanne*, quē opinor esse Ioannem

nem Baptistam ait Albertus: & ita tenet Bernard. de Parantin. qui (subdit) propter excellentiam sanctitatis non debet excludi a canone. Rectè ponitur post consecrationem, (saluo saniori iudicio) corporis & sanguinis Christi; quia post passionem Christi cum Domino & alijs sanctis patribus regna cælorum petijt. Hic finis est legis & prophetiæ, & initium Euangelij. Vnde Christus Mat. 11. lex & prophetæ vsque ad Ioannem: a diebus autem Ioannis regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Alij intelligunt Ioannē Euangelistam; sed de hoc nihil refert, de vtriusque sanctitate Ecclesia nihil dubitat: prima opinio est verior. *Stephano*, adiungitur Ioanni Baptistæ, quia isti duo sunt primi martyres noui testamenti; quia Stephanus propter priuilegium virginitatis primus prælatus est factus ab Apostolis super viduis & virginibus: sicut legitur Act. 6. qui sanctitatis habuit præconium. Vnde ibidem dicitur: Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo. Post ponitur Ioanni, quia iste præfertur etiam Apostolis. Stephanus Græcè, Latinè corona; appellatur etiam protomartyr, idest, princeps vel primus martyrum. Enumerat Sacerdos sanctos quorum societatem petit: quia Sacerdos legalis etiam nomina filiorum Israel habebat scripta in Rationali. Nota secundum Dur. quod hic octo viri, & septem mulieres computantur, quia per hoc sacrificium septem charismata gratiarū & octo beatitudines iunguntur in nobis. Præfertur Stephanus etiam Apostolis Mathiæ & Barnabæ, non ratione dignitatis, sed passione: quia primo martyrium subijt ante Apostolos. &c.

Matthia, qui sicut dicitur Act. 1. sorte electus in Apostolum, vt abiret in locum, de quo præuaricatus est Iudas, vt esset testis resurrectionis Christi. Sors autem illa non fuit, nisi impetratio signi, quo Spiritus sanctus illū assumendum esse ostendit, & non alium. *Barnaba*, qui etiam signo quod dedit Spiritus sanctus segregatus est in apostolatus officium cum Paulo. Act. 13. Dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Paulum & Barnabā in opus ministerij ad quod assumpsi eos. Hic primus cum Paulo fuit Apostolus gentium, & ideo a nobis est valdè honorandus.

Ignatio, qui fuit martyr gloriosissimus contemporaneus Apostolorum, pedisequus Beatæ Virginis Mariæ, qui condemnatus ad bestias Romam delatus rogauit vt sancti in passione eius non deficerent. Qui protestatus est in theatro, quod non vt malefactor puniretur: sed sicut Christi discipulus: qui bestias, quæ sibi Dei virtute mansuebantur, contra se, vt deuoraretur prouocauit.

Alexandro, qui fuit Papa sextus a Beato Petro: & cum Euentio, Theodulo passus, Romæ quiescit. *Marcellino, Petro*, qui comites fuerunt indiuiduæ passionis, & fidei, quos eadem fides, & passio fratres effecit. *Felicitate*, quia fides fuit mirabilis vt septem filios offerret passioni pro Christo. *Perpetua*, quæ priuilegio castitatis & fidei meruit coronari: & antefertur ratione antiquitatis, secundum aliquos. Vel secundum August. In hoc loco datur intelligi quod feruentes & verè pænitentes, virgines tædiosas & assidiosas exercitijs diuinis præire conantur. *Agatha*, quam Petrus Apostolorum princeps in carcere consolatus est, miraculosè restituendo illi mammillas, & exhibuit beneficium plenæ orationis. *Lucia*, quæ patrimonio distracto, & contempto thoro pro Christiana fide pugnauit, & per martyrium triumphauit. *Agnete*, cuius tanta est authoritas, quod Sanctus Ambrosius eius passionem scribit. Et in die passionis eius, Missa, & sermone solemnizasse fertur eam Augustinus. *Cecilia*, quæ

semper

ſemper Euangelium Chriſti gerebat in pectore, quæ Tiburtium & Valerianum ad martyrij coronã vocabat: quæ tandem obtruncato capite martyrij palmam & ipſa meruit obtinere. *Anaſtaſia*, cuius eleemoſynæ ipſi martyrij palmam promeruerũt. *Et omnibus ſanctis tuis*, generaliter quorum fides, & merita Deo ſunt nota.

Intra quorum. Tangit qualiter in ſublime Altare petit recipi, quos, offert; quia ad cõſortium ſanctorum, quorum dubitata eſt ad gloriam receptio, dicens: *Intra quorũ ſanctorũ nos*, qui in hoſtia offerimur, *Conſortiũ*, vt eandẽ beatitudinis ſortem habeamus.

Non æſtimator meriti; quia non ſecundum exigentiam meritorum retribuit, ſed mitius puniendo, vel magis remunerando, quam quiſque meruit. Vnde dicitur: Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Pſ. 101. Ideo non poſſumus præſumere de meritorum æſtimatione.

Sed veniæ, quæſumus largitor, quia totum ex indulgentia & liberalitate tua. *Admitte*, vt eorum conſortio annumeremur. *per Chriſtum Dominum noſtrum*. Hic non reſpondetur Amen, tum quia Angeli, qui ſemper aſſiſtũt, reſpondent: tum quia hęc tacitè dicuntur, nec reſpondentes audire poſſunt: tum etiam, quia verba ſequentia, *per quem omnia*, iſtis coniunguntur, & ab eis dependent, ita quod nihil interponi poteſt. Sequitur.

Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. Hęc eſt concluſio totius canonis ſecundum Alber. In hac concluſione (inquit) acta in hoc myſterio reducuntur in Patrem per operantem filium, & concludendo canonem honorem, & gloriam Trinitatis reducit in Chriſtum ibi; *per ipſum* circa quod notandũ eſt, quantum ad illam dictionem. *Hæc*, poteſt demonſtrare vel panem, & vinum, quę ibi fuerũt, demonſtratione imperſonali, & nunc non ſunt, ſed ſpecies eius manent, quę ſunt ſacramentum, & non res ſacramenti. Vel poteſt demonſtrare rem ſacramenti, & non ſacramentum, puta carnem, & ſanguinem Chriſti pręſentes, quę ſunt res & ſacramentum, quia alterius rei ſignum. Vel poteſt demonſtrare rem tantum ibi ſignificatam, & non contentam, .ſ. mẽbra corporis Chriſti myſtici, quę etiã myſticè offeruntur in hoc Sacramento. Et ita hęc particula tripliciter exponitur.

Primo modo, *per quem* Chriſtũ *omnia*, ideſt, panis, & vini, quę ibi fuerant, ſubſtantię valdè & ſemper *bona creas* per naturę conſtitutionem *ſanctificas*, per verbum & orationem, *viuificas*, per vitalem conuerſionẽ: *Benedicis* p gratię exuberationẽ. *Et praſtas nobis*, per liberaliſſimam largitionem.

Secundo modo ſic. *per quem*, Chriſtum, *Hæc omnia*, corpus & ſanguinẽ, *ſemper bona*, quantum ad omnem ſpeciem boni. Sunt quippe bona vtilia ad reformationem vitę ſpiritualis labentis, honeſta ad remunerandum opera ſalutis, delectabilia ad promouẽdum effectum intimę deuotionis. *Hæc*, inquam, *creas*, ipſa in ſacramentum abducendo: *ſanctificas*, ſacris velaminibus obtegendo: *viuificas*, increatæ vitæ vniendo; *Benedicis*, ſpiritualibus donis, & beneficijs implendo: *Et praſtas nobis*, miſericorditer largiendo.

Tertio modo Sic. *per quem*, Chriſtum, tu Pater, *omnia ſemper bona*, ideſt, omnes fideles in hoc ſacramento ſignificatas, *creas* in natura bona conſtituendo: *ſanctificas*; a peccato purgando, *viuificas*, gratia & virtutibus ad vitam præparando: *Benedicis*, viuificatos gloria coronando: *Et præſtas nobis*, bona gratiæ, & gloriæ, ſine quibus nemo attingit conſortium beatorum. Vel ſecundum Dur. ſic.

Per quem omnia, ideo dicit omnia, quia per filium omnia creata ſunt. Io. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, *bona creas*, condendo naturam: *ſanctificas*,

conſe-

consecrando materiam. *uiuificas*, tran substantiando creaturam. *Benedicis*, accumulando gratiam. Vel. *creas*, vt sint; *sanctificas*, tibi deputando: *uiuificas*, animando: *Benedicis*, vt vtilia sint; *Et præstas nobis*, vt prosint.

Item, in eo quod dicit; *sanctificas*, notatur quod quodcumque sanctificatur, per gratiam Christi sanctificatur, secundum illud. De plenitudine eius omnes accepimus. Ioan. 16. In eo quod dicit: *uiuificas*, notatur, quod quicquid viuificatur, per filium viuificatur, iuxta illud Io. 2. Ego sum via veritas & vita. 8. dist. qui contempta. In eo quod dicit, Benedicis, insinuat quod benedictio cælestis datur nobis per fructum benedictum Beatæ semper Virginis Mariæ. Dum profert hęc verba, *sanctificas, uiuificas*, *Benedicis*, facit tres cruces super hostiam & calicem, vt docet rubrica.

Fiunt tres cruces super dictis verbis, in quibus Ecclesia primitiua repræsentatur, quæ fidem Trinitatis suscepit. Vel. Repræsentatur triplex oratio, quam fecit Christus in cruce. Prima pro persecutoribus: Pater dimitte illis. Luc. 23. Secunda, pro liberatione eius a morte, cum clamans ait: Heloi, Heloi, lamasabactani. Mat. 27. Tertia, pro adeptione gloriæ; Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. ibidem.

Hic Diaconus remouet pallam desuper calicem, vt ait rubrica: ad notandum quod quando Christus emisit Spiritum, velum templi scissum est a summo vsque deorsum, & aperta sunt nobis ea, quæ prius obscura erant & clausa in lege; sicut dicitur de aliquibus in Euangelio; Et erat absconditū verbum istud ab eis. Luc. 18. idest, reuelata sunt sancta sanctorum, idest, omnia mysteria legalium sacrificiorū veritate figuris succedente. Ideo & Christus hoc innuere volens, ait: (assumpto aceto) consumatum est, idest, scripturæ impletæ sunt; & alia mysteria veteris legis. Non fit crucis signatio in prolatione, *creas*, quia signatio crucis, est indicium passionis Dominicæ: creatio autem hominis non est causa passionis Domini, sed lapsus hominis reparandus ait Alexan. de Ales. Et ideo non fit.

Dubitari potest, quare calix & non hostia cooperitur? Ad quod dubiū potest assignari quadruplex ratio. Primò, propter periculum, quia sanguis posset facilius recipere immunditiam, quam hostia. Secundò, quia in calice & sanguine, magis significatur Christi passio, quam in hostia. Vnde dicitur Mat. 26. Pater si fieri potest transeat a me calix iste. & 20. ait: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Et in canone in forma sanguinis ponitur actus effusionis, ibi: Qui pro vobis & pro multis effundetur. Quia ergo in calice, & in sanguine magis significatur Christus mortuus, quam in corpore: ideo sicut & mortuus pannis & lapidibus operitur: ita & calix panno & sanguis calice corporali cooperitur. Tertiò, sanguis in calice cooperto repræsentat corpus Christi in sepulchro clauso, & signato: hostia vero corpus Christi extra sepulchrum. Quartò, sanguis Christi calice cooperto repręsentat corpus in Syndone inuolutum: hostia vero non inuolutum. Sequitur.

Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo patri omnipoteti in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria. Hęc est vltima particula huius vltimæ partis principalis canonis, in qua tangit indiuisas, & tamen appropriatas operationes Trinitatis in sacramento. Primò, tangit operationem, quæ est filij, dicens: *per ipsum*, quod notat causam mediam: mediator autem vnus est Dominus Iesus Christus 1. Tim. 2. Vnus mediator Dei, & hominum homo, per quem hæc omnia sicut per seipsum mediante hæc perfecta sunt.

Cum ipso, hoc attribuitur patri, qui cum filio semper operatur redemptionis

nis

nis opera: vt inter patrem & filium consensus notetur: sicut ipse ait. Io. 5. Quæcumque facit pater hæc & similiter filius.

In ipso dicit, propter Spiritum sanctum: quia in illius bonitate omnia perficiuntur opera. Et dicitur, In ipso, propter continentiam. Vnde Rom. 11. dicitur: Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso facta sunt omnia. Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Ex hoc loco sumptum est hoc.

Vel in hac particula, honorem patris per filium, reducit ad filium, & tanquam communem gloriam patri & filio, & spiritui sancto debitam; Vnde concludit quod omnis honor diuinæ virtutis, & gloria laudis, est patri per filium eum clarificantem; & mundo verbis, opere, & miraculis suaque passione, resurrectione, & ascensione manifestantem. Vnde ait: Pater manifestaui nomen tuum. Et iterum. Pater, clarifica filium tuum. Ioan. 17. Et cum ipso, tanquã tibi cõsubstãtiali, & coæterno, cuius sunt tua omnia, scilicet, essentia, bonitas, sapientia, virtus, & potentia, & per consequens honor, reuerentia, laus, & gloria. Et in ipso, in quo tanquam in imagine relucet omnis paterna perfectio. Ipse enim est splendor paternæ gloriæ, & figura cõsubstantiæ eius. Hebr. 1. Candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, *In ipso*, denique constant omnia. Coloss. 1. Et in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. ibidem. Igitur in ipso est tibi pater, honor, & gloria, tanquam in eo, in quo consubstantialiter existis. Tu in ipso, & ipse in te, tam singulari, quam incompræhensibili inexistentię modo ex Biel. Et tunc construenda est litera hũc in modum. *per ipsum*, per quem omnia bona creas & nobis innotescis. *Et cum ipso*, per quem creata gubernas, & ei substantiam, & omnia tua communicas natiuitate æterna. *Et in ipso*, in quo omnia consumas, & velut in imagine, & speculo videris, & corruscas. *Est tibi Deo*, vero; patri per naturam, a quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur; *Omnipotenti*, quia infiniti vigoris cui cum voluerit subest posse. *In unitate*, idest, in communione essentiali, Spiritus sancti, qui amor, & nexus amborum patris, & filij; *omnis honor*, cuiuslibet virtutis ex te, tanquam originale fonte profluens; *Et gloria*, clara cum laude notitia omnibus prædicatur. Vel sic. *per ipsum*, tanquam per mediatorem: cum ipso, tanquam cum æquali: *Et in ipso*, tanquam in consubstantiali. Vel. Hic significantur tres personæ sanctissimæ Trinitatis. Vnde patri attribuitur authoritas; & ita dicit, per ipsum: filio, æqualitas: ideo dicitur; *cum ipso*. Spiritui sancto communitas; ideo dicitur, *Et in ipso*.

Concluditur deinde oratio, *per omnia sæcula sæculorum*, idest, per omnes mundi ætates, quæ sæcula possunt appellari, idest, æternaliter. In sæcula sęculorum laudabunt te. Psalm. 83. Respondet populus consentiendo, *Amẽ*, idest, certè & verè, aduerbialiter. Hic est finis canonis. Nunc explicanda sũt mysteria ritus, & gestus circa prædicta. Cum Sacerdos profert hæc verba, *per ipsum*, *&c.* dicit rubrica Missalis sic: *Discooperit calicem, genuflectit, accipit sacramentum dextera, tenens sinistra calicem; signat cum hostia ter a labio ad labium calicis, dicens. per ip † sũt & cum ip † so; & in ip † so: bis signat inter pectus, & calicem, est tibi Deo patri † omnipotenti: in unitate Spiritus † sancti; eleuans parum calicem cum hostia, dicit: omnis honor, & gloria. Reponit hostiam, cooperit calicem, genuflecit, surgit, & dicit; per omnia sæcula sæculorum.*

Fit autem hæc signatio cum sanctissimo sacramento, idest, hostia super calicem, qui passionem significat, quia Christus ipse non coactus, sed volens cum desiderio se passioni obtu-

lit

lit ex obedientia patris, & amore nostræ redemptionis: Hinc Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Dum autem hæ cruces signantur super calicem, calix detegitur, quia in Christi passione velum templi scissum est, & reuelata sunt sancta sanctorum, idest, omnia mysteria legalium sacrificiorum veritate figuris (vt diximus) succedente. Hæ tres cruces, quæ fiunt super calicē dicendo, *per ipsum, & cum ipso, & in ipso:* repræsentāt tres horas quas Christus in cruce viuus stetit ab hora sexta vsque ad Nonam secundum aliquos.

Signatio vero extra calicem, scilicet, a calice ad pectus; quæ fit bis, notat separationem animæ a corpore per mortem Saluatoris Christi, quæ facta spontanea eius voluntate, iuxta illud. Ioan. 10. Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso. Et licet in Christo tres sint substantię, scilicet, diuinitatis, animæ, & corporis, duæ tamen solum abinuicem fuerunt in morte separatæ, scilicet, anima a corpore. Diuinitus enim a neutra, nec a corpore, nec ab anima fuit in morte separata. Ipsa enim deitas, cum carne mortua, fuit in sepulchro; ipsa cum anima descendente fuit in inferno. Fit autem hæc signatio extra calicē, quia vt diximus, hæc separatio facta non est violentia passionis, sed potestate propriē voluntatis.

Vbi notandum est ex cæremoniali, quod Sacerdos faciendo cruces manū super mensam Altaris extendit, (non in hac, sed in alijs signationibus,) quia & Christus super Aram crucis manus extendit. Hic autem cum facit cruces, Diaconus duobus digitis manus dexteræ pedem calicis retinet, vt habetur ex cærem. lib. 1. cap. 9. & hoc ideo fit, quia vt legitur Ioan. 20. Venerunt Ioseph ab Arimathia, & Nicodemus, & impetratum corpus Iesu a Pilato, deponentes sepelierunt. Sacerdos ergo eleuans, Nicodemum repræsentat, ipsa vero eleuatio, depositionem Christi de cruce: depositio collocationem in sepulchro demonstrat. Diaconus vero cooperiens, repræsentat Ioseph, qui corpus Domini inuoluit sindone munda. Dicit autem voce exaltata, *per omnia,* vt circumstantes respondeant, *Amen*; quo per mysterium significatur, quod Christus maior fuit & fortior, seu vigorosior passione per calicē significata, & quod nequaquam deiectus fuit in passione; sed vsque in finem constans; ita vt ad vocem tentantium Iudæorum nequaquam de cruce descēderit. Exaltatio vocis, clamor magnus est expirationis. Si quidem clamans voce magna: In manus tuas pater comendo spiritum meum, expirauit. Quod chorus respondet, *Amē*, significat lamentationem sequentium mulierum. Depositio hostiæ super pallam Altaris, signum est inuolutionis corporis Domini, vt diximus.

De Excitatione ad petendum panem cælestem. Cap. 79.

ORemus præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati: audemus dicere: Dicitur iunctis manibus.

Sacerdos stans ad aram quasi confector iam pane cælesti, alta voce pręmonet omnes petere hunc panem, attendens quod in desiderio patrum diu est ante desideratus: sed non erat, qui frangeret eis; nunc autem tempore gratiæ benignitate Domini a suis Sacerdotibus frangitur, & datur fidelibus, vnicuique secundum quod oportet; & ideo ad excitandum hoc desiderium Sacerdos exaltat vocem suam in hac oratione

Hic autem incipit tertia pars principalis Missę, quæ communio vocatur. Nam in prima parte Missę, pręmissa est pręparatio populi, & offerendorum, quę dicitur Missa Catechumenorum. Et in secunda parte, quę dicitur canon, subiuncta est cōsecratio

oblatorum. In hac tertia parte, quæ rectè communio vocatur, proceditur ad participationem consecratorum. In prima parte, populus illuminatur, & materia idonea consecranda præsentatur. In secunda forma traditur, qua Eucharistia conficitur, & summo patri sacrificatur. In tertia, ipsum sacrificium cum benedictionis plenitudine manducatur. Qui diuidunt Missam in quatuor partes, hanc nominãt postulationem.

Potest autem hęc pars diuidi in tres partes, scilicet, in præparationem cum exhortatione ad Eucharistiæ sumptionem. In ipsam communionem: & gratiarum actionem. Secunda ibi: *per eũdem Dominum nostrum.* Tertia, in antiphona, quę variatur secũdum officij diuersitatem. Prima ergo est præparatio: & hic excitat desiderium ad petẽdum panem cælestem: cum dicit in communi, *oremus*; sciens quod dicitur Iacob. vlt. Multum valet deprecatio iusti assidua. Et duo facit ad excitandum; allegat obligationem pręcepti: & secundo ostendit institutionem sanctissimam diuinæ doctrinæ. De præcepto, dicit: *præceptis salutaribus moniti*: Præceptum enim necessariè est obligationis; hoc autem præceptum est Mat. 6. vbi Dominus dicit: vos autem sic orabitis. & Luc. 18. Quoniam semper oportet orare, & non deficere. Est .n. præceptum etiam Apostolicum. Coloss. 4. orationi instate vigilantes in ea: hæc autem præcepta sunt salutaria: quia oratio est salutaris saluans hominem ab omnibus malis Iacob. 5. Oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Sequitur.

Et diuina institutione formati; tangit institutionem ipsius orationis de pane cęlesti, qui diuinæ est authoritatis. Et est sensus. Et nos *formati diuina institutione*, hoc est, instructione, quæ instruxit nos, vt sciamus petere, quæ conueniunt ad salutem: quia sic dicitur. Rom. 8. Quid oremus sicut oportet, nescimus; ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, idest, docet nos postulare. Et ideo Christus spiritu Dei plenus, sciẽs quod oportet orare ad has, orationis petitiones, nos instruxit, & informauit. Et in hoc affectu dixerunt discipuli Domino; Doce nos orare, sicut & Ioannes docuit discipulos suos. Sic ergo instructi tam autentica disciplina, *Audemus dicere*: iam enim scientes, quid & a quo petere debemus, non possumus errare, quia Christus, qui est veritas ita nos docuit: nec nobis dicetur id Mat. 20. Nescitis quid petatis: nec repulsam patiemur cum Paulo nesciente quid peteret. 2. Corin. 12. dicente: propter quod ter dominum rogaui vt discederet. Et dixit mihi sufficit tibi gratia mea. Præmittitur ergo hæc exhortatio ad orationem: & ad excusationem temeritatis & præsumptionis allegat præcepta diuina, monita, & informantia nos instituta. Sic ergo parati præcepto, & institutione præcepti *audemus dicere.* q. d. Errare nequimus, quia Christus sic docuit, immo composuit hanc orationem sequentem. Vel sic.

Sacerdos quasi non præsumens subito erumpere in orationem Dominicam præmittit præfationem, dicendo: *oremus præceptis salutaribus moniti*; nõ simpliciter nos nostra authoritate, vel temeritate, sed *præceptis salutaribus moniti*; præceptis, scilicet, Domini; & *moniti*, scilicet, magistri nostri, quæ sunt salutaria, idest, ad salutem disponentia. Formati, idest, instructi intus & exterius. Et dicit formati, quæ informatio, significat solum exteriorem doctrinam. Ad ostendendum ergo quod sumus a Deo formati, idest, instructi intus, scilicet, in intentione; & extra, idest, in operatione; ideo dicit *audemus dicere.* q. d. ex quo habemus præceptum & monitionem de ista oratione dicenda, & ex quo illa oratio est composita per illum qui errare non potest:

test; idcirco *audemus* cum fiducia *dicere*, super orationem Dominicam, quã Græci non per Sacerdotem illam recitant, sed per se clamant eam in Missa. Audemus ergo obedientia, non audacia. Audentes audacia, rei sunt; audentes obedientia, laudandi. Ausus obedientiæ: audacia superbiæ mala.

Quidam aiunt, quod cum Sacerdos dicit: *oremus præceptis salutaribus moniti*: nos debere prostratos orare, vsq; ad finem orationis si, dies fuerint profesti: si vero sit dies Dominica, siue dies paschalis, non prostrati; sed stantes orare debemus, ac respondere: sed libera nos a malo: inter quos est Ioan. Beleth. cap. 47. de diuin. offic. motus forsitan his rationibus; primo, quia est de Euangelio: Secundo, quia non flectuntur genua in Dominica die, vt dicetur libro quinto, in Missalis expositione.

De orationis Dominicæ explanatione. Cap. 80.

POstquam præmisit exhortationem ad orandum misericordissimum patrem, consequenter ponitur oratio ipsa. Et primo ponitur oratio Dominica. Secundo eius Embolismus, idest, oratio superecrescens, & præcedentẽ orationem Dominicam quantum ad vltimam eius clausulam declarans: ibi: *libera nos, &c.*

Hæc oratio cæteras orationes propter quatuor antecellit, scilicet, authoritate doctoris: breuitate sermonis: sufficientia petitionum: & fæcunditate mysteriorum. Authoritate doctoris, quia est Christi filij Dei docentis orare Apostolos, & nos per ipsos, & ore suo proprio prolata. Matth. 6. inde dicitur oratio Dominica. Breuitate sermonis, quia facile dicitur & profertur: iuxta id, cum oratis, nolite multum loqui. Sufficientia petitionum: quia vtriusque vitæ necessaria continet. Fæcunditate mysteriorum, quia immensa continet sacramenta. Cæterũ licet sciat Dominus quid velimus, vult tamẽ nos orare vocaliter propter multa. Primò, pro excitanda deuotione: quia quicquid facit flatus carboni, hoc facit pronunciatio deuotioni: vnde dicitur: Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui sub lingua mea; Ps. 65. Sub lingua enim exultare est ex clamore vocis gaudium in corde concipere. Secundo, pro aliorum instructione: vt cortina cortinam trahat: & qui audit dicat veni, extra de sac. vnct. cap. 1. Vnde luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Mat. 5. Tertiò, pro linguæ obsequio: vt quod lingua peccamus, lingua satisfaciamus. Vnde sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem; ita exhibite ea seruire iustitię in satisfactionem. 47. dist. omnes. Quartò, pro rei petendæ commemoratione, quia facilius obtinetur quod instantius postulatur, de pænit. dist. 1. importuna. 43. dist. Sit rector. in fine. vnde Luc. 8. dicitur: Petite & accipietis. Quintò, pro impetratæ rei custodia. Vnde dicitur Apoc. 5. Tene quod habes, ne alius accipiat coronã tuam. Et etiam quia quod sæpius requiritur, diligentius custoditur.

Sanè in hac oratione oratur pro bonis adipiscendis, & pro malis vitandis. Pro bonis temporalibus, & spiritualibus, & æternis. Pro malis præteritis, præsentibus, & futuris. De bonis æternis dicitur; *Adueniat regnum tuum* de bonis spiritualibus dicitur: *Fiat uoluntas tua sicut in cælo & in terra.* De temporalibus dicitur; *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Aeterna, petuntur in præmium. Spiritualia, in meritum. Temporalia in sustentaculũ. De malis præteritis dicitur; *Dimitte nobis debita nostra.* De præsentibus: *Sed libera nos a malo*, De futuris; *Et ne nos inducas in tentationem.* pręterita sunt dolenda; præsentia vincenda; futura pręcauenda.

Diuiditur autem hęc oratio in tres partes; in exordium, tractatum, & conclusionem. Secunda ibi, *sanctificetur nomen tuum*. Tertia ibi, *Amen*. Secunda pars continet septem petitiones: hinc est quod a quibusdam hæc pars Missæ dicitur postulationes.

Primum autem quod dicimus, est exordium captando beneuolentiam a persona, a qua petimus, *Pater noster*. Dicimus enim Pater noster, vt principium orationis dulcescat in nomine patris. Sapient. 16. substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas.

Dulcissimum est nomen in ore filij nomen patris; si filius in spiritu, qui a patre procedit in filium, nominet & inuocet patrem. 1. Corin. 6. Qui adhęret Deo vnus Spiritus est cū eo. Deus autem & generaliter, & specialiter, & singulariter dicitur pater. Generaliter est pater omnium per creationem. Specialiter iustorum per adoptionem. Singulariter est pater Christi per generationem; per creationem, dicitur Ephe. 3. Flecto genua mea ad Deum patrem omnipotentem, a quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Per adoptionem ibi: Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris, quāto magis pater vester de cælo dabit vobis spiritum bonum petentibus se? Per generationem ibi; Nemo nouit filium nisi pater, & patrem nisi filius; & cui voluerit filius reuelare. Pater hic accipitur essentialiter; Vt conuenit toti Trinitati. Nam hæc oratio fit ad Trinitatem.

Qui es in cælis. Cælum dicitur a cælando; quia cælat diuina secreta, vel a celsitudine, quia altius est a terrenis rebus. In cęlo sunt entia vitam optimā ducentia, quā toto æterno perficiunt, inalterabilia, & impassibilia, primo de cælo & mundo. Hoc complexum. *Qui es*, propriè acceptū, soli Deo cōuenit. Exo. 3. Ego sū qui sum. Et ad Moysen; Qui est misit me, hoc nomen mihi est in ęternum. Alber. Captatio beneuolentię est ab honestate rei petitæ; ideo enim dicimus, *Qui es in cælis*; cū tamen sciamus quod vbique est; quia vbi est pater, ibi sunt bona, quę petuntur ab ipso. Significamus ergo quod cęlestia bona, in quibus ipse refulget in cęlis petere intendamus ab ipso; & hęc omnia libēter dat; quia decet eum talia dare illa petentibus filijs, & sunt mansura in ęternum.

Sanctificetur nomen tuum. Bonus filius petit quod spectat ad reuerentiam patris. Et hęc est prima inter septem petitiones. Nomen autem quod petimus hic sanctificari hoc est quod generat in nobis tantus pater. Pater enim homo generat hominem, & ipsa generatione sua dat ei hoc nomē quod homo vocatur in veritate, sicut & homo est. Ita & pater Deus generat Deum & ipsa sua generatione dat nato, quod Deus vocatur, & est. Generat enim nos per gratiam in nobis formando suam deitatem. Et huius generationis semen est verbum in intellectu, & gratia in affectu. Quod autem sic ipse nos generet, dicit Ioan. 10. si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est? Et est sensus verbi quod sic est in generatione filiorum Dei, sicut est in generatione hominis secundum naturam. Et sicut semen hominis conceptum in vtero generat hominem; sic verbum Dei, quod est semē Dei, generat Deus per participationem. Petitur autē hic sanctificatio Dei, & in seipso, & in nobis; in seipso non per sanctificationis adeptionem, qui semper immutabiliter, & essentialiter sanctus est, sed per sanctitatis suę ostensionem, ac manifestationem, vt, scilicet, sanctitas nominis cęlestis patris toti mundo declaretur, credatur, diligatur, & ab omnibus honoretur, & laudetur.

Adueniat regnum tuum. Hoc rogamus vt semper Christus regnet in nobis, & non peccatum; vt nos paratos inueniat, quando animam a corpore iube-

iubebit exire. Regnum autem Dei dicitur, & militans Ecclesia, quia regitur; Et triumphans Ecclesia, quia regnat. De regno militantis Ecclesiæ, dicitur Matt. 13. Exibunt Angeli, & colligent de regno eius omnia scandala. De regno vero triumphantis Ecclesię, dicitur: Venient & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. ibid. 8. Regnum Dei etiam dicitur scriptura. Auferetur a vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. *Adueniat*, inquit, *regnum tuũ*, id est, adueniat regnũ ad regnũ, militans, scilicet, ad triumphantem.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Hoc rogamus, vt quomodo, Angeli vel omnes Sancti inculpabiles Deo seruiunt, ita & nos absque graui peccato illi seruiamus in terra: vt scilicet, per gratiam suam vniuersa Dei pręcepta intelligamus sine errore, memoriter teneamus sine obliuione cordis. q. d. opere compleatur, quod præcipis, quod cõsulis, quod suades, quia non sufficit voluntas, nisi adsit facultas 86. dist. non satis. *Sicut in cælo, & in terra*, idest, sicut illi, qui sunt in cælo voluntatem tuam faciunt, sic & nos in terra faciamus. Voluntas Dei est duplex, scilicet voluntas beneplaciti, & voluntas signi. Voluntas autem beneplaciti est quam habet in seipso, quia omnipotens est, & impediri non potest, quando semper volitum consequatur Psalm. 113. Quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, & in omnibus abyssis. Et Rom. 9. Voluntati eius, quis resistit? Voluntas signi est quam aliquo signo expressit; & hoc est quinque modis, scilicet, præcepti, consilij, prohibitionis, operationis, & permissionis. vnde versus.

Imperat, & prohibet, permittit, consulit, implet.

Quod enim præcipit vel consulit, vel prohibet vel perficit opere exemplo signat illud, quod velit. Quod autem permittit, in hoc vult ad quod ordinat illud, & quamuis non velit illud peccatum; tamen vult bonum, quod ex ordine illius mali elicit. Sicut, noluit crudelitatem Decij, & aliorum tyrannorum; tamẽ voluit ex hoc enitere, & elucescere cunctis in exemplum patientiam Laurentij, & aliorum martyrum. De his voluntatibus dicitur Psalm. 110. Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hæc petitio multipliciter exponitur. Pan autem Gręcè, Latinè omne, vnde oramus, vt omnipotens pater omnem victum spiritualem, & carnalem, & corporalem omni tempore largiri dignetur. Quinque autem panes sunt nobis necessarij: in via quatuor, & quintus in patria. Corporalis, ad sustentationem, spiritualis ad informationem, Doctrinalis, ad eruditionem, Sacramentalis, ad expiationem; Et æternalis ad fruitionem. De primo dicitur, Non in solo pane viuit homo. Matth. 4. De secundo dicitur: Amice accommoda mihi tres panes. Luc. 11. De tertio dicitur: Venite comedite panem meum. De quarto dicitur: Qui panem Domini manducat indignè, reus erit corporis Domini 1. Corin. 11. De quinto dicitur: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi Ioan. 6. Dominus autem hic de solo pane mentionem facit, qui est principale nutrimentum corporis, vt superflua, & quæ ad luxuriam siue inordinatam voluptatem in cibo, potu, vestium, & cæterorum cultu prouocantia, nos doceat vitare. Et quidem, nam secundum Apostol. Habentes victum & vestitum his contenti simus. Ideo petenda sunt tantum vitæ necessaria, non delicata vitiorum irritamenta. Petendus etiam est ad sustentandum corpus, ne succumbat in exercitium operum iustitiæ, sed cooperetur spiritui ad assequendum principaliter intentum, quod est beatitudo. Dicitur nostrum, & non

meum,

meum, vt nemo sibi temporalia approprict, sed ea petat tanquam communia bona. Et licet multis alijs modis possit interpraetari; tamen vt pertinet ad locum praesentem intelligitur de Eucharistia: nam sacerdos alte clamans praemonet populum ad panis, Eucharistiae desiderium. De hoc dicitur: Panem de cęlo praestitisti eis omne delectamentum in se habentem. Dicit, *da nobis*, quia vendi non potest, quod nullo praetio potest aestimari. *Hodie*, idest, quotidie, quia quotidie tua indigemus refectione.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. In hac quinta petitione postulãtur remoueri mala maxima, scilicet, peccata a summo bono nos separantia. Et Dominus hic docet quales nos esse oportet, vt haec petitio sit efficax, vt scilicet, tales nos exhibeamus proximis, qualem Deum esse volumus nobis: vult Dñs nos esse misericordes ad fratres, vt misericordiam cõsequamur a Deo Patre. Dimittimus autem peccata, dum iniuriarum in nos commissarum nullam vindictam aeternam, vel temporalem desideramus; sed magis eorum emendationem: qua ab iniurijs cessantes nobiscum aeternam mereantur beatitudinem. Debita sunt, quae reddere debemus per satisfactionem Deo tum ex malo commisso; tum ex bono, ad quod tenemur omisso; tum ex talento nobis credito. De malo com misso dicitur: 2. Corin. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque rationem reddendo, propria corporis: hoc est, quae in corpore commisit, prout gessit in corpore. De debito, quod est ex bono omisso, dicitur Luc. 16. Quod quidam habebat villicum, & hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona illius, & dixit ei Dominus: Redde ratione͂ villicationis tuae, iam enim non poteris villicare. De talento credito, siue in naturalibus, siue in gratuitis, siue in bonis fortunae dicitur: Matt. 25. quod vocauit seruos suos, & posuit rationem cum eis: & quod abstulit talentum ab eo. Nota, quod antiquitas Christiani dum dicebant *dimitte nobis debita nostra*, pectus tondere solebant S. Aug. ser. 10. inter 50. hom. Nam si nõ habemus peccata, & tundentes pectora dicimus: *dimitte nobis debita nostra*, &c. Relinque proximo tuo nocenti, & tunc deprę̨canti tibi peccata soluentur. Eccles. 28. Peccata vocantur debita, quia omnes offensio est quoddam debitum: debet enim qui offendit alteri satisfacere. Pro peccatis ergo tenemur luere poenas pro offensis erga Deum.

Et ne nos inducas in tentationem. Haec est sexta petitio, de cautela mali futuri, scilicet, inducentis in malum, hoc est, peccatum. Vel in tentationem diabolicam hoc autem malum medio cre est tentatio ad peccandum, quae secundum se nõ est mala, quoniam praeparat victori coronam. Sed vinci tentatione malum est; ideo non petimus vt non tentemur, sed ne tentationi succumbamus ei consentiendo in peccatum, & hoc est induci in tentationem. Tentari itaque ad exercitium virtutis bonum est, sed in tentatione relinqui vsque ad peccati consensum, malum est. Petimus ergo a patre nostro, vt nõ subtrahat nobis, dum tentamur, suae gratiae auxilium, sed tanquam pater fidelissimus nos custodiat, vt nos tentatio non apprehendat nisi humana. Nota, quod tentat nos Deus, & Diabolus; & Homo. Deus tentat nos, vt probet; Homo vt sciat: Diabolus, vt fallat. De primo dicitur: Tentauit Deus Abraham. Genes. 22. De secundo dicitur: Tenta nos obsecro diebus decem. Daniel 1. De tertio dicitur: Cur tentauit satanas cor tuum? Act. 5.

Sed libera nos à malo. Haec est vltima petitio, qua petimus liberationem à malis pęnae, quae minima sunt respectu mali culpae, & mali occasionis inducen-

ducentis in culpam. Insuper oramus liberari a malis futuris, Purgatorij pęnis, & æternæ damnationis. Amplius petimus liberari ab omni malo a foris affligente, ad peccatum impellente, & ad bonum non promouente.

Amen. Hæc est orationis conclusio: hebraica dictio est: & non est versa in Latinum propter authoritatem Christi, qui sæpe ea vsus est. De hac satis supra diximus, circa eius significationem: nihilominus solus sacerdos in fine dicit, *Amen*, & sub silentio: cuius ratio est: quia in alijs orationibus; hæc dictio, *Amen*, exprimit affectum optantis; ideo a populo vel a clerico dicitur in nomine populi. In hac autem oratione & in præsenti, *Amen*, significat conclusionem affirmantis. Vnde hic valet tantum ac si diceret, exaudita est oratio. Sed ne videatur, hoc præsumptuosè asserere, dicit *Amen*, sub silentio ad euitandam propriam ostentationem.

Oratio Dominica non dicitur sub silentio, sed palam; quia est de Euangelio, ad notandum, quod rex cælorum in noua lege palam loquebatur: & sine velamine prædicauit: & vt omnes illam addiscant, & recitent. Vel dicitur altè, quia Christus inquam palam prædicauit, & lex noua prędicanda est super tecta. Nota, quod (vt seruetur illud, quod Christus docuit Matth. 5. Cum oratis dicite Pater noster, &c. Et vt dignè cum Deo loquamur) laudabili consuetudine introductum est, vt in principio & fine horarum recitetur oratio Dominicalis & salutatio angelica. Vnde Concil. Gerunden. de consecr. distinct. 5. id semper statutum est, vt post singulas horas recitetur huiusmodi oratio: ne diabolus de corde sacerdotis, seu de ore psallentis rapiat si quid boni ibi seminatum sit. Vide sum. Conciliorum circa finem illius Concilij. Item semper dicitur stando a Sacerdote, quia est de Euangelio; & præcipuè quotiescumque fungitur officio mediatoris, vt ad præces Matutini, & Vesperorum: cum vero secreta recitatur, vt in alijs, horis, tunc flexis genibus recitat eam Sacerdos, quia orat vt persona priuata cum alijs, non vt publica, nec vt mediator inter Deum & chorum vel populum.

De silentio post orationem Dominicam. *Cap.* 81.

Libera nos, quęsumus Domine ab omnibus malis, prӕteritis, prӕsentibus, & futuris; & intercedente Beata & gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria; & Beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus sanctis: Da propitius pacem in diebus nostris: vt ope misericordiӕ tuӕ adiuti, & a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Dicendo, *Da propitius, se signat sacerdos cum patena.* Sic ait Rubrica.

Nonnulli hic incipiunt tertiam partem Missæ, scilicet, in hac oratione, & hanc etiam addunt orationi Dominicæ, quę vocatur embolysmus vel super excrescens, eo quod nihil in ea petitur, quod in petitionibus dominicæ orationis petitum non est. Nec tamen hoc ipso superfluit, quia priores petitiones declarat, specificat, & explanat, & præcipuè tres vltimas petitiones, quibus malorum remotio instanter postulatur. Tum, quia repetitione petitionum desiderium petentium magis excitatur: & per hoc ad obtinendum effectum ampliùs disponitur. Potest etiam dici excrescentia, quia longo tēpore in primitiua Ecclesia non dicebatur.

Potest autem diuidi hæc oratio in tres partes. In prima petitur liberatio a malo, pacis impeditiuo. In secunda recurritur ad sanctos intercessores, vt sint nobis præsidio impetrationis ibi: *Et intercedente*. In tertia fit maior specificatio petitionis ibi: *vt ope misericordię*.

Dicto ergo, sed libera nos a malo: sequitur Rubrica dicens: *Sacerdos submissa voce, dicit, Amen.* Dicitur sub silentio a sacerdote, primo in signum, quod Deus vult orantes latere, quod a Domino exauditi sint, ne postmodum tepescant. Vel sic: Ritus iste non est communis alijs orationibus: quia in alijs orationibus minister tenetur respondere, amen, sed hoc solum est orationis dominicæ, quia in alijs precibus quę fiunt, significat solum consensum, & desiderium: sed in hac oratione, est responsio, per quam manifestatur Deũ annuisse petitioni orãtis: & præcipuè cum oret in persona Ecclesiæ & Christi: vnde, quia Sacerdos est interpres Dei in hoc loco, & quia publicè orat, ideo Ecclesia reseruauit Sacerdoti & non ministro hanc interpretationem, nempè, quod Deus exaudiuit eum. Ita Cathec. parte 4. num. 5. vbi dicitur nec tamen hic ritus, & cæt. Secundo, dicitur sub silentio, quia si altè proferret, *Amen*, quo affirmatur orationem dominicam exauditam esse, iudicari posset præsumptio, & quædam ostentatio Sacerdotis vt supra dictum est. Vnde Glos. Matth. 6. *Amen*, significat in his omnibus petitionibus indubitanter a Domino tribui, quod petitur, si vltimæ conditionis pactum seruauerimus: vnde subdit: si dimiseritis hominibus peccata eorum dimittetur & vobis, &c. & subdit a quib. malis, scilicet, *a præsentibus, præteritis, & futuris*. Tota hæc oratio sub silentio dicitur, primo in signũ, quod aliquando Christus a prædicatione siluit, præcipuè in triduo suæ sepulturæ. Secundo, secundum Innoc. eo quod silentiũ hoc, significat sabbathum, quo corpus Domini in sepulchro quieuit, tunc. n. nullus, fidem prædicauit. Vnde Luca testante, cap. 23. Mulieres, quæ parauerant vnguenta, sabbatho quidẽ siluerunt, secundum mandatum legis: Christus tamen non siluit: immo ipse, qui secundum carnem in sepulchro quieuit, secundum animam descendit ad inferos vt fortior superueniens superaret fortem armatum: ergo solus ipse non siluit. Sacerdos autem vt sæpè diximus, fungitur officio Christi, ideo ad hoc repræsentandum quod ipse solus non siluit, Ecclesia Romana dicit ipsam orationem alta voce in die Parasceues, & Ecclesia Ambrosiana semper hoc facit; & tunc momordit infernum ducens suos victos de lacu, in quo non erat aqua, liberans eos de malis præteritis, præsentibus, & futuris: & dãs eis perpetuam pacem, in qua sunt semper, *& a peccato liberi, & ab omni perturbatione securi*. Et quia nos indigni sumus veniam de præteritis præsentibus, & futuris promereri, nisi donetur nobis oratione sanctorum ideo hic eos in patrocinium inuocamus.

Notatione dignum est, quod ad impetrandam pacem ac reconciliationẽ, quæ petitur, introducuntur quatuor personæ, quarum suffragijs nitimur, quæ Passioni Domini, quam Missa cõmemorat magis fuerunt configuratæ. Virgo semper Maria cuius animã pertrãsiuit gladius doloris, stans sub Cruce in hora Passionis. Petrus Apostolus, qui Crucifixus est corpore transuerso, ordinem quærens in pęna, ne magistro suo Christo Crucifixo æqualis in pęna videretur. Paulus, qui & stigmata Domini Iesu in corpore suo portauit, vt testatur Galat. 6. Andreas, qui Crucifixi amore Crucem in qua passus est, tanquam amatam suam salutauit.

Et quia post Passionis tristitiam ad resurrectionis gaudium peruenitur; iuxta illud Ps. 29. Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia: ideo subdiaconus interea, dũ chorus respondet, *sed libera nos a malo*, accedens ad Diaconum tradit illi patenam inuolutam. Diaconus vero illam recipiens eam reuelat, & reuelatam repræsentat, & tradit sacerdoti, osculando

lando illius manum. Sacerdos cum ea signum Sanctæ Crucis sibi facit in faciem,& eandem postmodum osculatur. Hi quidem tam numero, quam obsequio sanctas illas mulieres repræsentant,de quibus dicitur Matt. 28. quod Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulchrũ: præsentantes patenam, idest, cor patens, latitudine charitatis, in obsequium sepulturæ: iuxta quod legitur, quod mulieres emerunt aromatha, vt venientes vngerent Iesum. Mar. vlt. Accessus igitur Diaconi, qui Marias significat in tradendo patenam, significat illud, quòd Mariæ venerunt videre sepulchrum:& resurrectionem Christi late credentes, Eum Apostolis nuntiauerunt, qui demum Domino suæ fidei latitudinem obtulerunt, & ideo de manu Diaconi, patenam, idest, latitudinẽ charitatis accipit sacerdos, idest, Christus acceptat.

Quod vero sacerdos illa se signat, repręsentat illud, quod legitur in Mat. quod Principes sacerdotum & Pharisæi signarũt lapidem cum custodibus. Item, quod patenam oblatam recipit, significat quod Christus omnes ad se ex charitate redeuntes cum desiderio recipit: quod etiam ex eo patet, quod deponit mappulam, quo tenebat patenam inuolutam, eamque non super Altare, sed alibi ponit, denotans id quod dicitur Ioann. 20. quia Petrus in monumentum intrans, vidit Sudarium, quod super caput Christi fuerat, non cum linteaminibus positum, licet separatim in vnum locum.

Diaconus vero manum sacerdotis deosculatur: ad notandum, quod ipse vult esse socius in passione, vt socius sit in regno, extra. de sepul. cap. 1. Secundum quam dicit Apostolus Roma. 8. Si compatimur & corregnabimus. Quod sacerdos osculatur patenam: ostendit, quod Christus confestim impleuit desideriũ mulierum; mox enim occurrit illis dicens, auete, Matth. 28. quæ procidentes tenuerũt pedes eius, & adorauerunt. Osculatur etiam patenam, quasi petens à Deo pacem corporis & animæ. Quidam osculatur pedem calicis, quod significat huiusmodi osculum pedum Christi: tamen rubrica nõ facit mentionem de hoc. Ordo literę est.

Libera nos, quæsumus Domine ab omnibus malis; ad bonum meritum nostram infirmitatem non promouentibus. *Præteritis*, scilicet, culpis, quibus te offendimus, vt hæ per cordis compunctionem, oris confessionem, & operis satisfactionem deleantur. *Præsentibus*, angustijs, & tribulationibus, a mundo insurgentibus: vt instantiam eorum tua protectione vincere possimus. *Et futuris*, insidijs, & laqueis ad culpam præcipitare conantibus: imo quibuslibet malis culpæ, & pęnæ, vt ea tua defensione cauere valeamus.

Et quoniam hęc nostris meritis impetrare nequimus, nec præsumimus: ideo ad hoc impetrãdum recurrimus in secunda huius orationis parte, ad sanctorum suorum suffragia, quos in curia regni sui non repellit. Et primo confugimus ad sanctiss. semper Virginem: cum subditur. *Et intercedente Beata*, cuius beatus venter dicitur: *Virgine*, mente & corpore: *Dei genitrice*, & ideo communem habentẽ filium de Deo. Luc. 1. Quod enim ex te nascetur, sanctum, vocabitur filius Dei: *Maria*, domina mundi, cælorum regina. Omnium bonorum mater.

Et beatis Apostolis Petro & Paulo: quorum alter Princeps & caput est Ecclesiæ, alter plus omnibus laborauit. 1. Corint. 15. *Atque Andrea*, qui ideo etiam ponitur hac alia de causa, quia Petrum adduxit ad Christum. Vel, hi tres Apostoli dumtaxat nominantur tanquam testes pacis; pacem mundo prædicantes: quia in ore duorum vel trium stat omne testimonium. Et nominantur etiam tantum hi tres pro-

pter quasdam eorum eminentias. Petrus propter dignitatē prælationis, Paulus propter priuilegium prędicationis, Andreas propter feruens desiderium crucifixionis. Item, propter alias causas. *Et omnibus sanctis*, in communi, vt desideratā tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Sequitur.

Da propitius pacem in diebus nostris, ne populus in tāti sacramēti cōmunione per mala insurgētia turbetur, iuxta id Isa. 39 Fiat pax & veritas in diebus nostris. Da pacem pectoris, vt conscientiæ remorsū tollens & in vera charitate, & amicitia nos tibi iungēs; tibi perfectè reconciliet. Da pacem temporis, in diebus nostris; vt ea pro illius temporis miseria perfruamur. Et ab omni perturbatione exteriori te pacem donante viuamus. Non enim nisi te donante eam habere possumus: quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster pater cælestis.

Vt ope misericordiæ tuæ adiuti: Psal. 93. Misericordia Domini adiuuabit me omnibus diebus vitæ meæ; quia in proprijs meritis confidere non audemus. *Et à peccato* præterito, & futuro, *Simus semper liberi*, per hoc quod prę-teritum dimittas, & in futurum non inducas, vt postulauimus: *Et ab omni perturbatione*, quæ est malum ad meritum non promouens: Simus *securi*: in omnibus actionibus, nostris. Vel hic & in futuro.

Nota secundum Alexand. quod sacerdos accipit patenam (quæ a patendo dicitur latitudinem charitatis significans) deosculatur in signum charitatis, quam habet ad omnes, & signū facit cum ipsa in facie, in signū, quod virtus communis in omnes fit per virtutem eiusdem charitatis secundum Alber. nihil enim magis diffunditur charitate: de qua dicitur Psalm. 118. latum mandatum tuum nimis quæ se extēdit etiam ad inimicos vsque. Vel. Accipit patenam de Altari & osculatur, signum crucis faciendo, per quod designatur, quod sumus reconciliati Deo per Christi passionem & mortem. Missalis rubrica ait: *Signat se à fronte ad pectus*: Fortè hac ratione, quia charitas (quæ per patenam notatur) a capite Christo procedens, in totum corpus suum mysticum diffunditur, per virtutem eiusdem capitis Christi.

De fractione hostiæ. *Cap. 82.*

Finita oratione præmissa, dicit rubrica. *Submittit patenam hostiæ, discooperit calicem, genuflectit, surgit, accipit hostiam, frangit eam super calicem per medium, dicens.* Sequitur, verba sequentia. *Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum*, Rubrica ait, *partem quæ in dextera est ponit super patena. Deinde ex parte, quæ in sinistra remanserat frangit particulam dicens; Qui tecum viuit & regnat, in vnitate Spiritus sancti Deus.* Sequitur deinde, *Aliam mediam partem cum ipsa sinistra ponit super patenam, & dexteratenens particulam paruam super calice, sinistra calicem, dicens.* Verba sequentia. *Per omnia sæcula sæculorum*; Respond. *Amen* Sequitur Rubrica. *Cum ipsa particula signat ter super calicem dicens. Pax † Domini sit † semper, vobis † cum.* Respon. *Et cum Spiritu tuo. Particulam ipsam imponit in calicem dicens secretè.* Verba sequentia. *Hæc commixtio & consecratio corporis, & sanguinis nostri Iesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.* Verba Missalis Rubrica ait; *Cooperit calicem, genuflectit, surgit, & inclinatus dicit, Agnus Dei*, & cæt. *Quando autem Diaconus discooperit calicem, (ante fractionem hostiæ) intuetur super calicem.* Hæc omnia sunt plena mysterijs.

Diaconus autem discooperit calicem, & in eum intuetur: hoc ideo fit, quia hoc in loco, os calicis significat

ostium

ostium monumenti; de quo Diaconus palla remouet, & in eo intuetur, significans quod Angelus Domini lapidem ab ostio monumenti reuoluit, & linteamen amouit, & in sepulchro diligenter aspexit.

Ad hoc patena supponitur hostiæ, quæ super calicem frangitur, ad significandum quod Christus ex latitudine charitatis per patenę dispositionem significatæ, se supposuit passioni. Rursus super calicem frangitur hostia ne minutiæ spargantur, sed in eius concauitate cautè recipiantur. Vel sic: Sacerdos volens frangere hostiam primo eam super patenam locat: deinde eam tollens super calicem frangit: ad significandum quod nemo passionibus huius mundi meritorè se valet exponere, vel ad æternæ fruitionis beatitudinem admitti, nisi prius in bonorum operum perfectione fuerit solidatus. Vnde Apost. Ephes. 6. Accipite armaturam fidei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.

Hostia quidem frangitur, quia in lege iubebatur similago frustatim offerri: sed & redemptor noster benedixit panem, & fregit, & fructum discipulis distribuit: & ideo Sacerdos, & legem, & Christum sequens, panem sacrosanctum in tres partitur partes: vt in fractione panis dominum cognoscamus, sicut, & illi duo discipuli dominum cognouerunt. Luc. 24. Sed videamus magis in particulari, scilicet, *per eundem Dominum nostrum Iesum Christum,* & hoc textuatim procedēdo, & dicamus sic.

Post præparationem tam Sacerdotis, quam populi ad sacram communionem per orationem Dominicam, & eius embolysmum, nunc incipit sacratissima communio ac sacrificij participatio, qua Ecclesia consequitur tā ti mysterij vtilitatem, & fructum. Diuiditur autē hæc particula in tres partes. In prima aptatur sacramentum cō munioni per eius diuisionem. Secundò communicaturi vniuntur per pacis impetrationem, ibi: *pax Domini sit semper vobiscum.* Tertio, proceditur ad ipsam sumptionem, ibi, *Domine Iesu Christe.* Circa primum, quia venerabile Eucharistiæ sacramentum non tantum sacerdoti cælebranti, sed toti proficit Ecclesię, cuius tres sunt status; vnus eorum membrorum, qui triumphat in cælis; pro illis offertur ad laudem, & gratiarum actionem sanctissimæ Trinitatis. Alter eorum, qui viuunt in labore, in fide, & meritis, conuersantes in terris, & pro illis offertur in pignus redemptionis. Tertius eorum, qui in purgatorio purgantur: & pro illis offertur in supplicationem pro afflictis. Vt ergo significetur, quod hoc sacrificium singulis statibus proficiat, panis sacramentum in tres diuiditur partes, sub his verbis, *per eundē Dominum Iesum,* quem sub sacramento verè contineri confitemur, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra: *Iesum,* inquam: saluatorem, *Christū,* vnctum a Patre oleo lætitiæ scilicet, Spiritu sancto *filium tuum* vnigenitū, & naturalem: *qui tecum,* patre omnipotenti: viuit, indefectibiliter, & æternaliter: *& regnat* imperiosè & potenter: *in unitate,* identitatis substantiæ & naturæ; *Spiritus sancti,* tertiæ in diuinis personæ, qui nexus est vtriusque patris & filij, *Deus,* vnus verus & coęternus: *per omnia sæcula sæculorum,* id est, æternaliter sine fine. Populus, vel chorus, vel minister in persona populi circumstantis respondet, *Amen.* Hæc est expositio literæ. Videamus mysteria. Dum enim frangitur hostia, sicut ait Prosper de consec. distin. 2. Et sanguis in ora fidelium infunditur, immolatio corporis Christi in cruce, & effusio sanguinis eius de latere designatur.

Frangitur autem primo in duas partes ad designandum duplicem prædestinatorum statum, scilicet, æternæ gloriæ, & temporalis miseriæ. Subdi-

uiditur autem vna medietas in duas partes: quarum vna offertur pro illis, qui sunt in purgatorio, alia pro illis, qui sunt in mundo. Pars autem illa, quæ est post primam fractionem, remanet in manu dextera, & ponitur supra patenam; designat illos, qui iam sunt in Ecclesia triumphanti, siue in gloria, & iam tenent illam rectitudinem, cui nulla obliquitas admisceri potest: & ideo dexteræ comparantur. Illi autem qui adhuc sunt in miseria per sinistram significantur, vbi sunt multa aliqua.

Subdiuiditur autem illa, quæ est in sinistra: quia illi, qui sunt in cælo statum vniformem iam tenent, & vna beatitudine fruuntur. Illi autem, qui sunt in miseria, sunt diuersi, seu diuisi; quia quidã sunt in miseria purgatorij; quidam autem in miseria huius mundi. Particula autem illa, quæ est in sinistra post diuisionem additur particulæ, quæ est in patena; quia secundum Augu. Deus habet duas manus, dexteram, qua miseretur: & sinistrã, qua punit. Illis ergo, qui sunt in purgatorio, inquantum ibi purgantur respondet sola punitio: & ideo particula, quæ in sinistra manu tenetur, illos figurat. Illi autem, qui adhuc sunt in præsenti vita, in qua est status merendi, consequi possunt misericordiam; & ideo ipsi per aliam particulam, quæ in manu dextera remanet, designantur. Quia vero absque dubio illi, qui sunt in purgatorio, coniungentur eis, qui sunt in cælo; ideo particula sinistræ manus coniungitur illi, quæ est in patena. Sed, quia illi, qui sunt in hac vita, egent multum passionis Christi, quæ ex effusione sanguinis eius processit; ideo particula, quæ in dextera manu remansit, quæ significat illos, qui sunt in mundo, mittitur in sanguinem Christi; ad denotandum eorum necessitatem passionis Christi.

Item, Sacerdos dicens illa verba, *per omnia sæcula*, tenet particulam super os calicis: per quod signatur, quod viuentes in corpore egent misericordia Dei, & meritis passionis Christi. Item, significat quod ipsemet viuentes petunt adhuc iuuari merito passionis, & effusionis sanguinis Iesu Christi. Item dicenda, *per omnia sæcula sæculorum*, Sacerdos erigit se, ad significandum quod vult petere existentiam perpetuam Domini nobiscum. Vnde subdit, *pax Domini sit semper nobiscũ*. ad significãdum quod Dominus post resurrectionem pacem dedit. Aliqui dicendo, *per omnia*, eleuant modicum calicem; ad significandum populo, vt populus pacem considerans hoc intelligat, & dicat *Amen*. Item per hoc quod Sacerdos altè dicit, *pax Domini*: repræsentat personam Christi, qui post resurrectionem dixit discipulis, pax vobis.

Notandum tamen est, quod aliud significat fractio hostiæ, & aliud particulæ fractæ. Nam fractio significat dominicam passionem, secundum Biel: particulę vero significant eos, pro quibus passus est; ad quos, scilicet, passionis fructus deriuatur; hoc est, omnes sanctos ad vitam ęternam prædestinatos. Sanctos dico de genere Adam, Christi sanguine redemptos. Alij autẽ aliter exponunt circa has particulas, vt patet de consec. dist. in. 2. triforme est corpus Domini. Vbi ostenditur quid significent tres partes, quæ fiunt de specie panis, & dicitur, quod significat corpus Christi mysticum quod triplex est; nam pars, quæ ponitur in calicẽ significat corpus Christi quod resurrexit; pars comesta significat corpus Domini dum fuit in vita præsenti, ambulans adhuc super terram, id est, designat corpus Domini in eo statu, in quo fuit ante passionem. Vel designat Ecclesiam adhuc militantem. Pars remanens vsque ad finem Missę significat corpus iacens in sepulchro; quia vsque ad finem sæculi corpora sãctorum in sepulchris erunt. Hęc sunt

verba

verba canonis Sergij. Ergo aliter in Missa antiquitus circa hanc diuisionem fiebat. Sequitur.

Pax Domini sit semper uobiscũ. Pax Domini, ęternalis, in ipsi certitudine, pax cordis, in puritate conscientię; & pax temporis, in perturbationis moderatione; *sit semper uobiscum*: ad fructuosè sumendum excellentissimum sacramentum. Chorus respon. eadem imprecans sacerdoti; *Et cum spiritu tuo*. Nam hoc est piarum, ac religiosarum mentium, vt pacificè salutantes, piè resalutent. Bona optantibus, bona similiter reoptent.

Post aptationem ergo sacramenti per eius diuisionem ad sumptionem, sequitur vnio participantium per pacis impetrationem. Et primo, optat communicaturis pacem. Secundo, ad significandum pacis vnionem, particulam mittit in calicem ibi: *Hæc commixtio, & cet.* Tertio, vt optatio pacis sortiatur effectum, fundit precem ad Christum ibi: *Agnus Dei, & cet.* Quo ad primum necessaria est pax, vt sacramentum fructuosè sumatur: teste propheta; In pace factus est locus eius. Ipse quoque Deus, ab Apostolo denominatur Deus pacis, & dilectionis. Ipse ingrediens mundum pacem per Angelum nunciauit. Et in terra pax hominibus; conuersatus in terris, & populo prædicãs, pacem habere docuit. Pacem, inquit, habete inter vos. Mat. 6. Mittens Apostolos ad prædicandũ, pacẽ offerre hominibus demandauit. In quamcumque domum intraueritis primum dicite, pax huic domui. Recedens pacem eis reliquit. Ioan. 14. Pacem, inquit, meam do vobis. Moriens pacem perditam reformauit, soluens inimicitias in carne sua. Ephes. 2. Et ad Coloss. 1. In ipso pacificauit omnia, siue, quæ in terra, siue, quæ in cælis per sanguinem crucis eius. Resurgens pacẽ dedit discipulis dicens; stans in medio eorum pax vobis. Et spiritũ sanctũ mittens, pacem in eis confirmauit.

Hanc pacem optat Sacerdos tertiã hostiæ particulam sanguini immergẽdam, (significantem electos huius mũdi militantes in tribulationibus) in manu tenens, & dicens? *pax Domini sit semper uobiscum.* Quæ pax triplex, vt etiam supra adnotauimus, pax conscientiæ, temporalis, & æternitatis. q. d. Pax conscientiæ, & pectoris, quæ est a Dei voluntate non diuidi, & ab his, qui Dei sunt, vitiosè non impediri: *sit semper uobiscum.* Pax temporalis tranquillitatis, quæ est ab aduersis nõ opprimi, prosperis temperatè frui, & delectari, itidem sit semper vobiscum. Pax ęternitatis, quæ est ab omni pęnalitate liberari, & summo bono perpetuo satiari, sit quoque semper vobiscũ. Vt per primam ad tantæ communionis participationem digni iudicemini.

Per secundam ab ipsa participatione non impediamini. Ac per ipsam sacramenti participationem pacem tertiam, & summam consequamini.

Cum autem dicitur, pax Domini, fiunt tres cruces: per quod repręsentatur Christi resurrectio tertia die facta: quia in resurrectione Christus dedit pacem Apostolis. Vel. Illæ tres cruces super sanguinem Christi significant triduum sepulturę; secundum Innoc. & secundum eundem, scilicet, tres mulieres, quæ erant circa Christi monumentum. Vel fiunt tres cruces secundum Biel, ad significandum, quod virtus Trinitatis animam crucifixi, quæ per vinum in calice designatur, reduxit ad carnem, ne relinqueretur in inferno, neque caro eius daretur videre corruptionem. Vel secundum Alber. fiunt tres cruces, ad significandum triplicem pacem, quam Dominus ter post resurrectionem suis discipulis nũciauit. Ioann. 20. & 21. Vel ad significandum, quod pax illa ęternitatis, quæ principaliter optatur, donatur a tota Trinitate in virtute passionis crucifixi; ad quam disponunt, pax pectoris, & pax temporis. Vel potest breuius

uius dici secundum Thom. 3. p.q.83. artic. 3. quod consecratio huius sacramenti, & acceptio huius sacrificij, & fructus eius procedit ex virtute crucis Christi. Et ideo vbicumque fit mentio de aliquo horum; Sacerdos crucis signatione vtitur. Chorus optat eadē Sacerdoti. q. d. O Sacerdos sit pax cū spiritu tuo, vt sis idoneus hoc sacrosanctum sacrificium pro salute totius mundi immolare, & nos Deo Patri reconciliare, pacemque constituere inter Deum & homines peccatores; sit, inquit, *pax Domini* non cum carne, sed cum Spiritu. Pax, inquam, tēporis: ne cor tuum aduersitatibus distractum non possit deuotè salubriterque sacrificium pacis consumere. *Sit cum Spiritu tuo*, pax conscientiæ, & pectoris, quia si Spiritus tuus erit a voluntate Dei dissonans, quomodo impetrabis pacem pro nobis, quam optas? Sit pax cum Spiritu, vt te immolante pro nobis, non impediaris a concupiscentijs carnalibus, quæ militant aduersus animam. Sequitur.

Hæc commixtio, idest, adiunctio specierum panis, & vini. *Et consecratio*: hoc est, consecrata ex conuersione prius facta, *Corporis* veri crucifixi, sepulti, resuscitati; *& sanguinis* in cruce effusi; *Domini*, Saluatoris & Redemptoris, *nostri Iesu Christi fiat nobis*, Sacerdoti in sacrificium offerenti. Et omnibus spiritualiter voto in fide sumentibus per sacerdotem, qui est velut os corporis mystici. *accipientibus*, Sacramentaliter, & spiritualiter; sic sacerdos sumit sacramentum, cuius virtus transit in omnia Ecclesiæ membra huius spiritualiter susceptiua: & singulariter in eos, qui intersunt Missæ. *Fiat* salus per gratiæ augumentationem, & animæ nutritionem, salus inquam mentis, & corporis, per fomitis repressionem, seu remissionem, & rebellionis moderationem: *nobis accipientibus in vitam æternam*, idest, finalem beatitudinem capescendam: *Amen*. Non respondetur a choro, quia dicitur secretè. Optata ergo pace ad significandum pacis vnionem, mittit particulam in calicem. Vel mittendo particulam in calicem significat, quod anima vnita est corpori in resurrectione. Et bene hoc fit post pax Domini: quia postquam Dominus pacificauit omnia, quæ in cælo, & in terra sunt, primo vniuit animam corpori; ait Guiliel. Quæ etiam verba referenda sunt ad species panis, & vini, quibus corpus Christi, & sanguis continetur. Fractio hostiæ instituta est a Papa Sergio. Cum dicitur, pax Domini, dicitur alta voce, & hoc ideo fit, quia significatur gaudium, quod habuerunt Apostoli de Christi resurrectione: & quia gauisi sunt viso Domino: populus clamat dicens: *Et cum spiritu tuo*.

De Agnus Dei. *Cap.* 82.

VT supra diximus in Missa particula, cooperit calicem, genuflectit, & cæt. dicit *Agnus Dei*, innocens, & immaculate; *Qui tollis peccata mundi* dimittendo ea authoritate diuina; *Miserere nobis*; peccata non imputando; *Agnus Dei*, obmutescens coram persecutoribus, sicut ouis coram tondente; *Qui tollis peccata mundi, Miserere*, pœnas nostras soluendo, *nobis* pœnas remittendo: *Agnus Dei*, mansuetissime, & benignissime, *Qui tollis peccata mundi*, Patrem nobis reconciliando, *Dona nobis pacem*, finalem beatificam, & æternam. Hæc expositio est literæ, si qua alia erit, dicetur. *Agnus Dei* dici ad Missam statuit Leo primus anno Domini 443. & vt ter diceretur.

Orat Sacerdos, vt pax optata effectum habeat in communicaturis, siue realiter, siue spiritualiter vt circumstantibus. Et primo orationem præmittit: Secūdo, ipsam specificationem eius

adiungit, ibi: *Domine Iesu Christe, qui dixisti:* Quo autem ad primum, quia pacem hanc sine remissione peccatorum nemo consequitur, Dei misericordia quæ peccata remittit, suppliciter expostulatur, tanquam necessario præueniens perfectam pacem, quæ vltimo exprimitur, scilicet, in tertio, *Agnus Dei.* Petuntur autem tria ab agno Christo, duo paci prævia, quæ sunt misericordia Dei in peccati remissione: iterum misericordia Dei in gratiæ infusione; & tertio, pax ipsa, quæ est bonum finale, omnium desideriorum impletiuum. Et in hac oratione de tribus commendatur Christus, de puritate innocentiæ naturalis, quia *Agnus Dei.* Secũdo, de benignitate veniæ salutaris *Qui tollis peccata mundi.* Tertiò, de affectuositate misericordiæ liberalis, *Miserere nobis.* Dicitur autem primo miserere nobis, vltimo autem dona nobis pacem secundum Thom. & ratio est; quia per prima duo, petimus amotionem culpæ & pęnæ: per tertium autem, scilicet, per pacem petimus assecutionem omnis boni. Vel, quia ipse nos redemit a miseria culpæ & pęnæ, & dedit plenitudinem gratiæ. Illud tamen dona nobis pacem (literaliter loquendo) additum est propter persequutionem tyrannorum. Vel dicitur tripliciter, quia tria peccata petimus dimitti amore illius passionis. Primo, cogitationis. Secundo, locutionis: Tertio, operationis, per quorum remissionem deuenimus ad ęternam pacem; ideo dicitur in tertio, dona nobis pacem.

In Missa vero pro defunctis loco miserere nobis, & loco dona nobis pacem, dicitur dona eis requiem: quia Missa defunctorũ specialiter pro mortuis cęlebratur, vt eis requies impetretur; ideo hoc specialiter exprimitur. Et quoniam animabus triplex optatur requies, a triplici afflictione expectatæ beatitudinis. Primæ duæ requies, si cum præcisione tertiæ accipiuntur, sunt temporales, tertia vero æterna: ideo Ecclesia tantũ ad tertium Agnus, addit, sempiternam.

Agnus dicitur ex institutione Sergij Papæ vt diximus. Secundum Rabanũ dicitur ter in Missa propter tres partes corporis mystici, scilicet, in cælo, & in terra, & dormientium, siue in Purgatorio. Siquidem Ioannes Baptista videns Iesum ambulantem dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ioan. 1. Quare autem vocauerit agnum, subdit, qui tollit, idest, qui venit vt tollat peccata mũdi: quia pro peccatis tollendis pascha nostrum immolatus est Christus. Nempè in veteri testamento offerebatur agnus pro peccatis populi. Et in nouo testamento Christus obtulit seipsum Deo Patri: vt humanum genus liberaret, & lauaret a peccatis in sanguine suo. Merito ergo dum corpus, & sanguis Domini sumitur, agnus Dei cantatur: vt omnes credamus, quia ipsius agni corpus, & sanguis sumitur, qui peccata mundi moriendo tulit: & vitam resurgendo nobis donauit Iesus Christus Dominus noster: & vt oremus ipsum nunquam desistere misereri nobis, qui in passione misertus est nostri.

Agnus Græcè, Latinè, purus, & castus dicitur, quod sit hostia pura, & immolationi apta; quia ipse verus agnus sola sua pietate se obtulit hostiã pro nobis, & nos redemit. Dicitur etiã agnus ab innocentia: quia agnus nec hominibus nec bellijs nocet. Dicitur etiam agnus ab agnoscendo, quia in magno grege solo balatu matrẽ agnoscit: sic & Christus in ara crucis donãs nobis prius pacem, agnouit nos cura: agnouit etiam patrem, obedientia: factus obediens vsque ad mortem. Phil. 2. Agnouit etiam matrem, custodia. Ecce filius tuus: & ecce mater tua. Ioann. 20. Et ob hoc etiam dicitur ter in Missa; q.d. Ecclesia. Agne, qui agnouisti Patrem, miserere nobis. Piè, qui redemisti mundum: & qui obtulisti te

pro nobis, dona nobis pacem. Hæc Dur. Quæret fortè aliquis, quare magis dicitur agnus Dei, quam Iesu Christe, vel aliquo alio modo? Respon. Alexand. quod hoc fit conuenienter; primo, propter veritatis repræsentationē, quæ i lege figurabatur, i immolatione agni typici. Secundò, propter veritatis prænunciationem, quæ facta est prophetice, Isa. 16. Emitte agnum Domine dominatorem terræ: de petra deserti ad montem filiæ Sion. Tertio, propter veri agni ostensionem digito præcursoris dicentis, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quia enim in hoc Sacramento repræsentatur veri agni immolatio, quæ fuit per agnum in lege figurata, & sub nomine agni a prophetis prænunciata atque sub agni vocabulo a Ioanne demonstrata; conuenienter ad horum rememorationē, & fidei testificationem dirigitur oratio ad Christum sub nomine agni, sub quo totupliciter nouimus figuraliter, prophetice, & manifestè expressum, ac demonstratum.

Missale præcipit vt absque iunctione manuum dicamus agnus Dei, hoc modo; *iunctis prius manibus dicit: Agnus Dei ter percutiens pectus* absque iunctione, quasi innuendo, quod manu dextera percutiat pectus, & tangat Altare, dicendo: miserere nobis: nam in cap. de Altare diximus significare Christum, ideo ab ipso Christo petimus misericordiam consequi, ac nobis misereri. Immo quotiescunque faciendæ sunt cruce signationes iste modus est obseruandus, quasi ex ipsomet Christo proueniat omnis benedictio & significatio. Sequitur.

Domine Iesu Christe, qui dixisti, iturus ex hoc mundo ad Patrem; *Apostolis tuis: pacem meam*, veram, saluantem; Non quomodo mundus dat pacem damnantem: *do vobis pacem relinquo vobis: Ne respicias, peccata mea*, id est, ne imputes ad repellendam orationem, tanquam indignam exauditione: *Sed fidem Ecclesiæ tuæ*: Sponsæ, sanctæ, & gratia purgatæ. *Eamque secundum voluntatem tuam*, qua venisti pacificare omnia, siue quæ in cęlis, siue quæ in terris sunt; *Pacificare*, inquam eam, ab infidelibus, & persecutoribus eruendo. *Et coadunare*, in fide, & charitatis vinculis. *Digneris*, quatenus in bonis pacificata, in malis custodita, in charitate adunata, intus, & foris a te recta, tantæ communionis habeatur digna. *Qui viuis & regnas cum Deo Patre*, &c. Ex his patet intentio huius collectæ.

Præmissa oratione, vt optatio pacis in populo sortiatur effectum, sequitur specificatio eiusdem orationis; specificat enim effectum, & finem, propter quem pro pace suppliciter exorauit. In qua specificatione, primo, captat beneuolentiam eius, qui oratur, ex eo quod ipse, qui oratur est qui pacem suis tribuit: Secundo, ibi: *ne respicias*: tollit enim impedimenta exauditionis. Tertio, ibi: *eamque*, fundit petitionem. Et nota, quod sub hac oratione Sacerdos osculatur Altare, deinde Diaconum, qui consequenter porrigit osculum Subdiacono, & ille alteri de Choro: & sic consequenter mutuo sibi præbent oscula. In nōnullis tamen Ecclesijs prębetur aliqua imago Saluatoris osculanda, ad prohibitionem lasciuiæ tam Sacerdoti, quam populo. Primo, osculatur Altare, quod Christum significat, ad notandum pacem cum Christo factam mediante sacra communione digne illam sumentibus; vel voto, digne astantibus. Vel ideo fit (osculum Altaris) in signum, quod pax spiritualis a Christo data est humano generi: & ideo prius osculatur Altare: & deinde illos, eo quod debent omnes inter se pacem habere: præsertim filij Ecclesiæ. Et quia etiam charitas diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis, pacis osculum per vniuersos fideles in Ecclesia primitiua diffundebatur. Hoc

autem

autem non est nouum; vnde Iustinus martyr Apolog. 2. ait: Mutuoque nos inuicem osculo salutamus. Et Dionys. cap. 3. Eccles. hierarch. Ad hæc venerandus Antistes orationem Sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nunciat, & cum se mutuo omnes salutauerint, mystica sanctorum recitatio fit. Et August. in serm. Sabbathi sancti, dicit: Post ipsam, (scilicet, salutationem Dominicam) dicitur: Pax vobiscum, vt osculentur se Christiani in osculo sancto. Sed pacis Christi signum, quod ostendunt labia, fiat in conscientia, idest, quo modo labia fratris accedunt, sic cor a corde non recedat. Innocentius primus statuit dari pacem anno Domini 405.

Quod vero accedat Diaconus ad partem dexteram, qui prius erat a sinistris, signatur populus Gentilis, qui primus in pace transiuit a sinistra infidelitatis, & ad dexterã fidei, & ęternitatis: & per hũc pax ad populũ descẽdit.

Quod Sacerdos pacem tribuit populo, fuit præfiguratum a Iosue, qui hostibus superatis terram obtinuit, quam sorte diuisit, & in pace possedit: Et Christus resurgens diabolo superato, pacem, & dona dedit hominibus. Innocentius primus osculum in Ecclesia dari decreuit. Osculum in sacra Scriptura significat vnionem, charitatem, pacem, & reuerentiam. De osculo vnionis dicitur Cant. 1. Osculetur me osculo oris sui. De secundo dicitur Genes. 27. Accede ad me, & da mihi osculum fili mi, inquit Isaac ad filium suum Iacob. De osculo pacis dicitur 1. Corin. 6. Salutate inuicem in osculo sancto. De osculo reuerentię dicit Dominus ad Simonem, Luc. 7. Osculum mihi non dedisti; hæc autem, ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. De osculo sancto hic est sermo. Quicumque autem osculum sanctum spernit, se demonstrat esse separatum tam ab Ecclesia, quam a Christo. Est & osculum proditionis, & lasciuiæ, de primo dicitur Matth. 26. Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum. De secundo dicitur Prouerb. 7. de muliere vaga, & iuuene vecordi: Appræhensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur. Hic ergo de osculo vnionis, reconciliationis, & pacis intelligitur. Magister in Rationali, ait: osculatur se populus recepto osculo a ministro Sacerdotis, vt se cõiunctos esse profiteantur in vnitate fidei per Christum in ara crucis immolatum, cuius immolationis memoria per sumptionem sacramenti ad quam sacerdos accedit cælebratur. Aut ut gratuletur se gratiã per corporis Christi immolationem, cuius memoria per agitur, maximè per manducationẽ hostiæ recepisse. Innoc. Papa tertius lib. 6. de sacr. Alt. my. ait; Ad notãdũ aũt distinctionẽ inter sacros ordines, & non sacros, Diaconus & qui superioris sũt ordinis, cũ percipiũt Eucharistiã, osculũ suscipiunt ab Epõ. Acolithos & qui sunt inferiorũ ordinum non suscipiũt. Subdiaconus vero, quia character huiusmodi quondam inter nõ sacros, nũc aũt inter sacros ordines reputatur, in perceptione corporis nõ suscipit osculũ a Pontifice, sed in perceptione sanguinis suscipit osculũ a Diacono, vt q non sacri sunt, minus, & qui sacri sunt, amplius honorentur. Quãuis in hoc & mystica possit assignari ratio. hæc ille.

Nota, quod hæc oratio, *Domine Iesu Christe*, dum cælebratur Missa pro mortuis, non recitatur, vt dicit Rubrica Missalis: & ratio est, quia defuncti iam mundi leges transierũt, & requiescunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Vnde cum non possunt a malis hominibus infestari, nec peccatis amplius irretiri, nec extolli in prosperis, nec frangi in aduersis: Ideo non egent custodia, & regimine, nec exteriori pace, aut defensione ab exteriori impugnatione, quę in ista oratione attentius postulamus.

Item pax Domini non datur in Mis-

sa defunctorum: sed dicitur, dona eis requiē: quia mortui nō indigent pace temporali, quia non sunt in perturbatione huius mundi: vel quia non sunt in pace, sed in pęnis: ideo dicimus, dona eis requiem. Aliqui dicunt in officio defunctorum, dona eis locum indulgentię, idest, locum in quo indultis culpis & pęnis eos colloces, scilicet, in cælo. Dum Sacerdos osculum præbet ministro, dicit: *Pax*, quam osculo, pacis signo repræsento ego, sit tecum. *Et cum spiritu tuo*, respondet minister. Sequitur.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, & cæt. Hæc est tertia pars principalis participationis: Postquam impetrauit cōmunicantium vnionem; procedit Sacerdos ad principalissime in sacrificio Missæ intentum. videlicet tremendi sacrificij sumptionem. Et quoniam, vt ait D. Thom. mors est malis, vita bonis; sacerdos non iniuria in tam grandi periculo contremiscit; ne quod optimum est, & ad pariendum vitæ fructum institutum, ex propria sui indispositione fiat sibi cibus ad mortem, dicit contra; *Domine Iesu Christe fili Dei viui*, per æternam generationem, tibi naturam diuinam communicantem: *Qui ex voluntate*, misericordissima, te ad hominis liberationem mittente; *Patris*, tibi consubstantialis: *Cooperante spiritu sancto*, cuius tecum, & cum patre vna, & indiuidua est substantia: *per mortem tuam* spontaneam, crucis amatam: *mundum*, idest, homines in mundo existentes; *Viuificasti*, per gratiam animæ infusam a te meritam: *Libera me* hoc sacrificium offerentem; *Per hoc sacrosanctum corpus*, pro nobis in cruce oblatum, & sub his speciebus nobis in cibum paratum: Parasti in dulcedine tua pauperi Deus: *& sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis*, animam deformantibus: *Et vniuersis malis*, præsentibus, præteritis, & futuris. *Et fac me*, & eos pro quibus offero; *tuis semper obedire mandatis*, vniuersaliter per plenam voluntatis subiectionem: nam iugum tuum suaue, & onus leue est. *Et à te nunquā separari permittas*; neque in hoc seculo per peccatum, nec in futuro per dānationis sententiam. *Qui cum eodem Deo*, &c. Sequitur.

Perceptio corporis tui, &c. Orat sacerdos, ne panis, qui de cælo descendit vitam præbens mundo, sibi propter sua demerita sit causa damnationis, dicens; *Perceptio*, idest, manducatio sacramentalis; *Corporis tui*, veri; *Domine Iesu Christe*, *quod indignus ego* sacerdos; *Sumere*, idest, manducare præsumo, non temerarie, tuo cōstrictus pręcepto: *Non mihi proueniat*, occasionaliter ex defectibus meis; *In iudicium*, terribile contra peccatores: Ite maledicti, & cæt. Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. *Et condemnationem* perpetuam corporis, & animæ: *Sed pro tua pietate*, qua pro nobis mori dignatus es; *prosit mihi ad tutamentum*, idest, securam defensionem *mentis & corporis*. *Et ad medelam corporis, & animæ percipiendam*, *Qui viuis & regnas Deus*. Sequitur.

Domine non sum dignus. Post orationem, qua postulauit cælebrans vt sumptio tanti sacramenti fiat salutaris sibi & ijs, pro quibus sacrificat: exemplo Centurionis suam profitendo indignitatem, profunde se humiliat dicens: *Domine non sum dignus*, ex iustitia mea, *vt intres sub tectum meum* corporis uere, & realiter, & animæ eam inhabitando, per gratiam spiritualiter; *Sed tantum dic verbo*, virtutis tuæ, qui verbum es Patris: *Et sanabitur*, idest, mundabitur; *Anima mea*, à peccatis, tibi displicentibus, & me indignum facientibus. Cæterum vt efficax sit & accepta coram oculis Domini hæc oratio non sufficit eam sola voce proferre, sed vt proferentis cor humiliter de se sentiat in primis oportet; quare enitendum est vt Sacerdos in proprijs oculis existimet se sic esse:

quo-

quoniam, qui se existimat esse aliquid cum nihil sit ipse se seducit. Ad Galat. 6.

Sed dicet aliquis. Sacerdos hanc orationem proferens, aut credit se fore indignum, aut non. Si primum, ergo iudicium sibi manducat. Si secũdum, ergo fictè loquitur & nequiter se humiliat. Resp. Biel, quod proferens ita sentire, & de se credere debet, vt loquitur, se esse indignum, quantum est ex se: & ideò petit, vt ipse indignus in oculis suis, significetur, idest, dignus reputetur in oculis Dei. Siquidẽ nulla creatura ex seipsa est hac participatione digna, in qua Dominus Cæli accipitur. Neque idem est indignum sumere, & indignè sumere. Indignus sumit, qui incomparabilis existens ad eius dignitatem quem sumit, accedit; quod facit omnis sumens quantumcumque sanctus. Sed indignè sumit, qui sine sui ipsius probatione, & præuia purgatione accedit; & ille incidit in sententiam prꝗallegatam, Iudicium sibi manducat.

De Communione Sacerdotis. Cap. 84.

POst hæc Sacerdos se communicat (deinde alios si qui sunt communicandi) dicens orationem, panem cęlestem accipiam &c. quæ sumpta est secundum quamdam reformationem & similitudinem ex eo versu Psa. 115. Calicem salutaris accipiam, mutando calicem, secundum propositam materiam, in panem cælestem. & rectè sic enim vocatur a Domino; Ego sum panis viuus qui de cælo descendit. Ioa. 6. Nam post suę indignitatis recognitionem Sacerdos non desperans; sed de diuino auxilio confisus, dicit, *Panem cælestem*, idest, corpus Christi de Cælo descendens, sub specie panis latens; *Accipiam*, ego peregrinus famescens, cibo indigens spiritali, non corpus, sed animam nutrientẽ; *Et nomen Domini*, plenum misericordia, *Inuocabo*, vt gratiam conferat, qua me tanta participatione dignũ reddat. Sed dicet quis, statim post hæc verba sequitur, *Domine non sum dignus*; ergo sacerdos videtur sibi contrarius. Sed absit hoc; nam dicens, *Panem cælestem*, seipsum incitat ad deuotionem, reducens ad memoriam, quid est, quod sumere habet; scilicet, verum Deum; Et qualiter sumere debet; Quia *nomen Domini inuocabo*, vt sic maiori sumat reuerentia, & timore. Dicendo verò subsequenter, *Domine non sum dignus*; & Ecclesia in hoc vtitur verbis eorum, qui Deo placuerunt teste Christo: Amen dico vobis non inueni tantam fidem, & cæter. Matt. 8. Huic simile est illud præcursoris, qui nolebat baptizare Christum reputans se indignum; vt patet Mat. 3. & Petrus dixit; exi à me, quia peccator sum Domine. Luc. 5. & Elisabet repleta Spiritu sancto dixit; & vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Luc. 1. Nunquid nos, qui tam tepidi sumus, de nobis sentire non debemus quod tam sancti de se sentiebãt? Sacerdos ergo in his verbis; ex humilitate sua profitetur indignitatem; at excitatio ad deuotionem, & professio humilitatis contraria non sunt. Non licet autẽ Sacerdoti sacrificanti a sumptione Eucharistiæ abstinere. Vnde in Can. 9. Apostolorum dicitur: Si quis Episcopus autẽ presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione, non communicauerit, aut causam dicat, vt si rationabilis fuerit, veniam consequatur; aut si non dixerit, communione priuetur, tanquam qui populo causa læsionis extiterit, dans suspicionem de eo, qui sacrificauit, quod non rectè obtulerit.

Secundum quosdam hic incipit, Quarta pars Missæ. Vt autem in perceptione corporis & sanguinis Christi nulla possit fallacia suboriri, sed in vtroque perceptionis veritas euidenter appareat, summus Pontifex non

statim particulam hostiæ dimittit in calicem, sed eam post trinum crucis signaculum in patenam reponit, & post osculum pacis ad sedem ascendēs ibi consistens, vniuersis cernentibus, partem maiorem suscipit oblatæ de patena, quam ei Diaconus repræsentat, ipsamque videntibus diuidens vnamque particulam sumens aliam mittit in calicem, quem tenet coram ipso Subdiaconus, de quo sanguinem haurit cum calamo, deinde particulam vnam cum osculo tradit Diacono, aliā que Subdiacono sine osculo, quem ad Altare ministrante ei calicem Diaconus osculatur. Et tunc Subdiaconus particulam dimissam in calice sumit cum sanguine. Huius rei causam iam patebit.

Quod autem Sacerdos communicat se coram ministris, insinuat illud, quod Luc. 24. commemorat, scilicet, quod comedit coram duobus discipulis euntibus in Emaus; & similiter dū communicat ministros; nam sumens reliquias dedit illis, vt dicitur alibi. Ipse quoque vt dicitur Ioan. 21. postmodum partem piscis assi, & fauum mellis manducauit, & reliquias discipulis dedit; & ideo postquam Diaconus, & Subdiaconus communicarūt, clerici & religiosi ad communionem accedunt; vt ipsi partem sanctæ communionis accipiant. Postmodum communicat populum, quia Christus non solum comedit cum paucis Apostolis: verumetiam ascensurus in cælum comedit cum multitudine discipulorū. Act. 1. Vnde & sumptio corporis, ascēsionem significat saluatoris. Romanus Pontif. ad Altare frangit, & ad sedem communicat; quia Christus in Emaus coram duobus discipulis fregit, & in Ierusalem coram duodecim discipulis manducauit. In Emaus enim legitur fregisse, sed non legitur comedisse. In Ierusalem vero fregisse non legitur, sed legitur comedisse secundum Innoc. 3. Ministri, subdit, repręsentant Pontifici oblatam & calicem, quia discipuli obtulerunt Christo partem piscis assi, & fa um mellis. Pars piscis assi corpus Domini crucifixi, qui fuit in ara crucis assatus, fauus mellis sanguinis Christi, super mel & fauum dulcis faucibus animę diligentis. Ascendens igitur sedem ibi communicat. Siquidem Christus secundum Apostol. Colo. 1. Caput est Ecclesiæ: caput autē in corpore sublimius, & excellentius ob sui perfectionem cæteris membris collocatur. Per calicem vero secundū quendam respectum, ęterna beatitudo, seu ipsius fruitio designatur, quia in Ecclesia militante Summus Pontifex, sicut Christi vicarius, & caput omnium prælatorum perfectius Christū repræsentat. Congruum est, vt ipse nō in Altari, sed in loco sublimiori communicet; ostendēs quod Christus etiā in sua humanitate perfectius & copiosius participat illa ineffabilia gaudia: vtpotè in potioribus bonis collocata. Cùm vero cælebrat pro defunctis, super Altare communicat; quia tunc specialiter membrorum Christi hinc fideliter decedentium gloriam repræsentat: ac membra Christi cum ad illam gloriam perueniunt, inferiorem post Christum gradum obtinent: sicut membra post caput. In parasceue autē ad Altare communicat ob reuerētiam passionis Christi: tum quia tunc quasi exequias cælebrat Iesu Christi: tū ēt quia solus communicat; quia in Christi passione omnibus discipulis fugientibus ipse solus remansit. Hæc Dur. li. 4. capit. 54. Alij autem prælati non sic cælebrant: sed super Altare communicant, quia non ita propriè Christum caput Ecclesiæ repræsentant.

Sacerdos dicto ter Domine nō sum dignus: sumpturus corpus, & sanguinem Christi se illis ante faciem cruce signat Sicut enim prius cruces faciēdo actiuè tāquam minister illa sanctificauit: sic se eis nunc cruce signando, passiuè petit sanctificari. Post sumptū

Eucha-

Eucharistiæ sacramentum, non est spuendum, de consec. dist. 2. vt quid. Insuper Eucharistia non est mastica͂da sicut alius cibus. Mos ille dicendi Domine non sum dignus est antiquissimus auctore Origene homil.6. in diuersis.

Post hæc, scilicet, post sumptionẽ, Sacerdos digitos abluit, & profundit, ne quid forte incautè remaneat, seu adhęreat, ex contactu diuini sacramẽti: non quod quicquam immundum ex ipso contactu contraxerit: sed vt potius suam commemoret indignationem; qui se iudicat tantis sacramentis cælebrãtis indignum. Iuxta illud Luc. 77. Cum omnia benefeceritis, dicite: serui inutiles sumus. Et propter hoc etiam finita Missa, exutisque sacris vestibus, iterum manus lauat. Trina autem Sacerdotis ablutio, quæ fit in principio, in medio, & in fine, designat mundationem cogitationis, locutionis, & actionis: vel purgationem peccati, originalis, venialis, & criminalis: siue quod agitur per ignorantiam, negligentiam, & industriam: ad quorum mundationem offertur sacrificiũ salutare. de consec. distin. 2. cum omne. in princ.

Sanè Sacerdos digitos perfundit in dextro cornu Altaris: ad notandum quod Christus sumpsit humanam naturam ex Iudæis: nam supra diximus, quod illa pars significat populum Iudaicum. Sicut enim ab illis naturam accepit: Sic & ab eis illius naturæ purgationẽ ab omnibus defectibus quos assumpsit habuit: quoniam ab eis occisus fuit, ad quam mortem secuta est resurrectio: in qua omnes defectus dimisit & eis oppositas virtutes accepit. Ad hoc igitur repręsentandum in dextro cornu Altaris, vel saltem reuolutus ad illud Sacerdos profundit & per fusionem sumit. Vel vt aiunt quidam, hæc purificatio significat ablutionem manuum, quam Pilatus fecit ad perditionem sanguinis iusti super Iudæos per dextrum cornu Altaris, significatos. Ad hoc hausta purificatione inclinat calicem, primo, ne remaneat aliquid sanguinis; Mysticè, ad notãdum sepulchrum esse vacuum, quia surrexit Christus.

Præmissis orationibus præcedentibus, sequuntur duæ orationes, quæ dici solent inter communicandum. Quarum prima, respicit perceptionem sacramenti panis. Secunda, perceptionem sacramenti calicis, ibi: *Quid retribuam Domino*. De prima dicitur: *Corpus Domini nostri Iesu Christi*. pro peccatorum totius mundi expiatione in cruce immolatum, & quo vita mũdi sub sacramento nobis datum. *Custodiat animam meam*, in vnitate fidei catholicæ, & in omni tentatione: in hora separationis a corpore. *In vitam æternam*, felicem, & beatam. *Amen*. Sequitur.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: in qua oratione profitetur se nihil habere, quibus respondere possit diuinis beneficijs. q. d. nihil ex me condignum habeo cõdignis beneficijs; ergo quid retribuam Domino, pijssimo largitori, pro omnibus donis naturæ, fortunæ, & gratię; *Quæ retribuit mihi?* Multipliciter enim tribuit, creando, iustificando, cibo cælesti nutriendo. *Calicem salutaris accipiam*. poculum salutis, sanguinem saluatoris, prætium redemptionis, *Accipiam*, sitibundus cum desiderio & gratitudine: & nomen Domini, idest, memoriam benefactoris, & beneficiorũ, *Inuocabo*, idest, intus in mentem vocabo. *Laudans inuocabo Dominum*, datorem de ineffabili munificentia, qua seipsum nobis donatum in pretium, iterum donat in cibum, & salutis nutrimentum. *Et ab inimicis meis*, idest, dæmonibus saluti meę aduersantibus, *saluus ero*, idest, defensus, ne pręualeãt malis, & machinationibus suis. *Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam*, in innocentia vitæ,

ræ, & puritate cordis, ne recidiuem in peccata: *In uitam æternam*, *Amen*. idest, in consortium sanctorum; laudantium Dominum in sæcula sæculorum.

Post has orationes, sequuntur orationes aliæ duæ, vtramque sumptionē simul concernentes. Prima est, *Corpus tuum Domine*, quod sumpsi, *sub speciebus panis*: & sanguis, quem potaui, sub speciebus vini: adhereat, per gratiam & efficaciam virtutis, *Visceribus meis*, non corporalibus, quæ sunt viæ eijciendarum superfluitatum: sed spiritualibus animæ, quæ sunt intellectus, & voluntas, principia operationum humanarum; *Et præsta*, *ut in me*, sumente, *Non remaneat scelerum macula*, idest, vlla culpa deturpans animā meam. *Quem sanctam, & purā*, idest, ab omni macula peccati: *refecerunt sacramenta*, *qui uiuis & in regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

Est & alia oratio respiciens vtranq; sumptionem; qua petuntur per sumptionem sacramenti conferri bona, videlicet, mentis puritas spiritualiter reficiens & tādem salus sempiterna. Sic ait. *Quod ore sūsipmus Domine*. Quod, idest, sacramentum corporis, & sanguinis, *ore*, sacramentaliter, *sumpsimus Domine pura mente*, idest, sincera per fidem, & charitatis deuotionem: *Capiamus*, scilicet, sumptione spirituali: *Et de munere* in tempore præsenti ad animæ vegetationem concesso: *de munere* inquam *temporali*, *fiat nobis remedium sempiternum*, idest, præseruatiuum a recidiua, & conseruatiuum in gratia perseuerans in vitam æternā. *Amen*. Possetautem quæri de manducantibus sacramentaliter, quamdiu manet in sumēte verum corpus Christi? Respo. breuiter, quod manet corpus Christi realiter sub speciebus, quā diu species non alterantur tanta alteratione, sub qua non maneret substātia panis, si consecratio facta nō foret. Species illæ alterantur per omnia, ac si forent in subiecto, supplente Domino impotentiam naturæ. Facta alteratione, quæ dicta est, desinit ibi esse corpus Christi, & manet vbi est, si species cōsecratæ non fuissent, scilicet, in cælo, aut sub alijs speciebus consecratis in alio loco. Non tamen localiter mouetur ab illis speciebus per medium ad cælum, aut alium locum, sed simpliciter, desint esse sub illis speciebus. Biel lect. 85.

His omnibus dictis & peracta communione, ritus. 11. Missalis, numer. 1. ita ait: *celebrante purificato, dum calicē collocat in Altari, liber Missalis, defertur per ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur vt in introitu.* Et num. 3. Sic ait: *In Missa solemni Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde uadit retro post celebrantem; Subdiaconus uero uadit ad cornu Euangelij*, vt non turbet Sacerdotem crece, cum in altera parte reperiatur, & iste erit sensus literalis. *ubi calicem mundat, aptat cum purificatorio. Patena, & palla cooperit. Plicat corporale, reponit in bursam, & illam ponit super calicem coopertum uelo, quem collocat in Altari, uel super credentia ut prius.* Hæc sunt verba ritus Plicatur autem corporale & ponitur in bursam, quæ potest reponi vbi prius erat vacua (meo iudicio) si cælebrans, non solemniter cælebrat, & accipiat eam postea finita Missa, quod ideo fieri dicerē. vt notetur illud quod dicitur Ioann. 20. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, scilicet, Ioannem & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim, (ecce significatio quare corporale plicetur & reponi debet separatim: cum corporale significet huiusmodi linteamina) inuolutum in vnum locum. Si autem portatur calix & reponatur in credentia vbi prius erat potest etiam reponi bursa in eodem loco vbi supra ad significandum hoc quod diximus,

salua semper authoritate S. R. E. cui me in omnibus subijcio. cætera declarata sunt.

Nota quod antiquitus, qui erant communicandi habebant in vsu quod prius lauabant pedes ante communionem vt fecit Christus erga discipulos suos in cæna, sicut & ante baptismum quod tamen abrogatum fuisse testatur August. Epistola 119. c.8.& significabat internam præparationem, quod huius rei signum retinet, licet lotionē pedum remiserit. Cum erat communicandum Diaconus clamabat: sancta, sanctis. q.d.sancta dantur sanctis. Si quis non est sanctus non accedat. Non simpliciter dicitur a peccatis purus, sed sanctus, non peccatorum tantum liberatione sed Spiritus presentia. hæc Chrysostomus. *Si qui sunt communicandi in Missa, &c.* deinde paucis interiectis *accedit ad eorum dextram, hoc est ad latus Epistolæ, & unicuique porrigit sacramentum,* &c. vbi præcipit Missale a parte dextra esse incipiēdam communionē: ratio potest esse, quia significat Hebræos, & in Iudæa incæpit ista communio, vt dicitur Act. Erant circa domos frangentes panem. Lege Rit. 10. nu. 6.

De postcommunione. Cap. 85.

COmmunicato populo siue Sacerdote tantum, cum lætitia & iubilo cantatur communio: quę antiquitus antiphona dicebatur, hoc est sonus circularis ait Alber. quia sicut Introitus ita & communio super psalmum iterabatur. Hic autem cantus est in signum lætitiæ intra viscera suscepti Dei: & ideo cum lætitia cantabant illum cantum vnus ad alium, quasi nunciens qualiter Deus susceptus sit ab eo: iuxta id. In voce exultationis & confessionis, sonus epulantis. Psalm. 41. Et hoc signatum est, Luc. 15. vbi cum pater occideret vitulum saginatum, fecit chorum & simphoniam in signum lætitiæ: quia dulcedine diuinæ pinguedinis infusa sunt intima. Psal. 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: sup. refectione sacramenti, & labijs exultationis laudabit os meum, in cantu semper antiqui postcommunionem iterabant: modo autem iste cantus non iteratur, ne ex prolixitate tedium generetur, & ideo nunc communio, non antiphona consueuit nominari, quia non iteratur vt prius in primitiua Ecclesia fiebat.

Rursus, quia in primitiua Ecclesia quotidie fideles omnes, qualibet die corpore & sanguine Christi communicabant; ideo statim post communicationem cantus iste fiebat, vt populus ostenderetur gratias & laudes agere de Christi corpore, & sanguine susceptis, & hoc patet ex ipsis collectis, quæ in nomine populi recitantur. Sed tepescente feruore non ita communicabant quotidie, ideo etiam abbreuiata est Antiphona hæc. Item post susceptam communionem tunc fideles diuites faciebant eleemosynas pauperibus dando illis ientaculum, vel prandium, vt ait Chrysostomus. in homilia oportet hæreses esse post, 1. ad Corinth. ex hac forma faciendi elemosynas, puto quod in Ecclesia pauperibus eleemosynæ dantur a diuitibus & alijs; licet tempore Apostolorum etiam fierent, vt patet 1. Cor. 16. De collectis quæ fiunt in sanctos, &c. Et præcipuè cum dicatur Act. 2. Beatius est magis dare quam accipere: & habetur 16. quæst. 1. Prædicator. Et ratio est secundum glos. quia dando placet homo, accipiendo displicet. Vnde versus.

Temporibus nostris quicumque placere laborat,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Et habetur huiusmodi disticon in cap. cum Marthæ, de celebra. Missa.

Secun-

Secundum Innocen. & Alexand. de Ales, Communio, significat gaudium Apostolorum de Christi resurrectione iuxta id. Gauisi sunt discipuli viso Domino, & præ gaudio mirabātur. Quod vero reciprocando in quibusdam Ecclesijs cantatur, insinuat, quod discipuli resurrectionis gaudium sibi mutuo nunciabant. Vnde duo discipuli venientes de Emaus, cum inuenissent vndecim congregatos, & eos qui cum ipsis erant, dicentes: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni, narrabant, quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerūt eum in fractione panis. Sed Albertus hanc mysticam rationem reprobat: immo (quod admirabile valdè est) & alias nonnullas mysticas rationes in canone: cum tamen hoc habeamus a Domino: *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis*, idest, in memoriam totius passionis. Vide Biel. lec. 83. B.

Cantatur autem ab omnibus, vt notetur communitas gaudij de susceptione sanctissimæ Eucharistiæ. Est igitur communio, gratiarum actio, iuxta id Psalm. 21. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabūt Dominum. Nam pro omni munere debemus gratias Deo referre, præsenti, scilicet, & præterito, non futuro: quia nec Deus futurum indulget, vt de pœnit. distinct. 3. sanè cauendum.

Hæc antiphona dicitur secundum diuersitatem officiorum, siue secūdum qualitatem temporum & festorū. Vel dicitur communio secundum Beleth: Eo quod fit in memoriam eius, quod populus omnis (vt diximus) singulis diebus communicabat. Vel ideo, vt per eam communicemus Deo & Sanctis. Dicitur vero complenda, quia per eam completur Missa. Sed tamen complenda potius dicitur collecta post cōmunionem: quæ tot complendæ erūt, quot orationes ante epistolam. Et significat gratiam subsequentem, nobis necessariam.

De collecta postcommun. Cap. 86.

Cantata communione, ex qua Sacerdos spirituale gaudium populi spiritualiter secum sacrosanctam Eucharistiam communicantis concipit, ipse lætus, & hilaris ad populum se conuertit, ipsum salutans, & dicens: *Dominus vobiscum*. In hac parte, fit humilis depræcatio, vt percepta communio effectum salutis in participantibus operetur. Hæc autem depræcatio fit per orationes, quæ complendæ dicuntur: eoquod per eas completur & finitur Missæ officium, & illæ etiam variātur secundum variationem officiorū. Præmittit autē sacerdos salutationem populi, optans diuinam assistentiam in finem per sumptionem sacramenti perdurantem: & populum hortatur ad secum simul orandum, dicens; *Oremus*. Deinde orationem subiungit, qua regulariter petit, vt sacra communio effectum suum optetur, scilicet, gratiam augeat in præsenti, & gloriam conferat in futuro. Ad hæc enim petenda frequenter sonant complendæ: vel saltem quo ad aliqua ad gloriam æternam ordinata. Sigillatim procedamus.

Pontifex ergo seu Sacerdos prius osculatur Altare, innuēs se firmiter credere, & consentire his, quę circa sacrificium acta sunt, & conuersus; populum salutat: deinde redit ad cornu Altaris, significans quod in fine mundi post Antichristi mortem, Christi prædicatio, siue Christus rediturus est ad Hebræos, quos iam reprobauit secundum illud Roman. 9. Isaias autem clamat pro Israel, si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquæ saluę fient. Et eleuatis manibus dicendo, oremus, vltimam orationem, quæ propriè postcommunio vocatur, exequitur: quid orat diximus supra.

Hæc autem oratio significat orationem capitis Christi, qui pro nobis interpel-

terpellat quotidie apud patrem. Significat etiam quod Apostoli post Ascensionẽ Domini, in oratione perseuerarunt. Finis autem orationis, vbi dicitur, per Dominum nostrum, &c. Significat quod aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum. Collectæ autem hę, quæ nunc dicuntur, debent respondere primis ante Epistolam, & secretis, vt si vna fuit ibi, ita & hic; si duo, duo; & si tres, vel quinque vel septem, ita & hic in postcommunione.

Finita vltima oratione redit ad medium Altaris; quia sicut per dextrum cornu Altaris reprę sentatur populus Iudaicus, & per sinistrum Gentilis; ita per mediũ Altaris significatur Christus, qui est lapis angularis, duos in se parietes, Iudæos, videlicet, & Gentiles, in fidei suæ vnitate connectens. Vt sicut officium Missæ incipiendum est in Christo, ita & in eo finiendum; quoniam ipse est α & ω, principium, & finis, a quo omnis nostra oratio, & operatio sumere debet principium; & in ipso tanquam in fine vltimo, summo & optimo terminari. Reditio ad medium, idest, ad Christum, significat etiam quod ab ipso Christo petit benedictionem, qua benedicturus est populum abeuntem. Ad finem orationis iterum salutat populum, dicens; Dominus vobiscum, optans vt recedentes a templo non recedant a Domino; vt satagant quatenus Dominus semper cum eis in omnibus agendis maneat, & nunquam ab eorum intentione, & amore recedat. Et populus respondens: *Et cum spiritu tuo*, optat vt ipse Sacerdos post Missam nõ carnalibus, sed spiritualibus vacans exercitijs Domino semper adhæreat, orationibusque iugibus Domino vniatur. q. d. populus, & cum spiritu tuo sit Dominus, vt, Spiritu ambules, & vitia carnis non perficias.

Circa hoc notandũ est, quod Christus post resurrectionem legitur bis salutasse discipulos dicens: Pax vobis, in signum duplicis pacis, videlicet, pectoris, & æternitatis. Hanc duplicem pacẽ per duplex osculum Sacerdos insinuat cũ videlicet prius osculatur ministrum, deinde Altare, prima ergo salutatio, quæ fit ante orationum, significat illam benedictionem quam Christus ascensurus in cælum legitur dedisse discipulis suis. Nam vt Lucas refert, eduxit eos foras in Bethania, & eleuatis manibus benedixit eis: & cum benedixisset recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Secunda salutatio reprę sentat pacem vitamque æternam.

Item, notandum est quod septies Sacerdos salutat populum, quatenus exclusis septem vitijs capitalibus, suscipiat gratiam septiformis Spiritus. Et quinque vicibus se vertit ad populum significans quinque apparitiones quibus Dominus in die resurrectionis suis dilectissimis apparuit.

De Ite Missa est. Cap. 87.

SAcerdos salutato populo dicit, *Ite missa est*; & hæc pars diuiditur in tres partes. In prima Sacerdos licentiat populum, ad redeundum ad propria. Secundo licentiatum benedicendo sanctificat. Tertiò oratione ad Deũ se conuertens totum concludit officium.

Missa in proposito potest accipi dupliciter, vel participaliter, vel nominaliter. Participaliter, sensus est iste. Ite missa est, idest. Ite ad propria redeuntes, quia missa est hostia salutaris, scilicet, Christus mediator noster Missus est ad patrem, vt tanquam aduocatus noster, ipsum pro nobis interpellet. Vel. Missa est, idest, sacrificium, siue oblatio facta est: quia secundum aliquos, Missah, est dictio Hebraica significans idem quod sacrificium, vel oblationem factam supremo Deo: nã multis in locis sacræ scripturæ, & specialiter in Deuter. cap. 16. vbi nos ha-

 bemus

bemus secundum translationem D. Hierony. Oblationem spontaneam, in Hebræo legitur Missah. Vnde in principio nascentis Ecclesiæ vsque ad Hadriani tempora, fiebat Missa tantum in lingua Hebraica: hinc elicitur quod ob hoc vocatur Missa. Vel nominaliter pro officio Missæ: & tunc erit sensus. Ite missa est, idest. Ite ad propria, siue ad domos vestras, necessarijs corporis intendendo, quia Missa, idest, officiũ Missæ est (supple) finitum. Ante cuius finem statuit Ecclesia, ne populus recedat. Respondet populus, Deo gratias: tanquam gratus Deo de suscepto beneficio gratias agens.

Vbi nota, quod Missa tribus modis finitur. Primo modo per, Ite missa est. Secundo modo, per, *Benedicamus Domino.* Tertiò modo, per, *Requiescant in pace.* Hæc autem conclusio, *Ite missa est*, dicitur in festis, dum populus ad Ecclesiam concurrit: cuius populi officium versatur circa exteriora: ideo ad ipsa prouidenda licentiatur. Et antiquitus Diaconus super pulpito dicebat, *Ite missa est*, eoquod populus nesciebat, quando Missa esset finita. Vnde in Concil. Aurelianen. de consecr. distinct. 1. cum ad cælebrandum. statutum est, quod nullus exire debeat de Ecclesia, donec annunciatum sit per ministrum, scilicet, quod eat ad propria. Dicens, *Ita missa est*, dirigit vultum ad populum; quia ad eos quos præsentes licentiamus, sermonem dirigimus: ad quos autem sermonem dirigimus, faciem representare solemus, sicut fit quando dicitur, *Dominus uobiscum.* &, *orate, fratres.*

Feriatis autem diebus, quibus populus non tenetur interesse diuinis, aliter concluditur. Nam clerici, quia diuino cultui sunt adscripti, & quorum exercitium iugiter esse debet in sorte Domini, concluditur Missa, per, *Benedicamus Domino*, (secundum ritum antiquum loquendo; hodie vero secus fit iuxta rubr. Missalis noui refor. quas consulito) quo verbo non datur licentia circunstanti clero, sed ad continuandum religionis cultum, additur exhortatio, dicendo: *Benedicamus Domino*; nos, scilicet, diuino cultui specialiter deputati. Ideo, quia Sacerdos non alloquitur populum, non stat versus illum, sed oriẽtem versus, scilicet, versus chorum, mentem habens ad Deum, & annumerat seipsum cum clero. Clerus autem respondet, *Deo gratias*, quasi obediendo Sacerdotali exhortationi, gratias de officij perfectione Domino reddens. Et quoniam in diebus Quadragesimę & Aduentus etiam populus magis orationibus insistere debet, quam cæteris diebus, tunc etiam die Dominico dum populus diuinis tenetur interesse, clauditur Missa, per, *Benedicamus Domino*, quo exhortatur vt solicitudinem temporaliũ temperantes, magis solito diuinis laudibus inhæreant, & spiritualiter ad Dominum se conuertant. Quod autem populus postea respondet, *Deo gratias*, imitatur Apostolos, qui adorantes Dominum ingressi sunt Ierusalem, cum gaudio magno, & erant in templo laudantes & benedicentes Deum. Vel secundum Bonauen. in 4. distin. 13. non dicitur in omni Missa, quia quædam Missæ cælebrantur in honorem sanctorum; & quia sunt beati; ideo dicitur populo; *ite missa est*, idest, festinate ingredi illam requiem sicuti illi. Quædam sunt aliæ ad salutẽ viuorum: & quia non sumus certi de salute nostra; iuxta id. Eccles. 9. Nemo scit vtrum amore an odio dignus sit; ideo debemus assidue esse soliciti, vt non per nostram ignauiam, in nobis Missæ efficacia depereat. Vnde dicitur *Benedicamus Domino*. Quod forsan Ecclesia his ducta rationibus fecit hũc ritum, scilicet, quod quotiescumque recitatur, *Te deum laudamus*, vel *Gloria in Excelsis*, concluditur Missa, per, *ite missa est*, quando autem non dicuntur (nam Missæ votiuæ, pro viuis fiũt)

tunc

tunc dicitur, Benedicamus Domino, vt patet in rubrica Missalis reformati. Rubr. 13. numero 1. & Rit. 11. Et est sumptum de Apostolo, vel de Iudith, capit. 7. vbi dicunt captiui: *Benedicamus Domino*, idest, referamus gratias vel laudes Deo: & est vox humilior quam, *ite missa est*, Et ideo non vertit se Sacerdos ad populum, dicendo: Benedicamus Domino; ad significandum quod numquam cessare debemus referre gratias Deo vt nos non deserat, & non sinat nos vinci ab istis inimicis.

Meldens. autem super Psalm. 7. dicit, Berengarium instituisse ita dicendum, Benedicamus Dominum; & non Domino; quod benedictio non fit ad vtilitatem Dei, sed ad nostram. Nos autem dicimus quod indifferenter vtrumque potest dici. Creatura namque benedicit creaturę bonum optando: creatum autem creatorem dupliciter, scilicet, laudando, & bonum ei tribuendo. Creator autem creaturam, bonum augendo; & hoc dupliciter, vel in numero, vel in merito. Sicut.n. crescit bonum, sic & merita. Hæc ille.

In Missa pro defunctis, clauditur Missa, per, *Requiescant in pace*, vt finis huius officij correspondeat principio, in quo eis æterna requies postulatur; Et quia illud officium singulariter defunctis applicatur, ideo in eius principio, medio, & fine, requies in pace æterna ac iucundissima adoptatur. Et respondet chorus, *Amen*. idest. Fiat quod postuletur. Dicit, *Requiescant in pace*, quia illis in omnibus, & cito subueniendum est. Docens quod omnia, quæ in Missa defunctorum acta sunt, ad pacem defunctorum ordinata sunt.

De illa oratione, Placeat tibi sancta Trinitas. Cap. 88.

SAcerdos in hac oratione velut in quodam cõpendio petitiones priores recolligit, humiliter petens pro se alijsq; omnibus: pro quibus sacrificiũ obtulit exaudiri. Et breuiter hæc tanguntur, scilicet, dignitas eius cui sacrificatur: ordo, & potestas, sacrificiũ offerentis, cum dicit: *Hoc obsequium seruitutis*. Humilitas offerentis, qua vt placitum sit deprecatur, cum dicit: *Ego indignus obtuli*. Ordinata charitas eiusdem, qua vt sibi & omnibus prosit, supplicatur. Dicitur ergo ad referendum gratiarum actiones Sanctissimæ Trinitati, pro beneficijs in Missa exhibitis. Nec est prætermittenda hæc oratio. Vbi nota secundum Nicol. de Ploue, quod quidam sacerdos interrogauit quendam obsessum a dæmone quid de se sentiret; quæsiuit autem de seipso, quasi de alio, hoc modo. Quid tibi videtur de Iacobo Sacerdote? Respond. Dæmon, olim fuit videtur, sed iam est Dei. Deinde Sacerdos subdit: Et quid tibi videtur de Bartolomeo socio meo? Res. Dæmon, si nõ subtraheret, bonus esset: ille valdè admiratus, quod furem diceret, cũ sciret eũ virum bonum: interrogauit quidnã subtraheret: subtrahit, (inquit,) Deo orationem illam, *Placeat tibi sancta Trinitas*, quod multum nobis placet, & satis Deo displicet. Quæ omnia ita fuerunt cõperta, sicut dixit. Caueat ergo Sacerdos, ne illam vel aliam omittat orationem. Dicit ergo, *Placeat*, & gratũ *tibi*, Deus vnus, Pater, & filius, & spiritus sanctus, idest, *Sancta Trinitas* hoc *obsequium*, supple, Missæ a te institutum, & offerri tibi præceptum, *Seruitutis meæ*, idest, gradus & ordinis mei: *& præsta, vt sacrificium*, veri corporis, & sanguinis Christi: *Quod oculis tuæ maiestatis*, omnia nude & apertè conuentis: Ego *indignus* Sacerdos ex me, dignificatus ex te: *Obtuli, sit tibi acceptabile*, non tantum ex se, sed etiam quantum est ex offerente: *mihique* Sacerdoti, *& omnibus, pro quibus illud obtuli*, & omnibus, scilicet, fidelibus viuis, & defunctis, pro quibus illud obtuli, *sit te miserante*, idest, misericorditer concedente, *propitiabile*, pro diluendis culpis: pro redimendis

pœnis: pro conferendis spiritualibus donis. *Per Christum Dominum nostrum. Amen.* per quem omnia facta sunt, conseruantur, & gubernantur.

De benedictione. Cap. 89.

EPiscopus dicto, Placeat, siue sit sacerdos, benedicit populum: alias Episcopus dabat benedictionem ante Agnus Dei; nunc verò post hanc orationem, vt patet ex Cęrem. Episc. lib. 2. cap. 8. Hæc benedictio significat illam benedictionem, de qua dicitur Act. 1 Eleuatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cælum: nam hic terminata fuit tota Christi vita in terris. Differt benedictio Episcopi ab illa, quam facit sacerdos, quia solēnius benedicit Episcopus, quam Sacerdos.

Benedicitur autem populus, vt donis cælestibus repleatur, & in bonis contra omnes inimici aduersitates custodiatur, præstante hoc diuina maiestate Patris, & filij, & Spiritus sancti, vt dicitur in benedictione. Facta benedictione, sacerdos se ad Orientem vertit, quasi se Christo ascendenti commendans. Cęterum benedictionis formam authoritas legis expressit dicente Domino per Moysen, Inuocabis nomen meum super filios Israel, & ego Dominus benedicam. Item Aaron postquam sacrificaret extendens manum supra populum benedixit illi: vt patet Leuit. 9. Item Moyses, & Aaron, expletis hostijs & sacrificijs, intrauerunt tabernaculum testimonij, & postea exeuntes benedixerunt populo. Leuit. 11. & hoc fiebat sub Sacramento trinæ inuocationis. Ait enim ad Moysen Dominus (Num. 6.) sic benedices populum meum & benedicam illos. Benedicat te Dominus & custodiat te, ostendatque faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Amen.

Huiusmodi autem finales benedictiones in veteri testamento sumuntur quoniam & Iacob in fine vitæ suæ filijs suis benedixit, & Moyses, populo benedixit ante mortem. Deuter. 33. sicut & Christus discipulis ante Ascensionem, vti diximus.

Regulariter maior benedicit minori: vnde Abraham a Melchisedech benedicitur, & non e contra. Nullus ergo Sacerdos, maiori suo non innuente, benedictionem dare nitatur; immo Episcopo Missam audiente, Sacerdos cælebrans illius licentiam, & benedictionem exposuit. Vide cærem. Episc. lib. 1. cap. 29.

Benedictio Episcopalis fit per modū manus impositionis. Vnde Episcopus benedicens tenet manus more Aaron super populum eleuatas; & exemplo Christi, qui vt præmissum est, coram discipulis manducauit; deinde eleuatis manibus benedixit eis. Et, quia soli Episcopi manus imponunt, (vt patet Act. 6. Et ex supradictis) ideo solemnem benedictionem ipse solus Episcopus dat, qui Episcopi succedunt Apostolis, & Sacerdotes discipulis.

Notatione dignum hic est, quod Ecclesiæ Ambrosianæ sacerdos ad Missam nunquam faciem suam versus populum porrigit nisi in fine quādo vult dare benedictionem: Fortè motus D. Ambros. his rationibus; quia & Christus post resurrectionem suam ascensurus in cælum raro & quasi cursim conuersabatur cum discipulis suis: ita & Sacerdos ascensurus ad Deum per Missæ cælebrationem, & cæt. Vel sic dicas, & forte melius: quia Christus in tota vita sua, non fuit ita agnitus a discipulis suis, sicut fuit, quando videntibus illis eleuatisque manibus, benedixit eis, & ferebatur in cælum: quod quidem impletum est tunc, quando, nubes suscepit eum ab oculis eorum, & cæt. Act. 1. Vel sic. Quia Sacerdos ad tam magnum mysterium occupatus,

ac posita manus ad tantum aratrum, non vult respicere retro nisi finita sacratissima gleba, vt possit aptus esse regno Dei, ideo numquam faciem porrigit nisi cum vult benedicere populum. Qui vero meliores habent rationes in medium adferant. Literaliter autem potest esse, ne mens Sacerdotis ad illicita distrahatur.

Data benedictione a Sacerdote vt respondeant vltima primis recitatur Euangelium secundum Ioannem. cap. 1. Et hoc ordinatum fuit, vt ostendatur, quod illud quod petitum fuit in principio Missę, nempe in Introitu, qui denotat suspiria patrum de aduentu Christi, iam obtinemus, scilicet, quod Verbum caro factum est: hoc enim suspirabant prophetæ dicentes, Veni Domine & noli tardare. Et. Mitte Domine quem missurus es. Et. Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum, &c. Hæc omnia adimpleta sunt, & in hoc Euangelio leguntur. scilicet, quod Messias venit, factus homo, & vocatus filius hominis vt homines fierent filij Dei, licet, non omnes homines receperint illum, vt dicitur in præsenti Euangelio.

In aliquibus locis sacerdos finita Missa, & depositis sacris vestibus accedit ad Episcopum: & genua flectens coram illo osculatur manum eius. In hoc figurans magnum filij Dei obedientiam, qui patri obediuit in incarnatione, in passione, & in Ascensione, quę idem Sacerdos in Missæ officio repræsentauit, & ostendens se illis fidem veram habere, & consentire. Pontifex vero illi benedicit, quasi dicat: Hic est filius meus dilectus.

Finito Euangelio Sancti Ioannis. Sacerdos recitat Canticum trium puerorum, & alia quæ ordinantur in Missali Romano, gratias agens Deo pro tanto beneficio, quem in æternum laudabit. Rediens deinde ipse ad propria, Christum significat, qui legatione peracta in gloriam patris ascendit. Et fideles etiam reuertuntur, dum de carceris exilio liberati in gloriæ libertatem eripiuntur. De benedictione mensæ, vt faciunt religiosi, hoc sumptum est, ex ipso Euangelio, exemplo Christi, qui in Emaus mensam coram duobus discipulis benedixit. & tanquam aduena illi locum concesserunt in benedictione mensæ, vt etiam nonnulli obseruant. Quod vero vnus incipiat, & alij coadiuuent, hoc ideo fit ad notãdum, quod inferiores sunt coadiutores præpositorum in oneribus supportandis.

In quibusdam Ecclesijs post Missam benedicitur panis a Sacerdote populo distribuendus, exemplo Christi, qui in deserto quinque panes benedixit, & ex eis quinque millia hominum satiauit.

De Cautelis habendis dum celebratur Missa. Cap. 90.

NVnc nonnulla dicamus, pro huius negotij complemento, de his quæ obseruanda sunt dum Missa cælebratur.

Primo, aduertendum est, quod dum sacrum cælebratur, tam Clerici, quam Laici humiliter & deuotè se debent habere.

Secundò, vt quoties audierint a Sacerdote dici, vel nominari nomen Domini Iesu Christi, flectant genua, & caput inclinent reuerenter, de immun. Eccl. capit. decet domum libr. 6. iuxta illud Apostol. In nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.

Tertio, vt nulla prophana, & multo fortius fœda colloquia proferantur, vt ibidem in eodem capitul. pulchrè dicitur. Nam si nos pudet talia loqui coram hominibus, quanto magis coram Deo?

Quartò, caueant, ne aliquis ante finem Missæ recedat sine magna necessi-

cessitate. Idem dic si exit de sermone: quod si fecerit ex contemptu excommunicetur: sicut solent facere quidam Laici. Contra quos est canon 37. distinct. sedulo. Et capitul. cum ex inuento. Quod autem tales possint excommunicari habes expressè de consecr. distinct. 1. Vbi sic dicitur: Omnes fideles, qui conueniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant, qui autem non perseuerant, &c. vel inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari. Et iste est canon Apostolorum. Et ibidem ex Concilio Cartag. dicitur: Sacerdote in Ecclesia verbum Dei proponente, qui egressus fuerit de auditorio, excommunicetur. Et ex Concil. Agaten. ibidem habetur. Missas die Dominico secularibus totas audire spirituali ordine præcipimus, ita vt ante Sacerdotis benedictionem egredi populus non præsumat: quod si fecerit publici ab Episcopo confundatur. Vbi ait glos. hoc dico præceptum esse. Contra hoc faciunt, qui Missam diebus Dominicis, & Festis non audiunt, sed circumeunt Ecclesiam, dum fiunt sacra vel conciones, sicut faciunt Iudæi synagogam; cum tamen dicitur Psalmus 121. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem. Et de talibus potest dici Psalmus 11. In circuitu impij ambulant. Contra quos est canon Anastasij Papæ de consecrat. distinct. 1. Apostolicam. Vbi dicitur, quod cum legitur Euangelium, non sedentes nec stantes, sed curui debemus audire; Si autem sessio prohibetur: Multo magis discursus & circuitus.

Quintò, caueat laicus, ne vacuus die festiuo ad Missam veniat: de consecrat. distinct. 1. Omnes Christiani. Quia Exod. 33. Scriptum est: Non apparebis in conspectu Dei vacuus; hoc tamen est consilium, secundum glos. ibidem; diebus priuatis: sed diebus festiuis videtur esse præceptum.

Sextò, caueat quisque ne audiendo Missam prope Altare nimis appropinquet, de vita & honestate Clericor. capitul. 1. Et ista sunt sæpè ac sæpiùs populo intimanda: vt debita reuerentia circa sacramenta Ecclesiastica habeatur. Et de consecrat. distinct. 2. capitul. 30. vbi dicitur; quod dum cælebratur Missa Sacerdotes & Clerici debent esse a laicis separati, vt libere possint sacra officia cælebrare.

Septimò, caueat ne quis prætermisso Ecclesiæ conuentu vadat ad spectacula: quia talis dignus est vt excommunicetur de consecr. distinct. 1. qui die solemni.

Circa Clericos vero, caueat Sacerdos, ne in vestibus vel ornamentis sordidis cælebret: sed ornamenta prædicta: iuxta meliorem dispositionem mundet; & iuxta facultatem bonorum Ecclesiæ meliora, quæ poterit comparet. Vnde dicit Stephanus Episcopus familiari amico Hilario, quod vestimenta Ecclesiæ quælibet, dummodo ministrantur sacramenta, debent esse munda, & honesta.

Secundò, caueat, ne plures Missas faciat in vno die. De hoc supra diximus.

Tertiò, caueat cælebrans, ne sine lumine, & campana cælebret; vt de cælebr. Miss. capitul. 1. dicitur; quia Christus candor est lucis ęternæ, vt ibidem dicitur cap. sanè.

Quartò, caueat, ne plus ponat in calice de aqua quam de vino; quia vt ait Ioann. Andreas in capitul. perniciosus de cælebr. Miss. credere debemus, quod de latere Christi maior quantitas exiuit sanguinis quam aquæ; vt dicitur in capitul. 3. ibidem.

Quintò, caueat ille qui solus est in Eccle-

Ecclesia, ne propter peculiarem, idest, priuatam deuotionem, cælebrare omittat Missam de die; vt dicitur in c. Quidam, de cælebr. Miss.

Sextò caueat, ne legat Missam ad alterius petitionem, propter hoc, quod haberet bonas segetes, vel vt sibi in hastiludio bene succedat; quia ista secundum Innocen. repræhenduntur in capitul. quidam. de cælebr. Miss. multo autem fortius ad hunc finem, vt Deus aliquem perdat: quia talis grauiter peccaret, & esset deponendus secundum Ioann. Andreas in capitul. quidam pro quo allegat. 26. quæst. 5. quicumque.

Septimò, caueat, ne nimis mane cælebret, scilicet, ante diem; quia secundum Thom. illud Sacramentum pertinet ad diem gratię. Sicut ait Apostol. Rom. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Excipitur tamen dies Natiuitatis, vt ibi dicitur capitul. de prima Missa. Verum tamen Episcopis concessum esse videtur secundum Ioan. Andreas, qui sunt in via, quod possunt maturius quam alij audire; vt de priuileg. lib. 6. capit. vltim. de his & alijs vide Rubricam Missalis. Hæc tantum volui pro secundo libro de Missæ sacrificio.

Finis Libri Secundi.

DIVI-

DIVINORVM OFFICIORVM LIBER TERTIVS.

scilicet,

DE OFFICIO IN COMMVNI.

De Officij partione, seu de numero horarum canonicarum. Caput Primum.

SVper muros tuos Ierusalem constitui custodes, qui tota die & nocte non cessabunt laudare nomen Domini. Isa. 62. Legitur etiam Exod. 25. Dominum dixisse Moysi: omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est: quocirca, quia duplex est Ecclesia, vna triumphans, quę cælestis Ierusalem vocatur; Alia militans, vt nostra, ideo conuenit nos conformari illi cælesti Ierusalem, quæ Dominum laudare iubetur, (quæ etiam sicut ait Apost. Galat. 4. desursum est, & est mater nostra) præsertim in simul laudando Deum: & hoc, est facere omnia secundum exemplar: Verumtamen Ecclesia militans imitari plenè nequit Ecclesiam triumphantem: quæ incessanter Deum laudat: vt dicitur Apoc. 4. quod animalia requiem non habebant, dicentia: Sanctus Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth: & hoc nequimus propter infirmitatem nostram. Nam vt dicitur Sap. 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Et etiam nequimus insistere diuinis laudibus, quia habet homo necessaria quærere; iuxta id Genes. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. 6. distin. in capite. & ideo facimus quod possumus certis dici naturalis horis Deum laudando. Hoc autem est ponere custodes circa Ierusalem militantē, quod & sumptum est de veteri testamento: vnde Esdras populum Israeliticum de Babylonica captiuitate reuersum, docuit Deum laudare quater in nocte, & quater in die. Verum Dauid Psalm. 118 ait: Septies in die laudem dixi tibi. Et ibidem. Media nocte surgebam ad confitendum tibi: quem ordinem Concil. Agaten. Extr. de celebr. Miss. cap. 1. approbat, & sancta mater Ecclesia seruat: quoniam officium nocturnum, media nocte canitur. Reliquæ vero horæ canonicæ de die dicuntur.

Et id quidē rationabiliter instituit. Nam oratio ad Deum nostra est armatura qua pugnemus contra dæmones, hostes nostros spirituales eiusque adiutore Deo vincamus, sicut Moyses legitur (Exodi 17.) oratione expansisque manibus certasse cōtra Amalech, & demum eum in fugam conuertisse. Hostis autem noster antiquus videns

ſe ab homine expulſum, aſſumere nititur ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, vt ingreſſus locum vnde exiuit habitet ibi, & faciat nouiſſima illius peiora prioribus. Atqui contra ſeptem illos ſpiritus nequam & immundos non poſſumus præualere; niſi ſeptiformi gratia Spiritus ſancti adiuti, & muniti contra hoſtiles inſidias. Itaque ad impetrandum gratiam ſeptemplicis Spiritus ſancti in hac lucta & pugna difficili: ſeptenam laudis decantationem quotidie Deo exoluẽdam Eccleſia ſancta inſtituit: vt ſupra etiam innuimus. Et cum victoria potiti fuerimus; ad agendas Deo gratias, cuius ſeptiformi dono euaſimus hoſtes ſuperiores; vtque id totum bonum ipſi referamus acceptum; ſepties Deo ſacrificium laudis quotidie offerimus. Eſt enim ſeptenus numerus, ſacer admodum, & magnorum vtriuſque teſtamenti myſteriorum ſignificatiuus: vt ſtudioſi ſacrorum eloquiorum pertractatores diligentius indagant & diſcutiunt.

Porro in eius rei figurã: Ioſuè dux populi Iſraelitici poſt Moyſen contra vrbem Hiericontinam (quæ typum gerebat dęmonicę ciuitatis) pugnaturus: ſeptem diebus eam circuiſſe legitur, ſeptem quoque Sacerdotibus commiſiſſe munus; vt ſeptem tubarum clangoribus eam oppugnarent. Quorum poſtremo, muri vrbis corruerunt; & facta eſt populo Dei in direptionem. Item, ſunt ſeptem hæ horæ & non plures propter ſeptem ætates mundi, vel contra ſeptem vitia capitalia: quod autem dicerentur quotidie a Sacerdotibus, ſtatuit Pelagius 2. anno Domini 580.

Primum quidem horum ſeptem officiorum Eccleſiaſticorum, eſt officiũ matutinum: quod ex primaria primitiuaque ordinatione, media nocte cælebrari eſt ſolitum, ſecundum id Prophetę; Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi: ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Tum quod nocte intempeſta, primogenita Ægyptiorum ab angelo percuſſore ſunt interfecta; & Iſraelitici populi primogenita a Deo ſaluata, ſecũdum illud dicti Sap. 18. Cum quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet: omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cælo, a regalibus ſedibus durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit. Quod ad literam intelligitur de tẽpore interfectionis primogenitorum Ægypti, vt ſequens ibi ſententia liquido monſtrat: quamuis ſecũdo loco etiam in vſu & officio Eccleſiaſtico applicetur ſupradictum libri ſapientiæ verbum ad horam natiuitatis dominicę; quando primogenita diaboli (ſecundum nonnullos doctores pios) morte perierunt nempe omnes ſodomitæ. Tum quod eo tempore mediæ noctis Chriſtus pro nobis de Virgine ſemper Maria natus eſt, & imminẽte hora paſſionis a Iudęis in horto captus ac traditus in manus peccatorum, vt nos de manu peccatoris liberaret. In horum itaque beneficiorũ commemorationem officium matutinum mediæ noctis ſpatio decantari ex primæuo more eſt ſolitum, quod obſeruatur a pluribus. Verum tepeſcente cordis humani in Deum feruore; in pleriſque nunc locis officium matutinum primo mane cælebratur ſub auroram, & inde nomen ſortitur. Matuta enim apud latinos auroram ſignificat; vnde matutinum tempus dicitur, quod primo mane tranſigitur. Sed neque hoc ſacræ ſcripturæ caret authoritate: qua fulciri poſſit aut comprobari. Ait enim propheta Pſalm. 62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo; & in matutinis meditabor in te. Eccleſiaſticus itidem de viro iuſto 39. cap. ait; Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo; ad Dominum, qui fecit illum. Denique Salomon Sap. 16. ait; Oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam; & ad ortum lucis te adora-

adorare. Illud in primis non est prætermittendum quod intentio Ecclesiæ in toto officio est repræsentare totum cursum mundi a principio vsque ad finem vt patebit;& percipuè decantare psalterium pro beneficio redemptionis accepto, ac memorare eandem Christi redemptionem.

Vocantur autem canonicę,idest,regulares extra de pęnit. & remiss quod in te, quia regulariter a sanctis patribus obseruatæ sunt. Missæ tamen oblatio, propter tanti sacramenti excellentiam, quod in ea conficitur, super alias laudes est. & est laus per se, nec sub numero comprehenditur aliarum immo etiam sicut ordine temporis prę cessit omnes alias horas canonicas posterius editas, ita etiam in ratione finis eas omnes subsequitur videlicet quod aliæ horæ a sanctis patribus clericis impositæ sunt ad maiorem honorem, cultum, & deuotionem officij Missalis; quatenus illis præexercitamentis muniti Sacerdotes cum maiori mentis præparatione, reuerentia & deuotione accedere valeant ad supremi illius mysterij cælebritatem.

Vocantur horę, quia determinatis horis recitantur, accipiendo horam pro officio Ecclesiastico, non pro tempore in quo illud fit. Numerus autem talium horarum vel officiorum licet in lege veteri fuerit variatus secũdum varias temporum & prælatorum conditiones (aliter enim a Moyse, aliter a Dauide, aliter a Salomone, aliter demum ab Esdra, a Neęmia, atque a Machabæis fuerunt officia templi Ierosolymitani numerata & ordinata) in noua tamen lege ab Ecclesia Christiana semper vnus atque idem numerus septenarius pro diuinis laudibus est obseruatus; quia a sanctis patribus in cõcilia generalia sic fuit institutus.

Hic notatione dignum est, quod intentio principalis sanctorum Ecclesiæ doctorum & prælatorum in his officijs per eos editis: præcipue officij missalis fuit, in spatio vnius anni generalem Ecclesiæ historiã texere, seu enarrare; quę a principio mundi procedit vsque ad finem eius; hoc est varias & multiplices successiões populi Dei per diuersas mundi ætates connumerare in hac sexta & vltima ætate mundi; quæ propriè pertinet ad nouum testamentum, seu legem Euangelicam; quę est finis & summa omnium aliarum ętatum pręcedentium. Credimus tamen quod non intendebant præcise recensere nobis in suis officijs Ecclesiasticam historiam solam & nudam: sed etiam ad mores nostros adaptatam & religiosa doctrina vestitam. Nam sensus literalis ad commemorandum Ecclesiasticam historiam, primo & principaliter est inquirendus; & vbi non potest alius inquirendus est.

Officium autem duplex est: nocturnum scilicet, & diurnum. Sanè nocturnum officium, repręsentat tempus miseriæ, quo genus humanum a Diabolo tenebatur obsessum. Diurnum verò significat tempus nostræ redemptionis, & liberationis per Christum solem iustitiæ factæ, qui & a seruitute diaboli nos eduxit. Quia ergo tantum bonum adepti sumus dono septiformis gratiæ Spiritus sancti, non iniuria septies in die laudes Deo canimus. Et etiam quia repręsentat septem hominum ętates; in quibus omnibus Deum laudare debemus; Vel etiam, quia vt ait Salomon Prouerb. 24. septies in dię cadit iustus per negligentiam, de pæniten. dist. 4. Septies. Ideo merito Septies per laudes diuinas surgimus.

Septies ergo sunt horæ canonicæ vt in cap. 1. de cælebr. miss. 90. distinct. Presbyter. Et sunt institutæ in memoriam passionis Christi: nam matutinũ significat detentionem Christi, quæ fuit post cænam in media nocte. Item significat id, scilicet, quia in nocte spoliauit infernum; vnde tali hora debet quilibet religiosus recitare matutinũ vt possit illi conuenire illud. Psal. 118. Media

Media nocte surgebam ad confitendū tibi. Diu. Tho.tamen dicit, quod sufficit recitare matutinum post tres partes noctis, idest, ante auroram. Et hoc hodie approbatur quasi per omnes doctores ex hoc habes quare Chartusiani & alij nonnulli religiosi recitant Matutinum in media nocte: quod tamen contra multos est, qui consumpta nocte in potatione, gula, & dormitione, non nisi clara die dicunt matutinum: quos arguit illud propheticum, Vbi eras dum me laudarēt astra matutina? contra quos est decret. de cælebr. Miss. dolentes.

Prima, canitur in aurora, orto sole, in memoriam Christi, quod gentibus traditus est. Item, in memoriam resurrectionis eiusdem, qui tunc dicitur resurrexisse quantum ad notitiam mulierum (maximè Mariæ) quæ orto iam sole venerunt ad monumentum. Mar. 16. Prima etiam hora visus est in litore post resurrectionem. Prima hora conduxit procurator vineæ operarios. Matt. 20. Et significat laudem hominis, quam Deo in pueritia impendit.

Tertia, canitur in memoriam suæ crucifixionis, quia tūc est ore blasphemantium & accusantium Iudæorum crucifixus. Item, quia fuit flagellatus tali hora. Tunc etiam Spiritum sanctum Apostolis misit. Item, tali hora de monumento redeuntibus mulieribus, apparuit. Et significat laudem hominis in adolescentia.

Sexta, canitur in memoriale corporalis passionis: nam in cruce tunc positus est: & tenebræ factæ sunt a Sexta vsque ad horam nonam. Matt. 27. Eadem hora discubuit cum discipulis in ascensione. Item, apparuit Iacobo. Et significat laudem hominis in iuuentute.

Nona, canitur quia tali hora Christus emisit spiritum, & latus eius fuit perforatum; vnde perfluxerunt sacramenta: scilicet, sanguis in redemptionem, & aqua in ablutionem. Item in tali hora apparuit Petro. Et significat laudem hominis in virilitate.

Vespere, dicuntur in memoriam depositionis Christi de cruce. Itē, quia in tali hora apparuit discipulis euntibus in Emaus scripturas aperiendo, atque se illis apertè manifestando. Et significat laudem hominis in senectute.

Completorium autem canitur in memoriam sepulturæ Christi. Item, in completorio dixit discipulis suis, pax vobis: & cum illis manducauit vt patet apud Ioannem. Et significat laudem hominis in decrepita ætate. Vnde de memoria Christi dantur isti versus.

In matutino damnatur tempore Christus;
Quando surrexit, primam canit ordo fidelis.
Tertia cum canitur, tunc est cruciamina passus.
Sunt sextæ tenebræ per mundi Climata factæ.
E missus Nonam diuinus spiritus hora.
Vespere clauduntur Christi sacra mēbra sepulchro.
Christo bissena custodia ponitur hora.

Licet autem horis competentibus sint recitandæ horę in Ecclesijs cathedralibus & collegiatis: potest tamen ex rationabili causa etiam ante diem recitari totum officium illius diei, prę- ter Completorium; vt puta, quia plebanus habet audire confessiones, vel visitare infirmos, vel prædicare, aut legere in facultate aliqua. Qui vero facit hæc causa lasciuiæ vt expeditis horis liberius vacet ocio & vanitatibus sæculi: non potest facere hoc sine peccato secundum Th. in quodam quodlibeto sunt etiam aliqui, qui differunt vsque ad mediam noctem, & hi quoque peccant. Vnde legitur in vitis pa-

trum quod quidam pater quando orabat valdè mane Angelus sibi portabat vuas non maturas, quando vero nimis tarde, tunc portabat putridas; quando vero competenti hora & tempore: tunc portabat maturas, & valentes. Item, sunt, qui non recitant officium, contra quos est canon. 9. Concil. Lateran. qui priuat non recitantes a perceptione fructuum beneficiorum: vt patet legenti. Sed de his infra. Hæ omnes rationes de horarum significatione magis patent infra in expositione Psalterij Romani.

Item possumus etiam has septem horas canonicas mundi maioris ætatibus adaptare, & per eam totam mundi historiam commemorare: quod & sanctus Gregorius in homilia Septuagesimæ docuit. Nocturnum enim officium primam mundi ætatem videtur denotare, quæ fuit ab Adam vsque ad Noè obscuram. Hora primæ secundā ætatem, vsque ad Abraham. Hora Tertia, ætatem tertiam vsque ad Dauid. Hora sexta ad quartam mundi ętatem refertur vsque ad captiuitatem Babylonicam populi Dei. Hora Nona, ad quintam ætatem pertinet, quæ in Natiuitate Christi finem habuit. Hora vndecima, quæ & vespertina, hanc nostram sextam ætatem pretendit. Hora duodecima Completorij septimam respicit ætatem in qua animæ sanctorum cum Deo suo requiescunt in alia vita. Et secundum hanc comparationem dicere possumus quod non solum in spatio unius anni Ecclesia Dei suis officijs totam mundi historiam commemorat, vt supra diximus, verum etiā in quolibet die naturali suis septē horis canonicis (licet obscurius) idē representet; eademq; est intentio officiorum Ecclesia in vno die & in vno anno. Hæc omnia per capitula dilucidabimus, & quæ a nonnullis magis confusè dicta sunt, hic dilucidius (Deo fauente) explicabuntur iuxta Breuiarij Romani formam. Amplius, potest Ecclesia repræsentare in quotidiano officio historiam Ecclesiæ a Christo vsque ad finem mundi, ita vt matutinum denotet tempus primitiuæ Ecclesiæ quando in criptis Christiani sacra faciebāt, quod tempus obscurum pro illis temporibus. Et ita de cæteris temporibus: vt Vesperæ significent tempus pręsens: Et completorium tempus Antichristi: quæ omnia significant lumina, secundum magis & minus, vt dicetur infra, capitul. de Completorio.

De authoribus diuini officij Romani. *Cap.* 2.

QVoniam est nobis primo & principaliter sermo de officio Romano: idcirco prætermissis traditionibus Beati Basilij magni, qui agrestem illum (vt ita loquar) monachorum ritum, primus in cænobijs redegit; pariterque (pro nunc) de Diui Ambrosij, Bernardi & aliorum ritu, qui sancti in modo præcandi a Clericis Romanis discrepant: prius videndi sunt huius diuini officij authores. Duplex autem fuit author, vnus initians, alter complens. Primus autem Author fuit D. Hieronymus. Secundus, vero D. Gregorius. Vbi notandum est, quod in primitiua Ecclesia propter tyrannorum persecutiones contra Christianos, & maximè contra viros Ecclesiasticos aliorum doctores: non erat eis otium ordinandi aliqua publica & communia officia quæ in templo Dei solemniter agerentur: quia ab infidelibus tunc Dominis temporalibus impediebantur: & ita tunc temporis vnusquisque sacerdotum in Ecclesia Dei faciebat officia sicuti volebat ad laudandum Deum. A principio.n. (ait Ioa. Boemus de moribus & legibus gentium libr. 2. capitul. 12.) recitabatur tantum a Sacerdotibus oratio Dominica, & symbolum Apostolorum loco officij, vt fit hodie vsque a vulgo.

Ve-

Verum, quia iuxta illud prouerbiũ diuulgatum, Quot capita tot sensus: orta est inde magna diuersitas laudum Dei apud Ecclesiasticos: immo propter hæres insurgentes contra quosdam ex præcipuis articulis fidei facta, est etiam notabilis contrarietas apud Christianos super diuinis laudibus; ita vt quod isti dicebant esse laudem & honorem Dei alij dicerent esse blasphemiam horribilem contra Deum & vice versa. Tolerauit autem Ecclesia Dei has dissensiones fidelium Sacerdotum toto illo tempore tribulationis suæ donec ventum est ad Imperatorem Christianum, dico Magnum Constantinum, totius orbis Dominũ: cuius fauore iam licebat fidelibus publicè in templo Dei laudes decantare diuinas. Et, quia in publicis officijs ad quæ omnes Christiani conueniunt debet remoueri discors varietas, dicente Apostolo: Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata (non tamen nos offendit obseruantiæ diuersitas, vbi fidei non scinditur vnitas: nec etiam propter hoc scandalizamur, si diuersam audimus obseruationem, sed non diuersam fidem Christi, quia vna & eadem; quare toleranda: sic enim astitit Regina a dextris in vestita deaurato circundata varietate) ideo circa annos Christi Domini 400. imperante Teodosio Principe vtique Christianissimo: ad eius instantiam Papa Damasus commendauit Diuo Hieronymo Doctori sapientissimo vt aliquẽ modum rationabilem & bonum inueniret circa diuina officia in Ecclesia Dei ab omnibus sacerdotibus communiter obseruandum: quatenus e medio tollerentur omnes diuersitates & controuersiæ sacerdotum super diuinas laudes. At ille cum esset in sacris Bibliç Scripturis exercitatissimus in triplici lingua, nempe, Hebraica, Græca, & Latina aduertit Psalterium Dauidicũ in summa continere per modum laudis seu cantici omnia diuinæ legis mysteria; quod etiam testatur sãctus Dionys. in lib. de Ecclesiast. hierarch. ideo mandato summi Pontificis obediens, ordinauit psalterium continuo decantãdum a sacerdotibus in templo Dei: tali ordine vt in spatio vnius septimanę semel totum psalterium ab eis proficeretur. Quare iuxta numerum dierum hebdomadis ipsum psalterium in septenas partes diuisit: hoc modo, quod primi 108. Psalmi eius adijcerentur nocturnis horis & laudibus matutinis septenaria portione iuxta numerum dierum: residui vero 42. Psalmi Vesperis accommodarentur etiam in septem partes diuisit per dies septimanæ: excepto Psalmo 118. Beati immaculati: quem in quatuor partes diuisum, quatuor primis horis diurnis distribuit in quolibet die decantandum. Et ratio quare sic ordinauit, dicetur infra. Item, quare maiorem vim patimur in recitando hunc Psalmum sentimus, quam recitando alios.

Pro Completorio vero septima hora canonica repetendos censuit quatuor psalmos ex prædictis quolibet die septimanæ indifferenter canendos. Et ita per hunc ordinem totum psalteriũ absoluitur. Quod etiam iterandum instituit per singulas totius anni septimanas: nam in æstate illa omnia ferè officia Ecclesiastica erant de tempore dominicalia & ferialia; nullis adhuc institutis sanctorum officijs. Adiecit quoque Diu. Hieronym. in fine cuiuslibet Psalmi, Gloria Patri, &c. qui etiã versus a Concilio Niceno paulo ante fuerat publicatus contra Arrianos: Et (vt aiunt) ex diuina reuelatione fuit habitus. Hæc fuit prima & initialis diuinorum institutio pro septem horis canonicis Ecclesiæ Dei: quam Damasus imitandum præcepit ab omnibus Ecclesiasticis per totum mundum. Et hæc norma fuit obseruata per omnes Ecclesias ab eo vsque annos Domini fermè 600. Damasus ergo instituit vt

Psal-

Psalmi canerentur per dies, nempe, in Dominica qui ibi reperiuntur, similiter in secunda, tertia feria, & deinceps. Platina in vita Damasij. Cætera ad decorem officij adiecta, non simul sed in diuersis temporibus sunt addita, & a diuersis patribus, qui ea sic ordinarunt.

Hoc autem tempore 600. Sanctissimus Gregorius Papa primus videns iam pacatam esse totam Christianitatem a persecutionibus tyrannorum & hæreticorum fauore catholicorũ Principum secularium, (qui tunc ferè omnes erant Christiani in toto orbe) inspiratus a Deo decreuit ad maiorem religionis Christianæ & ornamentum & decorem, addere cantica sonora, hymnos, lectiones, responsoria, versus, orationes, & alia multa id genus quibus horæ canonicæ locupletiores, & perfectiores efficiuntur. Sic igitur aucta & perfecta officia Ecclesiastica ex decreto tanti Pontificis semper obseruauit Ecclesia Latina vsque ad hæc nostra tempora; eo quod hæc ordinatio facta sit ad imitationem Grecorum & aliarum Ecclesiarum Oriẽtalium: apud quas hymni & cantus in templo Dei primo instituti sint; Quamuis autem etiam ante Gregorium apud Latinos Hylarius, Ambrosius & quidam alij prelatorum in suis Ecclesijs cantus quosdam ordinasse legantur: (& ratio infra assignabitur.) Sed, quia illi non erant adeo artificiosi & suaues; nec tã copiosi & vniuersales sicut cantus Gregoriani positi in suo antiphonario, in officiario, & psalterio; ideo alijs dimissis cantus Gregorianus resonat in tota Dei Ecclesia in genere canendi diatonico, idest, duorum tonorũ, quod chromatico, atque enarmonico longe grauius est atque modestius ad animi mores componendos.

Circa lectiones vero nota, quod Gelasius Papa ordinauit lectiones Dominicas quibus nunc vtitur Ecclesia; videlicet, vt a septuagesima vsque ad Dominicam Passionis, Pentateucum legeretur. Ab illa Dominica vsque ad feriam quintam in cœna Domini, Ieremias. In feria quinta, sexta, Sabbatho, tres primæ lectiones de lamentationibus. Tres de tractatu sancti Augustini Episcopi super Psalmos. Et tres de Epistolis Pauli ad Cor. & Hebræos. In pascha & per ipsius hebdomadam, homiliæ ad Euangelium pertinentes. Ab octaua Paschæ vsque ad Pentecosten, Acta Apostolorum, (quod etiam tempore Augustini legebantur, vt ipse in Ioan. tract. 6. testatur) Apocalypsis, ac canonicę Epistolæ. A dominica post Pentecosten vsque ad Kalendas Augusti, libri Regum; & (vt aiunt nonnulli) Paralipomenon; quod Ecclesia Romana hodie non vtitur hoc libro in officio, nec in Breuiario Romano reformato reperitur: nisi fortè apud aliquas Ecclesias. In Dominicis Augusti de sapientia Salomonis. In Mense Septembris, Iob, Tobia, Ester, & Iudith. In mense Octobris, libri Machabæorum. In mense Nouembris, Ezechiel, Daniel, atque minores prophetæ. In Dominicis Decembris Isaias: quare autem sic dispositæ fuerunt infra patebit libro quarto. In Natiuitate Domini, tres primæ lectiones de Isaia, videlicet, prima, quæ dicit: Primo tempore, &c. Secunda, Consolamini; Tertia, Consurge. Deinde sermones & homiliæ. In die sancti Stephani, Ioannis & aliorum homiliæ & lectiones ad ipsos spectantes. In die Epiphaniæ, tres primę lectiones de Isaia, omnes sitientes. Surge illuminare. Et. Gaudens in Domino. Deinde sermones & homiliæ dici. Ab octaua Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam, Epistolæ Pauli. Hæc est institutio Gelasij, qui tenuit Petri locum temporibus Theodorici Gothorum regis & Anastasij Cæsaris. Quæ omnes lectiones tam noui quam veteris testamenti debent attentè & cum silentio audiri, & cum recitantur Psalmi psallere debent omnes ait Isidor.

dor.lib.1.de Ecclesiast. offic. capit.10. Vnde Apostolus in Antiochia antequam haberet sermonem ad populum manus indicens ait: & quæ sequuntur capit.13. Act. Petens primo silentium antequam loqueretur. Gregorius vero postea in generali synodo statuit, vt in die resurrectionis & Pentecostes & per eorum octauas tres tantummodo Psalmi, ac tres lectiones in nocturno officio dicerentur. In sanctorum Natalitijs nouem lectiones, cum totidem Psalmis. In alijs vero diebus duodecim psalmi & tres lectiones. In diebus Dominicis (Pascha, & Pentecoste exceptis) decem & octo Psalmi; & nouem lectiones. Ratio omnium horum infra assignatur in expositione Missalis.

Bonifacius Papa quartus cælebritatem omnium sanctorum, in templo Panthæon Romæ posteris obseruandum reliquit. Bonifacius octauus, Natalitia Apostolorum, Euangelistarum, ac quatuor doctorum sub titulo duplicitatis cælebrari mandauit. Hinc puto festorum duplicium, ac sanctarum historiarum vsum emersisse. Vrbanus quartus memoriam corporis Christi venerari præcepit. Vrbanus sextus visitationis Mariæ semper Virginis officium cælebritati donauit. Et Clemens octauus illum auxit nouis antiphonis. Anselmus Cantuariensis in Anglia officium cōceptionis eiusdem Beatæ Mariæ venerationi concessit, quod fuit in Concilio Basiliensi approbatum, & a Sixto quarto, cum octauæ additione confirmatum, quod tamen hodie nō seruatur ista octaua nisi quibusdam in locis. Officium Sanctæ Mariæ ad Niues fuit institutum tempore Liberij Papæ propter miraculum factum eo die. Antiphona autem illa, sancta Maria succurre miseris, &c. sumitur ex sermone Sancti Augustini Episcopi de Assumptione eiusdem; vbi sumitur etiam illa ad Benedictus, Beata Dei genitrix virgo perpetua, templum Domini, &c. vbi vero dicitur: sola sine exemplo, est Sedulij qui in vno versiculo ita ait:

Sola sine exemplo, placuisti fœmina Christo.

Officium Beatæ Mariæ in Concilio Claramontano vt vult Dur. Sub Vrbano. 2. anno Domini 1086. institutum fuit: Isque statuit vt quotidie recitaretur, & in die Sabbathi solemniter fieret. In Concilio Agaten. vt capitulū, & in Concilio Gerunden. vt oratio Dominica post Matutinum & Vesperas diceretur sancitum est. Præsentatio Beatæ Mariæ Virginis a Pio II. fuit introductum. Officium ac ritum consecrationis Ecclesiæ Siluester primus temporibus Cōstantini instituit. Commemorationes defunctorum (ait Dur.) Beatus Odillus in Sicilia apud Vulcanum excogitauit & postea receptum est ab vniuersa Ecclesia.

Multorum quoque sanctorum officium ex tractu temporis, tum a Patribus, tum ab alijs emanarunt, præsertim cum zelo pietatis ac religionis, ob multas receptas gratias, & Beatæ Marię semper Virginis & aliorum sanctorum, prout merita cuiusque in multis locis speciali quodam fauore exposcebant, populi maximo concursu cælebrauere: vt patet de sancto Sebastiano, & Rocho, ad euitandam Epidimię pestem: ac de Beata Lucia, ad impetrandam luminis claritatem. Et ita de alijs quæ omittuntur.

Paulus Papa tertius præcandi modum ad antiquorum usum redegit, vt patet in Breuiario sui temporis; in quo totum nouum testamentum, Apocalypsi excepto, & pars veteris, legitur. Sanctorum historias ex emendatissimis exemplaribus, ac approbatis authoribus excerptas īseruit: adeo quod totum psalterium in qualibet hebdomada completur. Demum Pius Papa V. Sanctissimæ memoriæ ita reformatum tradidit Breuiarium, & nunc etiā a Clemente VIII. emendatum, vt nihil supra.

De conuenientia horarum canonicarum. Cap. 3.

His visis dicendum est de conuenientia horarum canonicarum. Primo ergo conueniunt officia horarum canonicarum in simili ferè principio & fine eorum; incipiunt enim omnes ab illo versu Psalm. 59. *Deus in adiutorium*; & finiuntur in *Benedicamus Domino: Deo gratias.* Et hoc ex canonica institutione sanctorum patrum & conciliorum generalium. Verum communis vsus Sacerdotum ex deuotione habet in horis maioribus huic principio permittere orationem Dominicalem in silentio: & eandem subiungere prædicto fini etiam in silentio: & hoc ex præcepto Concilij Gerunden. vt supra tactum est de oratione Dominica. Et habetur de consecr. distinc. 5. ad semper.

Quod dicatur in omnibus horis, *Deus in adiutorium*, institutum fuit a Gregorio primo anno Domini 591. Item, instituit officium Ecclesiasticũ, sed non cantabatur vt hodie: ordinauitque Antiphonarium nocturnum pariter & diuturnum: & ne mulieres ingrederentur septa monasterij monacorum: Et nunc adest pęna excommunicationis latæ sententiæ: a Pio V. & a Gregorio 13. confirmata.

In horis minoribus Beatæ Mariæ semper Virginis recitatur salutatio angelica eodem ordine cuius deuotionis hæc potest esse ratio, &c. vt præmittatur præparatio deuotionis: quatenus per hanc præparationem saltem meritoriè ab animo fidelis hominis abigantur muscę vanarum cogitationum quę perdunt suauitatem vnguenti, idest, perturbant fructum bonæ orationis. Per talem ergo præmissam orationem, mens orantis, serenatur & recolligitur in seipsam ad digne loquendum cum Deo suo. Finito vero officio canonico apponitur eadem oratio ad prohibendum ne diabolus rapiat a corde hominis bonum semen gratiæ, vel doctrinæ, quod ex illo officio ibi vel seminatum vel relictum est. Secundum Aug. in primitiua Ecclesia recitabatur alta voce: & habetur de consecr. distin. 5. quod debeat recitari submissa, nisi aliter ordinetur.

Hac oratione præmissa inchoatur officium modo iam dicto, ab illo versu, ad significandum quod sacerdos ex se non est dignus nec sufficiẽs laudare Deum: Sed indiget auxilio Dei ad laudes eius bene incipiendas & per agendas: & ideo auxilium Dei petens ait: *Deus in adiutorium meum intende*, scilicet, per gratiam tuam. Hanc ergo gratiam petit sacerdos in principio officij Ecclesiastici Deum laudaturus pro se & pro suo populo dicens: Deus in adiutorium: & hoc quantum ad tria valde necessaria. Primum est vt fideles a peccatis emundentur, & sic fiant digni laudare Deum. Secundo, vt ab hostibus liberentur, idest, a dęmonibus & a perfidis hominibus, qui diuinas laudes impedire & prohibere nituntur. Tertio, vt a cętu fidelium in illo officio concurrentium nullus separetur per astutiam diaboli qui tanquam leo rugiens circuit ouile Dei.

Secundo, conueniunt horæ canonicæ in hymnis & psalmis quos illæ omnes cantant: nam post supradictum principium horarum canonicarum statim cantantur hymni & psalmi: qui sunt quidam cantus metrici de laudibus Dei. Quia enim prius dictum erat, *alleluia*, idest, laudate Dominum; cõueniens fuit vt illico sacerdotes Dei laudes cantare inciperent cum iubilo: ad hoc maximè iuuant metra quæ parant animos, idest, delectant animos audientium.

Tertiò, conueniunt omnes horę canonicæ in antiphonis: quas psalmis pręmittunt: incœpit enim iste vsus antiphonarum a Græcis transiuitque ad Latinos opera & diligentia sanctorum docto-

doctorum maximè Hylarij, Ambrosij, & Gregorij. Est enim antiphona vocabulum græcum, latinè interpretatur contra sonus vel contra cantus: quia contra psalmum cantatur, idest, e regione, aut in fronte psalmi; vel contra vocem; nam cantus totius psalmi ad antiphonam respicit per eamque regitur. Et hac ratione quidam putantes hoc nomen semigræcum & semilatinum antiphonam ante sonum interpretati sunt; quia, scilicet, ante psalmum antiphona sonat: de hac infra dicetur cum de ea capitulum faciemus. Anti, idest, contra, & phoni, idest, vox, ait Io. Niniuite.

Quartò, conueniunt horæ canonicę in versibus quos omnes illæ adijcere solent post psalmos & antiphonas, similiter & lectiones; licet non eodem ordine, quia in matutinis versus præcedunt, & lectiones sequuntur, in alijs vero horis prius dicuntur capitula (quæ sunt lectiones) quam versus. Rationes statim patebunt supposita nominis interpretatione. Dicitur enim versus a vertendo, quia per illum mentes fidelium vertuntur, idest, conuertuntur a sua distractione vt sint attentiores, vt infra patebit in capitulo, de versiculis.

Quinto, principaliter horæ canonicæ omnes conueniunt in responsorijs, qui immediatè sequuntur lectiones; significantque profectum bonæ doctrinæ lectionum in auditoribus; vnde & merito responsoria dicuntur; quia per ea auditores respondet lectionibus, & doctrinæ sibi traditæ a doctoribus Ecclesiæ. Respondent inquam per operis promptam executionem; nam verbis bonæ doctrinæ fideles debent respondere per bona opera; ne fortè cum seruo nequam de otio malo conuincantur & damnentur a Domino Deo suo. Possunt etiam isti cantus dici responsoria, quia in materia sua respondent lectionibus præcedentibus, vt dicetur infra. Et hoc verum est in officijs de tempore dominicalibus & ferialibus, & in communibus sanctorum, atque in proprietatibus magnarum festiuitatum Ecclesiæ. Vel tertio, Dicuntur responsoria propter suam formam; quia taliter diuisa sunt in partes vt in eis vnus cantor alteri respondeat. Cãtus enim ille ab vno incipitur deinde alijs accedentibus ab omnibus concinitur vsque ad versum: quem illis tacentibus alius cantat vnus, vel duo ad plus. Versu finito alij cantores ad præsam reuertuntur. Et est similis modus illi quem habent seculares in cantilenis suis quando faciunt choreas cantantium & respondentium per pausas suas. Cantantur ergo responsoria in diuinis officijs quatenus vel mentes fidelium eleuent ad contemplandum supernæ gloriæ concentum; vel etiam vt denotent spirituale gaudium mentis in viatoribus relictum ex doctrina lectionum. Quod enim in tali cantu alter alteri respondet; Fraternam exhortationem fidelium significat; quæ se adinuicem commouent ad fructum boni operis peragendum. Per versum ab vno solo cantatum, singularis depræcatio cuiuslibet fidelis seorsum denotatur; sed aliorum responsio est eorum congratulatio de tali deuotione proximi. In tertio vero responsorio additur Gloria Patri, ad honorem Trinitatis, ad cuius gloriam & cantica principaliter sunt ordinata. Et licet post versum non recitatur totum responsorium a capite: repetitur tamen in aliquibus diebus post Gloria Patri; & hoc ad denotandum, scilicet, differentiam gratiæ, charitatis, & gaudij spiritualis in nobis & in Deo: quia hæc in Deo perfecta sunt; in nobis autem imperfecta quandiu sumus in via; nam in patria consumabuntur hæc in nobis quando ad æternitatem Dei participandam perueniemus. Denique qualis posita est differentia quãtitatis maioris & minoris inter lectiones nocturnas & diurnas, talis proportio aliter

reperitur differentia inter responsoria, quæ illas & istas lectiones sequuntur. Nam Responsoria nocturna sunt maiora: diurna vero breuiora; quamuis in vtrisque eadem sit significatio idemque modus canendi & respondendi.

Sexto, conueniunt omnes horę canonicæ in orationibus, quæ ad finem adduntur post omnes cantus; & inuētæ sunt ad impetrādū a Deo illa bona, quę ipse promisit seruis suis, dignè & deuotè cū laudantibus; qui enim orat Deum petit aliquid ab eo; exorat autē quādo impetrat quod petierat: oratio ergo misericordiam Dei significat; quę hominem in operibus bonis & pręuenit & subsequitur; ideo in principio cuiuslibet horæ canonicæ oratio Dominica præcedit, in fine autem oratio Ecclesiastica subsequitur. Finalis vtiq; oratio cuiuslibet officij dicitur ad hoc vt merces tribuatur operarijs in vinea Dei. Ex hac oratione patet quod vna tantum hora, scilicet, nocturni & laudes, cum post laudes ponatur oratio. Hic vsus dicendi orationem in fine officij ab Apostolis sumpsit exordium; de quibus dicitur in Actibus, quod postquam conuenerant ad sacram cōmunionem postea discessuri ab inuiçem positis genibus orabant.

Orationem autem dicturus Sacerdos prius populum salutat, dicens; *Dominus vobiscum*. Et est sensus, Dominus det vobis gratiam qua mecum attente oretis ad misericordiam Dei impetrandam; quam ipse multiplicatis intercessoribus, & citius, & facilius largietur nobis. Finita oratione eandem repetit salutationem, sed ad aliū sensum, idest, *Dominus* maneat *vobiscum*, conseruetque in vobis deuotionem quā ex diuinis officijs cōcepistis.

Tandem concluditur officium per *Benedicamus Domino*, & sensus est; demus gratias, laudem, gloriam, & honorem Deo pro tanto beneficio suo; quia nos perduxit ad finem officij huius, in quo debitas ei laudes persoluimus: & ipse viceuersa mentes nostras sua consolatione refecit. Hic sensus declaratur ex responsione populi dicentis, *Deo gratias*, Iste finis, scilicet, *Benedicamus Domino*, aliquando dicitur ab ipsomet Sacerdote, qui recitat orationem, aliquando a pueris; aliquando a mansionarijs: ratio huius diuersitatis est diuersa festorum conditio; qui differunt per magis & minus solemne. Si autem officia in aliquo differunt, infra de illis dicetur in specie.

De diuisione, diffinitione atque inceptione officij. Cap. 4.

Officiorum, quædam sunt generalia & vniformia, & quædam specialia. Generalia & vniformia, quę toto anno obseruantur, sunt horarum preces, Vespere, Completoria, ac non nullæ Missę, & Matutinæ; quæ continentur in Breuiario & Missali. (Breuiarium enim vt Etymologię nomen non ignoremus, authore Tranquillo Suetonio dicitur compendium summariumque sacrarum præcum, quasi breuis horarum liber; sicut Missale dicitur liber continens totius anni Missas.) Specialia autem officia sunt, quę pro varietate temporum & solemnitatum distantia, variantur. Pro varietate temporum, quoniam alia paschali tempore cęlebrantur, alia in Quadragesima, alia in Aduentu, & alia in alijs temporibus. Pro distantia solemnitatum cum aliter fiat in hac solemnitate, aliter in alia: nam in paschali die & per octauam, tres psalmi tātum ad Matutinum, cum totidem lectionibus recitantur; & in Natali nouem, cum nouem lectionibus; & ita de alijs vt supra tactum est.

Innocentius autem Tertius in Concilio generali (& habetur de cælebr. Miss. cap. dolentes referimus.) reprehendit clericos, & prelatos Ecclesiarum, qui circa commessationes superfluas & confabulationes illicitas potius sunt intenti quam circa diuina officia;

ficia: & quidam eorum vix missarum solemnia quater in anno cælebrant. Vnde pręcipit pręlatis, & clericis in virtute obedientiæ vt nocturnum officium & diurnum, studiosè cęlebrent & deuotè; ad quod officium etiam sine isto pręcepto tenentur; vt patet ibidem cap. presbyter.

Triplex autem est genus personarũ Ecclesiasticarum quod tenetur recitare officium. Primum genus est illorum qui sunt beneficiati. Secundum genus est existentium in sacris licet non sint beneficiati. Tertium genus est illorũ, qui per professionem, vel votum ad id faciendum se obligauerint. Glos. in Clem. de cælebr. Miss. cap. fin. cap. cũ sede, de prębend. & in cap. dolentes. Eodem tit. Vbi nota quod clerici sęculares in Ecclesia collegiata positi, debent se conformare, iuxta modum & ordinem officiandi suæ Ecclesię cathedralis. de consec. dist. 2. cap. institutio. & dist. 12. cap. de his. Regulares vero attendant ordinationi suę regulę, & suorum statutorum. dist. 12. cap. placuit. Priuatę vero personę si non possunt propter occupationem recitare illas debitis horis, melius est preuenire, quam tardare. Nam preuenire est prouidentiæ, tardare autem negligentiæ; sed de his infra.

Vt autem ad diffinitionem officij perueniamus iterum incipientes, dicimus; quod, officium, (vt spectat ad præsens) est laus Dei voce prolata per Ecclesiæ determinationem instituta. In Ecclesia autem generaliter nil canendum aut legẽdum est, quod a sancta Romana Ecclesia approbatum nõ sit. In primitiua Ecclesia quisque cantabat pro suo velle, dummodo ad laudem Dei pertineret; sed succedentibus temporibus, quia Ecclesia Dei propter hæres scissa est, Theodosius Imperator, hæreticorum extirpator, rogauit Damasum papam, vt per aliquem prudentem ordinaret officium quod ille commisit D. Hieronymo vti supra diximus. Officium, inquam, incipit per, *Deus in adiutorium meum intende,* hoc autem ideo fit, quia Dominus in Euangelio Ioan. 13. ait; sine me nihil potestis facere; ideo sic incipit. Et singulæ horæ finiuntur, per, *Benedicamus Domino, Deo gratias,* vt sic principium, & finis referantur ad idẽ, scilicet, ad Deum, qui est α & ω, principium, & finis 35. distin. ab exordio.

Dicendo ergo, *Deus in adiutorium meum intende,* sancta mater Ecclesia inuitat omnes. iuxta id Psalm. 33. venite filij audite me; quod ideo etiam introductum est, quia dum arca Domini ad portandum leuabatur, dicebat Moyses; Surge Domine, id est, surgere fac, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te a facie tua. Sic & Sacerdos noster dicit: *Deus in adiutorium meum intende,* hoc est, præsta mihi auxilium in surgendo a peccatis: & contra varios inimicos, qui tuam circumdant Ecclesiam.

Per arcam enim Ecclesia intelligitur, quæ vsque in finem a persecutoribus circumdabitur, siue apertis, siue occultis. Illud tamen notatione est dignum, quod tribus modis diuersis inchoantur horæ canonicæ; quod quidẽ ideo fit, quia contingit tribus modis peccare nempe corde, ore, & opere; contra peccatum cordis dicitur; *Conuerte nos Deus salutaris noster.* ad completorium. Contra peccatum oris dicitur: *domine labia mea aperies,* ad Matutinum. Alię vero horę contra peccatũ operis, incipiunt, (vt diximus) per *Deus in adiutorium meum intende:* Ratio autem quare in matutinis præmunitur contra peccatum oris, & in cõpletorio contra peccatum cordis, atq; in alijs horis contra peccatum operis, hæc assignari potest; quia nox est tempus somni & quietis, dies vero est tempus operis & laboris; ideo in omnibus horis diei vsque ad vesperam auxiliũ gratiæ Dei petentes ad bona opera necessarium; dicimus; *Deus in adiutoriũ*

meum intende. Et quia inter opera & negotia diurna cor nostrum sępius diuagatur per creaturas & auertitur a Deo; ideo in fine diei cupientes rectificare cogitationes nostras & conuertere cor ad Deum petentes eius auxilium, dicimus: conuerte nos Deus salutaris noster: conuerte, scilicet ad te; vt in nocte sequente licet corpore dormiamus, cor tamen nostrum vigilet ad te Deus. Tandem verò a somno excitati, & volentes laudare Deum post mediam noctem incipimus aperire os ad loquendum: & timentes peccatum oris petimus auxilium gratiæ Dei in principio Matutinorum, dicentes: *Domine labia mea aperies*. Et, quia omne peccatum oris & cordis est etiam peccatum operis; ideo in matutinis & completorio post prædicta principia, additur: *Deus in adiutorium*. Cuilibet autem prædictorum trium principiorum a Sacerdote proposito conueniēs adoptatur responsio a suo choro ex nomine totius populi. Nam principio matutinorum de labijs aperiendis, responsio consona datur. *Et os meum annunciabit laudem tuam*; scilicet, si tu dignè illud aperiens pręmunieris gratia tua. Principio autem Completorij de conuersione cordis ad Deum, optimè respondetur; *Et auerte iram tuam a nobis*; quam, scilicet, memoramus ex præcedenti auersione per diem ad negotia temporalia. Principio deniq; aliarum horarum diei de adiutorio ad bonum opus, rectè respondetur; *Domine ad adiuuandum me festina*. quia, scilicet, sine te non valemus aliquid boni incipere; ideo oramus vt citius occurras nobis. Inuocat ergo Sacerdos Euangelicus diuinæ gratię auxiliū in principio officiorum Ecclesiæ cum spe certa & fiducia obtinendi ipsum a Deo. Quo obtento in fine cuiuslibet horæ reddit gratias Deo, dicens. *Benedicamus Domino*, cui & respondet chorus; Deo gratias, scilicet, agamus pro tanto eius beneficio nobis exhibito.

Per conuerte, competenter signatur cor: per, Domine labia, os: & per, Deus in adiutorium, totum signatur corpus signo crucis, ad effugandam inimici versutiam, ac omnem illius potestatem; ne officia diurna impediat; qui hoc signum valdè horret & timet, ac fugit; ex quo per passionem & crucem Christi victus fuit. Et vt dicit cęrem. Episcoporum. lib. 2. c. 1. Pro vnoquoque verbo tangit manu, primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, vltimo dextrum, & in fine iungimus manus ante pectus. Et sic quatuor verba hæc, habēt suam partem ad tangendum. Dum dicit, *Deus*, tangit frontem. *In adiutorium*, tangit pectus, *meum*, tāgit humerum sinistrum: *intende*, humerum dextrū. Ita faciendum est cum dicitur, *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, ab Episcopo in solemni benedictione: nā dicens, *Adiutorium* tangit se in fronte; Dicendo, *nostrum*, infra pectus: *In nomine*, in sinistro humero; *Domini*, in dextro. Eodem lib. cap. 25. cærem. Tangit primo, humerum sinistrum, quia dicitur, quod Spiritus sanctus procedit a patre & a filio; a quo patre principium totius vitæ; & a sinistro latere procedit virtus vitalis; quia in ea situatur cor. Secundo tangit dexteram partem siue humerum dextrum, significantem filium, quia dicitur de filio; sede a dextris meis. Incipimus a fronte, idest, a capite, quia pater est principium filij. Secundo tangitur pectus, quia filius procedit per generationē a patre; iuxta illud Psal. 2. Filius meus es tu ego hodie genui te: facta autem inuocatione tam a Sacerdote proponente, quam a choro respondēte; adiungit Sacerdos in qualibet hora canonica versum illum; *Gloria patri & filio & Spiritui sancto*. & hoc rationabiliter (vt aiunt quidam) ad reddendam, scilicet, statim gloriam Deo pro suo auxilio, quia enim propè est Deus omnibus inuocantibus cum in veri-

veritate Psal. 144. cui etiam consonat propheta Isa. 65. dicens; Adhuc te loquente ecce adsum: ideo Sacerdos reputans se iam exauditum a Deo in tam iusta petitione: & per consequens, iã consequuturũ diuinum adiutorium: statim reddit ei, gratias dicens: *Gloria patri & filio,* &c. Supple sit gloria patri, &c. Potest tamen dici melius & clarius quod iste versus immediate apponitur inuocationi diuini adiutorij, ad dandam rationem facilis concessionis illius petitionis ex parte Dei; quasi velit dicere Sacerdos; ideo petimus auxilium gratiæ tuæ Deus ad hoc officium inchoandum, prosequẽdum & peragendum, quia omnia in eo a nobis dicenda, & agenda principaliter ordinantur ad gloriam tuam prędicandam & magnificandam.

Est ergo sensus talis. *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina:* vt sit gloria tibi Deo patri, & filio, & Spiritui sancto, scilicet, ex hoc meo officio Ecclesiastico. Si enim peteremus auxilium gratiæ tuæ ad alia opera pro nostra vtilitate; adhuc petitio esset iusta & deceret te iam concedere: quanto magis ad hoc opus, in quo principaliter agitur res tua? idest, quia laus, honor, & gloria tua in eo prædicatur, extollitur, & magnificatur? Sed & hęc ratio non videtur sufficere propter versiculum sequentem: *Sicut erãt in principio:* Additur ergo explicatio Trinitatis, nẽpè, *Gloria patri, & filio, & spiritui sancto;* .s. ideo addentes illi rationi, dicimus, quod iste versus appositus est ad explicandam adhuc aliã rationem institutionis officiorum diuinorum ad gloriam Dei: quia videlicet fidelis populus tenetur Deum laudare & benedicere pro beneficijs ab eo receptis, inter quæ, hæc tria sunt principalissima: primum, est beneficium creationis quod attribuitur potentiæ patris. Secundum, est opus nostræ redemptionis quod appropriatur sapientiæ filij. Tertium, est ordo mundanæ gubernationis quod consonat bonitati Spiritus sancti. Ideo in explicatione trium diuinarum personarum insinuatur laus Dei & gratiarum actio pro tribus Dei beneficijs prædictis. Hũc sensum declarat sequens versus. *Sicut erat in principio & nunc & semper.* Hoc modo, sit gloria Deo propter illa tria opera eius in nos. Sicut erat ei gloria in principio, scilicet, quando mundum creauit: quia tunc laudabãt eum astra matutina, idest, Angeli mox creati: & iubilabant ei omnes filij Dei Iob 38. Et Sicut est nunc ei gloria, idest; in hac sexta mundi ætate, quando humanum genus redemit, fecitque sibi nomen grande in vniuersa terra cũ ante eam esset solum notus in Iudæa Deus; nunc autem ab omnibus gentibus cognoscitur, laudatur, & glorificatur. *Et semper,* idest, in omnibus ætatibus mundi medijs, fuit ei gloria a seruis suis; quia optimo iure & ordine mundum gubernat; propter quod ab omnibus suis creaturis continuè laudatur. *Et in sæcula sæculorum,* idest, post etiam huius mundi cursum erit sibi gloria in sua æternitate, qua sanctos suos plenissimè ipse glorificabit: a quibus etiam vice versa, glorificabitur & laudabitur in æternum. Propter has igitur rationes debetur sibi laus & gloria & gratiarum actio a fidelibus seruis suis in his horis canonicis Ecclesię Dei, qui vt dignè sibi exhiberi valeant petimus auxilium gratiæ eius in principio cuiuslibet horæ. Tandem concluditur per, *Amen,* idest, vtinã. Vel, Ita fiat. Et postea dicitur, *alleluia,* idest, laudate Deum, vt infra dicetur. His finitis in Matutino sequitur inuitatorium: quia non sufficit tantum laudare, sed oportet vt alios ad laudandum Deum inuitemus vt cortina cortinam trahat. Deinde dicitur Psalm. 94. qui est inuitatorius. In alijs autem horis sequuntur hymni Vesperis & Completorio exceptis, vt dicetur.

Sanè in exequijs mortuorum, nec Gloria patri, nec, Deus in adiutorium præmittimus, quia in illis Saluatoris exequias imitamur, in quibus hęc cessant. Dicitur Gloria patri: quia psalmus bonam operationem significat: qua finita, merito gloria Deo danda est; qui pro omni opere bono laudandus est. Et quia mortui nequeunt opera meritoria facere: ergo nec gloria competit Cantus autem psalmorum composuit Leo 2. anno Domini 684. Et Vitalianus anno Domini 657. introduxit tantum & sonum organorum.

De hymnis. *Cap. 5.*

POst prædicta in nonnullis horis, immo in pluribus sequitur hymnus ante psalmos. Hymnorum autem aliqui cantantur de nocte, & aliqui de die; vnusquisque tamen hymnus suã habet materiam vt est videre infra in nostro psalterio. In illis, qui recitantur de nocte hymnus accipit materiã ipsam temporis, idest, significationem ipsius temporis, scilicet, vt expellat a nobis ignorãtiæ tenebras, & vitiorum radices, & informet nos virtutibus & sancti Spiritus charitate. In illis vero, qui recitantur de die, accipit pro materia ipsum lumen, & vult depræcari Deum vt sicut illuminat nos sua claritate & splendore solis in corpore: sic illuminet nos Spiritus sancti gratia in mente. Hymnos primum Dauid prophetam condidisse ac cecinisse manifestum est, deinde & alios prophetas. Postea tres pueri in fornace positi, conuocata omni creatura, creatori omniũ hymnum canentes dixerunt. Deinde Dominus noster Iesus Christus: & hymno dicto exierunt in montem oliuarum. Mat. 26. Deinde Hylarius Episcopus, postmodum Ambrosius Episcopus Mediolanẽsis: & alij. Hymnus enim propriè appellatur laus Dei ad deuotionem accendens. Psalmus, laus Dei ad bene operandum inducens. Canticum, ad spiritualem iucunditatem ex diuinorum atque cælestium contemplatione sustollens. Verumtamen vnum horum pro alio multoties sumitur, quia & primo Paralip. fertur, quod cantores templi, Deum laudabant in hymnis Dauid Regis. Hymnus enim est nomen communius. Omnis enim psalmus est hymnus, sed non econtra. In psalmo etiam 70. vbi nostra habet translatio: Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuã, tota die magnitudinem tuam: continet alia. Repleatur os meum laude, vt cantem hymnum gloriæ tuæ.

Hoc tamen non est ignorandum, quod hymni, siue metra quatuor habent proprietates. Primo, quod in paucis verbis comprehendũt plurima gesta, & plures historias, & plures sententias, vt patet in poetarum libris; vnde versus.

Metra parant animos comprehendũt plurima paucis,
Aures oblectat, pristina commemorant.

Secundò, quia melius retinentur in memoria ea, quæ per versum habentur: & versus diutius retinẽtur in memoria, quam prosa. Tertiò, quia mouent animum hominis ad studium. Quarto, quia oblectant aures dei & hominum. Et per contrarium maligni Spiritus fugiunt carmina musica: (nam versus est quędam musica ex lõgis & breuibus syllabis composita:) eoquod diabolus sicut deuiauit a veritate, & concordia, & pace Dei, & bonorum Angelorum: ita tristatur in omni concordia & pace: & delectatur in omni discordia; & ideo miscetur cum hominibus melanconicis, & arreptitijs; & maniacis, idest, deformibus. Dauid cum psallebat fugiebat spiritus nequam a Saule, & eum dimittebat. 1. Reg. 16. quod proueniebat ex duobus secundum Iosephum & Aug.

Primo propter harmoniam sonorum & vocum, quæ sibi naturaliter displicent. Secūdo, propter laudes Dei quas Dauid cantabat in psalmis: quia aliquos psalmos composuerat ad laudē Dei. Et his de causis etiam Diu. Ambrosius fecit multos hymnos ex his, qui cantantur in Ecclesia, in persecutione Arrianorum; quos fideles cantabant per totam noctem: & ita in tali cantu delectati & consolati tollerabilius patiebantur: immo contemnebāt Arrianorum persecutiones, vt ait Dacius. Aliqui autem sunt in laudem aliquorum sanctorum. Nam vt ait Plutar. in lib. de vera consolatione in mortuos beneuolentia Bonus, non lamentis, sed hymnis & laudationibus dignus est: non luctu, sed honorifica recordatione. Præter supradicta adinuēti sunt quoque hymni propter Gentiles & hæreticos, catholicos contemnentes eoquod in suis laudibus uersibus carerent: cum ipsi suos Deos hymnis & Odis magnificarent, atque homines ex his alicerent ad Deus honorandos. Quatuor principales authores fuerunt hymnorum, scilicet, Ambrosius, Gregorius, Prudentius, & Sedulius: sed ante hos omnes Hylarius fertur in hymnis floruisse. Sed de his dicitur infra in expositione nostra psalterij Romani.

De differentia inter hymnos & Psalmos. Cap. 6.

His visis hoc valdè notandum est, quod differentia est inter hymnum, psalmum & canticum. Nam in hymno laus, in psalmo opera, & in cātico mentis exultatio intelligitur. De his dicitur Colos. 3. In psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino 93. dist. cantantes.

Insuper, inter psalmos & hymnos; hæc est alia differentia, quia hymnus est communius nomen quam psalmus vt supra diximus. Siquidē omnis psalmus est hymnus, at non econtra. Vnde liber psalmorum in titulo Glos. ordinariæ, liber hymnorum inscribitur. Sed præter psalmos Dauid sunt quidā alij hymni in Ecclesia Dei (de quibus supra) a sanctis doctoribus editi ad alia quædam proposita per omnes horas canonicas dispositi.

Differunt quoque hymnus & psalmus in re ipsa: tum quia psalmi sunt maioris authoritatis quam alij hymni. Nam liber psalmorum est de canone Bibliæ & instinctu Spiritus sancti non voluntate humana dictatus a propheta Dei vno vel pluribus: alij vero hymni extra sacram scripturā editi ex humana voluntate sanctorum doctorum ad laudem Dei & ad decorem officiorum diuinorum appositi sunt, & ab Ecclesia recepti non tam firma fide credendi in suis veritatibus sicut psalmi in suis; tum etiam quia si hoc nomen hymnus specialiter accipiatur pro eo, qui non est psalmus; hymni explicant mentalem lætitiā fidelium in Dei laudibus; quia ex interiore iubilatione exultant exterius in voce: psalmi vero opera bona seruorum Dei significant cum gaudio facta. Et quia nec interius mente cogitare, nec exterius corpore agere aliquid boni sumus sufficientes ex nobis; sed tota nostra sufficientia ex Deo est, vt docet Apostol. 2. Cor. 3. ideo in fine psalmorum & hymnorum semper canitur gloria patri, vel, præsta pater, vel, aliquis alius versus eiusdem sententiæ, ad demotandum, scilicet, quod tota gloria & laus bonorum operū, quæ agimus soli Deo est attribuenda, & non nobis; sine cuius gratia nos nihil tale agere potuissemus. Amplius, hymni continent laudem Dei aliquā, vel sanctorum: psalmi autem aliquando continent historiam factorum.

Itē est & alia differentia inter hymnos & psalmos in modo, scilicet, canēdi, quia hymnos stando semper, & psalmos, etiam sedendo canere consueuc-

fueuerunt clerici; vt in illis denotent iucundæ mentis eleuationem in Deū: in illis autem firmitatem bonæ operationis ad proximum, licet etiam melius sit stando psallere vt faciunt nonnulli religiosi.

Amplius, hymni,& psalmi differūt in ordine, nam in quibusdam horis hymni præcedunt psalmos; in alijs econtra, psalmi cantātur ante hymnos; Huius diuersitatis rationem assignant illi, qui ponunt tres horas nocturnas & quatuor diurnas. quia (vt aiūt) dies ad innocētes seruos Dei aptari debet, nox ad pænitentes; & quia hymni dicti sunt significare lætitiam mentis: psalmi operationem corporis bonam, concludunt quod horæ diurnæ debēt significare quod lætitia cordis adducit innocentes ad bona opera; horæ vero nocturnæ per contrarium significare debent quod pænitentes, (qui habent tristitiam cordis) per opera bona redimentes peccata sua perueniunt tandē ad iucunditatem mentis; ideo concludunt quod in horis diurnis hymni debent præcedere in nocturnis vero psalmi. Sed hæc ratio fallit in Matutinis: quæ est principalissima horarum noctis: nam in eis hymnus præcedit psalmos. Nisi forte dicatur quod hoc fit ad significandum quod in pænitentibus ante omnē tristitiam contritionis præcedit quædam læta affectio seu voluntas vltimi finis, quæ est beatitudo; ex qua postea mouentur ad quærēda bona opera etiam laboriosa quibus ad eā perueniatur. Et tandem adeptio fælicitatis causat iterum in eis mentis iucunditatem; quare nimirum in principio Matutinorum hymnus præcedit psalmos; quibus finitis & laudibus continuatis circa finem laudum iterū hymnus cantatur & solemniori cantu quam fuerat cātatus hymnus primus. Hinc est quod hymnus laudum cantatur in cantu figurato & non primus apud quasdam Ecclesias.

Qui vero tantum vnam horam nocturnam ponunt, & sex diurnas; possent dicere quod tam in die quam in nocte horæ canonicæ ab hymno incipiunt, & ad hymnum terminantur; vt inde significetur communis conditio seruorum Dei, siue sint innocentes, siue pænitentes; quia eorum vita virtuosa & a lætitia incipit & ad lętitiam terminatur. Præcedit enim in eis intentio seu appetitus beatitudinis; qui eos lętificat propter spem: & mouet ad bona opera, quę sunt media ad beatitudinē: & tādem datur merces pro bonis operibus, quæ sanctis promittitur a Deo in æterna lætitia; ad quod significandum in prima hora diei (quando exit homo ad opus suum tota die vsque ad vesperam) præcantatur hymnus quasi præponens præmium lætissimum laborantibus in vinea Dei. In completorio autem vltima diei hora quæ finem vitæ hominis significat, Psalmi præcedunt, & circa finem hymnus cantatur: vt protendat bonis actibus vitæ hominis proximo secuturam & reddendam beatitudinem gaudiumque sempiternum. Idem ordo seruatur in vnica hora nocturna.

In quibusdam Ecclesijs statim post psalmos sequitur hymnus, & post hymnum, lectio, siue capitulum: in quibusdam econuerso: & in alijs hymnum non cantant, qui congruum ordinem seruare videntur, quoniam primo est in corde dilectio quæ per antiphonam designatur; deinde sequitur bona operatio, quam psalmus designat, postea mentis exultatio, quę per hymnum notatur. Sed, quia exhortatio sæpè negligentiam parit, idcirco sequitur lectio seu capitulum quæ hominem ad cor reuocat. Qui vero lectionem hymno præponunt, volunt hymnum loco responsorij obtineri. Vnde cum in festiuitatibus responsorium post lectionem cantant, hymnum prætermittunt. Ad maiorem tamen exultationem notandam, quod in quibusdam Ecclesijs vtrumque cantatur, & tunc responso-

rium

rium præcedit hymnum, (vt faciunt Cassinenses) ad notandum, quod tunc maxime respondere debemus exhortationi per præcedens capitulum factæ; post quod statim sequitur responsoriũ. Tamen generale est, quod quandocumque cantatur responsoriũ præcedere debet lectio cui respondere debet. Qui vero hymnum non cantant illud attendere videntur, quod in cantico Beatæ Mariæ sequitur: quod excludit respõsorium cuius locum tenet hymnus. Nam si canticum Zachariæ in laudibus matutinis excludit responsorium; multo magis canticum Beatæ Mariæ excludere videtur in Vesperis. Modus tamen Romanæ Ecclesiæ est melior & communior, scilicet, cantare post hymnum antiphonam quam nõnulli responsorium vocant.

Nota hic, quod vespertinum & matutinum officium cæteris horis præferuntur in multitudine psalmorum; & ratio est, quia in Senaria operum distinctione, vespere & mane tantum memorantur; nempe cum dicitur Genes. 1. Factum est vespere & mane dies primus; secundus; tertius, &c. quare maiori laude etiam opus est; & in vet. lege matutini pro vespertini officij antiquitas commendatur. Matutina dicuntur officia quæ cælebrantur a mane vsque ad Nonam. Vespertina a Nona vsque ad noctem 11. quæst. 3. si quis Episcopus in Concilio. Exclusiue secundum August.

Hymnos autem & laudes cantare vetustissimum est, nam Christus & laudes cantauit, & cantandas Apostolos docuit, & Apostoli Christi mandato, laudes & hymnos in Ecclesia decantandos instituerunt. Pro huius dilucidatione notandum est, quadruplicem esse orantium diuersitatem. Aliqui solo affectu, soloque cordis desiderio Deum orant, vt Moyses ne mouens, quidẽ labia auditur a Domino. Quid clamas ad me? Exod. 14. Magnus quidem erat Moysis clamor, quia magno vehementique desiderio æstuabat. Aliqui vero simplicibus purisque verbis suas offerunt orationes; quales erant illa publicani, dicentis; Deus propitius est mihi peccatori. Luc. 18. Et latronis in cruce; Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum ibid. 23. Sunt & alij qui iam eleuato, & quasi in Deum, rapto animo longo temporis tractu, sine aliquo verborum sono, suas fundunt præces; Huiusmodi erat Anna, quam Heli sacerdos temulentam existimauit. 1. Reg. 1. Huiusmodis erat Christus, qui in oratione pernoctabat. Ioan. 2. postremo sunt qui absque attentione, siue affectu, nullaque adhibita deuotione psalmos multos cantant, longas legunt lectiones, & prolixas recitant orationes; quibus satis se fecisse videntur si cantarint aut legerint illa. Hi damnantur a Christo, eo quod putent se exaudiri in multiloquio, & se satisfecisse, Deoque per illud placuisse; quibus illud vers. & stat.

Si cor non orat in vanum lingua laborat.

Cæterum non reprobat hic Christus cantus Ecclesiasticos, psalmodias, laudes, Dei, triumphosque suos & martyrum decãtatos in Ecclesia; nam ipse pueros clamãtes in templo; Osanna in excelsis, benedictusque, qui venit in nomine Domini, ita probauit, recepit, & gratas habuit, vt cõtra pharisæos murmurantes defenderit: addens, quod si illi tacuissent lapides clamarent. Matth. 21. Rursus idipsum exemplo suo faciundum docuit, cum post cęnam, antequam in montem olueti exiret, hymnum cum Apostolis dixit; Matth. 26. & Mar. 16. Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum. Hymnus est canticum cum laude alicuius. *Et supra diximus: quod est cõmunius nomen quam psalmus.* Dixit itaque Christus hymnum; ergo laudem Dei vocaliter decantauit. Neque id solus, sed cum Apostolis fecit. Non ergo potuit

tuit ne diuinæ laudes cātarentur, prohibere, cum eas ipse prius cantarit, cātandasque Apostolos docuerit. Vnde in Acti. 16. Paulus & Silas carceribus inclusi, ita Deum alta voce laudabant, vt a custodibus audirentur. Refert quoque Plinius Iunior lib. 10. Epistolarum, Christianos solitos esse stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo adinuicem, quasi Deo decantare: & plura sunt de his apud historias Ecclesiasticas exēpla, quibus mouemur hymnos & psalmos decantandi morem ab Apostolis effluxisse; qui mandato a Saluatore accepto, laudes & hymnos in Ecclesia decantandos instituerunt. Requirit tamen Dominus vt oratio nostra, non clamore vocis, aut verborum multiplicatione, sed in cordis affectu, & dilectione constituatur. Siquidem Deus non altas voces, aut ora clamantia, sed humiliata gementiaq; corda audit & auscultat.

De hymnis & psalmis canendis habes, etiam apud Concil. 4. Tolet. can. 12. & de consecr. distin. 1. Nota secundum Hug. de Sancto Victore, quod tres sunt species sonorum, qui tres modulos faciunt. Fit enim sonus pulsu, flatu, & voce. Pulsus pertinet ad citharam. Flatus ad tubam & organum. Vox vero ad cantum. Hæc genera musicorum antiquus populus in laudem Dei se exercebat. Consonantia autem sonorum assignari potest concordiæ morum si ad pulsum cytharæ manuum operatio; & flatum organi mentis deuotio; ad cantum vocis sermonis exhortatio referantur. Bernardus ait. Quid prodest dulcedo vocis dulcedine cordis? Frangis vocem, frange & voluntatē. Seruas consonantiam vocum, serua concordiam morum; vt per exemplum concordes proximo; per voluntatem Deo; & per obedientiam magistro. Vnde Versus.

Non vox sed votum: non Chordula musica, sed cor.
Non clamans, sed amās cātat in aure *(Dei.*

Quare magis deuotione cordis, quam vocis iubilatione canendum est 38. distinct. Sedulo. Et procurare debemus, vt clara voce non rauca pronunciemus 21. distinct. capit. 1. vt populus planè intelligens dicat, Amē: 38. distinct. Sedulo. Item, hoc triplex genus musicorum ad triplicem differentiam beneficij Ecclesiastici refertur secundum Ricar. Episcopum Cremon. in suo mitrali. Nam ipsum officium Ecclesiæ, consistit in psalmis, in cantu, & in lectionibus. Primum musicorum genus est, quod fit pulsu digitorum, vt in psalterio & similibus: & ad id pertinet psalmodia; iuxta id Psalmus 150. Laudate eum in psalterio & cythara. Dicitur enim psalterium à psalin Grçcè, quod est tangere Latinè. Secundum est, quod fit voce, scilicet, humana; & ad istud pertinent lectiones. Vnde psalmista ait: Bene psallite ei in vociferatione. Et Apost. lectionem vocauit vocem, dicens. Ignorantes Iesum & vocem prophetarū quæ per omne Sabbathum leguntur. Act. 13. Tertium est, quod fit flatu, sicut in tuba: & ad istud pertinet cantus: vnde psalmista ait ibidem: laudate eum in sono tubæ. Sanè rationabiles diuersorum sonorum concentus & concordiam varietate compactam & bene ordinatæ ciuitatis vnitatem significat. Suauius vero cantus fit ex diuersis, sed non ex aduersis vocibus.

De Antiphonis. Cap. 7.

ANtiphona est quædam vox, qua sibijnuicem Angeli colloquuntur. Isidor. lib. 6. Etymolog. ait: quod antiphona Græcè, Latinè interpraetatur vox reciproca; quia duo chori, siue de vno ad vnum reciprocando, vicissim melodiarum cantus alternant; hoc est dicere vicissim cantare: quasi duo Seraphin, duoque testamēta inuicem sibi conclamantia. Vel ad significandum reciprocam fidelium dilectionē.

Cha-

Charitas enim ſicut & iuſtitia eſt virtus ad alterum & in duobus ad minus eſſe debet. Vnde in quibuſdam Eccleſijs Clerici cantantes antiphonas, non vertunt vultus ad Altare, ſed ad ſe inuicem verſis vultibus reſpiciunt:(ſed hoc faciunt monachi & fratres, non autem Clerici, qui officium recitant iuxta morem Roman. Eccleſiæ:)quod genus canendi Græci adinueniſſe traduntur, duobus choris alternatim cõcinentibus quaſi duo Seraphim, duoque teſtamenta inuicē ſibi conclamantia. Apud Latinos primus B. Ambroſ. antiphonas conſtituit, Græcorum exempla imitatus ait Iſidor. capitul.7. lib. 1.de offic. Eccleſ. deinde alij vſum acceperunt.

Poteſt etiam aliter diffiniri, & fortè melius. Antiphona eſt quædam Cantilena diuinis laudibus ad recreationē inſerta. Pauſatur enim aliquantulum a pſalmis dicendis. Pſalmi etiam ex inſtitutione Damaſi Papæ (vt ſupra oſtēſum eſt) a duobus choris clericorum alternatim per verſus cantantur: ad ſignificandum alternam exhortationem fidelium ad opera mandatorum Dei: quæ in pſalterio inſtrumento decemchordarum figurata ſunt. a quo inſtrumento pſalmi denominati ſunt; quia in eo cantabantur in veteri lege. Alij vero doctores dicunt quod antiphona debet interpretari cantus circularis: quia pſalmi melodia ab ea incipitur & in eam finitur inſtar circuli. Quod ita ordinatum eſt ad ſignificādum, quod omnis noſtra operatio a charitate Dei incipit, & in Deum finaliter eſt ordinanda etiam ex charitate. Notandum inſuper eſt, quod ſæpius quando antiphona completur ſuper vltimam eius ſyllabam fit Neuma, ideſt, iubilus quidam ſeu prolongatus cantus (vt iam dicetur,) & hoc in præcipuis feſtiuitatibus Eccleſiæ: ad denotandum finem charitatis æternum in iubilo magno: nam prægustato Deo amore in via iubilat animus deuotus: ſcilicet, imperfectè & breuiſſimè: ſed in patria Deo claré viſo perfectè iubilabit in æternum.

Antiphonæ in ſingulis horis ex inſtitutione B. Ambroſij dicuntur, pro eo quod B. Ignatius tertius a Beato Petro Antiochenus Epiſcopus audiſſe legitur, in hiſtor. tripar. ſuper quendam montem Angelorum choros antiphonas canentes. Inde Græci primo antiphonas cōpoſuerunt: & eas cum pſalmis in choro quaſi in chorea cātari ordinarunt: qui mos ad vniuerſas tranſiuit Eccleſias: vt iam vbique antiphonę decantarentur. Dicuntur autem antiphonæ reſpectu ad pſalmodiam, cui reſpondent, ſicut & reſponſoria reſpectu ad hiſtoriam; vnde & antiphona dicitur, quaſi ante pſalmum ſonans.

Inchoatur enim ante pſalmum, qui opus ſignificat: ipſa vero ſignificat charitatis copulam ſeu mutuam dilectionem, ſine qua opus non prodeſt, & per quam opus incipit meritorium eſſe. Verum ante pſalmum imperfectè, & poſt pſalmum perfectè dicitur: quia charitas in via imperfectè habetur, ſeu hic initiatur: ſed in patria per bona opera, quæ hic ex charitate fiunt, perficitur. Et hoc præcipuè in officijs de tempore dominicalibus, ſcilicet, & ferialibus: in quibus temporibus antiphona eſt aliquis verſus illius pſalmi cui præmittitur.

In præcipuis tamen feſtiuitatibus etiam ante pſalmum perfectè dicitur: ad notandum, quod in illis perfectiores in bonis operibus nos exhibere debemus. Vel, ad ſignificandum, quod in talibus ſanctis charitas fuit perfecta & plena operibus bonis Vel, quia denotat noſtram reſurrectionem, quando perfectè Deum laudabimus.

Inchoatur quoque ab vno vnius chori, & finitur a pluribus vtriuſque chori. Primo, quia charitas ab vno ſcilicet, Principe Chriſto incipit: & ipſe primus illam intonauit dicens Ioa. 13. Mandatum nouum do vobis. Sed poſtea

stea charitas ad omnia membra eius deriuata est; quia ignem venit mittere in terram vt tota arderet Luc.12. Et ipse prior dilexit nos vt incitaremur ad eius dilectionem correspondentes ei per bona opera; insurgeretque inter nos commune gaudium de dilectione Dei & proximi.

Secundò, ad notandum, quod vox prædicatorum, & prælatorum, quæ semper ad vnitate tendit, monet nos: vt quod vnusquisque singulariter operando acquirit; alteri porrigat; vt si vnus addiscit in scholis, & alter seminat in campo; tempore fructus doctor seminanti doctrinam porrigat, & sator doctori panem.

Antiphona post psalmos communiter ab omnibus cantatur; quia de dilectione commune gaudium surgit. Cantatur etiam a duobus choris alternatim ad notandum mutuam dilectionem siue charitatem, (vt dictum est,) quæ in paucioribus quam duobus cõsistere debet. Coniungit ergo antiphona duos choros; vt charitas per bonũ opus coniungat duos fratres. Tamen, vt ego vidi in quibusdam Ecclesijs ab vno intonatur, & in fine etiam ab illo solo dicitur, ad notandum, quod charitas ab vno Christo incipit, & per Christum perficietur. Vel, ratio istarnm diuersitatum vna & facilis est, quod merito ab antiphona (quæ charitatem significat) incipitur psalmus: & ab ea totus informatur clerus in suo cantu; vt significet, quod a charitate Sacerdotum Deum laudantium, totum officium Ecclesiasticum perficitur & informatur; vt sit Deo placens ac meritorium vitæ æternæ. Nam sine charitate cantus isti non bene sonant coram Deo. Eadem ratio est de quolibet alio humano opere.

Sex antiphonæ quæ diebus feriatis ante psalmos nocturnales dicuntur; de psalmis sumuntur, & bonorum operum perfectionem, vel sex opera misericordiæ designant: quoniam Senarus numerus perfectus est. Illæ verò quæ dicũtur super Benedictus in laudibus & super Magnificat in Vesperis, de euangelijs sumuntur, vt officio illius diei concordent; nam & illa cantica de euangelio sunt vti dictum est alibi; quare autem sic accipiuntur ab authore diuini officij, dicitur infra libr.4. in expositione psalterij Romani.

Demum in fine antiphonæ fit Neuma, seu iubilus: quia beatus populus, qui scit iubilationem. Est autem neuma seu iubilus ineffabile gaudium habitum de æternis. Et fit in vnica, & finali litera antiphonæ, ad notandum, quod laus Dei ineffabilis, & incompræhensibilis est.

Ineffabile namque gaudium per neuma significatum, quod hic prægustatur; nec penitus exprimi, nec penitus taceri valet; quare merito Ecclesia verbis omissis iubilando cum neuma quasi in admirationem prosilit; quasi dicat, quæ vox, quæ poterit lingua retenere, & cæt. Verba enim hæc non sufficiunt, nec intellectus capit, nec amor etiam dicere sinit. Quis enim plene enarret, quod oculus non vidit, nec an his audiuit, nec in cor hominis ascendit? Nam ardens desiderium, & ignita charitas, amorque Dei perfectus, vt ibi est, quis exprimere potest? Neumatizando ergo expressius quodam modo sine verbis dicit, quam per verba innuat, quantum sit illud cæli gaudium vbi verba cessabunt; & homines omnia, vt fas est, scient. Verum, quia perfectorum tantum iubilus est, in magnis festiuitatibus non tam maiores quam etiam minores exultãt. Notatione dignum est, quod fere vbicumque in cantu scribitur Ierusalem, neuma producitur, vt cælestis Ierusalem iubilatio figuretur: similiter si est verbum significans iubilum, gaudium, vel lætitiam. Et quoniam ad recreationem est inuenta (vt diximus,) vt fiat aliqua pausa in psallentibus, & in resurrectione non erit

opus

opus respiratione, iuxta id Apocal. 4. Et requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & cæt. Ideo in tempore paschali, quod repræsentat illud tempus resurrectionis, ad vesperas psalmi dicuntur sub vna tantum antiphona.

De psalmo, & votibus religiosorum. *Cap.* 8.

PSallere vsum esse primũ post Moysem Dauid Propheta, (ait Isidor. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 5.) in magno mysterio prodit Ecclesia. Hic enim a pueritia in hoc munus a Deo spiritualiter electus, & cantorum Princeps psalmorumque thesaurus esse promeruit. Cuius psalterium idcirco cum melodia cantilenarum ab Ecclesia frequentatur, quo faciliùs animi ad compunctionem flectantur.

Psalmus est modulatio, quæ fit in tali instrumento per tactum decem chordarum. ait Isido. lib. 3. Etymolog. Psalmi dicuntur esse laudes diuinæ factæ propter aliquas causas spirituales, vtpote si quando liberabatur Dauid ab aliquo periculo faciebat psalmos in laudem Dei gratias illi agendo: sicut est Psalm. 33. Benedicam; quem fecit quãdo liberauit eum Dominus de manu Regis Achis mutando vultum suum; sic etiam quando pugnauit cõtra Goliath fecit psalmum 143. Benedictus Dominus; vt patet in titulis. Et ita de multis alijs. Hinc accipit hunc vsum canendi psalmos Ecclesia, quia aduenta, passione, morte, resurrectione, & Ascensione Christi liberata fuit a potestatem inimici sui diaboli, sicut Dauid liberatus fuit a suis. Et etiam, quia psalmi continent huiusmodi mysteria commemorata de ipso Christo: ideo vt semper præ oculis talia habeamus, præcipit vt quotidie recitentur: dum enim psalmos cantamus gratias illi agimus de tot beneficijs nobis exhibitis. Hęc etenim important psalmi scilicet, gratiarum actiones.

Ad intelligentiam huius notatione dignum est, quod debemus laudare Deum sono psalterij secundum id, In Psalterio decem chordarum psallite illi, scilicet, Deo. Ad literam psalteriũ est instrumentum quoddam musicale decem chordis aptatum, superius habet lignum perforatum; & ideo dicitur reddere sonum a Superiori. Psalterium, quod vulgo canticum dicitur a psallendo nominatur, eo quod eius vocem chorus sonando respondeat. Ab illo ergo instrumento, quod psalteriũ decachordum nominatur, dicitur psalmus, quia ad vocem illius instrumenti Dauid decantabat psalmos ante archã in taberna culo Domini. Psalmus propriè dicitur melos quod per motum & laborem manuum ex psalterio procedit; ideo sæpe pro bona operatione ponitur, quæ sine labore fieri non potest. Quod autem psalmus ex motu digitorum & consonantia vocis fieri solebat, hoc significat, quod in nobis consonare debet bona operatio, & laudatio.

Psalmus autem antiphonę intermiscetur, quia fides per dilectionem operatur. Post antiphonas in singulis horis diurnis, & nocturnis ex institutione Damasi Papæ psalmi ad antiphonæ symphoniam canuntur; & significat psalmus bonam & diuinam operationem. Vnde Dauid Psalmus 143. In psalterio decachordo psallam tibi. In tali enim instrumento psallebat, innuens quod in psalterio spirituali debemus psallere Deo, decem legis mandata implendo.

Ipse autem Damasus instituit, vt chori in duas partes diuisi psalmos canerent alternatim. Et dicuntur alternatim ad denotandum alternam sanctorum ad bene operandum exhortationem. Priscis enim temporibus confusè, & quasi in chorea dicebantur; ideoque ordinarunt patres vt ita alter

natim dicerentur, quia fertur Beatum Ignatium sic instituisse in Ecclesia sua Antiochena eo quod audiuit Angelos antiphonatim psallentes psalmos.

Dicuntur etiam alternatim ad notandum, quod alter, forte debet onus alterius. Psalmos autem recitare debemus stando, ad ostendendum quod stantes in bonis operibus vincimus. Dum enim populus Israel pugnabat cum Amalech, quamdiu Moyses manus leuabat, populus vincebat: quandiu vero manus dimittebat, populus vincebatur. 37. dist. Si quis vult. Eleuatio igitur ad standum significat mentis nostræ deuotionem: vt statu corporis mentis affectionem monstremus, scilicet, nos paratos esse contra vitia pugnare, & ad bona opera contendere. Sanctos quoque stantes oramus significantes eos in perpetua lætitia fore; secundum id, stantes erant pedes nostri, & cæt.

Notatione dignum est quod vnus atque idem psalmus in varijs festiuitatibus cantatur; pro eo, quia ibi versus pertinentes ad illas inueniuntur, vt puta; In Natiuitate Domini, cātamus, Eructauit cor meum, propter versum illum, speciosus forma prę filijs hominum. Cantamus etiam illum in festo sanctorum Virginum propter illum alium versum, Adducentur Regi virgines, & cæt. Et in festo Apostolorum propter illum alium; Pro patribus tuis scilicet, prophetis, nati sunt tibi filij, scilicet, Apostoli. Item Psal. Quare fremuerunt gentes cantatur in Natiuitate propter versum illum; Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: & in passione Domini propter versum illum, Astiterunt reges terrę & principes conuenerunt in vnū aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Et de vno martyre, quia ibi dicitur, ego autē constitutus sum rex, &c. prædicans præceptum eius. Omnes enim martyres aut lingua, aut sanguine in monte Domini, quæ est Ecclesia prædicarunt præcepta Dei. Et ita a inuenies rationes in alijs festis.

Item notandum est, quod unum & idem vocabulum sæpè diuersimode accipitur; vt puta, templum, corpus Domini significat, vt ibi: Soluite templum hoc. Aliquando significat templum materiale; inde est quod cantamus psalmum illum, Magnus Dominus, in Natiuitate propter illum versum, suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui; ibi intelligimus de templo corporis Christi. Cātamus quoque eumdem psalmum in Purificatione, propter eundē versum, sed tunc accipimus templum pro templo materiali, in quo fuit Christus illa die præsentatus.

Amplius hic notatione dignum est, quod hic psalmus dicitur a quibusdā religiosis dum recipiunt suos ad professionem. Et habet tunc pro antiphona, suscipe me Domine secundum eloquium tuum & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Quę antiphona ter recitatur a suscepturo professionem, choro respondente, suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. Dicitur ter propter tria vota emittenda. q. d. Suscipe me Domine primo per votum obediētiæ. Suscipe me Domine secundo, per votum paupertatis. Suscipe me tertio, per votum castitatis. Eadem est ratio de monialibus, quibus dicitur ter, Veni spōsa Christi, scilicet, Veni, primo, per votum obedientię. Veni, secundo, per votum paupertatis. Veni tertio, per votum castitatis. q. d. Veni per abdicationem proprietatis. Per votum castitatis. Et per sponsionem obedientiæ, scilicet, veni de conuersatione mūdana, & de laqueis diaboli & mundi. De delectatione carnali ad munditiā. Et de propria voluntate ad quærēdam Christi faciem per obedientiam; vt dicant cum pueris in fornace: & nunc sequimur in te toto corde; & timemus te; & quærimus faciem tuam. Dan. 3.

Ad

Ad cuius propositum nota, quod hęc tria vota religiosorum possunt deduci ex sententia Christi Matt. 16.51, quis vult venire post me, abneget semetipsū & tollat crum tuam & sequatur me. Si quis vult venire post me abneget semeptisū; ecce obediētiæ votū. Nam ipse ait. Ioa. 6. Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Et Philip. 2. Christus factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Sequitur. Et tollat crucem suam: ecce paupertatis votū. Maxima enim crux est paupertas, quæ omnium rerum indiget. Et 2. Cor. 8. dicitur: Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Et sequatur me. Ecce castitatis votum. Ipse enim non solum castus, sed virgo & ex virgine natus; de quo dicitur Isa. 53. Qui peccatum non fecit nec inuentus est dolos in ore eius. Ponitur vltimo loco castitas vt difficilius votum ad obseruādum, pręcipuè cum valdè ipsa natura aliquo modo repugnet. Alia vero vota facilius redduntur quam castitas. Inimici enim aliorum duorum votorum ab extrinseco dimicant, sed inimica caro in intrinseco pugnat. Contra duo prima vota aduersatur intellectus quodammodo tantum; sed contra tertium, & intellectus, & voluntas, & natura ipsa aduersantur & impetunt. Vnde rectè ponitur illa particula (vel similis) a multis, quæ est, pro viribus meis; vt ostendatur naturam ipsam ad voluptatem procliuem magis, quam paratam esse rectitudini obsequi.

Nota quod hoc vltimum votum castitatis solemnizatur tribus modis. Vel per ordinem sacrum, vel per habitum religionis, (nempe per professionem) vel ex eo quod coram aliquibus testibus deuouit se alicui religioni. Glos. in 27. dist. cap. 2. Qui autem post votum nubent peiores sunt adulteris. 27. qu. 1. nuptiarum. Et virgines, quæ post consecrationē nupserint non tam adulteræ sunt quam incæstæ. 27. dist. virgines. Et monialis publicè nubens nunquam potest accipere corpus Christi, nisi in fine vitæ suæ, vel nisi fuerit defunctus ille cui nupserit: si vero fornicatur post pænitentiam potest accipere corpus Domini. Ratio est, quia magis contemnit Dominum publicè contrahendo quam fornicando. Ita Hug. super cap. Quæ Christo spiritualiter nubunt. 27. qu. 1. Hæc sunt dicta animi gratia, cum spectent ad cæremonias.

De Psalmis Gradualibus & pænitentialibus. Cap. 9.

INsuper notādum est circa psalmos graduales hoc, quod sunt quindecim, qui signati sunt per quindecim gradus quibus ascendebatur ad templum Salomonis, quod erat in monte. Nam in magnis festis ascendebant leuitę per quindecim gradus, prędictos, & in quolibet gradu cantabant vnum psalmum. Hos quindecim gradus quidam vocant canticum graduum, eo quod in quolibet præmissorum quindecim graduum singuli psalmi decantabantur. Quindenarius autem numerus constat ex numero septenario & octonario. Septenarius refertur ad vetus testamentum; quia septimum mensem, & septimum annum cælebrant. Octonarius ad nouum refertur testamentum: propter resurrectionem vnicam, quæ octauo die facta est, scilicet, Dominico qui est octauus in ordine.

Septem autem psalmi pænitentiales dicuntur contra septem vitia capitalia vt si a nobis commissa sunt, veniam de illis a Deo impetremus. Vel secundum Tostatum super Genes. cap. 13. Psalmi pęnitentiales septē tantū sunt, quia inter psalmos omnes, istos septē solos inuenimus, qui apertè loquantur de pænitentia: si autem plures essent, diceremus esse plures psalmos pænitētiales.

Vel. Quia nos facimus pæniteū-m

de

de peccatis, & præcipuè de mortalibus, quæ sunt propriè peccata, & nos a Deo auertunt, & peccata mortalia sunt septem: ideo facimus septem psalmos pænitentiales, vt significent septẽ peccata, quasi dicendo illos septem psalmos petamus nobis remitti septẽ peccata mortalia. Vel.

Quia sunt septem psalmi pænitentiales, vt per eos oremus nobis vniuersitatem peccatorum dimitti, quia numerus septenarius est numerus vniuersitatis, cum sint septem soli dies, per quorum replicationem totum tẽpus nostrum agitur; ideo dicendo septem psalmos oramus omnia peccata nobis dimitti, quæ in toto tempore per septem dies acta perpetramus. De omnibus psalmis vide in secundo tomo, expositionem nostram totius psalterij Romani.

De Versiculis. Cap. 10.

POst recitationem psalmorum dicuntur versiculi in singulis horis. Legitur num. 10. Quod dum arca Domini, quæ Ecclesiam figurabat in tabernaculo reponebatur, dicebat Moyses: Reuertere Dñe ad multitudinẽ filiorũ Israel. Sanè reuersio Dñi ad Israel nil aliud est, quã vt reuerti faceret Israel toto corde ad se. Deus.n. cui omne tempus præsens est, nõ habet ad quos reuertatur: sed intelligitur reuertere, idest, fac nos reuerti ad te.

Stantibus autem his, iuxta illũ morem versiculi dicuntur, vt si forte mentes nostræ cogitando vana præ nimio psalmorum opere deuiauerunt; audito Versu conuertantur ad Orientem, idest, ad Christum, qui est noster oriens; seu ad mentem secũdum versus significationem: qui ab ipsa reuersione nomen traxit: inde est, quod quando dicuntur, Versus, ad Altare nos vertimus: & prudentissime a patribus hoc institutum est, vt ille versu alta voce prælato, (quod semper fit, vt patet in cantu plano) excitentur somnolenti in officio diuino & conuertantur distracti ad habendam attentionem necessariam circa officia, & circa mysteria, quæ ibi pertractantur.

Possumus ergo dicere, quod sicut psalmi significant operationem bonã: ita versus, qui sequuntur significant fructum boni operis, qui colligitur in horis canonicis ex prædicta mentis conuersione & attentione.

Hi Versus ponuntur in Matutinis quasi intermedij cantuum & lectionum: ad faciendum transitum ab vno genere ad alterum: quatenus clerici fatigati aliquantulum de cantu hymnorum, psalmorum, & antiphonarũ conuertantur se ab illo labore ad ociũ lectionum. Huius rei signum est, quia prius propè semper stantes cantabant: sed excitati versibus iubentur postea sedere ad audiendas attẽtè lectiones.

Rectè ergo versus, qui significant fructum boni operis, alta voce dicuntur, ad excitandum pigros, qui in laudando Deum, & intelligendo diuina torpent, vt reuertantur ad cor; vt videlicet eo audito omnis cogitatio, quę fortè videndo temporalia, & vana, foras exijt reducatur intra nos & ad Deum. Et ideo cantatur a pueris: tum quia tales solent mitti nuncij ad excitandum somnolentos, vel ad conuertendum distractos, tũ, quia ipsi altius cantare possunt ad excitandum fideles totius Ecclesiæ: tum denique ad innuendum quod fructus boni operis maior est cum innocentia, & cordis mundicia, quæ apparet in pueris. Qualitas istorum versuũ ea est: vt semper denotent conditionem temporis vel officij in quo ponuntur maximè in officijs de tempore. Nam versus primi nocturni exurge Domine, &c. denotat tunc esse a lecto surgendum. Versus, autem vespertina oratio, &c. explicat hunc esse vesperum diei: & iam cessandum a labore. Alias autem expositiones vide infra lib. 4.

Versus

Versus nocturnalis significat, quia ab officio psalmorum siue a labore tūc nos vertimur ad officia lectionum, siue ad quietem: vt qui psallēdo stabat, nunc ad lectionem (vt diximus) sedeat. Vnde, versus dicūtur a vertendo, quasi ad aliud agendū nos vertere debere.

Nota quod in primo nocturno in die Dominica infra annū dicitur Versus, Memor fui nocte: ad notandum quo tempore surgendum est ad Matutinum, scilicet, de nocte: & etiam quia primus nocturnus dicebatur de nocte, vt infra dicetur, & supra tactum est. Quædam autē Ecclesię nolentes mentiri, quia de nocte non surgunt: dicunt pro Versiculo: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine; vt Ambrosiana. Et etiam dicitur ille versiculus, quoniam pertinet ad tempus Naturę, (vt dicetur ibidem) quando in nocte ignorantiæ populus ambulabat. Sed quia tempus legis habuit aliquid luminis, ideo dicitur in secundo nocturno, Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine. Tertius autem, Versiculus, pertinet ad nouum testamentum, in quo Saluator noster secūdum humanitatem fuit exaltatus. Et ideo dicit, exaltare Domine in virtute tua quia excitat ad audiendam lectionem Euāgelicam cum sua homilia ad quā opus est fidelium mentes eleuari vt Christi exaltetur ex attentione nostra.

Sed dicet aliquis, quare versiculi in nocturnis ante lectiones dicuntur: in alijs vero horis post capitula? Ad quod dicendum secundum Dur. lib. 5. cap. 2. In nocturnalibus lectionibus propter earum vniuersitatem & magnitudinem sedere solemus. Ne igitur propter longam sessionem, aut propter lassitudinem siue ocium obliuiscamur doctrinæ Domini, quam lectiones significant, cogitando fortè inania, aut dormiendo, vel confabulando: ideo Versu præcedente ad audiendas lectiones incitamur. In alijs verò horis, quia nec tot, nec tantæ sunt lectiones, non est necesse sedere, nec versiculos præmitti. Vel ideo, in alijs horis versus post lectiones dicūtur, ad notandum, quod propter interualla horarum doctrina Domini non negligitur.

Rursus uersiculi sæpe a pueris cantantur ad notandum seruitium nostrū cum innocentia præstitum Domino fore gratum vti supra annuimus. Et notandum secundum eundem: quod versus debet notare aut statum temporis, aut officij. Statum temporis notat versus primæ, scilicet, Exurge Christe adiuua nos; vnde cum dicitur, exurge, innuit initium operis. Similiter in Versu Tertiæ, Ne dereliquas me, notatur status pugnæ. Similiter in Versiculo Sextę, .s., Dn̄s regit me, &c. significatur status perfectus, & perfectionis. In Versiculo Nonę, .s. Ab occultis meis mūda me Domine; demōstratur status frigescentis dilectionis. Statum quoque temporis innuunt Versiculi, qui in passione & Resurrectione cantantur. Sed Versiculi Vesperatum statum officij insinuat: vt Vespertina oratio, &c. vt diximus. Et Dirigatur orō. mea. Ex quibus verbis colligitur quod Vespertina oratio actitatur. Hæc ille.

De benedictionibus & lectionibus. Cap. 11.

LEctiones pronunciare antiquæ institutionis esse Iudæorum traditio docet. Nam & ipsi legitimis præfinitisque diebus, ex lege & prophetis lectione in synagogis vtuntur & hoc de veteri patrum institutione seruantes. Est autem lectio non parua audiētium ædificatio. Vnde oportet vt quando psallitur ab omnibus psallatur: cum oratur, oretur ab omnibus: quando lectio legitur, facto silentio ęquè audiatur a cunctis. Nam & si tunc superueniat quisquam cum lectio cælebratur adoret tantum Deum & pręsignata fronte, aurem sollicite accōmodet. Hæc Isidor de Ecclesiast. officijs. lib. 1. cap. 10. Subdit. Nec putes paruam nasci vtilitatem ex lectionis auditu.

Nam & Maria soror Marthæ, quæ sedens ad pedes Domini, sorore neglecta verbum interius audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur. Ideo Diaconus clara voce silentium admonet vt siue dum psallitur, siue dum lectio pronunciatur ab omnibus vnitas conseruetur, vt quod omnibus prædicatur, æqualiter ab omnibus audiatur. Hæc antiquitus obseruabatur ante lectionem.

Post versiculos sequuntur lectiones in singulis horis; Dicitur autem lectio eoquod non cantatur vt psalmus, vel hymnus sed legitur tantum. Illic enim in psalmis vel hymnis modulatio, hic sola pronunciatio quæritur. Siquidem lectiones nocturnales sunt doctrina nostra: quia per eas docemur opera nostra retorquere ad Deum. Obtinent ergo vice lectionum, quas doctores faciunt ad ignaros: per eas quoque sanctorum opera imitamur, & earum commemoratione ad dei laudem compungimur: & ideo (vt diximus.) seden do & in silentio audiuntur lectiones.

Lectiones inquam cum materia earum sit doctrina fidelium conuenienter dicere possumus quod significant doctores & prędicatores Ecclesiæ sed vario modo. Nam lectiones nocturnę quia cõmuniter leguntur a minoribus clericis, in choro significant prędicatores veteris legis (quæ nocti cõparantur ab Apost.) eosque vocat princeps Apostolorum. Petrus lucernas lucentes in caliginoso loco. Et quia minores in Ecclesia, non debent legere vel prædicare nisi mittantur a suis maioribus: ideo, præmittunt suis lectionibus, illũ versiculum; *Iube Domne benedicere*, vt iam dicet. Audituri lectiones frontem crucis signaculo exornare debent. Isidor. ibidem.

Lecturus autem lectionem ad librũ accedens super gradum ascendit; quia doctor perfectiori vita vulgus transcẽdere debet. Et a presbytero vel Episcopo benedictionem tanquam legendi licentiam postulat dicens: *Iube Domne benedicere*, per quod designatur principatus Ecclesię quod nullus nisi a maiore iussus debet legere in Ecclesia: vt etiam dictum est. Stante hoc, illa verba Benedictione: Deus pater illæ nos benedicat, &c. præter (Euangelica lectio & huiusmodi) potest dici. Sedendo: ratione dicta. Et dicit.

Domne, & non Domine, quia solus Deus est verè Dominus. Hinc est quod Sacerdos seu Episcopus non a se benedictionem largitur; sed discrete a Deo postulat illam dari, dicens: *Benedictione perpetua benedicat nos pater æternus*. In fine vero dicit: *Tu autem Domine miserere nostri*: quia tunc dirigit sermonem ad Deum, qui verè est Dominus. Vel sic dicas. In principio vtitur sincopato & imperfecto vocabulo, dicendo, Domne, & non Domine; quia ad imperfectum dirigit sermonem suum, nempè ad hominem in fine vero perfectè & complete pronũciat, *Domine*, quia ad perfectum & perfecto vocabulo dignum, scilicet, ad Deum dirigit sermonem. Hinc est quod hunc modum loquendi obseruant Monachi cum dicunt (vt audiui a quibusdam) Domnus Abbas, vnde & Ecclesia volens orare pro papa in litanijs, dicit: Vt domnum Apostolicum, non Dominum Apostolicum, id est, sanctissimum papam (antiquitus enim dicebatur vulgariter, Apostolicus, hoc modo, scilicet, hodie Apostolicus facit hoc, vel illud & omnes Ecclesiasticos ordines, idest, Episcopos, Cardinales, Sacerdotes, & cæt. quasi dicat Ecclesia, etiam summus Pontifex imperfectus est Dominus. Hinc etiam est quod famuli Dominis suis interuientes si quando illis pocula porrigunt non debent vtrumque genuflectere, sed dumtaxat alterum, nẽpè sinistrum, per quam partem significatur corporalis seruitus, quæ tãtum debetur hominibus, & non spiritualis. Nec est acclinandum principi sæcula-

cula-

culari recta facie, sed ab aure sinistra capite flexo ait Ioan. Beleth.c.25. vbi supra.

Porro Episcopo volenti legere, & dicenti *Iube domne benedicere*, nullus minor benedicere debet 21.dist.denique. Ibidem enim probatur quod maiores possunt iudicare minores, & benedicere, sed non econtra. Et hoc probat exemplo Melchisedech, qui sicut legitur in Epistola ad Hebr. benedixit minori, scilicet, Abrahæ. Vnde ex ista consuetudine Ecclesiæ patet quod maior legens lectionem nunquam debet petere benedictionem: immo etiã dum maiores legunt, omnes debent stare erecti. Item: quia contrariorum eadem est ratio, vt in ca. inferior.ead. dist. ff. de verb. obli. inter stipulãtem. Nec potest maior a minori maledici. vt habetur ibidem cap. denique §.etiã maledicatur. Vnde & in quibusdam Ecclesijs nihil ei respondetur. in alijs vero Ecclesijs respondet vnus Sacerdos, dicens: ora pro nobis piè pater ad Dominum: & tunc Episcopus dicit, magnificate Dominum mecum. Tunc autem Episcopus habet perfectè pronũciare, *Iube domine benedicere*, quia ad Deum qui perfectus est, dirigit sermonem. In alijs vero Ecclesijs vnus Sacerdos petit benedictionem, & Episcopus benedicit deinde legit.

Lectione finita dicit lector: *Tu autẽ Domine miserere nobis*: quod non est de substantia lectionis, neque de lectione, neque ei continuatur: sed ille ad Deum sermonem dirigens se excusat.q.d. Domine peccaui legendo forsitan modulate: pronuncians causa acquirendi laudem humanam: & audientes forte peccarunt cogitationibus uanis; ideo tu Domine de his miserere nobis. Quod verò respondetur, *Deo gratias*, non refertur ad, *Tu autẽ*, sed ad lectionem. Est enim vox Ecclesiæ Deo gratias exsoluentis, ac si dicat; Deus pauit nos verbis salutis, quę verba sunt cibus animæ: & pro huiusmodi beneficio *Deo gratias*, supple, exsoluimus. Sic potest dici, quando a mensa surgimus. q. d. Domine forte nimis auide manducauimus, vel sensualiter, ideo de his & alijs, quæ tunc egimus, *miserere nobis*. Quod vero dicitur *Deo gratias*. vel potest referri ad lectionẽ, quam lector ad mensam legit, vel si non legit, agimus gratias Deo non de cibo spirituali audito, (quando non legitur) sed de cibo corporali nobis exhibito.

Insuper nota, quod sicut pluralitas lectionum in Dominicis & festis maioribus pluralitatem significat prædicatorum, qui sunt tempore noue legis, sic & paucitas in pro festis, idest, in diebus ferialibus raritatem prædicatorum significat tempore legis veteris, vt dicunt aliqui: sed non dant rationem quare dies illi significent tẽpus veteri legis & isti tempus nouę legis. Ego vero dicerem, quod vigiliæ & feriæ significant hanc miseram vitã quæ est vigilia festiuitatis paradisi significatæ in diebus Dominicis & alijs festis; sicut ergo in vigilijs leguntur pauciores lectiones; ita & cantantur plures psalmi quam in diebus festiuis; ad denotandum quod in hac vita sciẽtia Dei & doctrina rarior est: opera vero plura quam in alia vita; quæ in vniformitate operis consistit.

Vicissitudines quoque lectorum sunt successiones legatorum, qui dum dicunt, *Iube domne*, licentiam proficiscendi petunt; & dum eis benedicitur licentia datur; in quo innuitur, quod nullus prædicare debeat, nisi mittatur iuxta id. Rom. 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur.

Notatione demum dignum est, quod tribus modis finiuntur lectiones. Primo modo generaliter per, *Tu autem Domine miserere nobis*. Secundo, per, *Hæc dicit Dominus omnipotens*. Tertiò, per, *Ierusalem Ierusalem conuertere ad Dominum Deum tuum*. In omnibus his modis Ecclesia hortatur

in persona Christi populum peccatorem vt conuertatur.

In tertio nocturno legitur Euangelium, & homilia Euangelij eiusdem, quia pertinet ad tempus gratiæ, vt dicetur infra in quo, Euãgelium recitatum & publicatum est. Ex quo sequitur quod sicut in Ecclesia sunt duo ordines, scilicet, sapientes & insipientes, sic duæ sunt lectionum maneries, siue consuetudines, seu ritus. In illis enim lectionibus, quæ ad Missam leguntur; sapientes instruuntur, in his vero, quæ in noctibus recitantur, insipientes erudiuntur & instruuntur propter hoc expenuntur; vt patet de secundis & tertijs lectionibus, quæ leguntur in secundo & tertio nocturno. In feriali officio tantum tres dicuntur lectiones, significantque doctrinam electorum trium temporum. Vel, quia Dominus posuit tres vigilias dicens, & si venerit in secunda vigilia, &c.

De Responsorijs. Cap. 12.

POst lectiones subijciuntur Respõsoria; cum enim per lectiones doctrinales, per Respõsoria vero bona opera significentur, ritè post lectiones Responsoria subijciuntur: & ratio est, quia per bona opera, doctrinæ a doctoribus Ecclesiæ auditæ, respondere debemus. Quare non iniuria Responsoria dicuntur. Respondent: inquam per operis promptam executionem. Nam verbis bonæ doctrinæ fideles debent respondere per bona opera: ne forte cum seruo nequã de ocio malo conuincatur, & dãnetur a Domino Deo suo. Responsoria ait Isidor. ab Italis sunt reperta, & vocata hoc nomine, quod vno canente, chorus consonando respondeat: vt etiam dicetur.

Dicitur etiam Responsorium, quia lectioni respondere, idest, consonare debet: vt si fortè lectiones sint de libris Regum, Responsoria sint similiter de libris Regum: vt patet in Breuiario. Hoc tamen fallit in Responsorijs de historijs, quæ post Euangelium in nocturnis cantantur, quæ Euangelicis lectionibus non respondent.

Dicitur quoque Respõsorium, quia vni cantanti cæteri concorditer respõdent 1. Corin. 1. Vt idipsum omnes dicamus, & non sint in vobis schismata. Cantauit vnus, scilicet, Christus, & Petrus, & cæteri eum sequuti sunt. Vel. Quia choro illud cantanti versus respondetur ab vno. Vel, quia vno desinente alter respondet.

Cantus enim Respõsorij ab vno incipitur deinde alijs accedentibus ab omnibus concinnitur vsque ad versũ: quem illis tacentibus alius cãtat, vnus, vel duo ad plus. Versu finito alij cantores ad præsam reuertuntur. Et est similis modus illi quem habent sæculares in cantilenis suis quando faciunt choreas cantantiũ & respondentium per pausas suas, vt dicitur de versiculis. Cantantur ergo Responsoria in diuinis officijs quatenus vel mentes fidelium eleuent ad contemplandum supernæ gloriæ concentum; vel etiam vt denotent spirituale gaudium mentis in viatoribus relictum ex doctrina lectionum. Quod etiam in tali cantu alter alteri respondet; fraternam exhortationem fidelium significat; quæ se adinuicem commouent ad fructum boni operis peragendum. Per versum ab vno solo cantatum: singularis deprecatio cuiuslibet fidelis seorsum denotatur. Sed aliorum responsio est eorum congratulatio de tali deuotione proximi. In tertio vero Responsorio nocturnorum additur Gloria Patri, in officijs non luctuosis, & hoc propter honorem Diuinæ Trinitatis ad cuius gloriam hęc cantica principaliter sunt ordinata vt alibi diximus. Et licet post versum non repetatur totum Responsorium a capite: repetitur tamen post gloria Patri a quibusdam & in quibusdam festis, ad denotandam, scilicet, differentiam grãtiæ, charitatis, & gaudij spiri-

ſpiritualis in nobis & in Deo. Quia hęc in Deo perfecta ſunt, in nobis autem imperfecta quamdiu ſumus in via: nam in patria conſumabuntur hæc in nobis quando ad æternitatem Dei participandam perueniemus.

Vel. Reſponſorium ſecundum Ruper. lib. 1. de Eccleſiaſt. offic. cap. 15. dicitur; quia reſpondere debemus diuinis inſpirationibus; quia ſumus ſimiles pueris ſaltantibus in foro: qui clamantes coæqualibus ſuis, dicunt: Cecinimus vobis & non ſaltaſtis; lamentauimus & non planxiſtis. Matth. 11. Vocaturque item Reſponſorium, vt reſpondeamus ad illud quod lectum eſt in lectione. Vnde ſi lectiones ſunt de rebus lætis, ſic Reſponſoria debent eſſe læta; ſi vero ſunt de rebus mæſtis, ſimiliter & reſponſoria, vt ſcilicet, quod ſi attineant ad pęnitentiã, vel ad Chriſti paſſionem, ſic & Reſponſoria. Semper enim reſpõdent lectionibus. Hinc patet quarta attentio & deuotio eſt habenda quando cantantur Reſpõſoria, conſiderando attente quæ ibi recitantur: ſi autem non attente ſe habebimus, ſimiles erimus pueris ſaltantibus in foro: non reſpondendo ad id quod debemus: hoc etiam ſupra innuimus.

Reſponſorium ab vno vt diximus inchoatur, vt ab alijs concinnatur, per quod patris ad fratres exhortatio ad ſeruiendum Deo intelligitur. Per Verſum vero Reſpõſorij, qui totus ab vno canitur, ſingularis ad Deum deprecatio denotatur.

Reſpõſorium quoque poſt Verſum imperfectè recantatur, ad notandum, quod ſi in monte, ideſt, in ſtatu perfectionis ſaluari non poſſumus, ſaltem in Segor, ideſt alia via ſaluamur in ſtatu, videlicet imperfectionis. Adhuc ſemiplene repetitur, ad notandum ea, quæ viuentes facimus imperfecta eſſe. Quidam Reſponſorij habent tres Verſus, ſed de hoc dicetur in quinto libro, de officio in particulari: nempe in expoſitione Miſſalis, in capit. de Dominica prima Aduentus.

Nota, quod priſcis temporibus pullulantibus hæreſibus, quæ veritatem Trinitatis impugnabant: ſancti patres ad hoc vt ſancta Trinitas magis nota eſſet, ordinarunt nonam lectionem cũ ſuo Reſponſorio de Trinitate legi: & quod etiam in prima feria diceretur Miſſa de Trinitate. De Reſponſorio adhuc Eccleſia obſeruat, ſcilicet, Duo Seraphin de quo infra lib. 4. capit. 21. par. 2. ſed de lectione non. Nota, quod quando Reſponſorium totum repetitur, quod hoc ideo fit ad Notandum lætitiam & perfectionem ſanctorum.

Nota etiam ex Concil. Tolet. 4. can. 15. quod ibi ſic dicitur: Statuimus, quod Gloria in fine Reſponſoriorũ in lætis ſequatur, in triſtibus vero repetatur principium. Hinc patet quare in tempore paſſionis, in officio mortuorum repetatur principium tertij Reſponſorij cuiuslibet nocturni; quod fortè præcipitur, propterea quod non bene conueniunt gloria ſiue lætitia cũ rebus triſtibus: & ideo ſiletur. In ferialibus tria reſponſoria ſuccinimus, ad notandum quod quicquid electi in tribus temporibus docuerunt, & quicquid in prædictis tribus ætatibus agimus; ad Domini Trinitatem referimus, & Trinitatem in fide, ſpe, & charitate glorificamus.

De Capitulis. *Cap.* 13.

Lectiones breues diurnæ dicuntur capitula, eo quod vt plurimum de capitibus Epiſtolarum illorũ dierum quibus dicuntur, ſumuntur. Vel dicuntur capitula, ideſt, breuia capita. Hæc autem recitantur poſt pſalmos, & Antiphonas in ſingulis horis diurnis, & nocturnis, prout ſtatutum eſt in Concil. Agaten. de conſecr. diſtinct. 5. conuenit. Qui modus ſumptus eſt ab Eſdra ſecundum Bedam in Neemiam lib. 3.

in persona Christi populum peccatorem vt conuertatur.

In tertio nocturno legitur Euangelium, & homilia Euangelij eiusdem, quia pertinet ad tempus gratiæ, vt dicetur infra in quo, Euãgelium recitatum & publicatum est. Ex quo sequitur quod sicut in Ecclesia sunt duo ordines, scilicet, sapientes & insipientes, sic duæ sunt lectionum maneries, siue consuetudines, seu ritus. In illis enim lectionibus, quæ ad Missam leguntur; sapientes instruuntur, in his vero, quæ in noctibus recitantur, insipientes erudiuntur & instruuntur propter hoc exponuntur; vt patet de secundis & tertijs lectionibus, quæ leguntur in secundo & tertio nocturno. In feriali officio tantum tres dicuntur lectiones, significantque doctrinam electorum trium temporum. Vel, quia Dominus posuit tres vigilias dicens, & si venerit in secunda vigilia, &c.

De Responsorijs. Cap. 12.

POst lectiones subijciuntur Respõsoria; cum enim per lectiones doctrinales, per Respõsoria vero bona opera significentur, ritè post lectiones Responsoria subijciuntur: & ratio est, quia per bona opera, doctrinæ a doctoribus Ecclesiæ auditæ, respondere debemus. Quare non iniuria Responsoria dicuntur. Respondent: inquam per operis promptam executionem. Nam verbis bonæ doctrinæ fideles debent respondere per bona opera: ne fortè cum seruo nequã de ocio malo conuincatur, & dãnetur a Domino Deo suo. Responsoria ait Isidor. ab Italis sunt reperta, & vocata hoc nomine, quod vno canente, chorus consonando respondeat: vt etiam dicetur.

Dicitur etiam Responsorium, quia lectioni respondere, idest, consonare debet: vt si fortè lectiones sint de libris Regum, Responsoria sint similiter de libris Regum: vt patet in Breuiario. Hoc tamen fallit in Responsorijs de historijs, quæ post Euangelium in nocturnis cantantur, quæ Euangelicis lectionibus non respondent.

Dicitur quoque Respõsorium, quia vni cantanti cæteri concorditer respõdent 1. Corin. 1. Vt idipsum omnes dicamus, & non sint in vobis schismata. Cantauit vnus, scilicet, Christus, & Petrus, & cæteri eum sequuti sunt. Vel. Quia choro illud cantanti versus respondetur ab vno. Vel, quia vno desinente alter respondet.

Cantus enim Respõsorij ab vno incipitur deinde alijs accedentibus ab omnibus concinnitur vsque ad versũ: quem illis tacentibus alius cãtat, vnus, vel duo ad plus. Versu finito alij cantores ad præsam reuertuntur. Et est similis modus illi quem habent sæculares in cantilenis suis quando faciunt choreas cantantiũ & respondentium per pausas suas, vt dicitur de versiculis. Cantantur ergo Responsoria in diuinis officijs quatenus vel mentes fidelium eleuent ad contemplandum supernæ gloriæ concentum; vel etiam vt denotent spirituale gaudium mentis in viatoribus relictum ex doctrina lectionum. Quod etiam in tali cantu alter alteri respondet; fraternam exhortationem fidelium significat; quæ se adinuicem commouent ad fructum boni operis peragendum. Per versum ab vno solo cantatum: singularis deprecatio cuiuslibet fidelis seorsum denotatur. Sed aliorum responsio est eorum congratulatio de tali deuotione proximi. In tertio vero Responsorio nocturnorum additur Gloria Patri, in officijs non luctuosis, & hoc propter honorem Diuinæ Trinitatis ad cuius gloriam hęc cantica principaliter sunt ordinata vt alibi diximus. Et licet post versum non repetatur totum Responsorium a capite: repetitur tamen post gloria Patri a quibusdam & in quibusdam festis, ad denotandam, scilicet, differentiam gratiæ, charitatis, & gaudij spiri-

spiritualis in nobis & in Deo. Quia hęc in Deo perfecta sunt, in nobis autem imperfecta quamdiu sumus in via: nam in patria consumabuntur hæc in nobis quando ad æternitatem Dei participandam perueniemus.

Vel. Responsorium secundum Ruper. lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 15. dicitur; quia respondere debemus diuinis inspirationibus; quia sumus similes pueris saltantibus in foro: qui clamantes coæqualibus suis, dicunt: Cecinimus vobis & non saltastis; lamentauimus & non planxistis. Matth. 11. Vocaturque item Responsorium, vt respondeamus ad illud quod lectum est in lectione. Vnde si lectiones sunt de rebus lætis, sic Responsoria debent esse læta; si vero sunt de rebus mæstis, similiter & responsoria, vt scilicet, quod si attineant ad pęnitentiā, vel ad Christi passionem, sic & Responsoria. Semper enim respōdent lectionibus. Hinc patet quarta attentio & deuotio est habenda quando cantantur Respōsoria, considerando attente quæ ibi recitantur: si autem non attente se habebimus, similes erimus pueris saltantibus in foro: non respondendo ad id quod debemus: hoc etiam supra innuimus.

Responsorium ab vno vt diximus inchoatur, vt ab alijs concinnatur, per quod patris ad fratres exhortatio ad seruiendum Deo intelligitur. Per Versum vero Respōsorij, qui totus ab vno canitur, singularis ad Deum depræcatio denotatur.

Respōsorium quoque post Versum imperfectè recantatur, ad notandum, quod si in monte, idest, in statu perfectionis saluari non possumus, saltem in Segor, idest alia via saluamur in statu, videlicet imperfectionis. Adhuc semiplene repetitur, ad notandum ea, quæ viuentes facimus imperfecta esse. Quidam Responsorij habent tres Versus, sed de hoc dicetur in quinto libro, de officio in particulari: nempe in expositione Missalis, in capit. de Dominica prima Aduentus.

Nota, quod priscis temporibus pullulantibus hæresibus, quæ veritatem Trinitatis impugnabant: sancti patres ad hoc vt sancta Trinitas magis nota esset, ordinarunt nonam lectionem cū suo Responsorio de Trinitate legi: & quod etiam in prima feria diceretur Missa de Trinitate. De Responsorio adhuc Ecclesia obseruat, scilicet, Duo Seraphin de quo infra lib. 4. capit. 21. par. 2. sed de lectione non. Nota, quod quando Responsorium totum repetitur, quod hoc ideo fit ad Notandum lætitiam & perfectionem sanctorum.

Nota etiam ex Concil. Tolet. 4. can. 15. quod ibi sic dicitur: Statuimus, quod Gloria in fine Responsoriorū in lætis sequatur, in tristibus vero repetatur principium. Hinc patet quare in tempore passionis, in officio mortuorum repetatur principium tertij Responsorij cuiuslibet nocturni; quod fortè præcipitur, propterea quod non bene conueniunt gloria siue lætitia cū rebus tristibus: & ideo siletur. In ferialibus tria responsoria succinimus, ad notandum quod quicquid electi in tribus temporibus docuerunt, & quicquid in prædictis tribus ætatibus agimus; ad Domini Trinitatem referimus, & Trinitatem in fide, spe, & charitate glorificamus.

De Capitulis. Cap. 13.

Lectiones breues diurnæ dicuntur capitula, eo quod vt plurimum de capitibus Epistolarum illorū dierum quibus dicuntur, sumuntur. Vel dicuntur capitula, idest, breuia capita. Hæc autem recitantur post psalmos, & Antiphonas in singulis horis diurnis, & nocturnis, prout statutum est in Concil. Agaten. de consecr. distinct. 5. conuenit. Qui modus sumptus est ab Esdra secundum Bedam in Neemiam

lib. 3.

libr.3. capit.32. Et Petr.Comest.in historia lib.Iudith. cap.9. explicans Nehemiam. Et significant hæc capitula doctrinam.

At dicet aliquis quare dicũtur post hæc capitula etiam responsoria in horis diurnis? Ad quod dicendum, ne propter psalmodiam audientium animus sibi fastidium ingerat, sicut Iudæis, qui manna fastidiebant, propter, quod Deus misit in eos serpentes, qui interficiebant eos; ideo præmittitur capitulum (cum suis responsorijs) siue breuis lectio sumpta a nouo vel veteri testamento prouocãs ad deuotionem, quæ fastidio contraria est: & exhortãs ad perseuerãtiam in bono, iuxta illud Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2.Cor.6.

In nocturnis autem copiosius quam diurno officio lectionibus vacamus, quia tunc eis aures liberius accommodamus. Et dicuntur hæc capitula per pastorem ad domesticos, & scientes: quia sicut ligna lignis adijcimus, vt ignis magis ardeat; ita ignitis domesticorum cordibus ignita pastorũ verba adijciuntur vt magis igniantur. Si vero dicantur ab hebdomadario, tunc hebdomadarius fungitur officio prælati, & ita idem est. In his capitulis sacerdos hortatur fideles vt adhuc perseuerent ad laudandum Deum; & varientur pro diuersitate dierum & festorum. Leguntur autem hæc capitula siue lectiones hę, sine, Iube domne benedicere, & absque benedictionem: quia vt plurimum Episcopus vel sacerdos qui vicem Christi gerit, & cuius officium est tanquam maioris, excitare pigros, ista legit vel recitat: cuius proprium est licentiam, & benedictionem dare, & non petere; vt sunt omnes superiores; nam maiores benedicunt minoribus, & non econtra. Nocturnales vero lectiones petunt benedictionem, quia a minoribus legũtur, vt supra visum est.

Lectiones istæ diurnæ, idest, capitula, quia semper leguntur a maioribus præsbyteris chori, significant prædicatores nouæ legis, quos Christus vocat horas diei. Ioan. 11. Et quia ab alijs hominibus non mittuntur ad prædicandum; ideo non præmittunt, Iube domine benedicere.

Item potest assignari alia differentia inter lectiones nocturnas & diurnas: quia lectiones nocturnæ sunt doctrinę minorum seu imperfectorum hominum, vnde & a minoribus clericis leguntur, & aliquæ per homilias exponuntur, vt auditores eas melius intelligant, lectiones vero diurnæ, a maioribus & præsbyteris lectæ doctrinam perfectorum, & sapientum significãt: quare breuissimę sunt & sine homilia, vel sine expositione leguntur. Huius rei signum est, quod ad lectiones nocturnas admittuntur libri minorum doctorum & exempla sanctorum patrum: nec authores illarum lectionum multum explicãtur a lectoribus: quia non videtur cõueniens vt minores populi fidelis (quorum est illa doctrina) sciant illorum doctorum nomina: sed tantum doctrinæ bonitatem; ne fortè illa reddatur contemptibilis eis ex authoribus. Hodie tamen, quia omnes a sanctis patribus sunt editæ explicantur nomina. In Breuiario enim antiquo recitabantur etiam homiliæ Origenis; Maphæi Vegij, & aliorum, qui non erant inter sanctos patres connumerati, quare hodie in Breuiario reformato semotæ sunt.

Ad lectiones vero diurnas nihil admittitur quod non sit de sacro textu Bibliæ, exprimunturque in eis nomina authorum, maximè in officio Missæ; quia authoritas eorum firmissima est & valde nota sapientibus Ecclesiæ; & inde redditur eis illa doctrina venerabilior. Tamen cum leguntur libri Salomonis siletur eius nomẽ propter idololatriam commissam, & nomen quoque Moysi, quia dubitauit ad aquam contradictionis, & cæt. Hunc morem

aliquæ Ecclesiæ non obseruant; sed in lectionibus nocturnis authores earũ, (vt diximus) nominant, quia sunt auditoribus illis venerabiles & autentici; vt facit Ecclesia Romana.

In his etiam lectionibus diurnis non recitatur in fine, Tu autem Domine miserere nobis; quia sacerdos debet esse perfectus, & qui diabolicis suggestionibus de facili non succumbat; & quia in breui sermone, & inter familiares vix est, qui ventus humani fauoris captetur, prout quãdoque fit in lectionibus nocturnis vt præmissum est. Respondetur tamen & hic, Deo gratias, propter causam supra assignatum de lectionibus nocturnis.

Quæret forte aliquis, quare in his capitulis, non pronunciatur author eorum, prout in alijs lectionibus? Ad quod dicendum, quia hæc capitula, vt ex supradictis patet, sunt exhortationes prælati ad ministros, qui cognoscunt authorem, ideo siletur. Sed in lectionibus, & in Missis, vbi cõcurrit populus, exprimitur author; vt qui hæc audiũt, sciant illius lectionis authorẽ.

Capitula autem quæ leguntur a minoribus, habent, Iube domine benedicere, &, Tu autem Domine miserere nobis; vt in Completorio, & in fine Primę, & hęc est differentia, quia, scilicet, dicuntur hæc a minoribus illa vero a maioribus. q. d. Ecclesia ideo habent, Iube, &, Tu aũt, quia dñr a minoribus & licẽtiã petere debẽt ad hęc recitãda.

De oratione siue collecta in fine officij. Cap. 14.

IN singulis horis in fine post omnes cantus dicuntur orationes; & inuẽtę sunt ad impetrandum a Deo illa bona quæ promisit seruis suis, dignè & deuotè eum laudantibus. Oratio enim petitio est. Qui enim orat Deum petit aliquid ab eo: Exorat autem quando impetrat, quod petierat. Oratio ergo misericordiam Dei significat: quæ hominem in operibus bonis & præuenit & subsequitur. Ideoque dicitur in principio & in fine Missæ. Similiter in principio cuiuslibet horę canonicæ dicitur oratio; sed oratio Dominicalis est, quæ præcedere debet: sed in fine oratio Ecclesiastica subsequitur. Finalis itaque oratio cuiuslibet officij dicitur ad hoc vt merces tribuatur operarijs in vinea Dei. Et ex hac ratione patet id verum esse, scilicet, nocturnos & laudes, vnam tantum esse horam canonicam: quia in fine nocturnorum non ponitur oratio, sed tantum in fine laudum. His vsus dicendi orationem in fine officij: ab Apostolis sũpsit Exordium: de quibus dicitur in Actibus Apostolorum, quod postquam conuenerant ad sacram communionem: postea discessuri abinuicem positis genibus orabant.

Oraturus autem sacerdos in fine officij salutat populum dicens: *Dominus vobiscum;* & hoc ideo facit, vt animet illum ad orandum, pro ipso, vt eius oratio sit accepta Deo. Deinde finita oratione iterum dicit: *Dominus vobiscum*; & hoc ideo fit, quia sicut Dominus postquam resurrexit salutauit Apostolos dicens: Pax vobis, & postea loquutus est eis, & post locutionem iterum dixit, Pax vobis, ideo sacerdos eius Vicarius postquam salutauit fratres, & pro eis orauit, iterum post orationem eos salutat. q. d. Si gratiam Dei impetrastis in oratione, in illa perseuerate. Et iterum populus dicit. *Et cum spiritu tuo.* q. d. orasti pro nobis, & nos pro te oremus. Sic semper fit in fine diuini officij: & hæc eadem ratio est in omnibus horis.

Vel. Sensus primi, *Dominus vobiscum*, ante orationẽ, est: Dominus det vobis gratiã qua mecũ attẽti oretis ad misericordiam Dei impetrandam: quã ipse multiplicatis intercessoribus & citius & facilius largietur nobis. Sensus secundi, *Dominus vobiscum*, est; Dominus maneat vobiscum, conseruetque

in vobis deuotionem quam ex diuinis officij concepistis.

Notatione dignum est, quod omne officium, oratione, & benedictione concluditur: ad notandum, quod dum in hoc sæculo sumus, necesse habemus muniri orationibus sacerdotũ. Et mos est quando cum seruis Dei familiare habemus colloquium: cum ab illis separamur, benedictionem ab eis poscimus. In nocturnis vero hoc non fit, quia ibi non fit separatio, sed matutinum, & matutinæ laudes cum eo coniunctim canuntur. Et hæc etiam est causa, quare non dicitur oratio seu collecta ad matutinum.

Circa autem recitationem orationis notandum est, quod licet Deus sit vbique; tamen sacerdos in Altari, & in diuinis officijs debet ex institutione Vigilij Papæ versus Orientem orare. Vnde in Ecclesijs ostium ab Occidente habentibus Missam cælebrans in salutando populum se vertit, quia quos salutamus facie ad faciem præsentare solemus: & deinde oraturus se vertit ad Orientem. In Ecclesijs vero ostia habentibus ab Oriente in salutando nulla est necessaria cõuersio, quia iam habet præsentem, & ante oculos, scilicet, populum, vt est in Ecclesia sanctorum quatuor coronatorum Romæ, similiter dic de alijs Ecclesijs sic se habentibus.

Versus Oriẽtem ergo oramus: nam & templum Salomonis, & tabernaculum Moysi leguntur habuisse ostia versus Orientem. Exod. 34. sed de hoc supra diximus in primo libro. Locus proprius orandi Ecclesia est: ibi enim Christus in sacramento Altaris adest vna cum multitudine Angelorum. In conspectu Angelorum psallam tibi. Requiescunt etiam ibi sanctorũ reliquiæ: qui nos deuotè Deũ adorãtibus suis p̃cibus assequũtur, quod nos meritis nostris nõ valemus. Quod vero Apo. dicit Timoth. 2. Volo vos orare in omni loco, &c. ad internam pertinet orationẽ, in omni enim loco orat, qui per charitatis officia, & per bona opera manus cordis mundas ad Deum leuat. Et illud, sine intermissione orate: quia ille sine intermissione orat, qui omnia quę agit, ad Dei laudem facit. Vnde Apost. siue manducatis, siue bibitis, siue aliquid aliud faciatis; omnia in gloria Dei facite. 26. quæst. vlt. Non obseruetis. ergo certis horis diei orandum est, vt statuit sancta Mater Ecclesia, & præcipuè in tribus horis secundum Bernar. ad fratres de monte Dei. Primò, in mane exemplo Christi Mar. 1. qui diluculo valde surgens abijt in desertum locum, ibique orabat. Secundò, in Vespere. Exemplo Christi, Mat. 12. dimissa tubra, ascẽdit in montẽ orare: vespere autem facto, solus erat ibi. Tertiò, in nocte exemplo Christi, Luc. 6. vbi dicitur, quod erat per noctans in oratione Dei. De efficacia Matutinæ Orationis dicitur Iob 8. Si diluculo consurrexeris ad Deum, statim vigilabit ad te. De oratione vespertina (vt alibi diximus) dicitur Psalm. 140. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: Eleuatio manuum mearũ sacrificium vespertinum. De oratione nocturna dicitur, Thren. 2. Consurge, lauda in nocte: effunde sicut aquam cor tuum ante cõspectum Dñi. De responsione orationis dictũ est sup. lib. 2.

De Benedicamus Domino. Cap. 15.

VLtimo loco post orationem sequitur, *Benedicamus Domino*; quod sumptum est de Apostolo, vel de cantico trium pũerorum, vbi dicitur: Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu. Et dicitur a pueris, qui sũt imperfectè ætatis, ad notandum omnia opera nostra imperfecta esse. Psalmus 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. de consecr. distin. 4. tulerunt. Et quod omnis laus nostra puerilis, & imperfecta est ad comparationem Dei, quem laudamus: quicquid enim hic dici potest, minus a laude Dei est. q. d. Ecclesia: laudamus, sed laudã-

do

do deficimus vel non sufficimus: quia maiestas Dei eloquium nostrum, & intellectum superat. Vnde ab omnibus consequenter dicitur: *Deo gratias*, quasi, placeat, sicut pium est, in Dei laude superari.

Dicitur etiam a pueris, ad notandū, quod soli pueri, idest, puri a malitia dignè laudant Deum, & gratias agunt. Dicitur etiam quandoque a maioribus ad significandum, quod in æterna beatitudine cum Domino perfecti erimus. Laudatores: quia in hac vita perfecti esse non possumus. Vel. Aliquando dicitur ab ipsomet sacerdote, qui recitauit orationem, aliquando ab alijs clericis scientibus regere chorum. Ratio vero huius diuersitatis est diuersa festorum conditio, quia differunt per magis & minus solēne, & etiam quia laus Dei prius est agenda a maioribus Ecclesiæ: qui suo exemplo moueāt medios & minores ad similiter agendum. Verum, quia omnis humana laudatio minor est dignitate: de quo sapiens Ecclesiasticus ait: quod maior est omni laude, scilicet, creaturæ: ideo semper vltimum, *Benedicamus*, dicitur a minoribus & pueris: qui etiam puritatem denotant quales esse debent Dei laudatores, nempe puri & simplices vt columbæ.

Quod dicitur Deo gratias significatur, quod vsque in finem vitæ nostræ innocētiam debemus seruare: & ideo benedicere ei pro beneficijs gratias exsoluendo. Item, vt initium, & finis circulariter referantur ad eum, qui est α & ω. nam in principio dicitur *Deus in adiutorium*, vel *Domine labia*, vel, *Conuerte nos Deus*; in fin., *Deo gratias*. Quando cantatur in festis, quæ non habent proprium, vt habet festum B. M. V. & Apostolorum, atque Angelorum, semper cantatur de Dominica. Ratio sit illa, quæ est de præfatione; quod semper præfatio de Dominica dicitur, vbi propria non habetur; idem est iudicium de, Ite missa est, excepto die propriè Ecclesiæ.

Notatione dignum, quod si fiunt commemorationes, *Benedicamus Domino*, dicitur post vltimam orationem. Communiter fit commemoratio de cruce, exceptis his temporibus, scilicet, paschali, Aduentus; & quidam volunt (& bene) vt est Ioan. Beleth. de diuinis officijs cap. 71. & Dur. lib. 5. c. 2. num. 64. etiam non fieri a Natiuitate vsque ad purificationem, iuxta illud; Non coques hædum in lacte matris suæ rationem vero non clarè assignant; & ratio patet meo iudicio, quia in commemoratione Beatæ Virginis, semper dicitur pro versiculo, post partum virgo inuiolata permansisti; quasi dicat Ecclesia, hoc officium pertinet ad puerperam, & Christus est adhuc in cunabulis; non fit etiam a passione vsque ad pascha, vt ibi dicetur, & ratio assignatur; fit quoque de sancta Maria, & de Apostolis, & de patrono Ecclesiæ; demum de pace; sed de his suo loco dicemus, scilicet, in expositione totius Missalis. Recitantur etiam huiusmodi commemorationes, seu suffragia ante purificationem, scilicet, ab octaua Epiphaniæ, & tempore paschali dicitur particularis commemoratio de cruce; sed cur omittantur aliquando vide infra in Dominica de passione.

De Versiculo illo. fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Cap. 16.

Qvamuis iste versiculus non sit de officio, vt alibi diximus; tamen non ab re erit si nonnulla de eo dicemus. Circa quod notandum est: & habetur ex lib. qui lauacrum conscientiæ dicitur. cap. 2. quod cum quidam ditissimus ciuis de hoc sæculo migrasset, per quendam scholarem filium suum, fratribus in quodam monasterio reformato, quod ille diues in vita diligebat propter eorum bonam

Hinc est quod in quibusdam Ecclesijs, vt Venetijs, tunc temporis recitãt Vesperas ut ibidem ego ipse uidi. Verum Dauid dicit Psal. 118. Septies in die laudem dixi tibi; Et ibidem; Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Quem ordinem Concil. Agaten. Extr. de cælebratione Miss. cap. 1. approbat, & sancta mater Ecclesia seruat; quia nocturnum officium docte canitur. Reliquæ uero horæ canonicę de die dicũtur, uidelicet, laudes, (quę olim in aurora recitabantur, sed hodie coniunguntur cũ nocturnis.) Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespere, & completorium; quæ omnes horæ canonicę uocantur quasi regulares; extr. de pęnit. & remiss. quod in te, quia regulariter a sanctis patribus obseruatę sunt. De nocturnis nunc clarum est quod cum laudibus coniunguntur, & ita ad noctem pertinent.

Huius numeri septenarij etiam septuplex ratio inuenitur. Primo, quia Dauid Spiritu afflatus, septies, inquit, in die laudem dixi tibi. Secundo, quia hic numerus tam in veteri quam in nouo testamento, multis sacramentis adaptatur. Tertio, quia septenarius numerus est numerus uniuersitatis, & significat omne tempus (septẽ enim diebus creatus est mũdus,) & ideo septies in Deum laudare, est fere omni hora diei laudare. Quarto, quia gratia sancti Spiritus quam in diuinis laudibus petimus septiformis describitur ab Isaia. Quinto, quia Salomon in Prouerb. dicit; quod septies in die cadit iustus; conuenit ergo ut septies in die petat ueniam a Deo. Sexto, quia septem sunt hominis sicut & mundi ætates in quibus omnibus Deum offendit; & irritat; quare septies eũ laudando debet placare. Vltimo, quia natura humana consistit in numero septenario, hoc est, in tribus potentijs animæ rationalis, & in quatuor corporis humoribus, debet ergo homo quotidie septenario laudum diuinorum petere a Deo conseruationem & reformationem suæ naturæ per gratiam eius.

Supposito ergo septenario numero horarum canonicarum ex institutione Ecclesiæ rationibus prædictis, restat inquirendum quare magis determinatæ sunt istæ septẽ hora media nox, hora prima diei, Tertia, Sexta, Nona, Vndecima, & Duodecima, quæ ad solis occasum terminatur. Sed huius determinationis ratio est multiplex: tum quia in talibus horis contigerunt principales articuli passionis Christi pro qua obligamur Deum laudare; tum quia Christus in Euangelio per illas horas fere conduxit operarios fideles in vineam suam, quæ est Ecclesia, tum quia istæ horæ præ alijs totius diei naturalis, sunt insignitæ magnis priuilegijs & in veteri & in nouo test. vt infra patebit, in Singulis earum; tum quia sancti vtriusque testamenti in talibus leguntur Deum orasse; tum denique quia aliæ omnes horæ facilè ad istas deduci possunt. Ideo, qui Deum laudat in istis horis videtur eum laudasse in omnibus horis diei, & noctis; nam, quia Apost. Pau. totum tempus ante aduentum Christi nocti comparauit, (fortè eo quod tunc homines pro maiori parte ex ignorantia sub diaboli seruitute præmebantur varijs errorum tenebris) reliquum vero tẽpus post aduẽtũ Christi diei assimilauit: & in eo per lumen fidei & gratia Dei humanum genus illuminatum a seruitute illa liberatur, inde est quod horarũ canonicarum prima & naturalis diuisio debet fieri per nocturnas horas & diurnas, quatenus in illis tempus primum in istis vero tempus secundum repręsentarentur; & quia nox diem præcessit vt ibidem docet Apost. ideo officia Ecclesiæ ab horis nocturnis principium auspicantur. In quolibet die naturali & in horis diurnis finem faciunt. Hac ergo ratione moti quidam dixerunt nõ solum nocturnes &

laudes; sed etiam Vesperas & Completorium ad noctis horas pertinere. Eoquod vsus Ecclesiæ a Vesperis officia dominicalia & sanctoralia incipiat. Quare isti solas quatuor horas Primã, Tertiam, Sextam, & Nonam diurnas vocant. Alij vero laudes ad horas diei referunt: eoquod cantari debeant in crepusculo matutino: qui est pars diei & vt notant hymni laudum a Beato Greg. editi per singulas ferias septimanæ. Huic tamen opinioni de laudibus videtur esse cõtrarius communis vsus Ecclesiæ qui immediate subiungit laudes nocturnas in media nocte cantandis; quare pro vna hora canonica computat Ecclesia nocturnos & laudes; quo contra prædicta opinio laudes separãs a nocturnis cogitur ponere octo horas canonicas præter officium Missæ in Ecclesia: quod est contra decreta patrum paulo superius rationabiliter fundata. Item, contra hanc opinionẽ vsus Ecclesiæ habet quod nocturnis nullus datur finis in aliqua oratione, vel Benedicamus Domine, sicut fit cõmuniter in alijs horis seu officijs ergo signum est quod illud officiũ nocturnum non est per se vna hora canonica nisi continuetur cum laudibus in quibus finem habet in oratione, & Benedicamus Domino. Hac ergo fantasia dimissa dicũt alij priores, quod tres sunt horæ canonicæ nocturnæ, & quatuor diurnæ. Et quia superius dictum est quod ad septem horas canonicas omnes aliæ horæ diei & noctis deducũtur, constat autẽ secundũ physicam rationẽ horas diei duodecim esse, & totidẽ horas noctis, ideo dicũt isti quod duodenarius numerus psalmorũ seruatur in quatuor horis diurnis, & similiter in tribus nocturnis; vt vel sic laudans Deũ in septẽ horis canonicis videatur laudasse in o͂ibus horis diei & noctis.

Horæ siquidem diurnæ ternos habent psalmos, & sic proficiunt duodenarium. Sed tres horæ nocturnæ secundum istam opinionem habent vigintiquatuor psalmos, hoc est, duodecim correspondentes duodecim horis noctis. Et si quæratur ab eis, quæ est ratio differẽtiæ istius vt singulis horis diei singuli psalmi adaptentur; horis autem singulis noctis bini psalmi; dicunt quod, quia tempus nouæ legis diei assimilatum, vnicum est & simplex: tempus autem præcedens nocti comparatum fuit duplex, scilicet, sub lege naturæ, & lege scripturæ; ideo nimirum si canonicæ horæ nocturnæ tale tempus repræsentantes duodenarium psalmorum habeãt duplicatum. Diurnæ vero non, nisi simplicem idest vnicum duodenarium.

Esse potest huius differentiæ alia ratio; vt isti dicunt; quia per diem homines non possunt tantum vacare diuinis laudibus sicut per noctem; tum propter necessarias occupationes in rebus externis administrandis; tum & propter solemnitatem Missalis officij quod horis diurnis superadditur; nimirum ergo si horæ diurnæ institutæ sint breuiores, nocturnæ autẽ prolixiores; ideo cuilibet horæ noctis adaptantur duo psalmi in suis officijs, & cuilibet horæ diei; tantum vnus psalmus correspondet in suis.

Declarantes autem magis ea, quæ dicta sunt, dicunt isti, quod Sacerdotes Ecclesiæ in ortu solis cantantes horam primam, suis tribus psalmis, laudant Deum pro tribus primis horis diei; in Tertia totidem habent psalmos pro alijs tribus horis ad meridiẽ terminatis: In sexta similiter pro tribus horis meridiem sequentibus immediatè; in Nona tandem hora cantant tres psalmos pro vltimis tribus horis diei, quæ in occasu solis finem habent. Eodem modo (vt aiunt) correspondent horæ nocturnæ in suis psalmis duodecim horis noctis vt facile vnusquisque cognoscet. Et licet Vesperi & Completorium cantentur in die ante solis occasum propter necessitatem dormitionis in prima parte noctis;

noctis; tamen isti referunt Vesperas laudandum Deum pro tribus primis horis noctis ab occasu solis incipientibus; & Completorium pro alijs duabus horis sequentibus; nocturni dicũt quod pertinent ad alias quatuor horas mediæ noctis; laudes demum tribus vltimis noctis horis, quæ in solis ortu finiuntur faciunt correspondere.

Hęc tamẽ imaginatio dicet perpulchra videntur; tamen in multis non mihi placet; tum quia violentum videtur Vesperas & Completorium in clara luce solis decantatos computare inter horas nocturnas vt asserebat prima opinio; quia non ita satisfacit; tum quia tempus nocturnum quieti hominum: diurnum vero labori est deputatum: ex diuina institutione exiuit homo ad opus suum ait psalmista, & ad operationem suam tota die vsque ad vesperam Psalm. 103. non fuit ergo conueniens tria officia magis laboriosa & prolixa nocti adaptari; sed satis fuit vnum solum officium, idest, matutinos appellari horas nocturnas: alia vero sex omnia, horas diurnas vocari; quia tempus diurnum datum est hominibus ad laborandum, scilicet; vnicuique secundum statum suum. Vnde cum status Ecclesiasticorum sit dedicatus ad laudes diuinas exsoluẽdas pro se & pro alijs laicis sui populi, (qui sunt multum occupati in negotijs externis, & ad hoc dant sua bona vt Ecclesiastici pro illis orent) hũc laborem Ecclesiastici maximè debẽt in die assumere, & opus suum adimplere vsque ad vesperam. Hoc quidem uidetur sentire communis vsus Ecclesiasticorum in sex horis canonicis cum officio Missæ in die laborantiũ & in solo vno officio matutino in nocte. Hæc eadem sententia confirmatur ex verbis ipsorũ officiorũ: nam in Vesperis nulla fit mentio de nocte; in Completorio autem omnia resonant finem diei & trãsitum ad quietem noctis; ergo Completorium horis diurnis est annumerandum. Dicitur enim in hymno, Te lucis, idest, diei ante terminum, & cęt. Et in cantico clamat Ecclesia; Nunc dimittis seruum tuum in pace, idest, quiete & cessatione a labore. Ideo nõnulli in antiphona dominicali recitant ad Christum, pastor bone, qui dormire nescis, scilicet, in nocte quando nos infirmi pastores simus dormitum; ergo Completorium ad diem pertinet & nõ ad noctem. Hoc quidem clarius persuadetur ex parabola Euangelica de operarijs cõductis ad vineam Domini colendam in certis horis diei; quæ ibi sex numerantur, & sunt istæ: Prima, Tertia; Sexta, Nona, Vndecima, & Completorium quod est duodecima: His autem correspondent horę canonicę Ecclesiæ, quæ est vinea Domini Dei. Sex ergo & non tantum quatuor poni debent canonicę horę diurnę. Melius ergo videtur vt modum teneamus communem ponentes vnam horam nocturnam, & sex diurnas: & ita erit Vesperum pro hora vndecima, & Completorium pro duodecima conformiter ad parabolã de operariis vocatis ad vineam. Ergo colligitur quare Sacerdotes Dei potius in illis horis diei & noctis Deum laudant quam in alijs. Cum enim sint operarij conducti ad vineam Domini colendam; conueniẽs est vt eã colant in horis suæ cõductionis in Euãgelio declaratis sub spe magnæ mercedis a Deo conductore.

Possumus tamen has concordare sententias; quod Vespere, & Completorium, pertinent quidem ad noctem non re; (quia de die recitantur,) sed significatione; nam dicitur Mat. vltim. Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, &c. Et ita vtraque sententia vera erit; ad quod præcipuè significandum vsus Ecclesię ita habet incipiens ab hora Vesperarum. Vbi nota quod apud veteres in omnibus diebus ab horis nocturnis ordiebantur Sacerdotes officia eiusdem diei, (quod etiam nunc obseruamus in

diebus ferialibus vt patet recitantibus officium eo quod passio Christi in his horis commemorata, nocte inchoata est. Itẽ potest assignari alia ratio quare horæ nocturnæ fuere priores diurnis, quia in primitiua Ecclesia instante persecutione infidelium dominorum & principum terræ, non poterant fideles in die & manifestè diuinarum laudum officia cælebrare: sed nocte surgentes occultè per domos congregabantur, & officia diuina nocturna agebant antequam liceret eis facere diurna: tum quia nocturnæ horæ significant tempora legis naturæ & legis scripturæ, quæ præcesserunt tempus legis gratiæ repræsentatum in horis diurnis. Tum denique moraliter quia ordo conuenientior est vt a tenebris procedamus ad lucem, idest, a vitijs, ad virtutes; ab ignorantia, ad scientiam: a pænitentia, ad gratiam: a captiuitate ad libertatem, & cæt. Ad hoc ergo significandũ a nocturnis horis incipimus. Nox enim peccatum & ignoranriam, dies gratiam, & scientiam in aperto significant: nocturnum ergo officium laborem pænitentiam designabit, per quem ad libertatis gaudium peruenitur. Item, quia vt dicit Apost. Nox diem præcessit, ideo officia Ecclesiæ ab horis nocturnis principium sumunt: & significat nocturnum officium tempus primum: diurnum vero secundum: nam in vet. lege Deo gratias agebat Ecclesia, quæ incœpit ab Abel iusto: & lex vetus erat nox, lex autem Euangelica appellatur dies ab Apostolo. quare, &c.

Amplius nocturnale officium vt alibi diximus nobis ad memoriam reducit tempus ab Adam vsque ad Noe. matutinale, a Noe, vsque ad Abrahã; Prima, tempus ab Abraham, vsque ad Moysen. Tertia, a Moyse vsque ad Dauid. Sexta, tempus a Dauid vsque ad aduentum Christi. Nona tempus sequens vsque ad aduentum Christi quando venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem. Per vesperas recolimus sabbathum, idest, requiem animarum, post exitũ a corporibus vsque ad diem iudicij. Per Completorium vero recolimus completum numerum, & consumatum gaudium sanctorum; quando benedicti percipient regnum Dei. Hinc ego puto quod propter hoc, quia significat illam octauam, & vltimum bonum ac finem nostrum, Ecclesia posuit pro vltimo psalmo, ecce nunc benedicite Dominum, qui est vltimus gradualium. q.d. Ecclesia nihil aliud restat nisi laudare dominum de tanto bono percepto. Et quia ibi læti & in pace summa erimus, ideo etiam dicitur, Nunc dimittis seruum tuum in pace, idest, hic finas seruum, quia in pace est locus. Et hac etiam de causa cantãtur psalmi, de octauo tono: Et canticũ, de tertio tono; quia ĩ illa octaua ętate, tota Trinitas ibi laudabitur sine fine.

His itaque omnibus dictis primo iterum dicendum est quod tempus nocturnum denotat vitam nostram in peccatis. Vel tempus ante nocturnum significat tempus ante legem mortis, in quo omnes silebant a laudibus Dei. Tempus nocturnum significat tempus legis datæ Moysi. Tempus laudis matutinæ significat tẽpus gratiæ a resurrectione vsq; ad finẽ mundi; in quo tẽpore Deũ laudare tenemur de bonis naturæ, quæ in illa hora bonis contulit creando. De bonis gratiæ, quæ in illa nobis contulit resurgẽdo; & de bonis gloriæ, q̃ in ea nobis dabit resuscitãdo.

Nocturnale officium media nocte canitur, primo, quia filius Dei media nocte natus est. Sap. 19. Dum medium silentium tenerent omnia, &c. a regalibus sedibus venit Iesus filius tuus. Vt ergo ipsius Natiuitati gratissimus, eũ de nocte laudamus, & gratias de ipsius Natiuitate agimus.

Secundo, quia in hac hora, Christus captus est, & illusus a Iudæis fuit: ea etiam hora spoliauit infernum, lar-

ge noctem accipiendo; media etiam nocte venturus afferitur. Vnde statutum fuit, vt in die vigiliarum paschæ ante noctis medium dimittere non liceat populos expectantes Christi aduentum. Ideo hac hora laudamus Deum gratias agentes de ipsius captione, & patrū liberatione: & eius etiam aduentum sollicitè expectantes.

Tertiò, vt noctes delictorum nostrorum illuminarentur. Vnde Paulus, & Silas in vinculis existentes media nocte orantes hymnum cunctis audientibus dixisse memorantur: vnde terremotu facto repente ianua spōte patefacta est, & eorum vincula statim soluta sunt. Item Christus Luc. 12. ait; Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus inuenerit vigilantem; Si in secunda vigilia venerit, si in tertia, & cæt. & Marc. 13. Vigilate nescitis enim quando Dominus venerit: sero an media nocte, & cętera. ergo antiquissimus est iste vsus surgendi de nocte. Item, media nocte primogenita Ægypti interfecta sunt; & primogenita Israelis saluata sunt. vt patet Exod. 12. Vt igitur Dominus seruet primogenita nostra, idest, hęreditatem regni cælestis, quam nobis Christus acquisiuit, laudamus Deum.

Sciendum est, quod in primitiua Ecclesia ministri eius ter de nocte interpollatim surgebant ad diuinum officium recitandum; tria in hoc tempore designantes: videlicet, tempus ante legem, tempus sub lege, & tempus gratiæ; cuius signum est quod in tertio nocturno legitur Euangelium de doctrina Christi: cui etiam propter imperfectas additur homilia declaratiua eius. Et, quia in qualibet illarum statuum fideles tripliciter se habuerunt: ideo quilibet nocturnus tripartitus est in psalmos, lectiones, & responsoria. Ab Adam vsque ad Moysen duæ primæ ætates mundi cum medietate tertiæ tres patriarcarum ordines habuerunt. A Moyse vsque ad Christi aduentum populus hebræorum tres habuit differentias, sub Iudicibus, sub Regibus suis, & sub Tyrannis alienis. A Christo vsque ad nos, tres notissimas non ignoramus fuisse temporum qualitates: primam, scilicet, Euangelicæ doctrinæ prædicationem sub persecutione infidelium tyrannorum. secundam eiusdem doctrinę examinationem sub impugnatione hæreticorum: Tertiam denique pacificam legis Christianæ obseruationem sub deuotione Religiosorum. In qualibet etiam differentias singulorum statuum fideles colebant Deum tribus modis. Primo, insistebāt bonis operibus, quod significant tres psalmi. Secundò, docebant alios fidei veritatem significatam in tribus lectionibus. Tertiò, fructificabant ad proximorum ædificationem, Ecclesiæ Dei augumentationem; ad quam pertinēt tria Responsoria.

Surgebant enim primo, circa primum somnum, quando populus solet ire cubitum. Secundò, circa mediam noctem. Et propter hoc, quia ita surgebant in Ecclesijs cathedralibus & collegiatis antiquitus habitabant Canonici & cæteri Clerici in claustris vna cum Episcopo, vt facilius essent parati ad cælebrandum diuinum officium: quæ claustra apparent etiam multis in locis apud Ecclesias Cathedrales & collegiatas præcipuè Genuæ: Sed hodie tam canonici quam alij sacerdotes qui habent curam cælebrandi diuinū officium non ampliùs resident ibi, sed pro maiori parte in suis paternis domibus; vbi malè possunt de media nocte ita simul inter se conuenire. Hoc etiam patet de consecr. distinct. 5. in omnibus vbi dicitur: Canonici simul debēt comedere, dormire, & iacere in vno conclaui. Quod vero claustra cōstituantur propè Ecclesiam præcipitur 12. quæst. 1. capitul. 4. necessaria. Et in capitul. 2. seq. vbi dicitur, quod nulla ædificia in atrio, idest, cæmeterio ponantur nisi tantum clericorum.

Tertiò,

Tertio, paululum ante diem; sic ordinantes officium vt nocturnæ finitæ, lectiones cum suis responsoriis perlectę essent, priusquam lucesceret: apparente vero Aurora pulsatis campanis cantabant hymnum, Te Deum, & matutinas laudes.

Insuper, & primum nocturnũ Pontifex & ministri Ecclesiæ surgebant, quæ laus sine inuitatorio cantabatur: pro eo, quia nullus ad hanc inuitabatur. Et vocabatur vigilia: quia habuit exordium a pastoribus vigilias noctis super greges suos seruantibus. In præcipuis tamen festiuitatibus populus tota nocte in Dei laudibus persistebat. Sed illud sublatum propter peccata, & inconuenientia, quæ sequebantur, & ieiunium loco illius vigiliæ ordinatum est. Ad secundum nocturnum surgebãt ministri simul & coniugati, tam mulieres quam viri: quæ cum inuitatorio dicebatur ad significandum Angelos inuitantes pastores ad vidẽdum puerum natum.

Ad tertium nocturnum surgebant omnes communiter: sed postea frigescente charitate cum omnes tam ministri Ecclesiæ, quam populus surgere ad nocturnum officium pigritarent: statutum est, vt omnes media nocte surgerent: iuxta id. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Sed hodie nonnulli tantum religiosi obseruãt hoc: nam maior pars clericorum in Aurora totum recitant matutinum. Nihilominus in memoriam illius laudabilis consuetudinis & deuotionis antiquorum in tempore æstiuali cælebrat Ecclesia nocturnum officium post vesperas, vt faciunt Dominicani, & alij nonnulli; quidam incipientes a Pentecoste: & quidam alij a festo sancti Ioã. Baptistæ. Et hoc in crepusculo, quia ipse fuit finis veteris testamenti, & initium noui. Et quidam tantum in Sabbathis & quidam quotidie.

Per nocturnas vigilias Diaboli vitamus insidias, & ideo de nocte surgẽtes ad Ecclesiam imus, veluti exercitus ad militiam audito clamore tubarum. Notatione hic dignum est secundum Ioan. Beleth de diuin. offic. capit. 23. quod causa & ratio quare maiores nostri ad hoc moti fuerint vt ter in nocte surgerent; huiusmodi adferri potest. Quemadmodum enim (inquit) ij quorum ciuitas ab hostibus obsessa est, facilè ab incursione interdiu .i. de die, cum communes vires conferunt se se defendere possunt, & non noctu, ob id noctem ternis diuidere solẽt excubijs, idest, vigiliis: vt in prima quiete vigilent omnes, quod illud tempus sit periculosissimum: ac paulo post tantum ij circa muros permaneant, quorum primo sit vigilare vsque ad conticiniũ, deinde vero, vt illi surgant, quorum est secũdo excubias agere, & pernoctare ad galli cantum vsque, atque ita demum & tertij vigiles surgant, donec iam dies sit: sic sancti Patres similem excubandi vicissim cõsuetudinem sumpserunt ad euitandam sacrosanctam Ecclesiam, quæ vna est omnium fidelium ciuitas, quam diabolus impugnat quotidie, quam quę vt semel subuertat conatur modis omnibus, idque pręcipuè noctibus, quando nobis maximè insidiatur. Nox enim peccatis turpibus apta est, furtis, fornicationibus, adulterijs, & compluribus alijs vitijs; cum homines sperãt fore clam, & minus habent pudoris: hinc est illud, Qui male agit odit lucem. Nam sicut aperta est lux, ita nihil opertum relinquit: sed contra, nox est obscura, sic erubescere nescit. Quare profecto acuratius nocte excubare debemus cõtra latentis inimici insidias, ne ijs ad turpia impellantur.

Potest etiam dici, quod quatuor sũt hostes Ecclesiæ: Superiores, idest, dæmones malignantes: inferiores, idest, homines aduersantes; interiores, idest, concupiscentiæ carnales; & exteriores, idest, illecebræ siue deliciæ sæculares. De primis dicitur Ephes. 6. Non est

est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem sed aduersus spiritualia nequitiæ in cęlestibus. De secundis dicitur Psalm. 123. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. De tertijs dicitur Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem. De quartis dicitur 1. Ioan. 2. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ sunt in mundo; quia quicquid est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Aduersus hos quatuor hostes debent Rectores Ecclesiæ Prælati, scilicet, & clerus tam sæcularis quam regularis, quatuor noctis vigilias custodire & solicitè vigilare; nam pastores custodiebant vigilias noctis supra gregem suum, videlicet, conticinium, gallicinium, intempestiuum, & ante lucinium: in quibus custodes obsessæ ciuitatis alternatim vigilias faciunt. Primam ergo vigiliam facere debent contra primos hostes. Secũdam, contra secundos. Tertiam, contra tertios; Et quartam, contra quartos. Et ideo propter hoc nocturnum officium in quatuor partes est distributum: scilicet, in tres nocturnos, & matutinas laudes; quod per quatuor noctis vigilias contra quatuor dictos hostes, & Ecclesiæ persecutiones antiquitus Ecclesia decantabat.

Et quoniam scriptum est Ioan. 15. sine me nihil potestis facere, ideo dicto Pater noster, Aue Maria, & Credo, Sacerdos petit os aperiri ante omnia ab eo, qui dicit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud: hoc petit, vt ei os aperiat ad digne Deum laudandum, dicens: *Domine labia mea aperies*, idest, aperi: tempus pro tempore quasi dicat Sacerdos. O Domine aperi labia mea emundando os meum ab obscenis & turpibus verbis, vt apertum implens tuis laudibus sanctis. Quod ideo petit sacerdos ne forte si ipse præsumeret sine gratiæ Dei aperire labia sua ad laudes Dei: audiret ab eo illud psalmistæ improperium, qui ait: Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? &c. Vel potest dici, quod per tale principium matutinorum Sacerdos correspõdet ad illud, quod dixerat in Completorio. Nam in principio illius noctis volens se, & populum suum Deo cõmendare munierat clauseratque os suum signo crucis, dicens: *Conuerte nos Deus salutaris noster*, scilicet, ad cor nostrum: vt clauso ore & omnibus sensibus extrinsecis piè meditemur in te. Rationabiliter ergo sacerdos volens incipere officium illius diei orat Deum vt ipse, qui clausit os eius nunc aperiat: qui etiam habet clauem Dauid, vt si claudit nemo aperit nisi per gratiam suam: ad hoc vt digne Deum laudare possit. Hanc dicti principij intelligentiam declarat responsio chori. *Et os meum annunciabit laudem tuam*. Chorus enim non mutata persona ad notandam harmoniam: est etenim vera harmonia vt sit credentium cor vnum, & anima vna. Act. 4. Quasi dicat sacerdos in persona Ecclesiæ. Ad hoc oro vt aperias os meum & labia: vt digne te possim laudare per totum hunc diem: cuius officij principium nunc facimus in matutinis: nũc primo ora nostra aperimus ac laxamus ad tuas laudes canendas & prædicandas. Et, quia diabolus abhorret Dei laudem, atque inuidet Deo de suo honore; (quem nos ei supplices exhibemus) ideo nititur impedire in nobis diuinas laudes; cuique nos resistere nõ valemus ex nostris viribus: ideo sacerdos post chori responsionem, statim petit a Deo auxilium siue adiutorium gratiæ suæ ne succumbat, & ad resistendum impedimentis diaboli dicens: *Deus in adiutorium meum intende*: & chorus respondet, *Domine ad adiuuandum me festina*: quod expositum est supra.

His duobus habitis, scilicet, gratia

aperiendi os, & repulso diabolo per Dei auxilium, nihil aliud restat nisi ipsum Deum laudare: ideo sequitur *Gloria Patri & filio, &c.* vt ostendatur finis ad quem ordinatum est hoc officium nocturnum: quia ad laudem Dei qui est trinus & vnus.

De Inuitatorio & hymno quæ sequuntur. Cap. 18.

NE autem sacerdos solus Dei laudes cantet in silentio, sed potius resonent in excelsis: inuitat alios non solum clericos sed & fideles omnes ad assistendum sibi in diuinis laudibus solemniter peragendis cùm canticis glorię: vt vel sic qui audit dicat veni Apocaly. vltimo. extra. de sacr. vnct. capit. vnico. Et cortina cortinam trahat: Exod. 29. ideo sequitur inuitatorium, idest, Versiculus quidam verbo imperatiuo inuitans alios ad Dei laudẽs canendas. Et quamuis illius versiculi verba pro diuersitate officiorum varientur: Semper tamen eadem est eius sententia, scilicet, vt conueniant fideles ad laudandum Deum & illum benedicendum.

Hoc inquam Inuitatorium sacerdos ipse per seipsum immediatè non dicit; sed per alios quasi per nuncios suos: cum sit ipse quasi paterfamilias, qui mittit seruos suos vocare inuitatos, &c. quo versu Inuitatorio a ministris proposito, & a toto choro repetito: additur ab eisdem cantoribus Psal. 94. *Venite exultemus Domino*; ac si dicat Ecclesia in hoc inuitatorio: Venite filij audite me: quod notat secundus versus, *Præocupemus faciem eius in confessione*.

In quo Inuitatorio redduntur rationes quare Deus sit continue ab hominibus laudandus. Primò, ratione suæ maiestatis & excellentiæ: *Quoniam Deus magnus & rex magnus super omnes Deo*. Secundò, ratione creationis, & omnipotentiæ. *Quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud*. Tertiò, ratione gratificationis & beneficentiæ. *Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra*. Vltimo, ratione nostræ pęnalitatis & miserię *Quadraginta annis offensus fui*. Quia enim Iudæi sub veteri testamento debuerant Deum laudare & benedicere pro sua liberatione a captiuitate Ægypti, & propter alia in eos maxima beneficia: & fuerunt ei ingrati, quia Deum non laudauerunt, sed econtra sæpius contra eum murmurauerunt; vt patet, ibi, *semper hi errant cordes, quibus iuraui in ira mea si introibunt*; quasi dicat, non introibunt: ideo terram promissionis non introierunt: sed penè omnes in deserto perierunt. Eadem ratio erit de vobis Christianus sub nouo testamento: si super tot & tãtis beneficijs a Deo receptis contra Deum ingrati fuerimus; quia non intrabimus in terram promissionis, idest, cælestis patriæ nobis promissæ; sed peribimus omnes in deserto huius miseræ vitæ. Hæc est declaratio huius figuræ ab Apostolo tradita 1. Corint. 10. & ad Hebr. 4. Repetitur autem Inuitatoriũ prædictum ad singulos versus illius Psalmi sed nõ omnino similiter ad omnes. Nam ad quosdam eorum repetitur integre; & ad alios diminute; ad significandum, scilicet, quod non omnes Christiani audiunt vel recipiunt hanc salubrem inuitationem perfectè; sed quidam eorum valdè imperfectè. Repetitur quidem sexties integrè, propter illius numeri perfectionem: Senarius enim numerus est perfectus, quia constat ex partibus suis aliquotis, scilicet vno, duobus & tribus; quaternus fideles perfectos significet. Et ter deinde repetitur imperfectè ad significandum illa tria genera malorum hominum Euangelij, qui ad cœnam Domini inuitati renuerunt eam & noluerunt venire; quales sunt, superbi, auari, & luxuriosi. Et aduertendum, quod cantus dicti psalmi magis eleuatur quam Inuitato

rij cantus; ad denotandum, quod in priuitiua Ecclesia fideles submissa voce inuitabantur, & secretè veniebant ad officia diuina, & laudes Dei; sed po stea data eis libertate inuitabantur pu blicè & sonitu campanarum, & sic palam veniebant ad horas canonicas; vnde obseruatur a quibusdam religiosis nempè, quod in illo versu. *Hodie si vocem eius audieritis*, quando ibi magis exaltatur vox, pulsant cāpanis ad hoc, quod dictum est denotandum. Quare autem in die Epiphanię non dicitur in quinto patebit de officio illius diei. vide expositionem Missalis,

In officio mortuorum, & in officio sepulchræ Christi non dicitur Inuitatorium; sed in officio mortuorum dicitur pręsente cadauere. Aliæ autem Ecclesiæ dicunt pro Inuitatorio illū psalmi versum; Dolores inferni circundederunt me, & gemitus mortis, &c. Sed tale Inuitatorium non dicitur ab eis passim & vbique; sed tantum in præsentia funeris magni, vel in anniuersario solemni; quando multi inuitantur ad pompam. Exequiarum; imitamur enim Christi exequias in hoc officio.

Post Inuitatorium, & psalmum ei immixtum cantatur hymnus in officijs non luctuosis; ad denotandum, quod nō sufficit immo parum est Deū ore laudare; sed requiritur ad perfectionem laudis diuinæ, quod illæ voces procedant ex laude interiore, quæ est mentis exultatio in Deo, & iucunda deuotio, & hęc per hymnum significatur vt supra dictum est. Vel potest dici, quod Inuitatorio adiūgitur hymnus lætitiæ cantus, vt inde significetur, quod gentiles vocati ad fidem per Iudæorum Apostolos læti venerunt iuxta illud, Audiuit & lætata est Sion, scilicet, quod gentes conuersæ sunt; & quia post istam inuitationem multi Deum laudant; ideo post inuitatoriū cantatur hymnus qui laudem (vt diximus) significat.

Sed, quia etiā non sufficit laus oris, & cordis, nisi & opus sequatur; quia fides sine operibus mortua est; ideo post hymnum sequuntur psalmi, qui bonam operationem designant, vt supra diximus.

In Cōpletorio statim post psalmos dicitur hymnus, ea forte ratione; quoniam per bonam operationem peruenitur in fine vitę nostræ, (sicut tunc est finis diei) ad exultationem, idest, ad æternam lætitiam quæ per hymnum significat; vel ad Euangelicum gaudium, quod per hymnum denotatur. Hac eadem ratione dicitur hymnus post laudes & post vesperas.

Dicuntur deinde antiphonæ, quæ denotant charitatem, sine qua opus non proficit; deinde dicuntur versiculi, & demum lectiones, per quas doctrinam habemus, quam sequi debemus; sed vt hæc facilius impetremus, recitatur primum oratio dominica; & hoc ideo fit ad notandum, quod qui eget sapientia, & intellectu doctrinæ; postulet illam a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Secundò, vt auxilio orationis proficiat in nobis versus intentio. Tertiò, vt per illam diaboli tentationes pellātur. Illæ enim sentiens nos velle legere lectiones sanctorum, in quibus victoriæ habitæ contra ipsum audiuntur; conatur nos impedire, ne sentiamus, & fructum ex illis capiamus; vnde nos, oratione illa munimus.

Dicitur autem secretè, vt diligētius capiatur, & vt attentius dicatur. Vltima tamen pars clara voce pronunciatur: vt pateat, ad quid oratio ipsa dicatur, scilicet, ne lector per phantasiam tentationum efferatur; & auditor a lectionis intellectu, & profectu fraudetur.

Post Dominicam orationem præmittuntur lectionibus pręces quędam quibus breuissimè imploratur sanctorum Dei intercessio ad obtinendum ab eo id quod in oratione dominica petebatur, scilicet, quod aperiat Deus

corda fidelium ad legem suam audiendam: ne semen bonæ doctrinæ tunc audiendæ aut volucres cæli comedant, aut spinæ suffocent, aut in petra quæ non habet humorem, arescat. His præmissis petita benedictione a præsbytero incipit lectionem primam de doctrina catholica pro fidelibus: cui adiungitur Responsorium significans illius doctrinæ fructum; (vt supra dictum est.) & consequenter leguntur aliç duç lectiones primi nocturni præuijs benedictionibus suis, atq; Resp. sequentib. Finito autem primo nocturno eodem modo & ordine cantantur antiphonç, psalmi, versus, lectiones & Responsoria secundi & tertij nocturni. Quorum numerorum, idest, ter trium ternariorum in nocturnis valde rationabilis fuit causa institutionis. Vel, quia hoc officio nocturno decantantur laudes Deo, qui est vere trinus & vnus: nimirum ergo si huius officij partes ternario numero sint distributæ: ita quod in eo sint tres nocturni, & in quolibet eorum tres psalmi, tres lectiones, & tria Responsoria.

De Matutino Dominicæ. *Cap. 19.*

HIs visis nunc deueniendum est ad nocturna specialia, siue ad matutinas in particulari. Sed antequã vltra progrediamur, aduertẽdum est, quod dominicus dies ita vocatur, quia ad Dominum pertineat, atque est magis cęlebris, & magis mysterijs plenus quam alius, qui cælebratur in Ecclesia. De hac die ait Leo Papa in Epistola 81. quod mirabiliora opera egit Deus, quam in alijs diebus. In hac die mundum creauit. In hac die propter Christi resurrectionem mortua fuit mors, & vita incępit. In hac die dedit Deus potestatem suis Apostolis, vt per totum mundum suum publicarent Euangelium, ac baptizarent. In hac die vt dicitur Ioan. 20. Intrãs Iesus ianuis clausis dixit: Accipite spiritum sanctum. Et in hac die venit spiritus sanctus. De hac die fit mentio in Apocal. 1. Sanctus autem August. in serm. 251. ait: quod Apostoli ordinarunt vt cælebraretur dies Dominica. Ideo propter hæc & alia mirabilia quæ operatus est Dominus debet totus clerus, immo & totus populus Christianus esse occupatus circa sermonem cum Deo: agendo gratias de beneficijs ab eo acceptis. Vt autem melius id fiat vt, scilicet, qui cælebrant, vel recitant, & qui audiunt horas canonicas, vel Missas attentè & deuotè se habeant, instituta est diei Dominicæ sanctificatio, ac cælebratio. In hoc enim debemus imitari Christianos primitiuæ Ecclesiæ, qui, vt ait Sanctus Iustinus martyr, (quasi contemporaneus ipsis Apostolis) in Apolog. 2. pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, in hac die se congregabant, ac legebant lectiones prophetarum, & Apostolorum, & qui erat prælatus admonebat plebem vt obseruarent quæ in lectionibus lecta erant: hinc sumptus est modus recitandi lectiones ad horas, & ad sacrificiũ Missæ: deinde orationi vacabant, ac postea corpus Christi maxima cum reuerentia sumebant. Post vero multos annos Constantinus Imperator, (vt ait Sozomenus in hist. tripartita lib. 1. capit. 9.) mandauit vt fidelis populus Christianus se in orationibus solum in hac die Dominica se occuparet. Quare primũ totus clerus propter maius beneficiũ, deinde populus in hac Dominica die debet esse assiduus & orationibus & laudibus diuinis insistere, recitando vel audiendo horas canonicas. Et cum sit dies Dominicus tam solemnis & cælebris vt dictum est, statuit Ecclesia, quod in diebus ferialibus quando non fit de sancto aliquo, vt fiat officium de Dominica. Videamus ergo de psalmis qui in hac die recitantur.

Et primo notandum, quod in dominicis, & festiuis diebus tres dicuntur

nocturni cum nouem lectionibus; & in profestis, idest, ferialibus diebus vnum tantum dicitur cum tribus lectionibus: nempe cum duodecim psalmis. In officijs trium nocturnorum, repræsentamus tria tempora, scilicet, tempus ante legem, tempus sub lege, & tempus gratiæ: quorum temporum quodlibet tribus variatur distinctionibus. Tempus ante legem has habuit distinctiones: prima fuit ab Adam vsque ad Noë; secunda, a Noë vsque Abraham. Tertia, ab Abraham vsque ad Moysem. Tempus sub lege has habuit distinctiones. Prima est a Moyse vsque ad Dauid. Secunda a Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis. Tertia, a transmigratione Babylonis vsque ad Christum. Tempus vero gratiæ has habuit distinctiones. Prima fuit Apostolicæ, & Euangelicæ prædicationis. Secunda, tempus impugnationis per emergentes hæreses. Tertia, tempus pacis, quando scilicet, hæreses eliminatæ, idest extra Ecclesiam exclusæ sunt.

Rectè autem tres nocturni cuiusque temporis fideles significant; qui vigilãtes per Dei laudem ad æternam peruenient laudem. In his tribus nocturnis imitamur tres interpollatas primitiuæ Ecclesiæ vigilias, quæ ter in nocte surgebat ad confitendum Domino vt dictum est. Siquidem canimus nouem lectiones, nouem psalmos, nouem antiphonas, & nouem Responsoria; videlicet in singulis nocturnis tres, siue tria ad notandum omnes electos, qui fuerãt ante legem, sub lege, & sub gratia, associatos esse in cognitione sanctæ Trinitatis nouem ordinibus Angelorum, & in cælis ipsi Trinitati congaudere, & vsque in finẽ sociabuntur. Vel dicuntur tres psalmi pro quolibet nocturno, quia hoc officio nocturno decantantur laudes Deo qui est vere trinus & vnus, vt dictum est. Ecclesia tamen Romana cum quibusdam alijs quando in officio nocturno cantatur, *Te Deum laudamus*, dimittit nonum Responsorium putans, quod ille hymnus æquiualeat Responsorio & suppleat ipsum. Significat etiam per hoc, quod totum officiũ matutinale tendit ad laudes Dei: vel etiã, quod homines digne Deum laudantes cantabunt nonum Responsorium in consortio Angelorum vbi perficietur nouenarius: qui in hac vita imperfectus est.

In Dominicis ergo diebus tres nocturnos cælebramus, quando non occurrit aliquod festum duplex; & hoc modo. In primo nocturno dicuntur duodecim psalmi, & tres antiphonæ, quarum quælibet respondet quatuor psalmis. Sanè dominicam diem Dominus sua resurrectione glorificauit, & in ea Angelorum consortia promeruimus.

Primus nocturnus recolit tempus legis naturalis. Duodecimus psalmus illius recolit resurrectionem omnium sanctorum illius temporis, præsertim duodecim Patriarcharum, qui tunc maximè viguerunt & vigilauerunt a quibus populus Domini in duodecim tribus fuit propagatus; qui fuit Domino populus peculiaris, sicut in tempore gratiæ duodecim Apostoli præ cęteris præfulserunt.

Quaternarius psalmorum numerus denotat Patriarchas illos habuisse quatuor (vt credimus) virtutes Cardinales, scilicet, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, & Temperantiam. Tres antiphonæ fidem Trinitatis, siue dilectionem in ea ostendunt. Nam de Abraham dicitur Ioan. 8. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meũ, vidit & gauisus est. Ergo credidit sanctissimæ Trinitatis mysterium.

Ideo autem quatuor psalmos quidam religiosi dicunt sub vno Gloria Patri, nec separantur, quia præmissæ quatuor virtutes inseparabiles sunt; sed qui habet vnam, habet omnes, sicut ait Augustinus. Ideo propter hoc can-

cantantur sub vna antiphona. Verum in paschali tempore omnes psalmi sub vna tantum antiphona dicuntur ad notandum gaudium, & dilectionem, quam habemus de Christi resurrectione. Sed more Romano ad quemlibet psalmum cantatur Gloria Patri,& per tres antiphonas eos distinguunt, scilicet,extra tempus paschale; quia quilibet tenetur ex suo dono reddere laudes Trinitati ex hac dilectione, quam habet in cognitione Trinitatis. Vnusquisque autem potest vnumquemque psalmum adaptare alicui antiquorũ, vt puta; Beatus vir, ipsi Abel, qui tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum dedit in tempore suo fructum iustitiæ: & ita de cæteris psalmis primi nocturni: vt, quare fremuerunt gentes,cantat Enos,qui inuocauit nomen Domini. Domine quid multiplicati sunt, Enoc, quem Dominus exaudiuit, & transtulit in paradisum. Et ita de alijs.

Loquendo tamen literaliter possumus dicere, quod propter excellẽtiam diei dominicæ decretum est sibi fieri aliquam additionem in officio matutino super omnes alios dies septimanę. Et ita præter suos duodecim psalmos quos omnes ponimus in primo nocturno: additi sũt ei alij sex psalmi pro alijs duobus nocturnis; nã in ferijs tantum duodecim ponuntur pro matutino, quod fit propter breuitatem, quia illi dies sũt dies laboris corporalis in quibus non est fidelibus tantũ otij ad vacandum laudibus diuinis, sicut in festiuis diebus: tum,quia non debet fieri tanta solemnitas in ferialibus officijs sicut in dominicalibus, & sanctoralibus: ideo dicitur vnum tantum nocturnum: tum denique ad significandum,quod illud officium dirigitur ad laudandum Deum pro duodecim horis vnius noctis. Vel dicuntur tot psalmi in diebus dominicis, vt distributio totius psalterij facta pro qualibet hebdomada, finiatur in septem diebus. Nam in talibus diebus clerus & populus est minus occupatus,vt tactum est.

De secundo nocturno, primus psalmus ipsi Moysi cum suis imitatoribus. Secundus, ipsi Dauid cum suis. Tertius, alijs prophetis. De tertio nocturno, tres psalmos dicimus recolentes resurrectionem omnium illorum, qui in nouo testamento viguerunt, & vigebunt; Et quoniam tempore gratiæ maximè facta est reuelatio, & impletio veritatis; ideo Psalmi illi cantantur sæpius cum antiphonis habentibus alleluia, ad maius gaudium designandum. Hinc fit quod subijciuntur etiam lectiones ex nouo testamento, scilicet, Euangelica,& homiliæ. Rectè primus Psalmus, Cæli, idest, Apostoli enarrant gloriam Dei, ponitur primo loco in tertio nocturno: qui psalmus pertinet ad Apostolos. Et est Psalmus 18. in ordine autem hic, est decimus sextus, & decimus sextus est, Exaudi Domine iustitiam meam; quare patet, quod quia respicit primam distinctionem legis Euangelicæ, quod propter hoc, posuerunt hunc primum psalmum in tertio nocturno, & non illum, qui succedit in ordine, vt fit in alijs nocturnis, nempè ferialibus. Et quia in secunda distinctione sequuntur martyres, ideo est psalmus exaudiat te Dominus: quia Dominus protexit eos in tribulationibus eorum. In tertia distinctione confessores quos innuit. Dauid; Domine in virtute tua, quia non sunt fraudati voluntate labiorum suorum. Has rationes magis manifestabimus in libro sequenti, in expositione Psalterij Romani.

Illud interest inter duodecim psalmos primi nocturni, qui dicuntur sine antiphonis, & tres psalmos aliorũ nocturnorum, qui cum antiphonis dicuntur, quod interest inter duodecim Patriarchas, qui peregrini erant, & sperabant hæreditatem, quam post eã

eorum

eorum posséderunt; & eorum posteros, qui terram in patribus eorum promissam hæreditarunt.

Similiter interest inter psalmos tertij nocturni habẽtes antiphonas cum alleluia, & psalmos secundi nocturni habentes illas, sine alleluia, quod interest inter illos, qui habuerunt testamentum mutandum, & eos, qui habent non mutandum; maior est enim gloriatio noui, quam veteris testamenti: & de præceptis, quam de promissis. Illi de promissis sperabant, nos de perceptis gloriamur.

Insuper in tertio nocturno dominicæ, recolimus Resurrectionem Domini in tribus mundi partibus prædicatam; ideo ad designandum hoc gaudium dicimus vel cantamus psalmos illas cum antiphonis sępius habentibus alleluia, vt dictum est; recolentes Resurrectionem omnium illorum, qui tempore gratiæ in tribus mundi partibus viguerunt, & vigebunt, scilicet, Asia, Aphrica, & Europa.

Tandem vero in diebus Dominicis & festiuitatibus sanctorum, finito tertio nocturno cãtatur solemniter hymnus, Te Deum laudamus, in iubilo vocis ad significandum quod in tertio tempore, scilicet, Euangelicæ legis fideles serui Dei magis clare, & cum maiori gaudio Deum laudant: quia maiora beneficia eis collata recognoscunt: quam omnibus alijs præteritis generationibus; maximè, quia in eis impleuit Deus omnes promissiones quas olim ipse fecerat antiquis patribus de filio suo mittendo ad nos pro liberatione totius humani generis. Vel, moraliter per hunc hymnum denotatur quod si nos bonis operibus respondebimus doctrinæ sanctæ matris Ecclesiæ, perueniemus ad cælestem laudem Dei cum Angelis in gloria, de quibus fit mentio in isto hymno; simulque ad Resurrectionis gaudium perducemur, quod significat dies dominicus. Hunc laudis canticum sicut & alios hymnos Ecclesiæ, sancti doctores ediderunt excerpentes aliquæ ex sacris scripturis Bibliæ. Nec dicitur iste hymnus in diebus ferialibus, nec in vigilijs ieiunandis, nec in officiis luctuosis: quæ laborem & tristitiam salubrem significant. Finito hoc hymno, (vel quando ipse non dicitur,) post nonum Responsorium additur versus a Sacerdote quo incitare intendit auditores ad permanendum adhuc attẽtos ad officium diuinum nõdum completum: sed adhuc suspensum in futurum. Est enim ille versus, (vt supra diximus) transitus quidam a nocturnis, ad laudes: de quibus infra post seq. c. dicendum est.

De Nocturnis Ferialibus. Cap. 10.

POst Dominicam, sequuntur dies feriales, scilicet, feria secunda, tertia, & cæt. Dicuntur autem ferię a feriando non quod a necessariis vitę operibus sit feriandum, sed quoniam toto vitę nostrę tempore a vitiis feriari debemus. Ferio & ferior significat vacare, idest, ab opere cessare & quiescere sicut dies festi sunt dies solemnes, qui vt soli seruarentur, quasi præscripto & quodam instituto recepti sunt. A solo enim vel solito solemne dictum est, quia quotannis vel diebus fieri solet. Sunt namque festa, quæ singulis annis certo tempore fiunt. Vnde solemnia festa vocat Ecclesia, quæ certa sunt obseruatione instituta.

In ferialibus itaque diebus pro nocturno duodecim psalmos cantamus; vt ostendamus nos Deo debere seruire in duodecim noctis horis, cuilibet horæ vnum psalmum attribuentes. Olim varij psalmi cantabantur, nam alij quinquaginta, vt faciunt hodie nõ nulli monachi, alij plus, alij minus: sed Angelo reuelante, vt. ait Dur. patres conuenerunt, vt duodecim tãtum dicerentur: qui psalmi bini dicuntur cum antiphona ad notandum, quod

sine charitate, quæ ad minus inter duos consistit, laudes nostræ, vel opera nostra nihil prosunt.

Quia ergo ex præcedentibus constat, quod antiphona charitatem significat, quæ gemina est ad Deum & ad proximum duobus præceptis distincta: propterea in officio feriali matutinorum quibuslibet duobus psalmis datur vna antiphona. Et eadem ratione aliquæ Ecclesiæ dant eis vnum Gloria patri: vt nihil sit medium inter illos duos psalmos sicut nec inter charitatem Dei & proximi; qui solum propter Deum est diligendus. Qui verò cuilibet psalmo suum Gloria patri, apponunt, medium facientes inter duos psalmos, ad Christum respiciunt, qui fuit mediator Dei & hominum.

Ex tali itaque ordine nocturni officij ferialis resultat in eo senarius antiphonarum & glorificationum, qui repræsentat sex dies septimanæ in quibus laborandum est fidelibus pro sua sustentatione; vel etiam sex mundi ætates in quibus sancti Dei homines laborauerunt ex charitate propter quietem septimæ ætatis.

Potest etiam idem numerus significare sex cuiuslibet hominis ętates post suam infantiam, in quibus debet iusto labore proficere, & sibi & proximis exercendo in eos sex opera misericordiæ, quæ ex charitate procedunt. Sed ne ex consideratione prædicta numeri senarij ternarium horis nocturnis per necessarium neglexisse videremur in diebus ferialibus; statim post duodecim psalmos prędicto ordine cantatos, præmisso versu incitatiuo cum oratione Dominica; leguntur tres lectiones de historia currente in illa hebdomada ad significandum doctrinam sanctorum patrum triplicis legis Naturæ, scriptæ, & gratiæ. Interponuntur quoque lectionibus ferialibus tria Respōsoria, ad innuendum quod omnia illa, quæ prædicti sancti trium temporum docuerunt dirigebantur principaliter ad laudem sanctissimę Trinitatis: quam etiam fide, spe, & charitate coluerunt. Vel per tres illas lectiones cum suis Responsorijs idem significare voluerunt authores officiorum in die feriali; quod per tres nocturnos in die Dominico, vel festiuo: sed breuius propter causas supradictas.

Possunt etiam in hoc ternario lectionum denotari tres illæ vigiliæ noctis quas Christus in Euangelio expressit, dicens: quod paterfamilias si in prima, & si in secunda, & si in tertia vigilia venerit: & seruos suos inuenerit vigilantes, &c. per quas vigilias tres principales partes vitæ hominis intellexit. Diu. Gregorius, Iuuentutem, scilicet, senectutem, & mediam ætatem, in quibus vigilare ac laborare debet maximè in diebus ferialibus. In tempore tamen paschali ad alleuiandum laborem Sacerdotum & propter solemnitatem officij abbreuiantur isti nocturni, vt infra patebit.

Item, sex antiphonæ significant sex mundi ætates, quæ in singulis requiri charitatem debere ostendunt. Tres quoque lectiones, quæ tunc dicuntur, doctrinam trium temporum significant, vt diximus, & cum ipsis interpollate tria Responsoria dicuntur: ad notandum, quod quicquid electi in tribus temporibus docuerunt: & quicquid in tribus ætatibus agimus, ad Trinitatem referimus: & Trinitatem in fide, spe, & charitate glorificamus.

Nocturnis finitis in festiuitatibus vel nocturno finito cum sit de feria (in officio feriæ extra temp. pasch. non dicitur Te Deū) vel de festo simplici, alta voce cantatur, Te Deū laudamus, & aliqui pulsant campanis ad denotandum, quod manifeste, & mirificè tempore gratiæ (vt diximus) Ecclesia Deum laudat. Vel. Te Deum, significat futurum gaudium & lætitiam, quam Ecclesia requiescens a laboribus suis, est in die iudicij consequutura. Vel significat quod Ecclesia ca-

tholica

tholica per Christum trahitur de inferno. Vel significatur lætitia & gaudium eius mulieris, quæ accensa lucerna drachmam quam perdiderat inuenit. Quod autem istius cantici finis, videlicet, per singulos dies, & alij versus, qui sequuntur paulo altius cantẽtur, designat vicinarum congratulationem, qua mulieri ob repertam drachmam congratulabantur. Nam & compulsatio campanarum repræsentat conuocationem. Hæc autem fiunt a multis Ecclesijs, licet apud omnes non sit in vsu. Si non dicitur, Te Deũ, tunc loco huius hymni recitatur aliud Responsoriũ post vltimã lectionẽ, & statim illo recitato laudes inchoantur.

De Matutinis laudibus Dominicæ. Cap. 21.

POst Matutinum sequũtur laudes: quæ (licet quidam per se cantãdas esse asserant) vt habet consuetudo hodierna, illico cantantur finitis nocturnis; dicuntur autem laudes, quia illud officium laudem præcipuè sonat diuinam quam ei facimus pro eo quod a tenebris noctis, idest, erroris, nos ad lucem diem, seu ad viam veritatis reduxit, & ad tentationes diaboli repellendas nos adiuuant.

Et quoniam nunc matutinum recitatur communiter paruum ante auroram, vel in ipsa aurora, & pauci sunt qui media nocte surgũt, hinc fit quod laudes dicuntur in aurora. Tali enim hora Christus victor a mortuis resurrexit. Vnde Marc. vlti. Surgens Iesus mane prima Sabbathi. Tali etiam hora super mare ambulauit. Merito ergo in hac hora laudandus est, vt ipse, qui nos per suam sanctam resurrectionem saluauit, supra mare huius sæculi nos ire faciat sicco vestigio, sicut Petrum. Hac autem hora mundum, & Angelos creauit, qui statim post creationẽ suam cantico laudes creatori suo iubilarunt.

Dicuntur laudes Matutinæ, a mane, quod est lumen, quia nobis mane lumen reducit ad coronam gloriæ obtinendam iuxta id. Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus. Nam facilius vincitur diabolus & vanæ tentationes quoq; de die magis superantur, quam de nocte in lecto lasciuiæ.

Matutinum & Vespertinum officiũ ideo canimus, quasi Domino iuge sacrificium, idest, mane & vespere; sed vespertinum erat dignius matutino, quia pinguius, vt asserunt Iudæi. De hoc dicetur sub capit. de Vesperis.

Nos autem per Matutinum officiũ, legem intelligimus; per vespertinum vero saluatoris passionem, qui in vespera mundi, idest, in sexta mundi ætate obtulit se Deo patri in sacrificium pro nobis. Vnde dicitur: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, idest, eleuatio manuum mearum, scilicet, in cruce, &c.

Quoniam ergo officium vespertinũ dignius est propter rem digniorem, quam significat: ideo omnia in maioribus solemnitatibus in vespertino officio solemnius cãtamus quam in matutino; quia vt diximus vespertinum officium significat sacrificium Christi in vespera mundi ætate. Isidor. in libro Etymolog. dicit, quod officium matutinum est in lucis initio sic appellatum a stella lucifero, quæ oritur mane inchoante. Hoc autem officium plenum est laudibus; ad quas Sacerdos per antiphonam, quam præmittit, scilicet, alleluia, excitat auditores ad laudandum Deum, vt innuit alleluia, quod est laus angelica, & etiam, quia dominici dies dominicam resurrectionem repræsentant. Vnde propter huiusmodi significationem in tempore Paschali multiplicatur hęc laus angelica, vt etiam laus nostra multiplicetur, ad laudandum Christi resurrectionem.

In omnibus Dominicis ad tres primos psalmos loco antiphonæ habet Ecclesia Romana, quod bis concinit alleluia; ad insinuandum, quod in Dei laudem ex charitatis feruore procedendum est: nam charitas, minus quam inter duos haberi non potest, ait Greg. Homil. 17. Et qui habet charitatem siue dilectionem erga Deum, habebit etiam erga proximum. & quia vt diximus hæ laudes matutinæ, dicuntur laudes, quia plenæ sunt laudibus, & amore; ideo & antiphona est duplicis alleluia, amorem perfectum erga alium designandis. Ad psalmum vero, Benedicite, est antiphona *Tres pueri*; extra tempus Paschale, cui nec iubilus, nec alleluia, subijcitur propter rationes infra dicendas. Ad psalmum, Laudate Dominum de cęlis, dicitur ter alleluia, propter tres psalmos sub illo contentos, sicut possumus dicere quod supra dicũtur duo, propter duos psalmos nempe, Deus Deus meus; & Deus misereatur nostri: quod si dicatur, ergo pro Iubilate, & Dominus regnauit, non est antiphona aliqua, potest dici, quod ambo iubilationem significant, & gaudium. Tempore autem paschali dicũtur decem alleluia, forte, quia iste numerus significat infinitum, & in Resurrectione, sine fine laudabitur Deus. Ponitur numerus determinatus pro indeterminato: vt mos est scripturæ.

Psalmi quinque dicuntur in laudibus, vt quinque sensuum reparatio notetur: & pro quinque status Ecclesiæ. Primus est, Dominus regnauit; in quo laudatur Deus, qui firmauit orbem terræ, scilicet, in fide & resurrectione: ideo hic psalmus pertinet ad regnum Christi. Secundus, Iubilate; & rectè incipit a iubilo: quoniam confessio val de Deo placet. Tertius, Deus Deus meus, qui significat statum martyrũ, qui sitiunt ad Dominum; vnde dicitur: sitiuit in te anima mea: & quoniã tota nostra sitis, & intentio esse debet in Trinitate, & ad Trinitatem; ideo sequitur psalmus, Deus misereatur nostri in quo tota Trinitas notatur ibi, Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus. Quartus est, canticum trium puerorum, Benedicite omnia, Dan. 3. significans statum Antichristi; in quo non dicitur Gloria Patri, primo, quia propter confessionem fidei proiecti sunt tres pueri in caminum ignis; in quo facto maximè Deo, & Trinitati derogatum est. Secundò, quia vltimus versus illius psalmi idem dicit, quod Gloria Patri, & in diuinis scripturis nil debet esse superuacaneũ. Tertio, quia in ipso psalmo distinctè tota Trinitas notificatur, & laudatur Deus in creaturis. Quintus psalmus est Laudate Dominum de cęlis: in quo status ille notatur, quando post mortem Antichristi conuertentur Iudæi; & in fine dicitur Gloria Patri, ad ostẽdendum, quod per bonam operationem sociabimur Angelis, qui incessanter Deum laudant.

Sunt etiam alij, qui dicunt aliter de istis quinque psalmis laudum Dominicalium, scilicet, quod ordinati fuerunt ad laudandum Deum pro quinque principalibus beneficijs eius exhibitis toti humano generi vniuersaliter: & populo fidelium specialiter. In primo enim psalmo, Dominus regnauit, laudatur Deus de beneficio creationis, quo firmauit orbem terræ, idest, terram habitabilem pro hominibus, separando aquas ab eo. In secundo psalmo, scilicet, Iubilate, aguntur Deo gratiæ de beneficio electionis populi fidelis: quo separauit eum ab infidelibus, primo in Diluuio, secũdo, in Abraham, tertio, in Moyse: sub quo etiam fidelibus suis Deus legem & cæremonias iustaque iudicia dedit ad maiorem sui populi decorem. In tertio psalmo laudum dupliciter fideles laudant Deum de beneficio liberationis sui populi a duplici captiuitate, scilicet, Ægyptiaca & Babylonica; (&

ideo

ideo sunt duo psalmi;)quas illi meruerant propter sua peccata. In quarto loco per canticum trium puerorum benedicitur Deus a fidelibus de beneficio redemptionis omnium ferè populorum a morte peccati,& a potestate diaboli per incarnationem & aduẽtum filij Dei ad nos: qui visitauit nos oriens ex alto. Nam ipse per doctrinã, per passionem, & per resurrectionem suam liberauit nos a prædictis malis: vnde per omnes creaturas Dei quæ in hoc cantico introducuntur ad benedicendum Deo debent intelligi omnes hominum nationes, siue Iudæorum, siue gentilium compræhensæ in mysterio redemptionis. Hinc etiam patet alia ratio quare illud canticum non terminetur ad Gloria Patri; quia omnis versus eius gloriam, laudem, & benedictionem Dei resonant. Verum ad explicandas tres personas diuinas; quę Dan. 3. non nominantur expresse; apposuit Ecclesia versum illum, Benedicamus Patrem, & filium cum sancto spiritu. In quinto psalmo laudum (ex tribus psalmis composito) laudatur Deus a suis fidelibus pro beneficio glorificationis eorum; quam habent hic in spe & solo iure; in alia autem vita habebunt illam gloriam in re ipsa & vera possessione. Et quia ad illam sunt admittendi homines ex omnibus gentibus, populis, tribubus, & linguis, vt dicitur Apocal. 7. ideo in hoc psalmo introducuntur ad laudandum Deum, homines & creaturę pro gloria sanctorum de qua ibidem dicitur, Gloria hęc est omnibus sanctis eius. Veruntamen, quia præter gloriam essentialem sanctorum (quæ est visio fruitiua Dei & communis omnibus sanctis) ponitur alia gloria accidentalis aureola dicta: quæ non communicatur omnibus, & est triplex aureola, martyrũ, Virginum, & doctorũ; ideo iste quintus psalmus hanc gloriam vtramque significans complectitur tres psalmos sub vno Gloria Patri. Posset etiam dici quod iste ternarius in vnitate gloriæ designat diuinam maiestatem; quæ est vna in Trinitate personarum potest etiam hoc referri ad tres Angelorum hierarchias: ad quas sancti homines sunt assumendi. Hæc autem opinio est verior.

Possumus etiam dicere, quod psalmi isti sunt octo, vt realiter sunt, & hoc, quia istud officium mystice recolit statum Ecclesiæ ab initio Apostolicæ stabilitatis vsque ad perfectionem electorum, qui in fine mundi futuri sunt: sub quo statu octo ordines Ecclesia, siue electorum in Ecclesia sancta per Baptismum saluari reperiuntur: sicut in arca Noè octo animæ, illos significantes, per eam saluatæ sunt. Per Diluuium enim Baptismus, per arcam vero Ecclesia designatur.

Primus ordo fuit Ecclesiæ primitiuæ in Iudaico populo conuersantis; qui per Christi prædicationem reformata, & ędificata est; sicut monstrat ille primus psalmus, Dominus regnauit. Secundus ordo fuit primitiuæ Ecclesiæ intrantis ad gentes per prędicationem Domini, & Apostolorum monẽtium omnem terram, idest, omnem gentem ad iubilandũ Deo, quod monstrat secundus psalmus: Iubilate Deo omnis terra. Tertius ordo, fuit credentis gentilitatis, quam tertius psalmus, Deus Deus meus, demonstrat offerre gratias, & beneuolentiam Apostolorum vocationi. Quartus erit resipiscentis Iudaici populi, per Enoc & Eliam conuersi, quem ille quartus psalmus, Deus misereatur nostri, monstrat ad Deum reuersum possere misericordiã eius; & tunc gaudebunt se cognoscere viam Dei quam in gentibus esse cognoscent. Quintus erit eorum, qui futuri sunt tempore Antichristi: cuius figuram præcessit Nabuchodonosor, qui licet tribularit sanctos vtriusque populi, non tamen desistent benedicere Deum ad instar trium puerorum, quos Deus liberauit de camino ignis

ardentis, qui per illum quintum psalmum, Benedicite, recoluntur; eo enim tempore iusti purgabunt velut in camino ignis, non tamen vrentur; sed ibi accipient formam auri. Hymnus iste trium puerorum sanctum Concil. 4. Tolet. can. 13. publicè decantari instituit. Sextus, septimus, & octauus erit eorũ, qui vniuersaliter ex tribus mundi partibus conuertendi, & colligendi sunt, qui post Antichristi persecutionem, & eius mortem maiore pace fruentur vsque ad diem iudicij, quam nunc habeat Ecclesia.

Sed quæret fortè aliquis, quare isti tres vltimi psalmi sub vno Gloria Patri cantantur; & similiter Deus Deus meus, cum, Deus misereatur nostri? Ad primum dicendum (præter ea quę dicta sunt,) quod ideo fit, quia pręmissi sextus, septimus, & octauus ordines electorum, qui ex dictis tribus mundi partibus colliguntur sine aliquo interuallo simul erunt, & pariter glorificabuntur. Vel, quia continent ipsi tres psalmi triumphum de mundo, carne, & diabolo, & quoniam vnum sine alio non habetur, ideo merito coniunguntur. Ad secundum dicendum primo, quia Deus Deus meus, significat sitim ad Deum: in Psalm. Deus misereatur nostri, Trinitas notatur, vt diximus, ad designãdum ergo sitim & desiderium continuum ad Deum, hoc fit. Secundo dicitur, quod ideo fit, ad notandũ, quod ante persecutionem Antichristi populus credentis gentilitatis, qui recolitur per psalmũ, Deus Deus meus: & Iudaicus populus resipiscens, qui recolitur per psalmum, Deus misereatur, vnum erunt in fide: & postquam hi coniuncti erunt veniet Antichristi tribulatio. Tertiò dicitur, quia primus psalmus significat dilectionem Dei. ibi. Sitiuit in te anima mea. Secundus significat dilectionem proximi: ibi: Vt cognoscamus in omnibus gentibus salutare tuum, quæ duo ita connexa sũt dilectio Dei, & dilectio proximi, quod vna non potest esse sine alia. Insuper, quia etiã in primo psalmo, Deus Deus meus, agitur de miseria humani generis, ideo non ita triplicatur alleluia, sicut in, laudate, sed duo tantum. Vel, quia sequitur psalmus, Benedicite, qui repræsentat tempus mæstissimum Antichristi, ideo non datur illi triplicatũ alleluia, numerus inquam perfectissimus, propter imperfectionem illius temporis.

Hic notatione dignum est, quod Dauid aliquando diuidebat psalmum quem cantabat chorus in sua festiuitate: & accipiebat vnam particulã psalmi abscissam alteri festiuitati accommodatam, & appropriatam: quam vocabat Diapsalma. Et cantores in medio psalmi vbi fiebat talis diuisio scribebant Diapsalma in rubeo: vt cognosceretur diuisio & distinctio illius particulæ: & reperiuntur 70. Diapsalmata, idest, diuisiones in toto psalterio secundum ritum cantandi, qui fiebat tunc in templo Salomonis. Quem modum etiam nos seruamus in aliquibus psalmis: (& præcipuè hoc facit Ecclesia Ambrosiana:) quia de toto psalterio accipimus quandoque aliquam particulã: & cãtamus illam in aliqua hora. Nam de psalmo tertio accipimus tres primos versus, scilicet: In te Domine speraui: sicque relicta secunda parte psalmi cantamus primam particulam in Completorio. Et ita prima particula propriè dicitur Diapsalma, idest, partitio, siue diuisio psalmi. Sic etiam excerpimus & abscindimus duos vltimos versus, de Psalmo 29. scilicet, Domine refugium; & dicimus eos cum gloria patri: post, Prætiosa in conspectu Domini, ad Primam: & sic illa particula & abscisio psalmi dicitur, Diapsalma; Ita & psalmum 118. scilicet: Beati immaculati, qui habet 22. octonarios, diuidimus in vndecim partes ponendo duos octonarios in qualibet parte: & ponimus eos pro Prima, Tertia, & Sexta, & Nona horis

horis. Quæ quidem partitiones dicũtur Diapsalmata. Et ita patet quid sit Diapsalma.

Item, per appositum etiam Ecclesia Latina facit aliqua simpsalmata, idest, cõtinuationes multorum psalmorum. Nam quandoque dicit duos psalmos sub vno Gloria Patri; vt in laudibus. Psal. 62. *Deus, Deus meus*, &c, *Deus misereatur nostri:* Psalm. 66. Et postea in fine dicimus tres psalmos: scilicet, laudate Dominum de cælis; cantate Domino; & laudate Dominum in sanctis eius, sub vno Gloria patri. Et ista talia dicuntur simpsalmata, siue apopsalmata, idest, continuationes siue appositiones diuersorum psalmorum. Itaque sicut Diapsalma est diuisio, seu partitio psalmi, ita per appositum simpsalma, siue apopsalma est continuatio seu appositio psalmorum; quando unus psalmus apponitur alteri & continuatur cum eo. Et ita patet quid est, aut quid significat diapsalma; quare literis rubeis scribatur; quia significat diuisionem seu partitionem psalmi factam in illa parte psalmi vt dictum est.

De Laudibus Ferialibus. Cap. 22.

LAudes autem, quæ in diebus ferialibus recitantur, dicuntur ordine vario. Tamen in primis notãdum est, quod duo psalmi, scilicet, Deus Deus meus, &, laudate Dominum de cælis; numquam variantur in laudibus, sed semper recitantur etiam in ferialibus diebus; ad designandum quod sine fide, & desiderio Trinitatis, quæ in præmissis duobus psalmis vnitis exprimuntur: & sine Dei laude, quæ per psalmum, laudate designatur, numquã nos Christiani esse debemus. Vel. Non mutantur, quia in eis commemorantur bona opera, & virtutes sine quibus nullo vnquam tempore placuit labor vel pęnitẽtia hominis. Alias etiam rationes elicies in expositione psalterij, infra lib. 4.

Psalmus primus laudum, scilicet, Dominus regnauit, qui est psalmus lętitiæ commutatur in ferijs, in psalmũ, Miserere, qui est psalmus pænitentialis, cuius ratio iam assignabitur. Iubilate, verò, qui sanctorum prædicationem continet, mutatur in secunda feria in, verba mea, qui psalmus est vox Ecclesiæ ad hæreditatem Domini vocatæ. In feria tertia psalmus, Iudica me Deus; qui recolit, quando primitiua Ecclesia intrauit ad gentes. Et in quarta, psalmus, Te decet: qui cantatur in figura gentium, quæ ab Idolis conuersæ sunt ad Deum. Et in quinta, Domine refugium: qui sic intitulatur, oratio Moysi hominis Dei, congruens resipiscentiæ Iudæorum. Et in feria sexta psalmus, Domine exaudi orationem meam; quem Dauid cantauit, quando filius suus eum persequebatur: persecutionem Antichristi significans. Et in Sabbatho, Bonum est confiteri Domino; qui sic intitulatur; psalmus cantici in die sabbathi, idest, in die quietis, figurãs sanctos a tribus mundi partibus collectos, post Antichristi persecutionem fore in quiete mansuros, & Domino confiteri & psallere. Ratio autem vera illorum canticorum in talibus diebus positorum dicetur infra lib. 4. In expositione illorum canticorum. Cantica autẽ diuinæ laudis a patribus antiquis edita non dimittuntur in officijs Ecclesiasticis, quia ad nostram instructionẽ sunt valdè vtilia, & differentia perfectionis eorum ex suo ordine notatur: vnde canticum Trium puerorum excellentius alijs omnibus ostenditur, quia primo in die Dominico collocatur, vt patebit in 4. libro in eius expositione.

Circa vero primum psalmum, Miserere, qui dicitur loco Dominus regnauit. Pro intelligentia huius notandum est, quod dies Dominici, & festiui, quando semper recitatur iste psal-

mus Dominus regnauit, recolunt resurrectionem sanctorum; quę fuerunt ab initio, & erunt vsque in finem sæculi. Vnde in dominicalibus, & in festiuis laudibus recolentes regnum Domini post resurrectionem eius a morte corporis: siue gloriam resurrectionis electorum, canimus psalmum, Dominus regnauit. Dies vero feriales recolunt peregrinationes, & pænitentiam ipsorum sanctorum; ideo quotidie in ferialibus diebus recitamus, Miserere mei Deus: recolentes nostram resurrectionem a morte animarum per pęnitentiam: siue electorum peregrinationem, & pænitentiam, siue cõuersionem. Sed quoniam numquam vllum tempus fuit, nec erit, quo animæ iustorum non sitiant ad Deũ fontem viuum; & quo non laudent Dominum in Ecclesijs, ideo numquam prætermittuntur illi duo psalmi, Deus Deus meus, &, laudate Dominum de cælis, qui hæc denotant.

De secundo vero psalmo, & quarto, scilicet, cantico, notatione dignum quod Ecclesia repræsentat diuersos status.

In secunda feria recolit statum primitiuæ Ecclesiæ, quæ sanctorum prædicationem accepit, vnde in illo psalmo, Verba mea, orat Ecclesia pro ęterna hæreditate, quam per Christum percepit. In Cantico vero Isa. confitebor tibi Domine, gratias agit, quia Dominus consolatus est Ecclesiam, aperiens ei ianuam regni cælestis; cum omnes prius ad inferos mitterentur.

In tertia feria illud tempus recolimus, quando ab impijs Ecclesia persecutionem patiebatur, a Iudæis primo, & postea a diuersis Imperatoribus: ideo dicit: Iudica me Deus ostendens tristitiam suam; dicens; quare tristis incedo: sed, quia ab hac persecutione liberata est, ideo cantat canticum, Ego dixi; Isa. 38. quod cantauit Ezechias post liberationem a Senacherib: & post infirmitatem, quam incurrerat, ne eleuaretur cor eius in superbiam, dicebat; Generatio mea abla ta est.

In quarta feria recolitur illud tempus, quo Ecclesia cæpit exaltari super inimicos suos, scilicet, reddita sibi pace per Imperatorem Constantinum: vnde cantat; Te decet hymnus Deus in Sion. Sió interprætatur speculatio, siue contemplatio; quia tempore quietis potuit Ecclesia vacarę contemplationi. Propter hanc liberationem cantat canticum Annæ matris Samuelis, quod cantauit liberata de persecutione suæ ęmulæ phenenę: Exultauit cor meum in Domino 1. Reg. 2. Cũ enim Respublica cæpit per angelicos viros, & per Christianos imperatores ministrari, potuit Ecclesia dilatare os suum super inimicos suos, scilicet, Iudæos, & hæreticos: vnde sequitur; Dilatatum est cor meum.

Eadem quoque pace, qua gaudent Gentiles conuersi, gaudent & Iudæi conuersi. Vnde in persona Iudaici populi cantamus in quinta feria, Domine refugium factus es nobis. Quod autem psalmus ad Iudæas pertineat ostẽdit hoc titulus, scilicet, Oratio Moysi hominis Dei. Ad idem etiam pertinet canticum Moysi cantent Domino. Exod. 15. Sicut enim exultarunt Iudęi occiso Pharaone cum exercitu suo: ita exultant hodie Christiani deiectis illis Imperatoribus, qui Ecclesiam persequebantur in odium Christi, vel Christiani nominis. In sexta feria fit commemoratio passionis Christi vnde cantatur psalmus, Domine exaudi orationem meam: cuius est titulus; psalmus Dauid, quando persequebatur eum filius eius Absalon. Christus habuit plures filios, scilicet, Apostoles, de quibus dicitur Mat. 9. Non possunt lugere filij sponsi, quousque cum illis est sponsus: sed vnus illorum, scilicet, Iudas persecutus est eum, qui dicitur Absalon, quasi Abasalon, idest, pax patris, propter osculum quod dedit

Domi-

Domino, quod est signum pacis, ad idem pertinet canticum, Domine audiui, Abac. 3. in quo dicitur; Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius; quia in passione latuit omnipotentia Christi; ante faciem eius ibit mors, idest, a facie Christi mors fugiet, iuxta id, Ose. 13. O mors ero mors tua.

Notatione hic dignum est, quod per cornua, regna intelligere consueuimus vt patebit infra lib. 4. & est sensus; Cornua in manibus eius, idest, regnum in potestate eius. Hanc autem potestatem meruit dominus sibi dari, vel potius sibi datam notificari per passionem; de qua ipse ait: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Per cornua enim conuenienter secundum hoc intelligũtur duo cornua crucis. Vnde uidetur secundum hoc, quod potius esset dicendum, manus eius in cornibus, quam cornua in manibus eius. Maluit tamen propheta sic dicere, vt ostenderet, quod in potestate, & in voluntate eius fuit eum crucifigi; sicut ipse ait: Nemo tollit animam meam, sed habeo potestatem ponendi eam, & cæt.

In sabbatho vero fit commemoratio populi Iudaici, qui erit coniunctus Ecclesiæ Dei in fine mundi, & cantabit cum Ecclesia canticum seu psalmum, Bonum est confiteri Domino, ad annunciandum mane, scilicet, prosperitatis, misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctens, scilicet, aduersitatis; qui psalmus intitulatur, laus cantici Dauid in die sabbathi; vnde conueniens est vt in die sabbathi cantetur psalmus ille, in quo agitur de persecutione Iudæ, qui persequutus est Christum in figura Absalon, qui persequutus est patrem, & qui intitulatur in die sabbathi. Quod psalmus iste pertineat ad populum Iudaicum conuincitur ex illo versu: in decachordo psalterio cum cantico. Psalterium decachordum dicitur lex propter decem mandata legis, vt diximus supra. Deinde recitatur cãticum Moysi, Audite cæli, quæ loquor. vt Beda supra Luc. ait; In diebus sabbathi Iudæi ad Synagogam confluebant ad meditanda diuinæ legis mandata, postpositis mundi negotijs; iuxta id Psal. 123. Vacate, & videte quoniam suauis est Dominus. In memoriam ergo pristinæ religionis canticum ipsum Deut. Sabbatho cantatur, in quo status illius populi, quem habuit offenso vel propitio Deo, describitur. Sed de his omnibus diligentius & clarius dicitur in expositione psalterij.

Post hos psalmos sequitur antiphona, deinde capitulum, quæ est quędã parua lectio: in qua hortantur fideles ad perseuerandum adhuc in Dei laudibus. Sed talis lectio variatur pro diuersitate dierũ, & festiuitatũ. Ratio autem continuationis huius lectionis ad quinque psalmos præcedentes dicta est supra in nocturnis vbi idem similiter fiebat; quia, scilicet, bonę operationi debet addi doctrina vt conuenienter & recte agatur.

Post capitulũ de communi vsu Ecclesiarum cantatur hymnus loco Responsorij: quod immediatè additur lectioni in aliquibus horis: ad significãdum fructum bonæ doctrinæ in auditoribus. Et ratio positionis hymni in hoc loco laudum potest esse duplex; tum quia iam præcesserant in nocturnis (qui laudibus continuati fiunt vna hora canonica cum eis) plura responsoria post lectiones: tum quia natura huius officij laudum magis requirebat hymnum quam Responsoriũ post lectionem. Nam fidelis populus audita salubri exhortatione de laudib. Dei lætatur & ideo in iubilo cantat hymnũ ad laudem Dei, & quia hymnus dicitur inquantum dicit laudem Dei cum lætitia (vt patebit infra in expositione psalterij) hinc est, quod ecclesia pulsat organum ad hymnum, quod est laudare Deum cum lætitia.

Expleto

Expleto hymno, additur Versus, excitans fidelium attentionem pro cantico noui testamenti: quod immediatè sequitur ex speciali priuilegio. Versus ergo ille canticum præcedens facit fideles attentos ad ipsum ne sint tardi vel distracti, aut somnolenti ad audiẽdas in eo, & firmiter credendas Dei promissiones, quæ infallibiliter implẽtur in populo Dei. Hæc eadem ratio valet in Canticis Vesperarum, & Completorij: post capitulum chorus respõdet, Deo gratias, assentiendo exhortationi auditæ.

De Canticis, Benedictus, Magnificat, & Nunc dimittis. Cap. 23.

OMnibus his habitis sequitur Canticum Zachariæ: & est sextus psalmus in laudibus: qui semper dicitur; iuxta quod ait Apost. seruiẽdũ est Deo, in psalmis, hymnis, & canticis. i. corde, ore, & opere. Rursus hic ideo, Benedictus, dicitur: q. ibi agitur de p̃cursore illius, qui in sexta venit ætate, & hic est psalmus sextus, vt diximus. Amplius, in laudib. introducitur hoc Canticum Zachariæ Patris Io. Baptistæ, quia in eo fit mentio de promissionibus Dei factis ad patres antiquos: quas oẽs impleuit Deus suo tẽpore: & simul cum hoc innuit nobis vt caueamus ab incredulitate circa promissa Dei: ne puniamur sicut Zacharias. Et ponitur hoc canticum in officio laudũ omni die, & in omnibus festiuitatibus, & etiam in officio mortuorum: quia iuxta Apostoli mandatum, omni tempore debemus laudare Deum in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus. Et laudamus Deum in isto cantico de magna sua clementia erga nos: quia visitauit nos oriens ex alto: & fecit redemptionem plebis suæ in magna miseria iacentis; qua etiam de causa ponitur in sexto loco, vt tactum est.

Potest dari & alia ratio, scilicet, quia in eo fit mentio de mysterio redẽptionis nostræ qui est principalissimus finis creatus propter quem institutæ sunt a sanctis Doctoribus omnes laudes diuinorum officiorum; hocque ad recolẽdum, & regratiandum Deo maximo, & potissimè suorum beneficiorum in nos. Ideo ponitur quotidie in fine laudum, & officiorum noctis in aurora quando nox finitur: vt inde cognoscatur quis sit finis principalis omnium laudum diuinarum. Et ista etiam ratio potest dari de alijs canticis in Vesperis & Completorio circa finem diei.

Finito cantico repetitur antiphona eius integra quæ dilectionem significat, quam debemus habere in Dei laudibus. Vnde ad hoc magis explicandũ offertur incensum in Altari dum cantatur Benedictus cum sua antiphona: quia deuotio nostra ex igne charitatis procedens est Deo offerenda; iuxta id Ps. Dirigatur oratio mea sicut incẽsum in conspectu tuo Domine. Vel. Thurificatur Altare dum cantantur cantica, vt notetur canticum toto corde & affectu esse proferendum. Et etiam vt credamus de promissionibus Dei, non existentes increduli vt Zacharias; qui postea mutus factus est ad tempus.

Venit autẽ iste vsus incensandi Altare Dei ex lege veteri, in qua Deus præcipiebat, quod in Altari thimiamatum semper esset ignis: & quod Pontifex certis diebus festiuis intraret sancta sanctorum ad offerendum incensum Deo: vt patet de Zacharia. Luc. 1. Et quod sacerdos hebdomadarius bis in quolibet die scilicet, mane & Vespere offerret incensum in Altari: quod etiã facitat sacerdos Euangelicus in laudibus & Vesperis. Sacerdos thurificãs Altare offert Deo populi deuotionem: & deinde minister thurificat totũ populum vt simus bonus odor corã Deo & proximis. Ratio autem literalis quare antiphona replicatur est, vt sit tempus sufficiens ad thurificandum populum: immo aliquæ ecclesiæ triplicatur, vt maius tempus detur.

Et quia hoc canticum est de Euangelio, stando canitur: eadem est ratio, de Magnificat, & Nunc dimittis. Dicuntur etiam stando, quia licet semper debemus habere intentionem in Deū, tamen tunc magis attentè, deuotè, & reuerēter sunt eleuāda corda in Deū; & hæc causa etiam est, quare stādo dicuntur hymni: nam hęc omnia ad nouum spectant testamentum.

Nota quod in tribus horis tria dicimus cantica de Euangelio sumpta, scilicet, in aurora, *Benedictus*, quia ibi vera lux nunciatur. In vespera, *Magnificat*, quia in fine Deus disperdet superbos & exaltabit humiles. In Completorio, *Nunc dimittis*, quia post iudiciū sancti in pace regnabunt.

Hic dubitabit aliquis quare prius recitatur canticum Zachariæ ad laudes, quam canticum B. M. quod fuit primo editū & illud posterius? Resp. quia canticum Zachariæ commemorat Io. Baptistam qui fuit Lucifer ante solem Christum; vnde & canitur in Aurora: sed canticū Beatæ Mariæ Virginis commemorat eiusdem Virginis humilitatem & alias eius magnificas virtutes quæ fidelibus monstratæ sunt in vespera mundi. Et etiam quia hora vespertina deposito filio suo de cruce: ita eum mortuum tenens in gremio deplanxit. Vnde dignum est ut quotidie in memoriam Virginis Marię hoc canticū in Vesperis decantetur: quod etiam facit multum ad nostram eruditionē: quatenus imitatores effecti humilitatis eius non superbiamus de nostris bonis operibus, neque de laudibus diurnis quas per totum diem persoluimur. Vtrumque autem canticum Zachariæ, scilicet, & Beatæ Mariæ Virginis, sexto loco cantatur in suo officio matutino & Vespertino: vt per hoc denotetur in sexta mundi ætate per ministerium Mariæ Virginis, & præcursoris Io. Baptistæ impleta esse omnia, quæ Deus promiserat sanctis Patriarchis & prophetis de redemptione humanis generis: vt dicitur expresè in eisdem canticis.

De cantico autem Symeonis clara est ratio quare dicatur in Completorio: nam & ipsum tempore fuit aliorū vltimum, & ab homine iam decedente ab hac luce editum: pertinereque videtur ad septimam mundi ætatem quiescentium animarum: ideo nimirū in septima horarum canonicarum canitur ab Ecclesia quādo receditur iam a luce diei, vt deinceps indulgeatur somno & quieti. Nam & Completoriū dicitur quando completus est diurnus labor hominis, siue in horis canonicis, siue in alijs actibus humanis.

De oratione, & precibus tam matutini quam Vesperarum. Cap. 24.

Dicto, Benedictus, & antiphona, dicitur oratio, per quam est impetranda promissio: vel prius dicuntur pręces si sunt dicendæ. Præces autem quædam sunt ante lectiones: & quędā post cantica, scilicet, post Benedictus, & Magnificat, quo ad nunc. Per præces vero, quæ dominicam orationem ante lectiones sequuntur, imploratur sanctorum intercessio ad obtinēdum, quod in ipsa oratione postulatur. Oramus enim dominum, vt mittat operarios in messem suam: & aperiat cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis, ne semē verbi Dei q̄d audituri sumus, aut uolucres comedant, aut spinæ suffocent: aut in petra, quæ non habet humorem arescat, præcibus autem Deū depræcari Christus nobis composuit, & constituit, ait Isidor. lib. 1. cap. 9. de eccl. off. cum ergo quærerent Apostoli Domino supplicare, & nescirēt quomodo deprecarent, dixerunt Christo; Domine doce nos orare. i. compone nobis præces. Statim Dominus de libro iuris cælestis docuit quomodo orarēt, & quomodo a Domino impetrarent. Ex hoc perducta est consuetudo Ecclesiæ, Dominum præcibus exposcere

contra ægritudines animæ, & vti præcibus instar earũ quas instituit Christus, quasque primum Græci cęperunt componere quibus Domino, supplicaretur.

Præces autem post horas, dicuntur propter tria. Primo, ad resecandas superfluas cogitationes. Secundo ad impetrandum misericordiã propter oues errantes, & operarios fatiscentes. Tertio, ad postulandum auxilium contra tentationes, vt possimus in Dominica oratione patrem securius inuocare. Et dicũtur hoc modo, primo, dicitur oratio Dominica, in qua sunt septem petitiones, ut supra in lib. 2. explicauimus. Sed quia muscæ morientes perdũt suauitatem vnguenti, præcedit ipsum Kyrie eleison. Oportet enim tale quid præcedere, quod inanes cogitationes repellat a mente: ut dicendo ipsam orationem Dominicam mens, quæ inuisibilia loquitur, sola inuisibilia cogitet. Dicitur autem ter ad notandum tres status diuinitatis, & diuinæ maiestatis: quos alij modo in Ecclesia cælebramus. Siue ad notandum tres personas in diuinis. Qui sint illi tres status, & quod se tenẽt ex parte nostra, nõ Dei, qui est immutabilis, docet Dur. lib. 5. cap. 5. tit. de Prima.

Oratio autem Dominica in matutino, & vesperi dicitur ab hebdomadario tantum iuxta rubricam Breuiarij reformati, alta voce, sed in alijs horis dicitur secretè: quæ dicebatur altè a toto choro ante nouam reformationẽ: quod autem altè dicatur initium habuit a monachis. Dicitur autem alte, primo, propter simplices, qui eam non intelligunt aut obliuiscuntur, secũdo, propter versutos, qui spinam odij, in corde gerẽtes patres odiunt; nolentes dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc igitur dicere compelluntur in publico, vt purgentur ab illo uitio: tam in fine noctis, idest in matutinis laudibus, quam in fine diei, idest, in Vesperis; vt noctem aut diem nõ pertranseant sine reconciliatione fratris. Et hæc est ratio, quare dicitur alte a toto choro, vel ab vno qui fungitur officio totius chori, immo Ecclesiæ. In alijs autem horis non dicunt alta voce; quia sæpè contingit fratri fratrẽ irasci, & quodam furoris impetu commoueri: qui licet statim animum non cohibeat, expectandus tamen est ad veniam: sufficit enim, si sol non occidat super iracundiam eius. Si adsunt aliæ causæ dicentur infra in cap. de Prima.

Deinde dicto, & ne nos inducas: dicuntur præces, quæ sic dicũtur pro eo quod flexis genibus in modũ præcantis recitantur, quæ significant etiã humilitatem mysticè.

Sacerdos postmodum prosequitur modum orationis, quem Apost. docet dicens: primo omnium fiant obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus, & pro his qui in sublimitate sunt. Obsecratio fit cum adiuratione pro malo remouendo. Oratio pro bono impetrando, vel pro malo superando. Postulatio pro bono adipiscendo, siue cumulando. Gratiarum actio, pro bono iam collato conseruando. Obsecratio est ibi, cum dicitur. *Ego dixi Domine miserere mei, &c.* vbi petit vulnera sanari, & medicinam dari. Oratio, ibi: *Fiat misericordia tua Domine.* Vel. ibi: *Ostẽde nobis Domine misericordiam tuam.* Postulatio ibi: *conuertere Domine vsquequo:* vbi postulamus, vt per auxilium Domini omnia nobis aduersa remoueantur. Gratiarum actio ibi; *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Et hoc pro nobis omnibus.

Item, orat pro Pontifice, & Rege, & cæt. ibi: *Oremus pro Pontifice nostro N. saluum fac Regem N.* Pro omnibus viuis; *Saluum fac populum tuum Domine.* Et pro defunctis dicens: *Oremus pro fidelibus defunctis.* In Vesperis, deinde sequitur, *Miserere mei Deus;* pro his, qui

qui sunt in grauioribus peccatis; sicut præcessit oratio Dominica pro his, qui sunt in quotidianis. In matutino vero dicitur, *De profundis*, ac etiam eadem ratione, quia de profundis tenebrarum noctis transactæ eripuit nos: & pro peccatis nocturnis: & quia minus videtur Deum offendi, si omnes manent doni, quia dormitur; quam de die, vbi omnes sensus ad omnia mala sunt procliui, ideo breuiori vtitur psalmo in Matutino, quam in Vesperis.

Post hæc surgit sacerdos, & omnibus manentibus prostratis orat pro vniuersis; sed prius præmittit, *Dominus vobiscum*, quæ salutatio præcedit, & etiã sequitur. Et hoc ideo fit, quia Dominus postquam surrexit, salutauit Apostolos dicens: Pax vobis;& postea loquutus est eis; & post locutionẽ iterum dixit; Pax vobis. Et quia sacerdos est eius vicarius, ideo postquam a genuflexione, vel a sessione, quando non dicuntur prçces, surrexit, salutat & ipse fratres, dicens; *Dominus vobiscum*;& pro eis deinde orat: & post orationem iterum dicit; Dominus vobiscum. q.d. si gratiam Dei impetrastis, in illa perseuerate; & iterum populus dicit; *Et cum spiritu tuo*; ac si dicat; orasti pro nobis, & nos pro te oramus, Si sunt faciẽdæ commemorationes fiunt.

Circa quas notandum est, quod quamdiu viuimus, tanquam in lubrico solo, & fragili glacie sumus constituti, in diesque cum dęmonibus vehementissime confligimus, ita vt sanctorum suffragijs non possimus non indigere. Ideo fiunt ad matutinum, ad inuocandum suffragia pro illo die; & ad Vesperas ad inuocandum eodem pro nocte sequenti: eadem est ratio, & de antiphonis Beatę Marię virginis. Quare omittuntur aliquando, vide in Dominica Passionis. Nouissimè dicitur, *Benedicamus Domino:* & respondetur, *Deo gratias*, vt finis principio respondeat, vt diximus. Fidelium animæ, &c. non est de officio, ideo submissa voce dicitur. Claudit enim officium; quod non dicitur, si cantanda est Missa statim post matutinum, vel post aliquas alias horas; ideo dicto Benedicamus, intonatur Introitus, neque dicitur antiphona Beatę Virginis, vt docet Breuiarium reformatum. Rubrica de antiphona Beatæ Mariæ in fine officij numer. 3. Vel etiam si dicendæ sunt litaniæ. Post Completorium tamen dicitur antiphona, etiam si recitandæ sint litaniæ, vt patet in eadem rubrica. Et hoc ideo fit vt puto, quia Missa fungitur officio illius antiphonæ. Vel, quia officium nondum est finitum, sed in *Ite Missa est*, vel in *Benedicamus Domino*. Vel in, *Requiescant in pace*. Et post Missam non recitatur hæc antiphona Beatæ Marię Virginis nec reperitur aliqua rubrica quæ hoc præcipiat. Insuper, non recitatur huiusmodi antiphona, quia vt plurimum recitatur à choro aliqua hora, quam antiphonam recitat chorus post illam horam, & ideo hic siletur. Si autem non recitatur aliqua hora vt fit in tempore ieiunij: Missa sufficit: perfecto enim nihil est addendum.

De Officio Beatæ Mariæ Virginis. *Cap.* 25.

HIs omnibus habitis ordo postulat vt etiam de officio Beatæ Mariæ Virginis aliquid dicamus. In eisdẽ ergo horis quibus Dominum laudamus, Beatam quoque Virginem laudare debemus, scilicet, in nocturnis, nẽpè in Matutino: quia tali hora quædã stella apparet in cęlo quæ trasmontana vocatur: cuius ductu nautæ perueniunt ad portum: & ipsa Beata semper Virgo Maria est stella trasmontana: quia si eam dignè laudauerimus nos, qui sumus in hoc seculo ducet ad portum salutis.

Rubrica Breuiarij de officio paruo sic ait: *Officium paruum Beatæ Mariæ cum dicitur in choro, in Matutinis & in Vesperis præponitur officio diei; in alijs horis postponitur.* Et ideo nota, quod in officio nocturno hac de causa allata, præcedit officium Beatę Mariæ, scilicet, Matutinum, & Vespere; cũ enim recitantur in choro, prius recitatur matutinum paruum quam magnum, & ita dicitur de Vespere; quæ omnes horę spectant ad nocturnum officium secundum rationem prædictam. In horis autem diurnis, scilicet, Prima, Tertia, Sexta & Nona, prius debet recitari Prima Domini, quam, Prima Beatæ Mariæ, & sic dicitur de Tertia, Sexta, & Nona, & Completorio. Ratio huius esse potest, quia (vt supra diximus) diurnum officium repræsentat tempus redemptionis nostræ & liberationis per Christum: & quoniam redemptio nostra per nullum alium facta est nisi per Christum, hinc est, quod horę maiores, scilicet, Domini debent pręcedere minores Beatæ Virginis. Et, quia hoc magis significant, Tertia, Sexta, & Nona, scilicet, quod repræsentant tempus redẽptionis nostræ, hinc est, quod in festis ipsius Christi extra tempus paschale recitantur Respõsoria cum duplici alleluia: vt patet in festo Epiphaniæ, Transfigurationis, & Natiuitatis, Christi. Si aliæ adsunt rationes vide infra in 5. de Transfiguratione Domini.

Itẽ in Prima laudare debemus Beatam Virginem, quia tunc apparet quędam stella quæ Diana vocatur quam sequitur sol: & ipsa Beata Virgo est vera stella Diana quæ verum solem Christum nobis portauit, qui totum illuminat mũdum. Item in Tertia, nam hora Tertia, consueuimus esurire, & ipsa portauit panem verum, scilicet, Christum, de quo dicitur: Ioan. 6. Ego sum panis viuus, qui de cęlo descendi; cum quo pane est omnis satietas. Item, in Sexta, quia illa hora magis feruet & calefacit sol, & ipsa laudanda & rogãda est, vt nos frigidos calefaciat in charitate per solem Christum quem genuit: de quo cantat Ecclesia: Fęlix nãque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster. Item, in Nona, quia illa hora sol declinat ad occasum, & ipsa iuuat nos & protegit, cum ad occasum, idest, ad senectutem declinamus. Vnde ad illam possumus dicere illud Psalmus 70. Ne proijcias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea ne derelinquas me. Item in Vesperis, quia tunc dies incipit finiri; & ipsa laudatores suos in hora mortis defendit. Item, in Completorio; nam tali hora dies est completa, & ipsa in complemento vitæ nostræ pro nobis intercedit: & in æterna tabernacula nos recipi facit; vbi completum est electorum gaudium. De psalmis infra dicetur, de officio in particulari libr. 5. nempè sub festo Assumptionis.

De Officio sancti Benedicti. Cap. 26.

SAnctus autem Benedictus multo aliter suum disposuit officium, ex instinctu (vt creditur) Spiritus sancti; non quod dissentiat ab Ecclesię institutione, sed ob aliam causam. Igitur hic vir sanctus ad perfectionis vitæ culmen aspirans instituit semel dici ad Matutinum, Deus in adiutorium meũ intende, & ter, Domine labia mea aperies propter reuerentiam vnitatis & Trinitatis; & psalmum, Domine quid multiplicati sunt, eo quod a somno surgens, dicitur ibidem, Ego dormiui, & somnum cępi, &c.

Primo ergo dicunt hi monaci Deus in adiutorium meum intende: deinde psalmum, Domine quid multiplicati sunt, & postea ter, Domine labia mea aperies: & hoc, quia sine Dei adiutorio,

rio, nec cor, nec labia ad ipsius laudẽ aperire valemus. Io. 15. sine me nihil potestis facere. Deinde sex psalmos in primo nocturno cantari instituit. & quatuor lectiones, cum quatuor Responsorijs, totidemq; in secundo, vt per hoc nobis duplicem vitam, contẽplatiuam & actiuam apertè innueret. Nam senarius numerus psalmorũ vitam nobis indicat actiuã, in qua sanè conuenit, sex opera misericordiæ exercere, si ad perfectionem, vitæ contemplatiuæ voluerit quis peruenire, quæ per quatuor Euangelia designatur, & per quatuor lectiones similiter figuratur. In tertio autem nocturno tria cãtica in laudem sanctissimæ Trinitatis cantari instituit a qua nobis omnẽ vitę perfectionem dari certo credimus & speramus. Finiuntur autem illa cãtica per alleluia, quod est cælestis lætitiæ canticum: vt per hoc euidenter notetur Trinitatem dignam esse cælesti laude, nec ad eam plenè perfectæq; laudandum satisfacere laudem humanã. Quę verò quatuor sequũtur lectiones, significant laudatores Dei debere per doctrinam quatuor Euangeliorũ quatuor insigniri virtutibus, adeo vt hinc per quatuor responsiones designetur laudantium alacritas.

Sed ne dum hoc agunt totum illud bonum sibi adscribant, verũ vt potius laudi diuinæ omne attribuant & se seruos Dei in omnibus esse agnoscant, commodè subiungitur, Te Deum laudamus. Per hymnum qui sequitur, nimirum; Te decet laus, &c. gaudium quod post laborem in denarij remuneratione habebunt sancti denotatur.

Ad laudes autem instituit psalmum illum, Deus misereatur nostri, primo, absque antiphona decãtari, tum quia tenebris fatiscentibus diluculo matutinæ laudes cantantur, ideo in eo dicitur, illuminet vultum suum super nos; tum, quia hoc officium, ad Domini resurrectionem pertinet, per quã accipimus misericordiã & benedictionem.

Demum nõ vacat a mysterio, quod monaci se toto corpore ab oriente ad occidentem gerant, significantes Deũ vbique adorandum fore, quasi vbiq; præsẽtem. Vel. Quia rationabili motu ab ortu nostrę natiuitatis vsq; ad occasum mortis eũ sequi tenemur, sicut & firmamentum naturaliter vertitur ab oriente in occidẽtem. Hoc etiam quædam Ecclesiæ designant, in quibus dicentes, Gloria patri, se inclinant ad orientem, & subdentes, sicut erat, vertunt se in occidentem. Deuotio enim in diuinis officijs est obseruanda.

De Prima. *Cap.* 27.

HIs habitis de officio nocturno dicẽdum est de diurno, & primo, de prima, quæ appellatur hoc nomine eoquod illud officium in prima hora diei, idest, in ortu solis agi soleat & similiter Tertia, Sexta, & Nona dicũtur propter alias horas diei talibus officijs dicatas. Significant autẽ hęc quatuor officia allegoricè discursum legis Euãgelicæ: tum ex natura psalmi, Beati immaculati, in eis decantati: qui per octonarios versuum procedens proprietatem habet legis Euangelicę: quę resurrectionem Christi præteritam sępius commemorans etiam aliorum sanctorum resurrectionem futuram prædicat atque expectat in octaua mundi ætate. Tum etiam ex ordine istorum officiorum diei ad nocturnum officium procedens. Siquidem in matutinis varias mundi ætates pręteritas commemorando per nocturnos, tandem circa aurora deuenimus ad laudes quibus pro gratia legis Euangelicæ nobis reuelatæ Deum laudabamus multipliciter. Conueniens ergo fuit vt horas diurnas subiungentes de successu & profectu eiusdem legis Euangelicæ mysticè ageremus. Quia post legem istam nulla alia lex diuina reuelata expectatur in hac vita. Quare etiam in officijs Ecclesiæ post illam commemorationem legis Euangelicæ in tertio nocturno matu-

tinorum & in laudibus habitam non erat cælebranda per horas diei aliqua alia lex post istam futura. Sed neque lex mosayca præterita. Cuius statum nocti comparauit Apostolus; relinquitur ergo vt in horis diurnis de sola lege Euãgelica diei assimilata ageretur; quatenus de ea fieret a fidelibus latior contemplatio & prolixior decantatio. Quod in hora prima sit laudandus Deus, adest authoritas D. Clementis lib. 8. cõstitut. Apostolicarum. cap. 40. Præces vestras facite diluculo, Tertia hora, Sexta, Nona, Vespere, & in gallicantu, diluculo gratias agentes, quoniam illuminauit nos Dominus expulsa nocte, & inducto die. Et sanctus Athanasius de virginitate ait: Oriens sol videat librum in manibus tuis, post Tertiam, & cæt.

Moraliter quoque istæ horæ diurnæ: post matutinos principium bonæ vitæ, idest, pænitentiam significantes vt iam dictum est ad perfectum & perfectionem virtutum aptari possunt, testãte Apostolo Paulo; fuistis, inquit, aliquando tenebræ, idest, peccatores; nnncautem lux in Domino, idest, iam iusti. Nox ergo & tenebra statum peccati mortalis significat: quare & officium nocturnum de diuinis laudibus pænitentiam & conuersionẽ peccatoris ad Deum significare prius diximus quæ conuersio est principium bonę vitæ hominis: ergo officia diurna ad exercitium virtutum & continuum perfectum iustificati hominis sunt referenda, iuxta illud Sap. dictum: Iustorum semita quasi lux splendens crescit vsque ad perfectum diem.

In prima itaque Deum laudare debemus, tum quia est initium diei, & nobis dedit noctem cum salute; & sine Satanæ impedimento transire: tũ quia tali hora Christus Pilato traditus est a Iudæis, & etiam Angelos nunciauit mulieribus ad monumẽtum orto iam sole venientibus, eum surrexisse: eadẽ etiam hora visus est in litore maris a discipulis piscantibus. Tum, quia eadem hora, Dominus veniebat in templo, & populus manicabat, idest, mane expectabat, vel, manicabat, idest, ad eum mane festinabat, mane ibat habent tex. aliqui Luc. 21. vide Iansen. comment. in concor. Euang par. 4. cap. 27. in fine; tum etiam, quia scriptum est Luc. 12. Primum quærite regnum Dei.

Merito ergo in hac hora Ecclesia Dominum laudat, & inuocat, dicens: Deus in adiutorium meum intende, cum glorificatione sequenti, & inde petit liberari, & a persecutione mundi, & a tentationibus diaboli, vt patet in hymno, Iam lucis.

In prima hymnus est inuariabilis, quoniam qualibet die pręmissa liberatione egemus. Similiter & in Completorio, *Te lucis*, in quo petit Ecclesia a phantasmatibus liberari, quia etiam huiusmodi liberatione semper egemus. Vel præmittitur hymnus psalmis in prima & alijs tribus horis diurnis; & hic, in singulis horis inuariabilis est per omnes dies totius anni; ad significundum fidelium iubilationem quotidianam de qualitate temporis diurni: quod ex sua natura iucundum est; quia liberat nos a tenebris & carcere noctis qua impediebamur in multis operibus bonis: sed orto iam sole poterit exire homo liber ad opus suũ tota die. Et quia delectatio auget operationem vt habemus in Ethic. ideo præmittitur hymni delectatio psalmis operationem significantibus. Eadem ratio posset dari de hymno Completorij, quare sit inuariabilis.

Deinde intonatur antiphona pro tẽpore; quæ in his quatuor horis diei sola vna præmittitur antiphona tribus psalmis cuiuslibet horæ; quam quędã Ecclesiæ numquam variant saltem in officijs de tempore; ad significãdum, scilicet, vnitatem charitatis necessarię ad omnia bona opera, quæ etiam inuariabilis est & numquam excidit; vt

Apost.

Apost. dicit. Aliæ tamen Ecclesiæ rationabilius istas antiphonas variant, & alias habent pro Dominicis, alias pro ferijs, & alias pro festiuis diebus sanctorum vt nostra Romana: quia vt ait Greg. ex vna charitate multæ aliæ virtutes procedunt ad diuersa bona opera inclinantes. Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, & cæt. Non est etiam bonum quod tot partes eiusdẽ officij sint inuariabiles per omnes dies ne fastidium generent apud simplices fideles; ergo cum inuariabilitate hymnorum onerosa esset antiphonarũ idẽtitas per omnes dies; maximè, quia varietas partium in vocibus sicut, & in coloribus bene disposita, pulchritudinem affert.

In Dominicis infra annum quando fit de Dominica, antiphona est inuariabilis ad omnes has quatuor horas, scilicet, Alleluia, & dicitur, quia (vt alibi diximus) Dominica dicata est sãctissimæ Trinitati, & ideo ad quamlibet personam, dicitur, & cantatur vnum alleluia, idest, laudate Deum. Et quoniam tempus paschale repræsentat tempus futuræ beatitudinis in quo habebimus plenum gaudium, & præcipuè cum corpora nostra habebunt quatuor dotes de quibus dictum est in explicatione Symboli, ideo propter has quatuor dotes, cantantur quatuor alleluia, & similiter in Missa. Nam & horæ diurnę & Missa pertinent ad lucem (vt supra probatum est) & ad tempus gratiæ & gloriæ, vbi erit perfectum gaudium.

Post antiphonam sequũtur psalmi. Et primus psalmus est, *Deus in nomine tuo saluum me fac;* qui psalmus dicitur ea de causa qua & hymnus, in quo orat Ecclesia a periculis; & ab inimicis liberari. deinde se armat: primo contra hostes cingulo castitatis, dicens; *Beati immaculati in via.* Secundò, galea salutis, scilicet, spe, dicens: *Retribue seruo tuo.* Tertiò, scuto fidei, cum dicit quicumque Symbolum Athanasij, in quo fides nostra cõtinetur. Quartò, sumit gladium Spiritus, quod est verbum Dei, dum dicit capitulum, siue lectionem, quæ pertinet ad doctrinam, quia oportet vt præcedant bona opera, quæ per psalmos significantur; & tandem sequatur doctrina de spiritualibus, & secretioribus iuxta illud. Act. 1. cæpit Iesus facere & docere.

In festis duplicibus sunt tres psalmi. Deus, Beati, & Retribue; vt in tribus horis munimentum contra impugnationes interiores, & exteriores habeamus. Item, sunt tres psalmi in qualibet hora istarum quatuor, ad insinuãdas duodecim horas diei, in quibus Deum laudare obligamur.

Psalmus, Beati, est vnus tantum cũ alijs, qui recitantur in Tertia, sexta, & Nona: & est psalmus plenus bonis moribus, magnæque virtutis; & ideo dicitur quotidie. Continet autem duodecim capitula, qui psalmus secũdum Ambrosium est paradisus pomorum, & apotheca Spiritus sancti; ideo Ecclesia ruminat illum per horas, vel species aromaticas paradisi, vt sit Species aromatica Deo & mundo. Sed de hoc dicetur in eius expositione.

In diebus autẽ Dominicis infra annum quinque dicuntur psalmi ad primam, scilicet, præter prædictos, dicitur, Confitemini: a Septuagesima autem vsque ad pascha, loco, confitemini, dicitur, *Dominus regnauit,* quod ideo fit ne aliquid de psalterio prætermittatur, quin totum psalterium dicatur, & hac etiam de causa, recitantur psalmi, *Domini est terra:* in feria secũda, & alij in alijs ferijs. Et hæc est prima ratio, siue causa huius positionis: Si qua erit, dicetur in lib. 4. in expositione psalterij Romani.

Secunda ratio est, quia ibi, scilicet, in psalmo, *Confitemini*, reperitur iste versus, Hæc dies quam fecit Dominus: agit enim de resurrectione, ad quam omnes dies Dominici pertinent

eadem

eadem ratione, dicitur, *Dominus regnauit*, tempore Septuagesimę, quando non recitatur, Confitemini: qui & ipse pertinet ad resurrectionem quando Dominus indutus est fortitudinem suam resurgendo.

More Ambrosiano eadem de causa, omni dominica, etiam si festiuitas agatur, & in hebdomada paschali psalmus iste cantatur. Symbolum vero Athanasij omni die illum recitat, quia quotidie fides est a fidelibus confitenda.

Post capitulum sequitur Responsorium, *Christe fili Dei viui miserere nobis:* vt Ecclesia ostendat se innuere & applaudere his, quæ in illo dicta sunt: nihilominus tamen orat pro se. Vnde postea subijcitur versus, *Exurge Christe*, idest, fac nos exurgere; exurgere autem a vitijs nihil aliud est, quam ad Dominum redire. Versus autem Responsorij notatur secundum occasionem festiuitatis; vt quando fit de Beata Virgine, respondet respons. *Qui natus es de Maria virgine*. In aduentu, *Qui venturus es in mundum*. & cæt.

Quædam Ecclesiæ non dicunt capitulum nec Responsorium in prima, licet dicant Versum, *Exurge Domine*, & hoc maximè in Aduentu & septuagesima: & per hoc (vt aiunt) repręsentant morem Apostolorum Christi; qui post Ascensionem Domini & ante Aduentum visibilem Spiritus sancti in eos (qui in Tertia repræsentatur) non prædicabant populis sermonem doctrinæ: sed erant perseuerantes in orationibus & in alijs bonis operibus. Capitulum autem (vt alibi dictum est) doctrinam prelatorum Ecclesiæ significat, seu prædicatorum, & Responsorium denotat fructum illius doctrinæ in auditoribus; ideo isti putant quod fideles a principio diei ante horā Tertiam deberent solum vacare orationibus & alijs bonis operibus. Postea vero in alijs horis quasi accepto iam Spiritu sancto debent prædicatores vel prælati populum docere; ideo dicuntur iam capitula cum suis Responsorijs in Tertia, Sexta, & alijs vsque ad finem diei.

Subsequenter dicūtur præces; nam in Concil. Agath. de consec. distinc. 5. conuenit: Statutum est, vt præces & etiam capitula in horis dicantur. Incipiuntur autem pręcęs ab oratione dominica; cui tamen præmittitur, Kyrie eleyson, tribus aut nouem vicibus, & hoc fit genibus flexis ad significādam humilitatem nostram, (quia de terra sumpti sumus) & miseriam huius vitæ in qua sumus: quam etiam Deo ostendimus per, Kyrie eleyson, idest, Domine miserere: vel vt erubescamus eleuare oculos ad cælum. Vel dicitur ter ad denotandum tres status diuinitatis & maiestatis, quos in Ecclesia aliquo modo cælebramus. Primus siquidem status fuit ante assumptam humanam naturam: quando videlicet Trinitas inuocabatur sine copulatione humanæ naturæ, & dicebatur, Dominus, quia Dominus nomen illi. Secundus status fuit post assumptā humanitatem, scilicet, quando Christus videbatur in terra; & nihilominus credebatur a suis Deus, & filius Dei: nam propter assumptam humanitatem, quæ vncta est oleo spirituali, vocatur Christus. Tertius status fuit ex eo tempore, quo voluit clarificari assumptam humanitatem plusquam esset, quandiu mortalis erat, quia ergo in illa clarificatione ostensa est, & etiā demum Trinitas, ideo dicimus ter in præcibus, Kyrie eleyson.

Sed qui tribus tantum vicibus hoc dicunt: triplicem miseriam nostram Deo ostendunt, scilicet, natiuitatis, vitæ, & mortis: vel tentationem mundi, carnis, & dæmonis. Vel, denique sunt illa tria ad quæ præces sunt dirigendæ. Et statim dicemus. Qui autem nouies Kyrie eleyson, dicunt candem triplicem miseriam nostram cuilibet diuinę personæ seorsū exponunt,

&

& sic nouenarium faciunt ad sensum alias dictum.

Dicuntur autem propter tria. Primo, ad resecandas superfluas cogitationes. Secundo, ad impetrandam misericordiam, propter oues errantes, & operarios fatiscentes. Tertiò, ad postulandum auxilium contra tentationes, vt possimus in Dominica oratione patrem securius inuocare.

Hæ autem præces differũt a primis supra explicatis de matutino & Vesperis. Principium tamen est idem, scilicet, incipit a, Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Christe dicitur in medio; quia secunda est in Trinitate persona, & quia est mediator Dei & hominum.

Sequitur deinde oratio Dominicalis, & dicitur secrete: primo, vt per hæc verba humilitatis, & orationis deuotio excitetur. Secundo, vt quasi ad interiora reuersi ipsas res cum magna diligentia mente capiamus, quas verbis pronunciamus. Tertio, quia in ea Deo loquitur, qui non tantum verba, sed renes, & corda scrutatur. Quarto adnotandum, quod oratio ipsa potius habet efficaciam in deuotione cordis, quam in clamore oris. Quintò, ad præparandas mentes fidelium ad ea, quæ sequuntur abijciendo muscas a phantasia. A Sacerdote hebdomadario debet dici stando, scilicet, ad Vesperas, & ad matutinum vt supra diximus lib. 2. cap. 72. Et cur ita debet dici, in fine.

In præcibus autem cuiuslibet horæ canonicæ tria principaliter petit Ecclesia a Deo; primum est, vt purgentur per gratiam Dei mentes nostræ a mundanis desiderijs, & vanis cogitationibus. Secundum, vt concedatur indulgentia ex diuina misericordia & vera pænitentia his, qui peccarunt. Tertiũ est, vt tribuatur auxilium gratiæ Dei iustis tentatis ac tribulatis ne deficiãt in certamine. Finis orationis Dominicæ altè pronunciatur, vt ab omnibus confirmetur, quod petiuimus; quia secundum August. Impossibile est multitudinem non exaudiri. Principium quoque altè pronunciatur vt inuidentur adstantes ad orandum.

Consequenter dicitur, Credo, in quo fides nostra continetur: sine qua impossibile est placere Deo: & dicitur voce demissa: Finis vero alte, ad notãdum, quod corde creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutẽ. Extr. de sac. vnc. & dicitur tantum in prima, & Completorio, ad protestandam fidem per totum diem, & similiter per totã noctẽ inuiolabiliter obseruãdam.

Deinde Sacerdos quia est in aurora, quasi suspirans, clamat ad Deum dicens: *Et ego ad te domine clamaui.* Respon. *Et mane oratio mea præueniet te.* Nam præueniendum est in principio diei, vt possimus deinde petere quid velimus concedi: iuxta illud. De profundis clamaui ad te Domine. Sed quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris, quia, Peccatori dixit Deus; quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuũ. 3. qu. 7. §. quod instatur; ideo petit sibi gratiam confitendi; qua repletus possit dignè laudare, dicens, Repleatur os meum laude, vt cantem gloriã tuã.

Deinde sequuntur multæ præces, quibus Ecclesia Romana vtitur secundum doctrinam Apostoli. 1. Timot. 4. scilicet, Obsecrat, orat, postulãt, & gratias agit. Obsecrat cum dicit: *domine auerte faciem tuam a peccatis meis.* Propriè autem obsecratio est, cum petitur cũ adiuratione; vt cum dicitur: per crucem & passionem tuam libera nos Domine. Orat, dum bona sibi dari petit, ibi: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Postulat dum a se mala sibi contraria remoueri petit, vt ibi: *dignare domine die ista sine peccato nos custodire.* Gratias verò agit pro iam receptis: vt ibi: *Benedic anima mea domino,*

no. quando dicuntur præces in diebus ieiuniorum.

Rursus in his præcibus Ecclesia orat pro peccatis,& presertim pro quatuor orat; primo, pro immundicia remouenda. Secundò pro mundicia cōferenda. Tertiò, pro tristitia, quæ est ex morsu conscientiæ remouenda. Quartò, pro lætitia conferenda. Et ideo aliquæ Ecclesiæ adiungunt psal. miserere mei Deus: quem nomine cuiuslibet peccatoris locum pænitentiæ quærentis a Deo introducunt. Pro his dicit quatuor; primo pro immundicia remouenda ibi: *Auerte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*. quasi dicat. Noli ea æternaliter punire: Sed quia posset esse quod homo non curaret ea deleri: ex quo in præsenti non puniretur; ideo addidit: & omnes iniquitates meas dele.

Pro mundicia conferenda dicit: Cor mundum crea in me Deus. Sed, quia etiam collata munditia, homo eam sibi collatam ignorat;& adhuc consciētiæ morsu torquetur: ideo addidit *Ne proyciás me a facie tua. Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me*.

Quartò, pro lætitia conferenda dicit: *Redde mihi lætitiam salutaris tui; Et spiritu principali confirma me*. Sed quia adhuc restant inimici, qui nos ad mala trahere nituntur, scilicet, caro, mundus, & diabolus; & hoc conantur præcipuè in tempore ieiunij, ideo sequitur tunc: *Eripe me domine ab homine malo*; & alij sequentes versus. Inimicis vero repulsis iam laudare potest vnde subdit: *Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi*. Et quia omni tēpore laudādus est Deus. Resp. *Et reddā uota mea de die in diē*. Et etiā in omni loco; ideo addidit: *Exaudi nos Deus salutaris noster*. Adhuc quia per passionem redempti sumus, & per eam nostra oratio recipit efficaciam: ideo reducimus ad memoriam, quæ in passione Domini legimus, & cantamus, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis*.

Inde hortamūr ad benedicendum Deo propter beneficia nobis collata; *Benedic anima mea Domino*; deinde vt pura sit oratio, consequenter communem facit confessionem; facta confessione, quia est in principio diei, ideo subdit: *Dignare Domine die isto*; orat a peccato per diē liberari: sine quo peccato vix potest esse ad momentum humanitatis fragilitas. Et quia necesse est vt misericordia sequatur sicut præuenit, ideo addit: *Fiat misericordia tua Domine super nos*.

Dicendo has præces sacerdos stat etiam flexis genibus, sicut faciunt cæteri, vt maiorem deuotionem in se, & in alios excitet: sed finitis surgit & orat. Primo ergo iacendo cum cæteris orat: sicut & Dominus, cuius vicarius, priusquam resurgeret, cum peccatoribus conuersabatur; & in cruce prostratus est. Postea stando orationem dicit: vt illius resurrectionem recolat, cuius vicem gerit. Stando dicit, quia illius sacerdotis vicem gerit, qui in cœlo est: & qui pro nobis quotidie interpellat. In paschatis die non dicuntur præces, quia dicit Dominus: In die illa nō rogabitis me quicquam, vel quia cum glorificati resurrexerimus, non indigebimus istis petitionibus, obsecrationibus, & postulationibus. Similiter in festis sanctorum dupliciter propter lętitiam festiuitatum, in quibus recolimus sanctam societatem angelorum, & sanctorum. In quibusdam ecclesijs omnes resurgunt, denotantes se spem recepisse resurgendi a peccatis: tamen more Romano hoc non fit nisi dicto, Benedicamus Domino, vt docet Breuiarium Romanum. Vbi hic notandū est, quod sola Ecclesiæ vnitas adorando in faciem cadit.

In profestis autem diebus quandoque prostrati oramus in quo octo significantur. Primò, infirmitas corporalis,

ralis, quia de puluere sumpti sumus. Secundo, infirmitas animi, quia per nos non erigimur. Tertio, est erubescentia, quia non audemus oculos in cœlum eleuare. Quarto, prudentia, quia uidemus vbi cadimus, idest, in terrenis affligimur. Quinto, vt cordis cōtritionem significemus. Sexto, quia Christum adorantes, eum ad terram descendisse, & carnem de terra credimus induisse, & hoc etiam quidam figurant, qui volentes sibi signum crucis imprimere, prius inclinati, terram manu tangunt: vt communiter faciūt Græci. Septimo, quia reducimur ad memoriam, licet in Paradiso Angelici creati fuerimus, corpora tamen nostra propter lapsum nostrum inter animalia bruta iacere, & animam corporali mole grauari. Octauo, vt ipso actu confiteamur nos esse peccatores, & terrenis desiderijs inhærere, ventrem terræ & animam pauimento infigimus, & hoc est introductum ab Abraham, qui cadens in terram, Dominum adorauit, quem Prophetæ imitati fuerunt. Vnde Origenes in Homilia illius Euāgelij: Erant Ioseph & Maria mirātes; ait: Sancti Prophetæ quando angustius aliquid contemplabantur, cadebant in facies suas, vt peccata per ruinam corporis plenius purgarentur. Quandoque etiam in priuatis orationibus genua flectimus vt Salomon; & Apostolus quoque docet die. Flecto genua mea ad Patrem Dominum nostrum. Extra de immun. eccl. decet. vt per hoc omne genu Christo flecti innuamus; sed tunc non prostrati; sed facie erecti stamus, quasi ipso actu dicentes: Trahe me post te.

His habitis & finitis dicitur oratio, in qua petitur custodiri a peccatis, atque quotidie in melius tendere, & respondetur, amen, ac si dicat: sicut postulasti, ita nobis fiat.

Post, *Benedicamus Domino*, legitur Martyrologium, quia magis mouent exempla quam verba, vt non pigeat imitari (ait Augustinus) quod cælebrare delectat.

Postea sacerdos implorat orationes ipsorum sanctorum, dicens: *Pretiosa in conspectu Domini*; *Mors sanctorum eius* respondet statim chorus: deinde incipit inuocare sanctos, addens: *Sancta Maria & omnes sancti*, & habita responsione aliorum, amen, quasi sanctorum fauore fretus: iterum audet loqui ad Deum & petere auxilium gratiæ eius ad bona opera totius diei, dicens: *Deus in adiutorium meum intende:* & hoc facit ter: & quia hoc dicit in honorem Trinitatis, ideo in vltimo subditur *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*: nec post sequitur alleluia: & ratio est, quia locus in quo dici hæc solebant, erat locus capituli, vt adhuc faciunt Cassinenses; qui locus capituli non est sacer. & quia sicut locus sacer significat Ierusalē, in qua auditur vox illa, alleluia; ita locus non sacer peregrinationem repræsentat in qua peccamus. Vel, non dicitur alleluia, quia ibi agitur de nostra miseria & laboriosa peregrinatione; in qua continuè peccamus, & ideo continua egemus Dei misericordia: quare loco alleluia, subdit, *Kyrie eleison*, idest, Domine miserere. Vel dicit ter Deus in adiutorium, vt petat auxilium contra mundum, carnem & diabolum; Non fit crucis signatio; quia quando fit ad, Deus in adiutorium, non fit ratione huius versiculi, sed ratione principij horarum, & ideo cessat huiusmodi actio. Deinde dicit aliam orationem generaliter pro omnibus, vt pastor bonus, exēplo Christi, qui cœpit facere deinde docere; nā per Primā, pastoris opera intelliguntur. Vnde & subditur. *Respice in seruos tuos & in opera tua, &c.* Deinde aliam orationem generalem, scilicet, *Dirigere & sanctificare, &c.* quod spectat ad custodiam tam corporis quam animæ: ideo cum dixit, *Respice in seruos tuos, &c.* statim subdit: *& dirige filios eorū*: filij nostri sunt cogitationes nostræ,

quæ de mente nostra nascuntur, quas ad opera Domini implenda rogat dirigi; opera vero manuum nostrarũ sunt opera exteriora quæ interius a cogitatione procedunt, sed quia omnia ad vnum tendũt: ideo postea dicit; opus, singulariter, cum dicit, *Et opus manuũ nostrarum dirige*. Vel. Illa deuota oratione; *Dirigere dignare Domine*: petit gratiam Dei qua dirigantur sensus & corda nostra ad opera mandatorum legis Dei qua gratia obtenta, audet dicere; *Adiutorium nostrum in nomine Domini*. Et aliquæ Ecclesiæ subdunt, laudate Dominum omnes gentes. Laudate scilicet, pro tanto beneficio, dicẽdo: Quoniam confirmata est super nos misericordia eius &c. Denique aliquæ ecclesiæ, alia breuiore oratione, scilicet, actiones nostras: cõmendant Deo omnes fidelium actiones in toto die: quatenus ipse eas bene aspirando præueniat, & cooperando comitetur, atque perficiendo subsequatur.

Hic notatione dignũ est, quod ista, *Pratiosa in conspectu Domini* non est pars officij horæ Primę: cuius signum est quia non omnes Ecclesiæ eam dicunt in hoc loco: sed quædam in matutinis, aliæ post Nonam, aliæ aliter, cum sit quædam deuotio, seu deuota oratio præter omnes horas canonicas; licet ex institutione Ecclesiæ sit quotidie Ecclesiasticis iniuncta. Romanæ tamen Ecclesię modus qui ponit, Prætiosa in fine Primæ, eo est rationabilior quo communior, vtpote quod sacerdos qui ad Deum orauerat in Prima etiam ad sanctos eius se conuertat dicens illud psalmi: *Pratiosa in conspectu Domini, &c.* post incipit inuocare sanctos.

De Tertia. Cap. 28.

AD officium Tertia nunc accedentes breuiori sermone dicamus; quod in hac hora Deum laudare tenemur propter multa. Tum quia in ea primi nostri parentes Adam & Eua peccarunt, vt elicitur ex Genes. 3. ex quo peccato facta est corruptio totius naturæ humanæ, & infectio peccati originalis: quod est radix & fomes omnium peccatorum actualium: quorum uenia a Deo petere intendimus in hoc officio; ex quo radix eorum in tali hora incępit. Tum quia eadem hora in Die Pentecostes lex vetus fuit data Moysi in Monte Sinai, vt colligitur ex verbis Exodi 19. Tum quia in simili hora Christus in die suæ passionis fuit in domo Pilati flagellatus, irrisus & spinis coronatus pro nostra redemptione: & tunc Iudæi instabãt uocibus magnis ut Crucifigeretur: qua de causa Euangelista Marcus, dicit Christũ hora Tertia Crucifixum, scilicet, linguis Iudæorum. Tum denique quia in tali hora diei Pentecostes spiritus sanctus effusus est in Apostolos, vt notatur in hymno huius officij. & ideo propter hoc recitatur hymnus de spiritu sancto, scilicet; *Nunc sanctæ nobis spiritus*. & dicitur psalmus, *Legem pone mihi Domine*, quia tali hora data est lex Noua Apostolis in eadem die: quapropter, etiam in ista die. s. Pentecostes, & per totam octauam dicitur, *Veni creator spiritus*, eadem ratione.

Et quoniam per legem Dei homo sanatur a morbo, ideo est lectio infra annum, *sana me Domine* Ierem. 17. In diebus ieiuniorum dicuntur præces, in quibus petitur vultus Dei placabilis. Antiquitus erant illæ, quæ recitantur ad Vesperas, sed hodie breuiores sunt secundum vsum Romanum.

Et licet hymnus huius officij & psalmi nunquam varientur: tamen capitulum sicut & Antiphona pro diuersitate dierum &, temporum anni atq; festiuitatum occurrentium diuersificantur. Tres autem sunt psalmi, vt notetur officium diurnum fieri in honorẽ sanctiss. Trinitatis. Post Respõsorium, dicitur Versus alta voce a pueris, vt incitentur auditores ad attentionem

non

non solum præcedentium, sed etiã pro oratione sequenti: quam sacerdos in fine proferens pro se & pro toto populo concludit per, *Benedicamus Domino*: tamen in diebus ferialibus post Versum & ante orationem dicuntur præces si sunt dicendæ. Appellatur Tertia, & non secunda, quia non est attendendus ordo numeri, sed mysterij. Secunda siquidem hora neque in sacris scripturis cęlebrata inuenitur, neque in ea aliquod præcipuum, aut insigne redemptionis nostræ sacramẽtum memoratur fuisse completum. Ita dic, de quarta, quinta, &c.

De sexta. Cap. 29.

IN hora sexta, quæ est meridies, Deũ laudare iubemur officio Ecclesiastico propter has maximè rationes. Tum quia in ea primi parentes nostri folijs arborum sese cooperientes absconderunt a facie Dei, & inuenti, peccatum suum excusare voluerũt. Tum quia in die suæ passionis Christus pro eis uolens satisfacere Deo patri, hora sexta a iudice condemnatus, & a ministris Crucifixus est. Tum quia per Samariam transiens illa hora fessus, sedit super puteum Iacob propè ciuitatem Sichem, vel Sichar. Demum quia Ascensio Christi ad cælos vt colligi potest ex textu Actuum primo, circa meridiem etiam creditur facta fuisse. Hymnus etiam huius officij, *Rector potens*, expresśè meridiem nominat: & per calorem illius horæ feruorem charitatis Christi erga nos designat: qua per passionem suam nos a morte liberauit: & per Ascensionem viam vitæ æternæ reserrauit. Item, hora sexta cum Christus Crucifixus est, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vt sol in morte Domini sui lugẽs, se quasi nigris tegeret vestibus ne Crucifigentibus illis lumen præberet. Merito ergo Ecclesia illa hora laudes exhibet Deo, gratias ei agens, quia pro ipsa Christus pati uoluit: propter quod ipsum diligit vehementer. Vnde cantic. 5. dicit. r. Nunciate dilecto quia amore langueo: & ob hoc dicitur psalmus. *Defecit in salutare tuum anima mea.* & Resp. dic. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Et quia vt diximus hac hora Adam peccauit: r. ctè ergo Deũ hac hora depræcari debemus, vt vnde ille propter superbiam peccauit, & postea eiectus est; illuc per humilitatem, & bonam operationem redeamus: quod facilius erit, si vnusquisque alterius onera portabit, vt dicit lectio annualis.

De Nona. Cap. 30.

IN hora Nona Deum laudamus iustè quidem & rationabiliter. primo, quia primi parentes nostri de paradiso eiecti sunt. Secundo, quia propter correspondentiam reparationis Christus in die suæ Passionis, hora Nona spirans cęlum nobis aperuit: dum spiritum suum patri cõmendauit. Mori enim voluit in illa hora in qua homo de Paradiso expulsus est. In eadem hora miles lancea latus Christi aperuit: ex quo duæ nostrę saluationis sacramenta, scilicet, aquam Baptismi, & sanguinem nostræ redemptionis nobis eduxit: & velum tẽpli scissum est, & monumẽta aperta sunt. Eadem hora inferna penetrans captiuitatem sanctorum secum transuexit ad cęlos. Eadem quoque hora cętus Apostolorum ad orandum conuenire consueuit. Petrus, & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis Nonam. Act. 3. Merito propter has prærogatiuas Ecclesia Deum laudat dicens. *Mirabilia testimonia tua.* q. d. Mirabilia opera & miracula contigerunt in die Passionis Christi, in testimonium suæ diuinitatis. Responsoria. *Redime me Domine, & miserere mei.* orans pro sua redemptione; ne oblita esse videatur, quod tali hora redempta est.

Nota-

Notatione dignum est quod Versus, qui dicũtur ad Tertiam, Sextam, & Nonam; neumam habent: ad designandum, quod in nulla hora exprimere ualeamus gaudium, & brauium sempiternum. Accipitur Neuma pro flatu in præsenti, siue pro spiritu: non pro pausa.

Secundo nota quod in qualibet hora, dicuntur tres psalmi, ad notandũ, quod huiusmodi officium recitatur in honorem Sanctissimæ Trinitatis.

Finita Tertia, solet Missa cantari. Quo autem modo cantetur, supra diximus. Et nota quod debet reseruari saltem Nona post Missam: quia sicut sacerdos finita Missa priuata gratias agit Deo: sic post Missam solemnem chorus gratias agere debet, scilicet, recitando Sextam, vel Nonam, vt docet Missale: dedecet enim statim cantata Missa a choro ita decedere, absq; gratiarum actione. Et sic etiam ante Missam faciundum est, scilicet, recitãdo aliquam horam in pręparationem chori. Sicut enim facit sacerdos præparationem ante Missam priuatam, & post, gratias agit: ita se debet habere chorus recitando, aliquam horam, & ante, & post. Sed circa hoc seruentur Rubricæ Missalis refor. quare verò sic præcipiant, dicitur supra. Et quia psalmus 118. quotidie in his quatuor horis recitatur; ideo non erit inconueniens breuem eius expositionem ponere, dicendo causas cur ab Ecclesia iste psalmus ita frequentatur, & non alij; vt non ignorent clerici ad quid cantetur, vel dicamus motiuum huiusce sanctæ institutionis: deinde in psalterio exponetur litera sicut fiet de omnibus psalmis per ferias ordinatis.

De Psalmo 118. Cap. 30.

QVoniam iste psalmus, Beati immaculati, est frequentissimus apud Ecclesiasticos: ideo quædam ponemus excerpta ex grauissimis authoribus, cætera relinquentes in sequenti libro, nostri psalterij Romani. Iste psalmus per octonarios versuum procedens, noui testamẽti gratiam miro resonat artificio. Est enim metricè compositus in hebręo sermone: & procedit per literas alphabeti hebraici; ita quod cuilibet literæ correspondent octo versus ab ea incipientes. Vnde cum duæ & viginti sint literæ apud hebræos vt testatur D. Hieronymus; constat totidem esse octonarios versuum in hoc psalmo: Qui sicut in exteriore artificio grammaticali apparet speciosissimus: suaque magnitudine longè alios omnes psalmos superat: ita in sensu interiore est fęcundissimus in omni virtute & bona doctrina. Est enim velut quædam apotheca totius religionis & sanctimoniæ: qui & solus sufficeret institutioni cuiuslibet viri perfecti; si cõtinuè illum perlegeret, ruminaret, atque meditaretur. Et non est mirum si Ecclesia statuit quotidie decantãdum a clericis in choro per horas diei a mane vsque ad vesperam; vt sit eis quasi panis quotidianus, idest, quotidie legendus, conficiendus, edendus, digerendus, ac incorporandus: quare valdè commendandus est, & præcipuè propter septem eius ornamenta. Primum, est laus multorum sanctissimorum doctorum, qui hunc psalmum super alios psalmos omnes totius psalterij mirificè comendarunt, nempè, Ambrosius, Augustinus, Cassiodorus, & alij, qui eius expositioni multiplici insudarunt. Horum enim authoritas sufficit adhoc vt iste psalmus habeatur quasi totius vitæ Christianæ speculũ, paradisus, deliciarum, apotecha omnium medicinarum, liber omnium moralium sententiarum, & demum sicut firmamentum stellarum. Nam quilibet versus non indignè dici potest has omnes habere per figuram proprietates.

Secundum ornamentum, est magnitudo huius psalmi, tam in numero ver-

versuum quam in profunditate senten tiarũ. Habet enim octies vigintiduos: hoc est, 176. versus. Qui numerus sicut excedit omnium aliorum psalmorum numeros: ita etiam noui & veteris testamenti Sacramenta explicat. Nam vigintiduo ad vetus testamẽtum pertinent, cum sit numerus hebraicarum literarum: similiter & librorum veteris legis: quos B. Hieronymus cõputat in prologo Galeato. Octonarius vero ad nouum refertur testamentum cum sit resurrectione Dominica & beatitudinibus Euangelicæ consecratus.

Tertiò, iste psalmus præstat cæteris, in planicie, seu claritate verborum. Est enim perfacilis in superficie literę, qui etiam a pueris intelligi possit. Sed (vt ait August.) quanto in facie videtur apertior: tanto est mysteriorum altitudine profũdior: in quo fluuio & agnus peditat, & Indus Elephas natat. Causa enim longitudinis potest esse vt populus piè & cum fructu quotidie occuparetur in recitando. Videtur autem esse compositus vt in itinere caneretur, cum ter in anno, & pręcipuè in pascha te sine exceptione tenebantur omnes ex omni parte mundi ascendere in Ierusalem vt adorarent in tabernaculo. Deinde sequuntur Psalmi Graduales, qui recitabantur in ascensione graduũ ipsius tabernaculi. Cur quotidie recitatur paulo inferius, explicabitur.

Quartum, est quod iste psalmus excedit cęteros, quia est eis doctrinalior, idest, melior artificio docendi procedens, scilicet, per literas alphabeti notissimas, & præclaro genere metri scilicet, eligiaco (ait origenes) idest, aures fidelium suauissimè demulcet, scilicet, decantando erumnas, & amores, quærimoniasq; hominum, vt faciunt versus Eligiaci. Nec arbitrandum est solũ a casu, vel humana phantasia hunc psalmum procedere per illas literas apud hebræos, (eo modo quo procedit ille hymnus apud nos, A solis ortu cardine:) sed si grauioribus authoribus Ambrosio, Augustino, Cassiodoro credimus; grandia mysteria crepitant literæ istæ alphabeticæ quasi tituli præmissæ versibus suis. Sunt enim quasi apertissima elementa scholæ spiritus sancti; quibus adhuc tenera & lactans viri iusti nutriatur infantia. Nam sicut pueri hebręorum in his literis primum legendi vsus accipiũt: ita serui Dei his versibus quasi elementorum bene viuendi modum addiscunt. Accedit ad hoc earundem literarum nominum interprætatio; quæ ordinatè disposita totam huius psalmi sententiam, totamque eius continentiam breui epilogo explicat. Concordant omnes catholici doctores nominatim Eusebius, de præparatione Euangelica. Hieronymus ad Marcellam de optimo genere interprætandi, & post eos Ambrosius, Augustinus, Cassiodorus, & alij multi, quod nomina literarum alphabeti in nulla alia lingua, præter hebraicam, significant aliquid aliud præter illas literas merè ad placitum authorum volentium eas sic nominare. Sed in sermone hebræo nomina literarum alphabeti omnia prius fuere significatiua aliarum rerum; vt Aleph, est doctrina, Beth, domus, Gimel, retributio, & ita de alijs vsque ad Thau, quod est signum; vt patet ex Glosa ordin. super hunc psalmum. Et ratio huius diuersitatis est, quia cum tota lex vetus sit figuralis & significatiua mysteriorum Christi & suæ Ecclesiæ; voluit Deus, quod ipsa scriberetur in ea lingua cuius omnes literæ essent significatiuæ, hoc est, in hebraica. Tota ergo summa & intentio principalis huius psalmi quam insinuant literæ capitales & principia suorũ versuum, hæc est, quod lex Dei est doctrina ducens homines ad signum, qui est Christus, caput nostrum, & medicamentum humanæ naturæ, vt infra magis declarabimus procedentes per singulas interprætationes literarum. Huius rei vnũ

simile

simile declarat sanctus August. in sermone de Natiuitate Christi allegans versus Græcos,Sybillarum, & notans literas capitales eorum eodem modo. In hoc psalm. literæ initiales versuum eius insinuant materiam & doctrinam huius psalmi, qui intendit fidelibus commendare doctrinam legis Dei,quę est via rectissima ducens homines ad vltimum finem fęlicitatis æternæ ad quem velut sagittarij ad signum aspicere debent in actibus suis.

Quintum ornamentum, iste psalmus hanc habet excellentiam super omnes alias,quod in tanta suorum versuum numerositate, nullus fere versus est in quo non fiat mentio de lege Dei; quamuis ad tollēdum fastidium, & etiam ad significādum mysterium, ipsa varijs vocabulis nominetur aliquando in numero singulari, aliquando in plurali. Vocatur enim, lex,mandata,præcepta,testimonia,via,semita, iustificationes, iudicia, iustitia, & eloquia. Hæc enim omnia penè sunt idem significantia, nempè, legem domini, Deique voluntatem,& beneplacitum. Nam hæc decem nomina insinuant decem præcepta decalogi a Deo ipsi Moysi in monte Sinai data. Huius repetitionis assidue eiusdem rei mu tæ assignantur causæ a diuersis doctoribus. Vel, ad ostendendam vehementiam affectus deuoti hominis ad obseruantiam legis Dei. Vel,ad explicādam necessitatem auxilij diuini pro quolibet legis opere bene implēdo. Vel denique ad inflammandum legentis desiderium respectu verę beatitudinis ad quam optimè dirigit doctrina huius psalmi eo modo quo peregrini in terra aliena frequentissimè interrogant de via quæ eos perducat ad locū optatum; quatenus euitent omnia pericula errorum.

Sextum ornamentum huius psalmi est, quia vibrat amore Dei. Est.n.ignitus, affectuosus vt apparet ex suo modo loquendi: quia ferè in omnibus suis versibus. Sermo hominis dirigitur ad Deum in secunda persona vt sit quasi soliloquium deuotissimæ orationis, qua homo familiariter loqtur ad Deū suum; nūc quidem sicut seruus fidelis dilectissimum dominum suum,qui sēper vult bene seruire: nunc vero sicut filius carissimus ad patrem,qui in omnibus desiderat complacere, & secundum præcepta eius viuere; nunc denique sicut amicus suauissimus cupiens eius beatitudine perfrui:ideo viā quærit qua ad illam peruenire possit.

Septimum ornamentum,in hoc psalmo formatur vox omnium statuū Ecclesiæ militantis & ad Dominum peregrinātis. Ait enim Ambrosius,quod hic loquitur cum Deo omnis sanctorum chorus, scilicet, Apostolorum, Martyrum,Confessorum, Virginum, coniugatorum. Item, Dominorum, seruorum, prælatorum, subditorum, pœnitentium, & innocentium, & aliorū omniū. Colonat Augustinus,dicēs; quod hic breuiter loquitur generalis iustus cum Deo suo: modo profitendo quod accepit, modo sperādo quod meruit; hæc clarissimè apparere possunt cuilibet singulos versus deuote contemplanti: quod etiam innuit huius psalmi forma per octonarios procedens. Cuius vnaquęque pars in se perfecta est & sufficiēs; adeo vt siquis hanc doctrinam bene seruet in vita septem dierum numero reuoluta peruenietad octauam resurrectionis & perfectam circumcisionem cordis in octaua mundi ętate quando erit seruis Dei plena beatitudo supernæ patriæ. Dignè igitur cum multa deuotione & sine fastidio iste psalmus venit quotidie in Ecclesia Dei decantandus& piè meditandus; cū sit tam laudatissimus, tam latus, tam profundus, tam planus, tam artificiosus, & omni affectu pietatis repletus. Cur autem homines maiorē vim seu fastidiū, sentiant recitando hunc psalmum quam cæteros dicitur infra lib.4.in eius expositione.

His

His itaque præmissis Dauid in hoc psalmo introducit quemlibet iustum viatorem ex desiderio beatitudinis Deum orantem: vt eum dirigat per legem suam ad illam consequendam. Et quia vt principes Apostolorum Petrus & Paulus probant non esse aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos saluos, idest, beatos fieri nisi per Iesum Christum: quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius: ideo consequenter hic psalmus dirigit iustum viatorem ad Christum, qui est via veritas, & vita suorum seruorum: dirigit, inquam, viatorem vt oret Christum pro sua directione ad beatitudinem acquirendam. Et quia Ierusalem illa terrestris ciuitas Palestinę figura fuit Ierusalem cælestis in qua beatitudo sanctorum consistit; ideo in tempore vet. legis fideles peregrini vndecumque venientes Ierosolymam quotidie per viam memoriter recitabant, vel cantabant hunc psalmũ Beati immaculati, & piè meditabantur doctrinas eius, orantes Deum pro sua directione & custodia in itinere donec venirent (vt tactum est) in Ierusalem. Quam intrantes & ad templum deuotè accedentes; ad gradus scalæ templi obuium habebãt Sacerdotem; quo præuio gradus illos morose accedebant peregrini, deuotè psallentes canticum graduum, quo a psalmo 119. hunc sequente, scilicet, ad Dominum cum tribularer clamaui: incipitur. Et sic per singulos gradus singulos psalmos canentes perueniebant ad portam templi in summo gradu illius scalę vbi iam cantabant; Ecce nũc benedicite Dominum; qui psalmus est finis illius cantici. Postea vero templũ intrantes offerebant suum sacrificium Deo per manus Sacerdotis, qui pro eis orabat, &c. Hunc ordinem dicitur Rex Dauid instituisse peregrinis pro tempore illius legis, qui etiam Spiritu magno præuidens futura Christi, (per quæ fideles directi in via huius sæculi ascenderent ad illam cælestem ciuitatem & templum) hos edidit psalmos propheticos pro viatoribus in lege Euangelica. Sancta igitur mater Ecclesia Christiana in tempore legis Euangelicæ hanc figuram peregrinorum intelligens, sciensque vitam istam terrestrem & mortalem viam esse ad aliam cælestem, immortalem gloriam, quæ est finalis beatitudo: piè ac deuotè statuit hunc psalmum viæ peregrinantium quotidie in templo Dei a Sacerdotibus decantandum solemniter in horis diurnis pro se & pro toto Dei populo peregrinãte in hoc mundo ad cælestem Ierusalem, quæ visio pacis, & quietis interpratatur. Orat enim Ecclesia hoc psalmo Deum quotidie pro sua directione, & custodia in hac via ab omnibus periculis tentationum diaboli, mundi, & carnis, & aliorum etiam inimicorum corporalium, & casuum fortuitorum. Vnde constat seruos Dei in hoc mundo semper esse peregrinos, idest, extra patriam existentes, & ad illam tendentes: quod notauit Dauid in psalmo dicens: quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei: & hoc semper fuit verum a principio mundi: & ita erit vsque ad finem eius. Et quamuis apud patres legis naturæ iste psalmus peregrinantium nondum esset editus; eius tamen sententia & summa iam erat frequens more Patriarcharum: quorum omnium vocem magnus ille pater Abraham expressit cum posteris suis Isaac & Iacob; nam vt ait Apost. ad Hebræos 11. peregrinos se esse fatebãtur super terram: quod sonat interpretatio huius nominis Hebræ. s. vincens, vel transiens, vel transitor, siue transitorius: & ideo propter hoc se hebræos nominabant. Qui autem hoc dicunt (ait Apost.) significant se patriã quærere: non quidem terrenam sed meliorem, idest, cælestem. Quæ est perfecta beatitudo in cęlis. Et sicut homo ex duplici constãt natura, idest, anima

rationali, & carnes ita etiam duplex est ab eo expetenda quærendaque beatitudo, altera in anima sola, altera in corpore simul cum anima, & vtraque earum prouenit hominibus per Christum mediatorem Dei & hominum, & sine isto medio est eis impossibilis. Nam in primo suo aduentu per sacramenta gratiæ ab eo instituta procurauit nobis beatitudinem animæ: remanẽtibus adhuc corporibus sanctorum in sepulchris corruptionis. In secundo vero aduentu remota omni prorsus corruptione a natura humana glorificabit Christus seruos suos completa beatitudine corporis & animę. Sancti ergo Dei ante aduentum Christi peregrinantes in hoc sæculo primo per solam legem naturę deinde etiam per legem scripturæ reuelatam tendebãt ad Christum expectantes ab eo vtramq; beatitudinem: quia vtraque erat eis adhuc figura futura: (neque enim animę eorum ab hac vita decedentes glorificabantur in temporibus illis) sed post aduentum Christi primum, fideles per legẽ gratiæ peregrinantur, post Christum decedentes ab hac vita percipiunt ab eo beatitudinem animę: expectantes alteram stolam gloriæ in corpore: vtrisque itaque peregrinis hic psalmus debet putari communis: quẽ Dauid eorum medius pro omnibus & in persona omnium edidit indifferenter accipiens legem Dei ab eo tam sępe repetitam pro lege naturæ, vel scripturæ, vel gratiæ. Ex præmissis ergo patet non solum author huius psalmi, scilicet, regius propheta Dauid: sed etiam persona loquens hic cum Deo a Dauide introducta videlicet quilibet iustus viator in hac mortali vita. Patet etiam materia huius psalmi, quia est deuota oratio viatoris ad Deum qua petit directionem & custodiam suam per legem Dei, quæ est via ad habendam beatitudinem finalem. Patet quoque forma huius psalmi, scilicet, elegiaca per octonarios versuum procedens in singulis literis alphabeti Hebraici: quo numero tam literarum quam versuum vtriusque testamenti perfectio insinuatur nobis necessaria ad beatitudinem acquirendam. Vnde patet quod hic psalmus agens de via beatitudinis acquirendæ, se habet more ethicę philosophorum, in qua ipsi etiam disputant de via qua homines perueniant ad suam beatitudinem naturalem, hoc est, de scientijs, & virtutibus quibus peruenitur ad contemplationem primæ causæ totius vniuersi, & aliarum secundarum causarum, siue spiritualium, siue corporalium. In ethicis autem Aristot. omnium philosophorum ordinatissimus ab ipsa beatitudine, siue vltimo fine orsus est. Deinde agit de singulis virtutibus tã moralibus quam intellectualibus, sine quibus illa beatitudo non attingitur ab hominibus. Rationem autem huius ordinis statim adiecit in prohemio ethicorum, dicens; huius nimirum cognitio finis ad nostram vitam multum confert, idest, ad bene viuendum, & veluti signum sagittarij, habentes facilius quod oportet, idest, virtutem assequamur. Eodem modo iste noster psalmus in principio proponit nobis hominis beatitudinem in genere declaratam. Deinde sequitur de operibus meritorijs secundum legem Dei quibus ad eam peruenitur.

Diuisio autem huius psalmi est multiplex, primo & formaliter potest diuidi per. 22. partes secundum numerũ literarum Hæbraicarum, vt patet ex dictis. Secundò secũdum Ambrosium diuiditur in prohemium & tractatum. Nam prima litera Aleph primusque octonarius versuum videtur esse prologus ad totum psalmum: in quo generaliter (vt diximus) agitur de beatitudine, vltimoque fine hominis. In alijs autem literis & octonarijs omnibus specialiter datur doctrina moralis de medijs quibus ad illam beatitudinem peruenitur; & incipitur tractatus

tus in primo versu literæ Beth. vbi dicitur *in quo corrigit adolescentior viam suam, &c.* nomen enim primæ literæ doctrina interpretatur; & cum materia totius psalmi sit doctrina quædam moralis fidelium viatorum de medijs necessarijs ad beatitudinem; euidenter sequitur, quod primus octonarius (qui est literæ Aleph) sit titulus, & prologus totius psalmi. Et si primus octonarius est sermo de beatitudine finali; constat autem quod omnes uolunt esse beati; ideo iste psalmus docet, quod plurimi nesciunt.i. qua uia hominis tendere debeant ad ueram beatitudinem ne fortè errent deuiantes ab ea. Secundum vero vsum & modum officiorum Ecclesiasticorum; in quibus iste psalmus cantatur; quadrifida fit eius diuisio, per Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, quam diuisionem valde nostræ intentioni accommodãt in hoc opere Ecclesiastico inferius latissime subsequemur.

Nunc autem magis scholasticeagẽtes ad bimembrem diuisionem huius reuertamur. Quæ licet apud uarios Doctores uaria sit; tamen in prima expositione huius psalmi (quæ literalis est) Nicolaum Liranum imitabimur; breuiuscule recolligentes dicta eius. Quo authore supponente diuisionem prædictam a beatoque Ambrosio acceptam; primus octonarius de litera Aleph iterum diuiditur in duas partes æquales.i. quæ quaternis versibus cõstant. Primus.n. quaternarius loquitur de beatitudinis statu; secundus ibi; *utinam dirigantur;* agit de beatitudinis appetitu. Statum autem beatitudinis (quæ est beatitudo spei) declarat regius Propheta ostẽdendo qui sunt verè beati in hac uita.i. digni ex operib. suis beatitudinis patriæ (quæ est beatitudo rei) & hoc in duobus primis versibus; & qui non sunt digni ea sed potius indigni; & hoc in alijs duob. uersibus. Iterũ digni beatitudine patriæ sunt duo status hominum in hoc mũdo, s. actiui & contemplatiui. Primus versus. *Beati immaculati*; ad actiuos pertinet qui se exercentes in moribus ambulant secundum legem .i. præcepta Dei; & domant omnes suas Passiones freno rectæ rationis, vt fiant immaculati. Secundus versus, beati qui scrutantur de cõtemplatiuis loquitur qui sedatis animi passionibus continuo studio scrutãtur arcana sanctorum scripturarum. Quod faciunt toto corde.i. non solum per pure theoricè intellectum: sed etiam per affectum charitatis in voluntate & practicè applicando ad mores: indigni etiam beatitudine patriæ sunt duplices peccatores: quidam per omissionem multorũ malorum: qui.s. operẽtur iniquitatẽ.i. iniustitiam contra proximos & de his est tertius versus; *non enim qui operantur:* alij per amissionem.i. negligenter facientes mandata Dei: quæ ipse præcepit custodiri nimis.i. valde diligenter vt dicitur in quarto versu, *tu mandasti.* in quo deuotus peregrinus iam incipit loqui ad Deum, in secũda persona & in singulari numero: cum hactenus in tertia p'ona & pluraliter loqueretur de omnibus hominibus in genere. Huius ratio vna esse potest, qa omnes homines naturaliter appetunt beatitudinem de qua hic erat sermo initialis: vel vt Cassiodorus ait, Propheta loquitur pluraliter in principio huius psalmi vt de ecclesia, non de capite Christo psalmum esse intelligẽdum insinuet: deinde ad se conuertit sermonem singulariter intendens loqui ad Deum de qualitate vitæ suæ. In secũda vero parte huius prohemij per alios quatuor versus agitur (vt diximus) de beatitudinis appetitu: nõ quidem ut incitentur homines ad beatitudinem appetendam. sed tali appetitu præsupposito ex naturali hominum instinctu: noster peregrinus quatuor optat habere a Deo. Primum est bene viuere, secundum legem Dei, scilicet, custodiendo mandata eius: quia hoc

nō poteſt homo ex ſe:ſed indiget Deo adiutore ac directore propter infirmitatem & ignorantiam naturalem hominis ex peccato originali vt patet in quinto verſu: *vtinam dirigantur*: ſecūdo optat cognoſcere mandata eius vt cognita adimplere poſſit dicens in ſexto verſu: *tunc non confundar*: ſcilicet cum reprobis: cum te docente aſpexero .i. intellexero mandata tua & te adiuuante ea impleuero. Tertio præſuppoſito adiutorio & directione gratiæ Dei dicit ſe affectare honorem Dei in omnibus bonis quæ aget ſecundum legem ſuam bene intellectam: ideo ſeptimo verſu *Confitebor* inquit *tibi*, ſcilicet confeſſione laudis & gratiarum actionis habendo iam cor a te directū per hoc quod te docente didici iudicia, &c. Quarto his præſuppoſitis concludit in octauo verſu; ergo *iuſtificationes tuas*.i.mandata tua quæ ſunt regulæ iuſtitiæ: *cuſtodiam* diligenter: dummodo, non me derelinquas, a tua directione: alias non potero ea adimplere meis viribus: vel ad minus mea opera ſecundum mandata tua non eſſent meritoria vitę æternæ ſine gratia tua; licet quantum ad ſubſtantiā actus facerem opus legis tuæ. Reſolutoriè ergo ex toto iſto prohemio, vel primo octonario literæ Aleph colligitur doctrina de beatitudine in generali quātum ad duo principalia.ſ.de hominū ad eam tendentium ſtatu atque appetitu. quæ iam declarata ſunt. Deinde per totum reſiduum huius pſalmi in alijs literis & verſibus earū proſequitur Propheta in ſpirituali de prædictis duorum horū ſtatibus qui digni ſunt beatitudine cęleſti: vnde totum reſiduum huius pſalmi diuiditur in duas partes principales: prima eſt de operibus vitæ actiuę: Secunda de actibus vitæ contemplatiuæ & incipietur in vndecima litera vel octonario ibi. *Defecit in ſalutare tuū, &c.* Et in vtraque parte orat peregrinus Deum pro adiutorio & directione ſua in huiuſmodi actib. uitæ virtuoſæ ſecūdū legē Dei; & vt ſeparet eū a malis hominib. & peccatoribus, quia beatitudine vera excluduntur: qui & in ſecundo, & tertio verſibus prohemij notati ſunt.

In prima parte de operibus vitę actiuæ duo principaliter petit a Deo fidelis peregrinus.ſ.remotionem impedimenti, & aſſecutionem iuuamēti. Impedimentum iterum triplex notatur; primum eſt ſenſualis appetitus rebellio & impulſus de quo ait in ſecundo octonario. *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam*: qui a litera, Beth, incipitur quod nomen, latinè interpratatur domus: ideo denotat hanc eſſe doctrinā domeſticam .ſ. de correctione filiorū, & ſeruorum aliorumque domeſticorum: quatenus a vitijs abſtineant refrenatis paſſionibus ſuis. ſecundū impedimentum eſt virtutis humanæ defectus de quo dicitur in tertio octonario, *Retribue ſeruo tuo, &c.* quia litera Gimel inſcribitur quæ eſt retributio, vel plenitudo, quia cum uirtus naturalis hominis ſit ſufficiens ad bonum operandum vt prius dictum eſt; petit peregrinus adiutoriū gratiæ Dei quam per peccatū perdiderat; vt ſibi retribuatur .i. iterum tribuatur ad habendam boni operis plenitudinem.

Tertium impedimentum eſt corporis aggrauantis pondus: de quo ait in quarto octonario *Adhæſit pauimento anima mea*: qui a litera, Daleth, denotatur; quæ latine eſt porta, vel pauper, vel timor; quia ex porta, ideſt, principio ſuæ natiuitatis habet pauper homo impedimentum quo ſemper debeat timere ne cadat. Aſſecutionem iuuamenti triplicem petit peregrinus; prima eſt fides dirigens, ſecunda ſpes ſubleuans, tertia eſt charitas inflammans. Nam ad bene exercenda opera vitæ actiuæ iuuat primo fideles dirigens hominem ad vltimum finem ſupernaturalem; quæ etiam duplex eſt, ſcilicet, fides ſimplicium quæ ſufficit eis ad ſalutem: & fides maiorū quę etiam alios

adi-

ædificat ad gloriam. Primam fidem petit peregrinus in quinto octonario, *legem pone mihi Domine:* qui à litera, Hę, incipitur, quod vocabulum est pronomen fæmininum tertiæ personæ: & Latinè est hæc, vel ista: quia hæc est victoria quę vincit mundum fides nostra; Et ista est optima via ad beatitudinem habendam lex Dei sancta. Fidē maiorum petit in sexto octonario. *Et veniat super me*; huius inscriptio est litera, Vau; quę est coniunctio copulatiua, Latinè. Et potest etiam hoc nomen esse duæ dictiones; coniunctio & pronomen hoc modo Va hu.i.& ille. quod satis apte cōuenit fidei maiorū, qua nō solum sibi, sed etiam alijs prosunt docendo eos ac etiam respondendo pro eis argutijs infidelium & hæreticorū. Orat ergo peregrinus vt fidei simplicium (quam habet) adiungat Deus fidem perfectorum qua proficiat non solum ipse sed & ille, idest, proximus. Spes subleuans hominem ad procurādum sibi beatitudinem duo maximè respicit, scilicet, gratiam Dei præueniētem & motum liberi arbitrij cooperantem. Gratiam Dei petit peregrinus septimo octonario, *Memor esto verbi tui* qui a litera, Zain, inscribitur & latinè sonat, huc vel ducte. s. in beatitudine. Bonum vsum liberi arbitrij in octauo petit octonario *portio mea Domine*; a litera, Heth, inchoatoque latinè vitā, & pauorem significat; quia in uita sua seruus Dei timet cadere in peccatum propter liberi arbitrij vertibilitatem. Charitas autē stimulans ad bene agendum mouet hominem ex consideratione beneficiorum Dei in nos. Et hoc dupliciter. Primo, ex beneficijs animę nostræ in nono octonario; *Bonitatem fecisti*; qui a litera Teth, prænotatur ea enim significat scopare, mundare, & separare bonum a malo; quæ sunt officia charitatis ad animam pertinentia. Secundo, ex beneficijs corporis in octonario decimo, *Manus tuæ fecerunt me*: a litera, Iod, incipiente; quę principium vel manum aut etiam confessionem seu laudem significat latinè quia seruus Dei commemorato suo principio quo processit a Deo in plenitudine bonorum inde resurgit ad confessionē & laudem Dei. Hactenus de his quæ peregrinus petit a Deo ad sui directionem in operibus uitæ actiuæ quibus dignus efficiatur beatitudine cœlesti.

Consequenter vero per totum residuum huius psalmi petit auxilium & directionem Dei quantum ad actus vitæ contemplatiuæ, quæ testimonio Christi est suauior vita actiua; cum faciat hominem proximiorem Deo. Et hæc cōsideratio diuiditur in duas partes; nā primo peregrinus loquitur de vitæ contemplatiuæ suauitate. Secundo, de eiusdem sublimitate, ibi, *mirabilia testimonia tua Domine, &c.* suauitatem itaque uitæ contemplatiuæ dupliciter annotat. s. quantum ad eius obiectum; & quantum ad contemplādum modum. Adhuc obiecti contemplati duas describit excellentias. prima est eius mira suauitas de qua in decimo octonario; *Defecit in salutare tuum*; a litera, Caph, inscriptoque latinè incuruationem, seu humiliationem sonat; nam uir contemplatiuus fessus lōga militia in hac vita cupit resolui et esse cum Christo; & valde desiderans Domini aduentum optat reuerti ad suum principium de quo prius dixerat, *manus tuæ Domine fecerunt me.* Secunda excellentia eiusdem obiecti est sua stabilitas & permanētia quā ostēdit in duodecimo octonario; *In æternum Domine*; qui a litera Lamed incipitur, & latinè interpretatur cor, vel seruitus; quia diuina pręcepta legis Dei sūt corde iugiter meditāda & humili seruitute colēda. Cęlestia. n. sunt & nihil adulterina opinione in eis miscēdū est.

Circa contemplationis modū quatuor facit peregrinus. primo enim ostēdit quomodo contēplatio perficit intellectum hominis; in tertio decimo octonario, *Quomodo dilexi*, a litera, Mem,

Mem, incipienteque Latinè, sonat, viscera, vel ex eis; quia ex intimis visceribus cordis meditatur ea quæ Dei sũt ab alijs sanctis tradita, immo & super eos intellecta. Secundo, declarat quomodo contemplatio perficit affectum seu voluntatem hominis in quartodecimo octonario; *Lucerna pedibus meis*; qui à litera, Num, incipitur; & latine sonat, vnicum, vel filium, aut pascua, vel in sempiternum; quia hæc mysteria quæ contemplatur de vnigenito filio Dei æterni luminis claritate, qui est & pascua fidelium reficiens appetitum, intelligenda sunt. Tertiò, ostensa bonitate contemplationis sacræ doctrinę detestatur malitiam deceptionis erroneæ in quintodecimo octonario; *Iniquos odio habui*; a litera, Samech, inchoato; quæ est coniunctio, vel sustentatio, adiutorium, aut firmamentum, vel auditus, vel obedientia; quia nemo firmatur in bono, qui non audit quid sequi & quid euitare debeat; nec amici contra Deũ audiendi sunt. Quarto, docet quam formidabile sit falsa doctrina in sextodecimo octonario; *Feci iudicium*; cuius litera initialis est, Aain, idest, oculus, vel fons; quia iustus præuidet vnde est fons, vel origo peccati aut virtutis. Et hinc sagax ostenditur in discretione leges Dei contra hæreticos peruersores. Sublimitatem vero cõtemplatiuæ vitæ dupliciter describit noster peregrinus; primo quantum ad eius assensum: secundo quantum ad ipsius conuictum iucundum, ibi; *Principes persecuti sunt me.* Ascẽdit autem ad sublimitatem contemplationis duplici via: primo frequenti meditatione cum lectione; secundo frequenti oratione de qua ibi; *Clamaui in toto corde meo*; meditationis & lectionis frequentia declarat in decimoseptimo octonario, *Mirabilia testimonia tua Domine*: qui a litera, Phe, idest, ore incipiens; desiderium explicat intelligendi mandata legis Dei. Ideo aperit os ad Deum petendo, quærendo, & pulsando. Et, quia ex frequenti meditatione legis Dei nascitur Zelus vel sitis iustitię: ideo in octauo decimo octonario *Iustus es Domine*; agitur de isto sancto Zelo erga obseruatores legis; similiter & contra præuaricatores. Et incipitur a litera, Sadec, quæ interpręt atur, iustitia; quia de ea ibi manifestè loquitur. Ad feruentem orationem duo requisita declarat; primum est eius qualitas in nonodecimo octonario *Clamaui in toto corde*; & incipitur a litera Coph quæ latinè sonat vocare, concludere, vel circumdare; quia seruus Dei conclusus, vel circundatus ab hostibus debet circumspicere, & petere auxilium, causam periculi dissimulando. Secundò, requiritur humilitas orantis de qua in vigesimo octonario agit; *Vide humilitatem meam*; cuius principium est litera, Res, quę Latinè est principium, vel caput, aut pauper, quia deuotè orans vidẽdo paupertatẽ suã debet initti Christo suo capiti aut Prĩcipi humiliter ei obediẽdo. De iocundo conuictu sapientiæ & vitæ contemplatiuæ agitur in vigesimo primo actonario: Principes persequuti sunt; a litera, sin, incepto, quę iocunditatem vel medicamentum significat: quia contra vulnus peccati optimum medicamentum est iocunda consolatio legis diuinæ: & item aduersitas ex persecutione malorum equanimiter tollerata; quia inde anima fœcundatur. Tandem huius iocunditatis augumentum in vigesimo secundo petit octonario, Aporppinquet deprecatio; quæ incipitur a litera, Thau; quod est signum, vel cõsumatio; quia viri perfecti & consumati est hanc petere, appropinquando ad beatitudinem, quæ est consumatum hominis bonum & signum totius vitæ moralis. Hæc igitur est breuis & summaria expositio literalis huius psalmi ex Glosa ordinaria & postilla Nicolai de lira excerpta; quæ cum sit aliarum omniũ prima, seu fundamentum; optimè dici domi-

dominico aptata est totius hebdomadis principio & dierum omnium primo. Sed cum hæc expositio sit literalis & scholastica per bimembres diuisiones fere semper procedens: tota respicit duos prædictos sanctorum status in hoc mundo, idest, actiuos, & contemplatiuos. Quia tamen (vt infra dicetur in principio quinti libri) aliū sensum habent authoritates sacræ scripturæ in libro Ecclesiasticorum officiorum ab eo quem habebant in suis libris originalibus bibliæ: & Ecclesia hunc psalmū per quatuor horas diurnas in quatuor partes secauit, ideo cōueniens videtur iuxta hanc diuisionē quadrimembrem alias quasdam addere expositiones spirituales ex quibusdam deuotissimis religiosis deprompitas hic superaddere; quas ad cæteras sex dies hebdomadis perducemus; vt pro reliquis sex diebus, singulas demus intelligentias huius psalmi; quatenus deuotus viator in quolibet die nouum habeat modum cōtemplandi in hoc soliloquio cum Deo suo.

Secunda ergo expositio ad feriam secundam pertinens appropriat hunc psalmum fonti paradisi terrestris: ex quo quatuor flumina diuiduntur ad irrigandam totam terram, idest, Ecclesiam catholicam. Primus namque fluuius in quatuor octonarijs horę primæ lauat sordes pænitentium vt sint immaculati; pertinetque ad incipientes. Secundus, fæcundat terram bene operantium in sex octonarijs horæ tertiæ: & pertinet ad proficientes in religione Christiana. Tertius fluuius nutrit quasi pisces in aquis tribulationum fortiter patientes in sex octonarijs horæ sextæ: & pertinet ad laborantes actiuos. Quartus denique fluuius potat sitim ardentium contemplatiuorū in sex octonarijs horæ Nonę; & pertinet ad viros perfectos in sanctitate. Horum membrorum declaratio talis subiungitur. Cum enim non sint nisi viginti duo octonarij versuum in hoc psalmo vt superius probauimus ex literis alphabeti hebraici; non potuerūt cuilibet quatuor primarum horarum diei dari sex octonarij. Ideo in primo loco duorū octonariorū (qui desunt) præmittitur Psal. *Deus in nomine tuo*; satis conformis sententiæ annotatæ in primo fluuio. Nam hoc psalmo verus pænitens sentiens se tentationibus tribulatum in primis petit auxilium Dei. Deinde incipiens psalmum, *Beati immaculati*: In quatuor primis octonarijs eius allicitur ad resurgendum a peccato ex consideratione beatitudinis supernę: in qua est omnis mali carentia, omnis boni affluentia, & clara Dei visio simul & perfecta fruitio. Ad hæc quatuor per ordinem referri possunt prædicti quatuor octonarij horæ primę, seu primi fluuij; in quo introducitur vox peregrini de beatitudine incipientis considerare. Nam primus octonarius est vox suspirantis ad futuræ vitæ puritatem, *Beati immaculati* Secundus octonarius est vox desiderantis æternæ beatitudinis abundantiam: In quo corrigit. Tertius octonarius est vox ad claram dei visionē anhelantis, *Retribue seruo tuo*; Quartus octonarius est vox concupiscentis perfectam dei fruitionem *adhæsit pauimento*: singulos autem versus huius fluuij facilè exponet vir ingeniosus ad hoc propositum.

Secundus fluuius vt prædiximus pertinet ad proficientes in hora Tertia; in cuius primo octonario *legem pone*, sonat vox peregrini vitam bona desiderantis: in secundo *Et veniat*; de perseuerantia confidentis: In tertio, *Memor esto*; est vox æterna bona sperantis; In quarto, *portio mea*: terrena omnia contemnetis. In quinto, *Bonitatem fecisti*; proponitur vox de beneficijs acceptis gratias agentis. In sexto, *Manus tuæ*; est vox hominis se humiliantis. Et hoc modo debent applicari isti quadraginta octo versus.

Tertius

Tertius fluuius in hora sexta respicit statum pugnantium & perfectè actiuorum in cuius primo octonario introducitur vox peregrini timentis decipi a mundana prosperitate: ideo ait, *Defecit in salutare*. In secundo octonario est vox aduersa fortiter sustinentis ibi; *In æternum Domine*; In tertio octonario contra concupiscentias decertantis, *Quomodo dilexi*, In quarto, contra ignorantiam se consolantis; *Lucerna pedibus*. In quinto sonat vox peregrini tribulati ab homine; Iniquos odio habui. In sexto tentati a dæmone; feci iudicium. Et ad hoc propositum sunt applicandi isti 48. versus.

Quartus denique fluuius in hora Nona adaptatur statui perfecto contemplatiuorum. Vnde in primo octonario eius loquitur peregrini mens cõtemplatione illuminata; *Mirabilia*. In secundo affectio eius in Deum inflammata, *Iustus es Domine*. In tertio auditur vox deuotè orantis, *Clamaui in toto*. In quarto humilitatem suam recognoscentis. *Vide humilitatem*. In quinto mentis tranquillæ & nihil prçter Deum timentis: *Principes persequuti*. In sexto demum octonario peregrinus vir perfectus cupit dissolui & esse cum Deo: *Appropinquet deprçcatio*. Et per hæc patet intelligentia horum 48. versuum. Secundum ergo hanc expositionem totus iste psalmus apparet verè fluuius paradisi suo impetu lætificans ciuitatem Dei, idest, suo mirabili artificio & profundo sensu. Ex his patet ergo quod hic psalmus annotat quatuor status fidelium viatorũ secundum sensũ Ecclesiæ ipsum per quatuor horas diuidentis. Nã prima notat initium bonæ vitæ & conuersionem peccatoris. Tertia significat perfectum. Sexta perfectum statum. Nona conuenientissimè adaptatur ad humiliationem viri iusti consideratis defectibus suis naturalibus Has significationes istorum officiorum pernotant qualitates illarum horarum diei. Nam in prima hora lux solis & calor oritur & incipit, in Tertia augetur, in sexta perficitur, idest, est in culmine suę perfectionis, in hora Nona iterum calor ac lux decrescit ac humiliatur. Dictę etiam qualitates horum in hymnis illorum officiorum explicantur & etiam in ipsis psalmis, qui cantantur in eis. Ad initium enim bonæ vitæ, quæ est conuersio peccatoris ad deum: hęc tria pertinẽt. Primo quod homo a malis & iniquis socijs recedat; quod sonat psalmus *Deus in nomine tuo*. Secundò, vt colat munditiam cordis: quam laudat psalmus *Beati immaculati*. Tertiò vt conetur ad custodiam legis Dei sub spe mercedis æternæ pro qua orat psalmus *Retribue seruo tuo*. Similiter alia tria requirũtur ad profectum virtuosæ vitæ. Primum est frequens meditatio in lege Dei, idest, in sacris libris. Et hanc petit primus psalmus Tertiæ, *legem pone*. Secundum est spes auxilij gratiæ dei, quæ innuitur in psalmo, *memor esto*. Tertiũ est, gustus dulcedinis diuinæ bonitatis notat psalmus *Bonitatem fecisti*. Eodem modo ad consumatam perfectionem viri sancti concurrũt alia tria; primum est quod obliuiscatur terrena omnia propter Deum quod est ab eis deficere. Vt sonat primus psalmus sextę, *Defecit in salutare*. Secundum, est quod deuotè meditetur mysteria & secreta dei: & huic alludit psalmus, quomodo dilexi. Tertium est diligens pugna, cõtra hostes animæ de quibus dicitur: *Iniquos odio habui*. Tandem ex magna perfectione vitæ moralis serui Dei efficiuntur verè humiles: quia defectus suos cognoscentes se nihil esse reputãt. Vident enim sæpius tentari & vix posse resistere tẽtationi: quod in eis Deus permittit ad tollendam ab eis superbiam: vnde & Paulus Apost. de seipso dicit: Ne magnitudo reuelationum extollat me: datus est mihi angelus sathanæ stimulus carnis meæ, &c. Cũ enim aliquis tentatur descendit profecto

cto ab altitudine suæ contemplationis ad considerandam suam fragilitatem & quam facilis sit ad lapsum: indeque humiliatur considerans tria principaliter. Primò occulta Dei iudicia, qui sępe permittit multos viros sanctissimos cadere in peccata grauissima: & ideo dicit, mirabilia testimonia tua Domine. Secundò quod ex sua naturali virtute non potest se in bona conseruare; ideo indiget clamare in toto corde. Tertiò quod non debet esse securus in hac vita quæ tota est tentatio & plena periculis de quibus ait, *Principes persecuti sunt me*; & ideo beatus vir qui semper est pauidus. Ad hunc etiam sensum moralem alludunt capitula, responsoria, versus, & orationes istorum quatuor officiorum de tempore in diebus Dominicalibus & ferialibus si benè notentur verba: quæ & si varia sint in officijs dominicalibus & ferialibus tamen in sententia concordant.

Tertia expositio huius psalmi tertię quoque ferię hebdomadis applicabilis exponit ipsũ sub parabola cuiusdã horti valde deliciosi: qualis erit paradisus terrestris; de quo dicitur Gen. 2. plãtauerat autem Deus paradisum, &c. vbi quatuor arborũ species notantur, scilicet, lignum pulchrum visu, lignũ suaue ad vescendum, lignum vitæ, & lignum scientię boni & mali. Hanc imaginationem tradere incæpit Sanctus August. super hunc psalmum: qui etiã (vt aiunt) in visione ostensus est sub specie arboris pulcherrimę, & habentis vigintiduos ramos principales, de quorũ quolibet procedebant alij octo ramusculi & ex eis quædam guttę dulcissimæ continuè rorabant: quia ex singulis versibus imo & verbis huius psalmi rorant sensus suauissimi: qui tam dulces sunt in mente hominis quam cibi corporalis in ore eius; Hanc arborem sponsa in canticis ascendere optabat vt apprehenderet fructus eius, qui prædulces essent gutturi suo: sponsa hæc est sancta Christi Ecclesia, quæ quotidie hunc psalmum decantat & meditatur deuotissimè: quod in quatuor horas canonicas diuisum, videtur assimilare ipsum quadruplici arbori prædictæ in paradiso terrestri. Nam in parte eius, quæ cantatur in prima, commemorans pulchritudinem & munditiam beatitudinis æternæ videtur esse lignum pulchrũ visu. In Tertia, legem Dei introducens, quæ est iugum suaue Mat. 11. videtur esse lignum suaue ad vescendum. In Sexta, salutaria Dei beneficia referẽs quibus homo viuit vtraque vita: videtur esse lignum vitæ. In Nona, denique hora, mirabilia Dei opera diligenter scrutans: quid aliud apparet quam ligni scientiæ boni & mali, idest, de pręsciẽtia Dei circa electos & reprobos tam homines quam angelos. Ad hanc imaginationem ingeniosi, & deuoti, facilè applicabunt singulos versus istius psalmi vt inde colligant multiplices fructus gustui mentis suauissimos.

Quarta expositio huius psalmi pro feria quarta hebdomadis imaginatur in ipso, quasi vna apoteca aromathum & specierum suauissimarum pro odoratu mẽtis. Quam imaginationem notauit Diuus Ambrosius super hunc Ps & post eum Cassiodorus, scilicet, notando interpretationes singularum literarum hebraicarũ a quibus isti versus incipiunt: immo & notando singula verba istorum versuum vsque ad primarias deriuationes eorum: quasi terens species aromaticas minutissimè vt inde resultet suauissimus odor ad vitæ humanæ documentum. Et licet superius in prima expositione aliqua breuiter tetigerimus de his interpretationibus: addemus nihilominus hic quædam alia a nonnullis peritissimis hebræorum accepta; diuidentes has omnes literas in quatuor partes correspondentes ad quatuor horas canonicas: in quibus iste psalmus cãtatur, scilicet, Aleph, Beth, Gimel, & Daleth, pro quatuor octonarijs horæ primæ.

Item, He, Vau, Zain, Heth, Teth,& Iod, pro hora Tertia. Deinde, Caph, Lamed, Men, Nun, Samech, & Hain, in hora, Sexta. Tandem, Phe, Sade, Coph, Res, Sin, & Thau pro hora, Nona. Ex quatuor igitur literis horæ primæ attenta illorum nominum interpretatione Latina, colligitur hęc sententia: doctrina domus Dei, (quæ est Ecclesia eius) & retributio præmij æterni pro obseruatione eius non dabitur nisi pauperibus spiritu & verè humilibus: iuxta dictum Christi, Angusta est porta qua intratur ad vitam & diuites non possunt per eam intrare: Et loquitur ibi de doctrina fidei catholicę: cuius portam si volumus intrare oportet nos humiliari ita quod non simus superbi aut curiosi circa articulos fidei (qui sunt porta huius doctrinę) quasi volentes eos nostro ingenio naturali comprehendere, sed potius debemus articulos illos nobis reuelatos, a Deo humiliter credere Prouer. 3. Altiora te ne quęsieris: sed, quę pręcepit tibi Deus hęc cogita semper, &c. Nam pro tali humilitate dabitur huiusmodi retributio vitæ æternæ. Et si benè notentur illi quatuor octonarij versuum, (qui ab istis literis incipiuntur & de beatitudine ac retributione meritorum loquuntur) eadem sententia colligetur. Sex verò literæ ad horam Tertiam, pertinentes, si Latinè interprętentur, hanc exhibent sententiam lex Dei nutrimentum vitæ bonę manus eleuat ad laudem Dei. Nam litera, Hæ, quinta in ordine alphabeti, legem Dei significat, quæ prima scripta est a Moyse in Pentateuco. Vau, quæ est principium, Deum significat. Zain, a verbo, Zun, quod est nutrire significat nutrimentum. Heth, est vita. Teth, bonitas interpretatur. Iod, autem manum laudemque diximus significare. Ad hanc sententiam facilè accōmodari possunt omnes illi versus huius psalmi qui a talibus literis incipiunt & in officio Tertiæ, cantantur, quæ legem Dei multipliciter commendat: vt potè per quam instituitur omnis bona vita, seu bona actio hominis. Sex itē literæ hebraicè capita versuum horę, Sextę, ad hāc veniunt sententiam. Humile cor quid in ęternum firmabit; nisi fons vitæ? patet hoc ex interpretationibus, nam Caph Litera, humilitatem, Lamed, cor significat. Mem, vero in principio dictionis sępè interrogat. Nun, æternitatem denotat, Samech, firmitatem, Hain, fontem significat. Quam etiam sentētiam facilè quis colliget ex versibus, qui cātantur in officio Sextæ, quæ tota ferè intendit conflictui viri iusti contra uarietates tentationum quibus ipse humiliter resistit. Sex tandem literæ versuum horæ, Nonæ, ad hunc sensum trahi possunt. Os iusti fortificat paupertatem & fæcundat cōsumationem & patet ex interpretationibus; nam Phe, est os; Sadec, iustitia. Coph, fortificatio; Res, paupertatem denotat: Sin, fæcunditatem; Thau, consumationem. Huic etiam sensui consonant manifestè omnes versus horæ Nonæ: quæ de consumatiua perfectione viri iusti loquitur: hęc consistens in contemptu omnium terrenorum bonorum paupertas spiritus dicitur. Qui ergo voluerit has quatuor sententias in vnum simul colligere habebit in breui summa, totum huius psalmi continentiam.

Pro feria quinta hebdomadæ dabitur alia, & quinta expositio huius psalmi per quatuor horas diurnas in quatuor partes diuisi, & consonat distinctioni populi fidelis in veteri lege quæ declaratur in fine psalmi 134. quia diuidebatur in domum Israel, in domū Aaron, domum Leui, & timentes Deū: per quam etiam figurabatur singulis distinctio statuum in populo fideli nouæ legis. Est enim domus Israel totus populus Christianus, qui præ alijs omnibus Deum videt sibi specialiter reuelatum. Et ad eum pertinent psalmi

horę,

horæ Primæ; quibus fidelis populus introducitur orans Deum pro sua liberatione a periculis & aduersitatibus huius vitæ & petens auxilium quo recta via perueniat ad fælicitatem alterius vitæ. Domus Aaron in Ecclesia Christiana est status prælatorum & aliorum sacerdotum, qui tenet primatum in toto populo fidelium: & eius vocem referunt psalmi horæ, Tertiæ, quæ legem Dei nominat: nam sacro testãte eloquio fideles legem debent requirere ex ore sacerdotis. In tertia ergo orant sacerdotes Deum pro seipsis vt sua gratia eos faciat idoneos ministros & dispensatores legis Dei & suorum sacramentorum. Domus Leui in Ecclesia Dei est status religiosorum qui dati sunt Sacerdotibus in adiutorium pro ministerio verbi Dei & sacramẽtorũ, & ad eos referri possũt psalmi horæ, Sextæ, vt sint voces eorum auxilium Dei petentium ad sustinendum laborem in continuo seruitio Dei & certamen contra vitia & tentationes diaboli. Denique timentes Deum sunt omnes proselyti & cathecumeni, qui Ecclesiam Dei nuiter introierunt ex timore perditionis animæ suæ, & eos respiciunt psalmi horæ, Nonæ, quibus velut infirmi in timore Domini viuentes clamant ad eum quotidie præ angustia iniquorum affligentium. Secundum hãc igitur imaginationem totus iste psalmus est doctrina politica, seu ciuilis, aut legalis, quæ omnes status Ecclesiæ ordinat & disponit. Verum istæ distinctiones statuum, fluuiorum, lignorum, & aliæ huiusmodi non sunt intelligendæ cum præcisione; ita quod octonarij versuum qui exponuntur de vno statu non possint alteri conuenire & econtra. Verba enim huius psalmi generalia sunt & omnibus fidelibus indifferenter applicabilia: decuit tamẽ ad tollendam confusionem psalmum hunc diuidere secũdum prædictas imaginationes vel alias similes: & seorsum applicando istis vel illis statibus fidelium exponere de eis hos vel illos versus huius psalmi. Ex quo textus eius pro sua maxima profunditate potest omnes tales sensus sine violentia sustinere. Motiuum & fauorem dedit authoritas Ecclesiæ doctoribus sacris has imaginationum expositiones scribentibus: ex quo ipsa infallibilis Ecclesia in suis officijs diurnis quadrifaria partitione secauit & non dubium est quin ad aliquem talem sensum.

In feria sexta hebdomadis poterit hic psalmus accipi a deuoto peregrino velut quoddam suaue soliloquium hominis viatoris cum Deo suo, vt sit hæc expositio sexta ad virtutem (quæ dicitur religio vel cultus Latriæ) pertinẽs: qua omnes actus suos vir fidelis ordinat ad honorem Dei principaliter: Ad religionem autem quatuor maximẽ sunt necessaria hæc: mentis promptitudo, voluntatis gratitudo, diuinorum meditatio, & in eis delectatio, licet horum duo prima magis ad vitam actiuam, alia duo magis ad vitam contemplatiuam referri possunt. Tamen ad has quatuor religionis conditiones trahi possunt per ordinem quatuor huius psalmi partes; per horas canonicas dispersæ. Peregrinus ergo dirigens sermonem suum ad Deum super omnia dilectum ac si eum sibi præsentem videret in psalmis horæ, Primæ, declarat suam promptitudinem ad deuotẽ seruiendum ei. Qui enim ex deuotione aut religione inclinatur ad opera vitæ bonę: promptẽ & delectabiliter ea facit ex amore Dei. Exodi 35. Multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque deuota primitias Deo suo: & hanc promptitudinem iste hic protestatur cum dicit: *Via mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meũ.* In psalmis etiam horę, Tertię, manifestat suæ voluntatis gratitudinem. Religiosus enim seruus Dei opera virtuosa & si sint difficilia ipse gratis & sine tristitia exercet ex amore: teste Apost. Paulo; vnusquisque, inquit, sicut destinauit

nauit in corde suo & non ex tristitia, &c. Et de hac gratitudine iste dicit hic: *Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua*. In psalmis horæ, Sextę, desiderat peregrinus legis Dei lectionem & meditationem. Deuotus enim seruus Dei satagit continuo meditari sacras scripturas etiam in horis quibus alij homines dormiūt, aut vacant alijs delectationibus corporis, vt notat sapiens Ecclesiast. 39. Iustus cor suum tradidit ad vigilandum diliculo ad Deum, qui fecit illum. Hāc meditationem vigilantissimam protestatur iste hic dicens; *Quomodo dilexit legem tuam Domine: tota die meditatio mea est*; & prius dixerat: *Media nocte surgebam ad confitēdum*: & iterum *præuenerunt oculi mei ad te diluculo*. In psalmis tandem horæ, Nonæ, iste peregrinus monstrat suauitatem & delectationem suam in Deo. Nam, qui in huiusmodi studio diuinarum scripturarum cōtinue se exercet mirū in modū delectatur dicēs Salomone, Nō habet amaritudinem conuersatio illius sed lætitiam & gaudium. Et de eadem delectatione, iste hic dicit: *Lætabor ego super eloquia tua*; &, *Quam dulcia faucibus meis super mel eloquia tua*, &c.

Septima tandem huius psalmi expositio ad Sabbathum pertinens, describit ipsum velut fornacem magni incendij diuini amoris. Nam cum sæpissimè legem Dei cōmemoret de qua in Deuteronomio dicitur: quod est ignea lex in dextera Dei, & hic dicitur; *Ignitum eloquium tuum vehementer*; satis apta erit imaginatio prędicta expositioni huius psalmi. Et hoc quadrupliciter iuxta varias amantium affectiones. Introducitur enim hic deuotus peregrinus vt bonus seruus loquens cum Domino suo, vt dilectus filius cum patre suo, vt coniux charissima cum spōso suo, & sicut amicus fidelis cum amico suo. In octonarijs siquidem horę, Primę, videtur loqui bonus seruus ad amantissimum sibi Dominum cupiens ei fideliter deseruire ex memoria prę mij ęterni, vel beatitudinis. Ideo orat vt remoueantur per auxilium Dei omnia impedimenta. In octonarijs horę, Tertię, loquitur vt filius dilectus optimum patrem suum cupiens scire voluntatem ad faciendum eam. Vnde & petit illustrari & doceri a Deo. In octonarijs horę, Sextę, loquitur vt cōiux carissima cum sponso suo zelantissimo vnde ostendit se quasi exardescēs in amorem eius. Ideo petit ab eo visitari. In octonarijs denique horę, Nonæ, loquitur vt fidelis amicus inferior ad suum amicum superiorem: cupiens frui præsentia eius & magnalia sua scrutari: ideo orat pro reuelatione secretorum. Hæc intelligentia mira est & profecto suauis plenaque deuotionis & pietatis: quæ nostrum amorem affectuosum frequenti petitione ostendimus coram Deo ad impetrandum ab eo gratiam pro intelligentia & custodia sanctæ legis suæ: quatenus viator hic eam intelligens opere perficiat & sic ad beatitudinem perueniat. Et hoc in hora Prima. Et, quia legem Dei homo nec per se intelligere neque per se adimplere valet ratione suæ ignorantiæ & cecitatis, ratione suæ impotentiæ, & fragilitatis, atque ratione iniqui Satanæ impedientis; ideo petit à Deo aliquid directiuum, scilicet, legem & scientiam in hora Tertia. Petit aliquod confortatiuum, scilicet, virtutem & gratiam in hora sexta. Petit demum aliquando auxilium, scilicet, Dei assistentiam in hora Nona. Ad hanc ergo intentionem applicari possunt omnes octonarij versuum huius psalmi: licet pro vehementia affectus deuoti peregrini, (qui tumultuarius est) vix possit ordo pręcisus in eo obseruari prę amoris impulsu. Hæc sunt quæ super hunc psalmum ad fidelium mentium contemplationem pro singulis diebus hebdomadæ adnotanda duximus; in quibus dictis si quis se exercere voluerit, alias profecto imaginationes ex seipso

adinueniet, cum fructu suauissimo animæ suæ: quæ omnia sint dicta propter huius psalmi frequentationem cũ quotidie recitetur, quod non item de alijs est, vt patet recitanti diuina officia: In expositione psalmi huius alia dicentur: ideo vide psalterium nostrum Romanum per hebdomadam dispositum & expositum.

De Vesperis. Cap. 32.

HIs omnibus habitis deueniẽdum est ad Vesperas. Vespertinum officium significat primum aduẽtum, qui fuit vergente mundi Vespere, idest, in vltima mundi ætate: de quo psal lens reddit gratias Deo, iuxta id 1. Cor. 10. Nos sumus in quos fines sæculorũ deuenerunt: de pœniten. distinct. 3. Si enim. in fine.

Præterea Christus depositus fuit de cruce in vespere. Eadem quoque hora in cęna Sacramentum corporis, & sanguinis instituit, pedes discipulorum lauit. Merito ergo Ecclesia gratias Deo agit in hac hora. Hoc officium a sancto Hieronym. in Psalm. 119. lucernarium appellatur fortè, quia plura luminaria accenduntur, vt alibi ostensum est, & cur hoc fiat insuper declaratur, ibidem.

Dicuntur autem ad Vesperas quinque psalmi. Primo, propter quinque vulnera Christi, qui pro nobis obtulit sacrificium in vespera mundi. Secundò, ad correctionem, vt scilicet, defleamus, & petamus veniam peccatorum: quæ in die per quinque sensus corporis committuntur, & ad nos intrant. Tertiò, per ipsos quinque psalmos munit se Ecclesia contra nocturnales tribulationes. Quartò, per hunc numerum denotatur fletus Beatæ Marię Virginis, & sancti Ioannis & trium aliarum sanctarum fęminarum quas Euãgelistæ commemorant iuxta crucem Iesu: quia eis occiderat sol verus, idest, mortuus erat Christus: de quibus dicitur in psalmo: Ad vesperum demorabitur fletus: nec receperunt consolationem quousque die tertio mane iterum eis ortus est sol: ideo subditur, Et ad Matutinum lætitia: Eodem modo nunc Ecclesia per officium vespertinũ flere videtur, & per officium Matutinum, idest, per laudes lætari cum illis: ideo in laudibus iterum assumit quinarium numerum psalmorum vt primis quinque fletum, secundis lætitiam personet maximè, quia etiam in illis casum aliquorum fidelium quibus occidit sol iustitiæ; & in istis resurrectionem aliorum quibus idem sol oritur, contemplatur: quare ad Vesperum dicitur flere & ad mane lætari, eodem numero quinario. Nota, quod Psal. 109. semper dicitur in officio vesperorum (exceptis diebus ferialibus) propter ambas Christi naturas quas in se compræhendit, vel continet: & propter duos aduentus ipsius Christi.

Post psalmos sequitur lectio, deinde hymnus, postmodum canticum Beatæ Mariæ, & ante recitatur versiculus exhortationis, scilicet, vt excitet pigros ad intelligendum promissa Dei, quæ continentur in cantico Virginis.

In canticis omnibus continẽtur gratiarum actiones electorum. Talis enim est differentia inter Canticum, & Psalmum qualis inter bonam operationẽ, & gratiarum actiones. Moyses legitur primus instituisse cantica, quandò Pharao submersus est. Exod. 15. Cantemus, inquit, Domino gloriosę &c.

Beda inquit, quod canticum Beatæ Virginis Ecclesia statuit cantari in officio Vespertino magis, quam in alijs officijs: primo, quia in ipsa Vespera mundi, suo singulari assensu mundo succurrit perdito. Secundò, quia per hoc fit incarnationis in vespera mundi factæ iugis recordatio. Tertiò, quia ipsa est stella maris, quæ in huius mũdi vespere nobis ducere cępit; sicut vespera stella, de quà dicitur vespertinum officium, in initio noctis lucere incipit. Quartò, quia Virgo portauit

Chri-

Christum in vespera mundi. Quintò, vt quicquid contraximus nociui per diem præcibus, ea intercedente mundetur.

Accenduntur intortitia dum cantatur, quia est de Euangelio: eadem est Ratio de Cantico Zachariæ. Vel, quia hoc canticum est exultatio laborantium, quorum spiritus exultat in Domino, quia fecit eis magna, qui potens est, cuius misericordia est in sęcula: ideo ob hanc exultationem accenduntur. Vel vt occurramus Domino cum lampadibus more Virginum, de quibus legitur in Euangelio. Matth. 25.

Et quoniam opera nostra non sunt in lampadibus radiantia, nisi fuerint informata charitate; ideo canticum clauditur ab antiphona, quæ significat charitatem. Recantata antiphona dicitur, oratio, sicut fit in matutino. Similiter dicas hic atque ibi.

Et, quia sacerdos in lege hora Vespertina intrabat sanctum tabernaculum, vel templum, vt offerret thimiama, (quod significat suauitatem odoris) sicut mane intrabat, vt offerret incensum: hinc habet consuetudo vt sacerdos thurificet Altare ad impiēdum iuge sacrificium: sic enim fiebat in lege, in qua duo agni offerrebātur, vnus mane, & alter sero, & hic pinguior, quod de sero fiebat, ad notādum quod charitas crescit: ideo ergo thurificatur, vt simus semper bonus odor Deo proficiendo in scientia, & doctrina: & etiam, quia propter promissionem Dei debemus tales esse: vt simus ei boni odoris.

Vel ideo in Canticis incensatur Altare ad notandum, quod nemo potest bonum odorem Deo reddere, vel bonum exemplum operandi alijs dare (quod per incensum significatur) nisi prius in Dei seruitio operetur, quod per psalmos; & alios doceat, quod per lectionem notatur. Vnde mos inoleuit, vt in præcipuis festiuitatibus cantica huiusmodi protelantur, donec omnis populus, qui interest, impleatur odore incensi.

Nota, quod aliquæ Ecclesiæ in aliquibus festis nempe in Paschate, quia officium illud est claritate illustratū, non per, Deus in adiutorium, incipiūt vespertina officia: & ratio est quoniam in illa vita non sicut hic adiutorio indigemus: sed per Kyrie eleison, inchoatur; quia vespertina hora Sabbathi Paschalis, Baptisma fuit per Kyrie eleison, inchoatū, & in Trinitatis nomine cælebratum; & propterea eadem hora & in eiusdem verbis per totam hebdomadam illam in festiuæ regenerationis iucunditatem sancta Trinitas adoratur. Vel, per Kyrie eleison, incipit, vt quasi non existens per se officium, Missæ officio continuetur; nam dies illa vesperam non habet, quia decliuium æternitatis non agnouit; & tunc etiam pro capitulo & hymno cantatur. Hæc dies quam fecit Dominus, quia ibi non erit necessaria doctrina, sed exultatio in futura patria. Vel, vt notetur sollicitudo baptizandorum adhuc peregrinantium & laborantium; quia nódum habent gaudium nisi spei quo peruenitur ad alleluia, rei; proinde pro hymno sequitur alleluia, quod est proprius illorum ciuium hymnus.

Mortuorum officium incipit a vesperis, non tamen habet secundas Vesperas; ad notādum, quod hoc officiū finem habebit, quando animæ saluandorum ab omni pęna liberatæ æterna beatitudine fruentur. Sed sancti de quorum glorificatione in anima iā certa est Ecclesia, primas & secundas Vesperas habent, si habent nouem lectiones. Prima autem Vesperas habēt pro glorificatione animæ iam percepta; Secūdas pro glorificatione corporum, quam habebūt, quæ numquam finem habebit. Si vero tantum habent tres lectiones, habent tantum primas Vesperas, non quia & ipsi non sint habituri duplicem stolam, cum iam certi sint;

sed

ſed Eccleſia ad oſtẽdendum præmiorum differentiam illis, & iſtis debitorum, magis ſolemnizat pro illis, de quorum maioribus meritis ſibi per miracula, vel per alia documenta cõſtat, quamuis ad plenum non poſſit eſſe certa.

Et, quia Religioſi ante Completorium præmittunt collationem, quæ a ſanctis patribus originem traxit, qui dictis, & recitatis Veſperis conuenire, & de ſcripturis ſacris conferre inter ſe ſolebãt, ideo nunc habetur ſermo poſt Veſperas a multis Religioſis, qui piè & ſanctè populum cibo cæleſti alunt & nutriunt. Collatio autem à verbo confero, venit, nempè confero, contuli, collatum.

De Completorio. Cap. 33.

DE Completorio autem cælebrando, id etiam in patrum inuenimus exemplis, Dauid Propheta teſtante Pſalm. 131. Si aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ; aut requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quis non ſtupeat tantam in Dei amore animi deuotionem, vt ſomnum ſibi, ſine quo vtique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricãdum, in pectore ſuo Rex & Propheta reperiret?

Quæ res nos habet fortiter ammonere, vt ſi ipſius locus Domini volumus eſſe, & tabernaculum eius, aut tẽplum cupimus haberi inquantum poſſumus, exempla ſanctorum imitemur, ne de nobis dicatur, quod intelligitur; Dormierunt ſomnum ſuũm, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Pſalm.78. Quoniam ergo & nos deſideramus finem diei, & finem vitæ noſtrę finiri in pace, ideo in officio Cõpletorij, quod ſignificat huiuſmodi finem, in eius principio hæc poſtulamus nobis concedi in præſenti & in futuro. Vnde dicitur; Noctem quietam & finem perfectum, &c. Circa autem principium huius Horæ, Rubrica ſic ait in principio Breuiarij. *Ante Matutinum, & omnes Horas præterquam ad Completorium dicitur ſecreto. Pater noſter, &c.* Fortè ideo ſic præcipit, quia illa Hora Completorij ſignificat tempus Antichriſti (vt alibi dixi) in quo tẽpore non dabitur locus nec tempus orandi q. dicãt tunc homines; Domine nunc non datur tempus orandi: ſed rogamus te; vt tãtum iubeas benedici, ideſt, poni in numero benedictorum. Et quoniam illud tempus erit periculoſum, ideo Eccleſia hortatur fideles nunc pro tunc in principio huiuſmodi Horę vt ſint vigilantes, & ſobrij, quia tunc diabolus circuet quem deuorare poſſit; præcipuè martyres illius temporis; nemo enim audebit ſe manifeſtare. Et, quia etiam tunc inſtabit mors inferenda ab Antichriſto, & cõfeſſio oris eſt neceſſaria ad ſalutem, Roman. 10. ideo ſtatim ſequitur confeſſio, nomine illorum Chriſtianorum illius temporis. Sic puto habuiſſe hanc intentionem authorem diuini officij. Vel. Non dicitur Pater noſter; quia dirigitur ſermo ad prælatum vbi non eſt neceſſaria oratio Dominicalis, cum nõ ſit verè Dominus, & ne videatur nos dirigere orationem ad ipſum, cum nõ ſit Deus. Vel. Non dicitur, Pater noſter; ne ſępiùs repetatur, cum debet dici ſtatim poſt confeſſionem.

Completorium enim myſticè finem denotat. Et, quia non poſſumus hunc finem perfectum habere niſi ſobriè & ſanctè vigilemus, ideo in lectione D. Petrus exhortatur nos ad vigilantiam. Recitando hanc lectionem repręſentamus Mariam Magdalenam de qua Dominus dixit, præuenit vngere corpus meum in ſepulchro. In hoc fecit, quod factura erat mortuo ſi licuiſſet. Ita & hæc lectio quaſi vngit reddendo animas noſtras attentas ad vigilãdum

ante commendationem dormitionis. Et dicitur quotidie, quia semper indigemus huiusmodi vigilia, præsertim a vitijs. Vt autem hæc possimus consequi, oportet nos lauare & purificare per confessionem. Sed quoniam hominis confessio nil valet nisi homo interius conuertatur, ideo incipit, *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Respon. Chor. *Et auerte iram tuã a nobis*, quia sic erimus vigilantes si iram auerteris.

Completorium sic vocatur, quia recitatur completis omnibus horis diei. Vel, quia post ipsum nil aliud sequitur, & eo absoluta nulla alia laus illius diei superest in Ecclesia. Et quoniam in hac hora animalia, quæ foras exierunt ad pastum capessendum, reuerti solent, ita ipsa hora reuocandus est spiritus ab externis ad interiora.

In Hora Completorij pluribus de causis tenemur Deum laudare. 1. quia Christus in hac hora orauit ad patrẽ. Pater si fieri potest, &c. Matth. 26. Eadem quoque hora sudauit sanguinem ibid. Item, corpus eius positum fuit in sepulchro, & custodes deputati. Merito ergo in hac hora Ecclesia agit gratias Deo.

Illam etiam horam in memoriam æterni gaudij cælebrat. Nã completo electorum numero in illa hora cõplebitur gaudium electorum in die generalis retributionis.

Item: Hoc officium incipit præter morem aliorum officiorum. Quoniam ergo quasi tota die insistimus psalmodiæ; & penè impossibile est, quin aliquem puluerem superbiæ contraxerimus: & quoniam sæpè erramus, ideo præmissa prius cõfessione generali pro omissis in illa die, sicut fit in prima pro omissis in nocte; statim humiliantes nos dicimus: *Conuerte nos Deus salutaris noster.* quod refertur ad mala præterita tollenda, scilicet, quę de die perpetrata sunt.

Dicuntur autem quatuor psalmi; ad ostendendum remissionem peccatorum: quę committimus dum sumus in hoc corpore ex quatuor elementis composito. Extr. de cælebrat. Miss. in quadam; seu quia corpus ipsum ex his compositum contra pericula & phantasmata noctis munimus. & Deo commendamus: & ideo tunc dicitur: *In manus tuas Domine commẽdo spiritum meum:* Et. *Custodi nos.* Antiphona, *Salua nos*, quotidie dicitur, quia tali custodia Domini egemus.

Qui recitant Completorium circa initium noctis, post psalmos statim dicunt Versiculum, In manus tuas Domine, &c. Et non dicunt lectionem his rationibus fortè muniti, scilicet, quia tempus illud non est aptum ad doctrinam: tum etiam quia post Completorium non solum cibi & potus, verumetiam doctrina, quæ per lectionem significatur referenda non est. Hinc est quod statuit B. Benedictus vt post Cõpletorium nemo loquatur; q.d. clauso officio claustra oris sunt munienda, vsque dum iterum Dominus labia nostra aperiat, & ad opera redeamus; ita etiam nil comedendum, quia tunc etiam completur potus & cibi vsus. Vbi etiam notatione dignum est quod Versiculi dicuntur acuta voce & cũ Neuma, vt excitemus nosipsos & simus memores illius ineffabilis gaudij quod erit merces laboris nostri. Vltimus vero versiculus, scilicet, *Custodi nos domine, vt pupillam oculi, &c.* notat totius officij effectum. Postulatur enim Domini custodia contra noctis pericula.

Sed dicet aliquis, quare secundus psalmus non dicitur totus, sed tantum sex versus? Dicendum quod ideo fit, quia Dominus dicendo sextum versũ, scilicet, In manus tuas commendo spiritum meum, in sexta mundi ætate, & in sexta die, carne obijt. Rectè ergo sex versus tantum eiusdem psalmi in Completorio cantamus: vt in hac sexta ætate, in qua per eum redempti sumus, sicut habet finis vltimi versus ibi

Rede-

Redemisti me Domine Deus veritatis: conformemur dormitioni eius, vt, scilicet, membra quiescant, & cor vigilet; sicut caro eius in sepulchro quieuit, & diuinitas vigilauit. Tum etiam quia euitatur prolixitas illius psalmi, quia valdè magnus est; & hæc erit ratio literalis. Et demum, quia tantum illi sex versus faciunt ad propositum Completorij: & huic parti huius psalmi optimè consonat psalmus sequens. 90. *Qui habitat*; quo petit Ecclesia protectionem Dei in nocte & in somno, scilicet, a tentationibus diaboli, quæ quadruplices describuntur, nempè, *a timore nocturno*, idest, a tentatione leui, sed occulta. *A sagitta volāte in die*, idest, leui, sed aperta. *A negotio perambulante in tenebris*, idest, a graui & occulta tentatione. *Ab incursu & dæmonio meridiano*, idest, a graui & manifesta. Et dicuntur isti quatuor psalmi quotidie ad notandum quod ex sola charitate mouetur Ecclesia ad huiusmodi laudes diuinas celebrandas.

Et quoniā nox nō multū distat; ideo Ecclesia in 4. Psal. concludit, in noctibus extollite manus vestras in sancta: quasi inuitans ad laudandum Deum etiam in nocte. Pro quo Psal. nota secundum Burgen. quod hic Psalm. loquitur Sacerdotibus & Leuitis, vt etiā ait Lyr. ad quos principaliter pertinet benedictio Dei, .s. laudis. Similiter benedicere populum, bonum eius imprecando: de quo in fine Psal. Benedicat te Dominus ex Sion: sed quia in principio dixerat; Benedicite Dominum omnes serui Domini, quod comprehendit omnes seruos Dei etiam si non sint Sacerdotes neque Leuitę ad quos non pertinent prędicta ex officio idcirco adiungit: in noctibus: (in Hebræo enim, ibi, in noctibus, est finis primi versus:) per quod necessariè intelliguntur tantum Sacerdotes, & leuitæ. Cæteri autem de populo non stabant in domo Domini nisi tantumde die. Et sic aliam ex his habes rationem quare in Completorio cantetur, quia proprium est Sacerdotum & leuitarū manere in domo Domini vt faciunt omnes religiosi, religiosè viuentes. Item hunc Psal. cantat Ecclesia, vt armet nos contra noxia noctis & contra leonis siue diaboli insidias, qui propter tenebras corporales inducit obscuritates spirituales. De his psalmis nota quod Ecclesia cantat quotidie illum Psalm. quartum, cum inuocarem, ad completoriū in principio noctis, quia diabolus & ciuitas eius semper machinatur ad malum, cōtra ciuitatem Dei, & religionem Christianam, ideo orat Ecclesia Deū vt defendat eam ab iniqua persecutione, & malitia illorum. Nam spiritus sanctus ibi agit de spe præmij futurorum bonorum, in qua non confidunt, qui tantum terrena sapiunt. Legit etiam hunc psalmum in persona cuiuslibet martyris, & confessoris, eoquod pro Christo passus est, & laborauit in hac vita, contemnendo terrena, & appetendo cælestia, & in spe futuræ beatitudinis vitā duxit. De secundo dictum est. Vide etiam infra in expositione Completorij.

Cantamus deinde psalmum tertiū, *Qui habitat*, quotidie in Ecclesia, vltra sensum propheticum, etiam moraliter in hac hora Completorij, quia continuè nos committimus adiutorio Christi: vt postquam nos redemit velit nos liberare a tentationibus inimici; & totaliter in sua gloria collocare, & etiam in die iudicij cum suis sanctis in cælo glorificare.

De vltimo nota (præter ea, quæ dicta sunt) quod cum quis consumauit peregrinationem, vel ascensum difficilem & arduum benedicit Dominū, gratias agendo: & hoc, quia vltima laus diuina, & vltimus gradus est gratiarum actio; ideo quando Sacerdos vel leuita ascēderat vltimum gradum iam erat in templo cum alijs, tunc inuitabat omnes alios ad laudem Dei. Et quoniam nos habitamus in hac Ec-

clesia, & in hac vita mortali in qua Deus videtur solum per fidem & speculum in enigmate; ideo Ecclesia inuitat nos, qui sumus in nocte huius vitæ (quæ dicitur nox respectu gloriæ & vitæ futuræ) vt extollamus manus nostras in sancta sanctorum, petendo veniam & remissionem peccatorum, & gloriam pro futuro, vt facilius eam valeamus impetrare; & dicitur quotidie ad Completorium benedicendo Dominum, eius mirabilia cantando, & referẽdo etiam in eius memoriam, festa cęlebrando. Vel dicas. Quod peracto vltimo diei gradum agimus gratias Domino, qui saluos nos custodiuit in illo die. Vel. Illi gratias agebant de beneficijs, nempè de exitu ex Ægypto, de templo reædificato; ita nos agimus gratias de beneficijs redemptionis iam receptis: & petimus futuram gloriam. Illi gratias agebant, quia videbant templum reædificatum & arcam introductam & inuitabant alios ad agendum gratias; sic Christiani inuitant alios ad laudandum Christum Deum in humanitate latentem, tanquam in arca; & in Ecclesia tanquam in templo suo post incarnationem & passionem. Nam illud templum significabat Ecclesiam: & arca illa figurabat verbum incarnatum, scilicet, Christum qui in Ecclesia tanquam caput erat reponendus. Item inuitat Dauid omnes comprehensores, vt laudent & benedicant eum repositum in cælo ad dexteram patris post ascensionem.

Post psalmos prædictos dicuntur hæc, scilicet, hymnus, capitulum, & versus, sed non eodem modo apud omnes Ecclesias: nam monachi & nõnulli alij eos imitantes, qui ante principiũ Completorij præmiserant lectionem, vt faciũt legendo vitam de vitis patrũ eo modo quo fit in matutino, & a minoribus, scilicet, dicto *Iube domne benedicere & noctem quietam, &c.* Et cõfessionem, non dicunt postea capitulũ in Completorio: tum ad euitandam prolixitatem, quia iam præcesserat lectio alia: tum etiam, quia instante nocte & tempore dormiendi atque quiescendi, sicut cessamus ab alijs laboribus, ita debemus cessare a lectionibus. Aliæ Ecclesiæ licet dicunt capitulum, tamen prius cantant hymnum quam capitulum, vt facit Romana Ecclesia: quia viris perfectis significatis per Cõpletorium non est necessaria exhortatio lectionis: sed sufficit eis exercitatio in Dei laudibus ad hoc vt postea exultẽt in Deo suo, quæ exultatio per hymnum significatur: legunt tamen capitulum post hymnum, quia non est prętermittẽda exhortatio etiam viris perfectis quamdiu in hoc mundo vincuntur; quia septies in die cadit iustus, saltem venialiter.

Nec nocet admisso subdere calcar equo.

Alijs demum placet modus & ordo qui in laudibus & Vesperis obseruatus est, scilicet, quod capitulum pręcedat hymnum, idest, exhortatio iubilationem: ita quod hymnus sit pro Responsorio ad lectionem. Quædam tamen Ecclesiæ post capitulum & ante hymnum dicunt Responsorium illud, *In manus tuas Domine*: capitulum est sem per illud Ierem. 4. *Tu autem in nobis*: quo Deus oratur adesse populo suo cũ inuocanti, & nomen eius laudanti. Versus patent per se.

Deinde post hunc psalmum sequitur, *Nunc dimittis*, in quo pacem rogamus æternam, vt sicut Simeon transire cupiens, postquam vidit Christũ, dimitti rogauit: sic & nos post lumen fidei, vt perueniamus ad splendorem spei, vbi erit pax æterna. Secundo, canitur istud canticum, vt Simeonis exemplo pacem inuenientes mereamur videre lumen, quod est Christus. Tertiò, ideo canimus hoc canticum, quia sicut sanctus Simeon cupiens ex hac vita in alteram transire, illud cecinit; sic

sic & nos dum dormire debeamus, quasi morituri, (quia somnus est imago mortis) illud canimus, per quod nos Domino commendamus. Quartò, propter causam dictam supra. Quinto, quia canticum istud est de vtroque aduentu. Vnde merito illud dicimus, vt promissionibus alliciamur, & a vitijs quiescamus. Nota quod cum septem sint partes cæterarum horarum, scilicet, Versus cum gloria patri, hymnus, psalmus, lectio, cantus, præces, & oratio, in tribus tamen horis, additur octaua, scilicet, canticum Euangelicum, quia hæ tres horæ pertinent ad octauam, idest, ad Domini resurrectionem: nam in mane surrexit: in Vespere se manifestauit discipulis; & in Completorio dixit, pax vobis. Ideo etiam hac de causa hymnus: qui est exemplum lætitiæ, præcedit, vt continuetur in Euangelio gratiæ.

Consequenter oratio Dominica, & præçes dicuntur: (si non fit duplex) quibus etiam contra noctis phantasmata nos munimus. Et etiam subijcitur symbolũ, in quo nostræ fidei professio continetur; vt si fortè nos contigerit mori, in confessione fidei moriamur. Hinc est, quod ex Rubrica præcipitur, quod post antiphonam Beatæ Virg. scilicet, post Completorium, dicto, Pater, & Aue Maria, etiam, Credo, dicatur. Dicendo autem Sacerdos orationem, *Visita quæsumus*, commendat nos Domino.

Et quia visum est patribus quod ad repellendum diaboli infestationẽ multũ valet aspersio aquæ benedictæ: ideo quando hæc oratio dicitur a Sacerdote vnus clericorum totum populum fidelem, & etiam chorum Sacerdotũ, aqua benedicta aspergit: sed hoc non fit in omnibus Ecclesijs, immo apud quosdam fit tantum aspersio in choro. Quædam tamen Ecclesiç putantes tẽpus illud (qua talis oratio recitatur) esse parum, & non sufficiens ad aspersionem illam præmittunt illi orationi cantantes psalmum. 66. Deus misereatur, &c. Et attende, quod vltimum in Completorio est symbolum Apostolorum, & primum in officio primæ: & hoc ideo fit, quia cuncta opera nostra in eius nomine incipimus, & in eius concludimus nomine in quem credimus.

Hoc officium præcibus & oratione completur (quando non fit duplex:) iuxta illud: Orate pro inuicem, vt saluemini Iacob. 5. Item, præces ipsç mysticè humilitatem significant, quæ in fine debent esse: quia sicut in principio est necessaria: (ad quod significandum voce humilima hoc seruitium præcum inchoatur:) ita in consumatione, eadem humilitas monstranda est contra superbiam in qua ceciderũt omnes qui operantur iniquitatem.

Post prçces, Sacerdos gregem suum Domino commendat. Vnde non est cõgruum vt post hoc officium aliquid aliud fiat nisi quod pertineat ad quietem; Ideo Monachi Cassinenses, qui sero Completorium recitãt, silentium seruant, nec loquuntur vsque mane.

Hçc hora finitur per, Benedicat nos pater, & filius, &c. quia in fine diei, vel vitæ, benedici cupimus, ut securi requiescamus in nocte; uel, ut in numero electorum ascribi mereamur.

Quod autem hoc officium aliorum omnium vltimum magna cum deuotione sit a clericis exoluendum, & a toto populo requirendum, his versibus declaratur.

Nunc requies, tacitum, redeuntque parens vel amittes;
Munit, plura bona, mala, scandala, Virgo Maria.

Vbi decem tanguntur rationes ad probandum quod dictum est de Completorio. Primum, quia hæc est hora requiei, qua cessandum est a laboribus diuinis. Secunda, quia est tempus tacendi, idest; cessandi a locutione hu-

mana & uacandi diuinæ in silentio. Tertia, quia in tali hora non solum homines, sed etiam bruta animalia ad domum redire solent: ideo significat quod peccator tunc debet redire ad cor suum. Quarta, quia ex tunc Deo parandus est lectus cordis nostri in pace ut dormiat & requiescat nobiscum. Quinta, quia illa hora debet homo cõmissa peccata per diem dolendo reparare, cogitans de fine vitæ suæ. Sexta, quia tunc debet homo se præmunire contra timores nocturnos & phantasmata horribilia. Septima, quia in hoc officio sunt plura bona pro hominis custodia in nocte gratiam Dei impetrantia. Octaua, quia absens ab hoc officio Completorij plura mala incurrit, idest, carentia prędictorum bonorum. Nona, quia talis absens, scandalizat & inquietat suos fratres sua absentia. Decima, tandem debemus interesse Completorio propter honorem Beatæ Mariæ semper Virginis cui nos commendamus in antiphona pro temporis opportunitate ad laudem sui nominis decantata. Quæ semper cantatur in cantu plano in Ecclesijs collegiatis etiam si non cantantur Vespere. Ratio est, meo iudicio, quia post persecutionem Antichristi, uel post omnium resurrectionem continuè in gaudio & lætitia erimus; quod non fit post Vesperas, neque post alias horas, propter huiusmodi mysticam rationem; eo quod sumus in continuo labore & miseria: & hoc seruatur etiam si non cantentur Vespere. Si autem cantãtur Vespere & non Completorium, tamẽ antiphona Beatæ Virginis debet cantari propter hanc eandem causam. Ratio vero literalis, est, quod cantatur (etiam si nõ cantetur Completorium) vt finis principio respondeat: puta quando a choro cantantur Vespere tantum.

In aduentu cantatur, Alma redemptoris mater, quia vel in vtero (ante natiuitatem) vel in gremio (post natiuitatem) Dei filium portat. Post verò purificationem salutatur tãquam Regina quasi ius acquisierit super vniuersum orbem. Idem dic de alijs temporibus. At in paschate salutatur, vt populus fidelis lætetur cum illa.

Et etiam, quia in tempore paschali edita fuit illa antiphona ab Angelis in processione, vt fertur, & perfecta ab ipso Gregorio tempore pestis. Post Pẽtecost. autem cantatur, Salue Regina, vt omnium nostrum sit aduocata in hac peregrinatione vt denotat illud tempus, veluti dicimus in expositione totius Missalis infra lib. 5.

Insuper est valdè notandum quod ad completorium extinguuntur omnia luminaria præter duo, quia in fine sæculi persecutione Antichristi inualescente, concionatorum ora claudentur, quæ nunc in nostra hac ętate (quę per luminaria intelliguntur) sonorosè laxantur. Qui autem tãtum vnum lumen ponunt super Altare (optimè facientes) hoc idem apertius autumnãt. Item, aliquæ Ecclesiæ dum recitantur horæ, nempè, Tertia, Sexta, & Nona idem obseruant, scilicet, recitando officium, vnica candela accensa: forte ideo fit (vt auaritiam literaliter sileamus,) quia denotat tempus legis, in quo parum luminis homines illius tẽporis habebant. Stante hoc totum officium, nempe, septem horarum, quadripartitum generaliter erit, scilicet, in nocturno, Mane, Vespere, & Completorio. Primum, quod recitatur de nocte in quo non accenduntur candelæ, significat obscurum tempus ante legem. Secundum, in quo habuit Ecclesia parum luminis, significat tẽpus legis & prophetarum, & ideo vna tantum candela accenditur. Tertium, in quo accenduntur multæ candelæ, significat tempus Nouæ legis, & precipuè tempus nostrum, in quo manifestè & patenter laudes Domino, absq; timore, sed magis cum fauore cantamus. De quarto vero quod significat

tempus

tempus Antichristi, dictum est. Vel sic dicas.

Horæ respiciunt tempus Nouæ legis sicut & Vespere & Completoriũ. Et sicut in principio Nouæ legis propter persecutiones Tyrannorum, Concionatorum ora claudebantur, quæ sunt lumina Ecclesiæ, ita & in fine fiet: ideo vnum tantum lumen accendunt. Vespere autem (vna cum Missa,) quia respiciunt nostrum tempus, ideo multa fiunt luminaria. Et hoc modo bipartitum habebis officium, nempè Matutinale quod respicit Vetus testamentum, & Diurnale, Nouum. Vetus autem testamentum iterum bipartitum, scilicet, vnum tempus respicit tempus ante legem omnino obscurũ & hoc est quod a quibusdam in media nocte recitatur Matutinum: aliud vero tempus legis & prophetarum quod habuit parum lucis: & ideo laudes in aurora a quibusdam cantantur, in qua est parua lux. Diurnale vero tripartitum erit, vt patet ex dictis.

Psalmi, qui recitantur ad Completorium sunt quatuor, vt diximus, in quibus petitur nos custodiri, & liberari a nocturnis tentationibus. Dicit enim Augu. super Psal. Ecce nunc benedicite: nox, res tristis est, dies, læta est. Ergo per noctem aduersitas intelligitur: per diem prosperitas. In aduersitate benedicendus est Dominus; sicut & in prosperitate, vt faciebat Iob, qui omnibus bonis amissis, dicebat: Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Iob. 1.

De Cantu. *Cap.* 34.

DE cantu autem nil diximus, quia præsuponitur. Est enim canendi, psallendi, similiter & sonandi in Ecclesia Dei, antiquissimus vsus. Exod. 15. Et 1. Paralip. 5. Et 2. Regum. 7. Et in Nouo testamento probatur Luc. 19. cum appropinquasset Iesus iam ad descensum montis olíueti cæperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum. Affert autem hic vsus non leuem delectationem & deuotionem. Fertur enim quod Augustinus magnum ex cantu Ecclesiastico capiebat fructum, id quod multi alij fecerunt: speciatim si magna cum deuotione cantatur. Verum hodie est tã mutatus cantus (parcat Deus inuentoribus) quod musici omnium hominum dissolutissimi sunt: (sit dictum pace bonorum) adeo vt adagium populo dederint, musicè viuere, idest, dissolutè & effeminatè. Hos e choro deijci optabat Lindanus lib. 4. Panopliæ cap. 78. In capella autem sanctissimi obseruatur verus modus cantus figuralis.

Ceterum, propter carnales, (ait Isidor. lib. 1. cap. 5. de Ecclesiast. offic.) non propter spirituales canendi consuetudo est introducta & instituta, vt qui a verbis non compunguntur suauitate modulationis moueantur. Idem ait Augu. libro 4. confess. cap. 33. Idem est iudicium de instrumentis. Instrumenta autem musicalia, quæ mentem excitant sunt diuersa. Aliqua enim excitant ad audaciam, quibus vtuntur homines in bellis. Aliqua ad lasciuiã, quibus vtuntur in choreis. Aliqua ad lamentum & planctum, quibus vtebantur antiquitus in mortuis. Et aliqua, quæ excitãt ad deuotionem, quibus vtuntur in officijs Ecclesiasticis. De his dicitur Exod. 15. quod Maria soror Moysi sumpsit tympanum ad excitandum se & alias mulieres ad laudandum Deum dicendo: Cãtemus Domino gloriosè, & cæt. Similiter fecit Iudith. cap. 16. Sic vtebantur prophetæ ad prophetandũ. 4. Reg. 3. vbi Elisæus dicit; Adducite mihi psaltem, & cæt. Item, & multi alii in vtroque testamento.

De Psalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus. *Cap.* 35.

PSalmi Graduales sunt quindecim numero secundum doctores Hebræos & Latinos: & dicuntur Graduales eoquod in ascensu templi in quo erant quindecim gradus, qui psalmi, cantabãtur a Sacerdotibus & Leuitis. Primus psalmus cantabatur in primo gradu, & secundus in secundo, & ita de cæteris gradualibus. Et per hos gradus intelligitur ascensus in gradibus virtutum. Tres autem sunt gradus hominum (vt adnotauimus in lib. 5. infra in festo Assumptioni B. Virginis.) Gradus primus insipientium, secundus, proficientium, tertius, perfectorum. Circa primum quinarium in quo describitur & tangitur perfectio incipiẽtium, considerandum est quod incipiens ingredi statum virtutis patitur difficultatem & turbationem propter resistentiam passionum partis sensitiuæ: ita quod eius temperantia magis est dicenda continentia: quia cum difficultate tenet se contra passiones. Et similiter dicendum de alijs tribus virtutibus cardinalibus, quæ deficiũt secundum suum modum a perfectione virtutis: propter quod necesse habet recurrere ad diuinum auxiliũ implorandum. Et secundum hoc dicitur in primo psalmo, Ad Dominum cum tribularer clamaui, & cæt. Secundo ex hoc vlterius concipit quamdam fiduciam habendi cum diuino auxilio de passionibus triumphum: & quantum ad hoc dicitur in Psalm. 2. Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi, &c. Tertiò, ex hoc vlterius concipit spem deueniendi ad Deum debitè colendum passionibus quietatis; ideo dicitur in 3. Psalm. Lętatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Quarto, ex hoc vlterius concipit spem reportandi cæleste præmium ex dicto obsequio: & secundum hoc dicitur in 4. Psal. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, nempè, ad recipiendum mercedem ab eis. Ita oculi nostri, &c. Quintus gradus est, vt de inchoata perfectione secundum prædicta homo non glorietur, sed totum attribuat diuinæ gratiæ, & sibi nihil, vt ait Saluator. Luc. 17. Cum omnia feceritis, quę pręcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus. Et secundum hoc dicitur in 5. Psalm. Nisi, quia Dominus erat in nobis.

Circa secundum quinarium, in quo describitur status proficientium. Primus gradus est quod sedatis iam passionibus per exercitium virtutis confidat de stabilitate in bono cum Dei adiutorio: propter quod dicitur in primo psalmo: Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, & cæt.

Secundus gradus est, vt liberatus a passionibus ipsum prius vt captiuum detinentibus ad percipiendum diuinas consolationes assurgat: propter quod in 2. Psal. dicitur: In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati. Tertius gradus est, vt perfectionem in qua cum Dei adiutorio iam profecit ad alios deriuet per proximi ædificationem in quæ scit se nihil posse agere sine Dei assistẽtia speciali; propter quod dicitur in 3. Psal. Nisi Dominus ędificauerit domum, & cæt. Quartus gradus est vt ex ædificatione proximorum sumptus debitos non requirat, sed gratis impendat, secundum quod ait Apost. 2. Thess. 3. Nocte & die operantes ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos; & propter hoc in quarto Psal. dicitur: Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius; gratis exemplo & verbo proximum ædificando; ideo subdit; Labores manuum

nuum tuarum quia manducabis beatus es, &c. Quintus gradus est vt propter tribulationem insurgentem a prędictis bonis operibus nō desistat: ideo subditur in quinto Psalm. Sæpè expugnauerunt me a iuuentute mea, & cętera.

Circa tertium quinarium in quo describitur status perfectorum, considerandum quod sicut dicitur Iacob. 1. Patientia opus perfectum habet. Patientia vero habetur in duplici gradu, primus est quod homo patienter sustineat tribulationes & propter eas in bono opere non desistat: & hic est vltimus gradus præcedentis quinarij. Secundus, qui est altior, & vbi incipit tertius quinarius, est quando non solum homo persecutiones patienter tolerat; sed etiam persecutoribus bonū optat pro eis orando exemplo Christi dicentis Luc. 23. Pater ignosce illis; quia nesciunt quid faciunt. Et propter hoc dicitur in primo psalmo. De profundis clamaui ad te Domine, idest, de profundo tribulationis: orando etiam pro inimicis; vnde subditur; si iniquitates obseruaueris Domine, & cæt. Et quia ex tanta perfectione habita de facili insurgit aliquis, motus saltem leuis propriæ elationis diabolo instignante, qui insidiatur hominibus perfectis ideo secundus gradus est vt ex perfectione habita nullus motus elationis surgat interius, nec aliquod signum appareat exterius, ideo subd. Psalm. 2. Domine non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei, & cæt. Tertius autem gradus est, vt homo quicquid est cordis & operis, applicet per votum diuinis obsequijs; ideo dicitur in Psal. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Sicut iurauit Domino votum vouit Deo Iacob, &c. Et quia charitas est vinculum perfectionis, secundum quod dicitur Coloss. 3. ideo quartus gradus est, vt homo sit in charitate perfectus secūdum modum, qui traditur Act. 4. Multitudo credentium erat cor vnum & anima vna: & propter hoc dicitur in 4. Psal. Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum; & cæt. Quintus gradus est, quod homo ex perfectione charitatis quātum possibile est obliuiscatur huius sæculi & occupetur in diuinis laudibus, quasi mente habitans in ciuitate cælesti; secundum illud Philip. 3. Nostra autem conuersatio in cælis est; propter hoc dicitur in psal. 5. Ecce nunc benedicite Dominū: omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini, & cæt. Vide etiam expositionem horum psal. infra lib. 4.

Quare autem hi psalmi recitentur ad horas B. Virg. dicitur infra libro 5. in expositione Missalis, sub festo Assumptionis Mariæ in mense Augusti.

Psalmi autem pænitentiales, sunt septem iuxta septem vitia capitalia, & in illis omnibus agitur de pænitentia, & propter hoc pænitentiales dicūtur; qui ita ab Ecclesia dispositi sunt ad Dei iram placandam erga peccatores, si deuotè, si cum humilitate recitētur. Diuus autem Augustinus cum discessum suum è vita instare intelligeret, hos psalmos in conspectu positos profusis lachrymis legit. Dicebat enim neminem etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere vt sine pænitētia migraret è vita. Hæc ex Breuiario si tantus vir sanctus hoc fecit, quomodo non magis facere debent pecatores?

De Preparatione clerici & Sacerdotis ad horas canonicas. *Cap. 36.*

Visis his, quæ spectant ad diuina officia tam diurna quā nocturna, antequam ad expositionem totius Psalterij Romani accedamus, nunc magis necessaria, quæ ad recitantis præparationem spectant in medium afferemus; & sunt sex, scilicet,

Excu-

Excutiens, purga, gratus, propone, petas, sanet.

Cuius sensus est: o tu clerice vel Sacerdos has sex diligentias saltem habeas semel in die ante horas canonicas, scilicet, excutias a te torporem, idest, dormitionem corporis & animę quia secus parum aut nihil valeret tua oratio si esset frigida & sine feruore mentis: quod quidem excuties dicendo: lauda anima mea Dominum. Psal. 145. Vel illud; Benedic anima mea Dominum: & noli obliuisci omnes retributiones eius. ibid. 102. Et tunc cogita beneficia recepta.

Secundum est, quod purges mentē tuam a malis cogitationibus & affectionibus: de qua diligentia dicitur, Iustus in principio orationis accusator est sui Prouerb. 18. & Psal. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus, ergo necessaria est ista purgatio.

Tertium est, quod agas gratias Deo de beneficijs a Deo acceptis: rememorando, scilicet, beneficia creationis, redemptionis & gubernationis: & rememorando spem futuræ beatitudinis: hæc enim excitant mētem nostrā. Et sic dicere potes illud Ecclesię, Ago tibi gratias omnipotens Deus pro vniuersis beneficijs tuis: qui viuis & regnas in sæcula sæculorum.

Quartum est, quod habeas sanctū propositum, idest, finem in horis dicendis, hoc est, Deum, & non bona temporalia; dicente saluatore, Matt. 18. Si oculus tuus fuerit simplex, idest, rectus, totum corpus tuum lucidum erit. Et si oculus tuus fuerit nequam, idest, intentio mala, similiter & corpus tuum tenebrosum erit.

Quintum est, quod petas a Deo auxilium gratiæ suæ ad perficienda officia deuotè: nam propositum hominis nullum est nisi adsit gratia Dei pręueniens & cooperans. Recordare illud Tobiæ 1. Pete a Deo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Et Psalm. 118. Vtinam dirigantur viæ meę ad custodiendas iustificationes tuas. Et alibi. Confitebor tibi in directione cordis. Vltimū, quod sanctos Dei inuoces vt intercedāt pro te ad obtinendam gratiam quam petis a Deo, si forsitan tu non es dignus exaudiri propter peccata tua. Hæc pauca, si quolibet die prælibaueris, valdè meritoriè te erga Deum habebis.

Dum autem ingredieris templum audito signo Matutini, dic illud Mat. 26. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit exite obuiam ei. Vel illud Cantic. 5. Vox dilecti mei pulsantis; quæ sententia valebit ad omnes horas. Et veniens ad Ecclesiam prius genibus flexis adorabis sanctissimum sacramentum. Et ingressus Ecclesiam, hæc septem, quæ in hoc versu continentur facito.

Occurrens, lege, linque, videns, cole, dirige, credens.

Primum est, quod occurras Deo habitāti in loco illo quodam speciali modo; salutesque eum humiliter, vel tanquam regem tuum, vel vt patrem, vel vt sponsum, vel quasi medicum, aut iudicem, aut præceptorem tuum, & cæt.

Secundum, vt interim quod alij veniunt nec inchoatur officium, legas aliquod deuotum quo tua deuotio accendatur.

Tertium, quod relinquas omnes curas rerum aliarum extra diuinum officium: dicendo cum Diuo Bernardo, curæ meæ state hic cum baculo meo: & ita relinquebat baculum suum quo sustentabatur, ad ianuam Ecclesiæ.

Quartum, quod eleues oculos & aspicias altitudinem templi Dei; vt inde eleuetur cor tuum ad contemplandam eius maiestatem.

Quin-

Quintum, quod Deum ibi colas latria, idest, adores eum flectendo genua coram Altari.

Sextum, quod ad stallum tuum veniens in choro dirigas intentionem tuam ad Deum, vt dictum est.

Septimum, quod firmiter credas illas authoritates sacræ scripturæ scriique in illo officio leguntur: & quod confidas de diuina misericordia quod te iuuabit ad bene agendum officium tuum quatenus inde reportes fructum coram eo.

Insuper tres conditiones sunt obseruandæ, quæ continentur in hoc versiculo.

Sis reuerrens, simul attendens, deuotus in horis.

Sensus est, quod habeas reuerentiam Deo, attentionem officio, & deuotionem religiosam, vt omnia facias propter honorem Dei: quæ tria sic declarantur: nam pro exercitando affectu deuotionis debet seruus Dei in quolibet officio horarum canonicarũ reuoluere, & mente cogitare eius causas, tum generales, tum speciales, quæ explicant mysteria dicendorum in eo: de quibus omnibus satis supra dictum est. Turpe est enim his, qui diuino cultui sunt dedicati nescire causas sacrorum officiorum: sicut etiam idem reprehenditur in digestis aduocato & causas tractanti forenses: si ius in quo versatur ignoret. Et Malach. 2. dicitur ad nostrum propositum de Ecclesiasticis: labia Sacerdotis custodiũt scientiam, idest, rationem diuinorum mysteriorum; & legem requirent ex ore eius.

De dicendis horis canonicis. Cap. 37.

OPortet semper orare Luc. 18. Vt perseuerantiam orandi Saluator noster nos doceret, dixit: oportet semper orare. Non est tamen intelligendũ quod homo sic quotidie debet orare, vt nec dormiat, nec comedat, vel nec laboret: sed quod instanter temporibus cõgruis oret. Vnde Nicolaus Lyranus super Lucam loco citato ait: quod hæc dictio, semper, non importat continuitatem temporis; quia oportet orationem interrumpi tempore dormitionis, & aliquarum aliarum necessitatum: sed importat constantiam siue insistentiam orationis temporibus & horis ad hoc congruis. Hinc Beda super istum locum dicit: Dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui canonicis horis rogare nõ desistit, aut omnia, quæ iustus secundum Deum gerit, & dicit, ad orationem sunt reputanda. Pro quo facit illud quod in collationibus patrum legitur de Abbate Lucio, qui iactantes quosdam monachos quod sine intermissione orarent, & nullum aliud opus facerent, corripiens dixit: Quando manducatis & bibitis, quis pro vobis orat? Quo audito illi obmutuerunt. Ille vero consequenter subiunxit: ego ostendam vobis; quia operans manibus meis sine intermissione oro. Sedeo enim iuuante Deo infundens mihi paucas palmulas, & facio ex eis plectam, & dico: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, &c. Et illas plectas vendens pro sexdecim nummis, duos pono ante ostium domus, & qui recipit, orat pro me tempore quo ego manduco vel dormio: atque ita impletur a me quod sine intermissione oro. Iste pater laboriosus nihil aliud significabat nisi statum laicalem operosum & manuali labori insudantem: qui (vt ait Hostien.) non valens continuis tẽporibus orationibus vacare, laborat manualiter & corporaliter; & labore suo bona temporalia, possessiones, oblationes, & multiplices redditus, & prouentus personis spiritualibus persoluit; hac vtique intẽtione, vt eo deficiente, vel desistente a iugi oratione, spirituales Deũ exorent; vt sic semper

orare videatur. Qui quidem status spiritualis semper orare dicitur: cum horis tam nocte quam die competenter distinctis septem vicibus horas canonicas persoluit: qua ratione iura canonica dictum septem horarum canonicarum officium, persum, idest, onus seruitutis appellant. vt in cap. 1. de cęlebrat. Miss. ex quo patet totum clerū in sacris institutum vel beneficiatum, obligari ad horas canonicas singulis diebus dicendas. Vnde male agunt illa monasteria, vel collegia, (ac strictissimè rationem reddent) qui numquā vel raro in Ecclesijs suis nec Missam cantant, nec officia recitant in choro. Quare Apost. 2. ad Thes. 3. ait; Si quis non vult operari: nec manducet. Tunc dignè mercedem accipimus si prius boni operarij fuerimus; quod si non laboramus & manducamus tāto maioris criminis rei erimus quanto beneficia Dei indignius sumimus. Oportet ergo vt seruiamus Deo a quo pascimur, si sine periculo animæ sumere volumus illa, quæ nobis distribuuntur. Et tanto soliciti esse debemus in bono opere & seruitio Dei: quanto ea percipimus sine magno labore. Nā quid mirum si, qui temporalibus negotijs occupantur, minus studiosè viuunt, si frequenter cogitationibus, locutionibus, actibus suis, Deum offendunt, ex quo vsus sæculi hominem quinque multum ad pecandum trahit? Hi vero quibus cura mundi, & peccandi occasio deest, quanto minus religiosè viuunt, tanto grauius iudicé supernum offendunt. Vnde Psalm. 82. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia. Vbi Bernardus ait; In labore hominum non sunt vani & ociosi Sacerdotes. Cum enim cūcti status hominum aliquid laboris habeant & aliquid voluptatis, clerici quidem inter hæc, nouo quodam artificio discernentes totum quod delatat in quolibet statu, elegerunt, & totum quod molestat respuunt. Et ideo, quia in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur cum dæmonibus torquebuntur. Nam Sacerdotes non solum ex charitate fraterna, sed ex pręcepto & iustitia pro alijs orare tenentur, in cap. quia Sacerdotes. 5. qu. 1. vbi dicitur. Sacerdotes pro omnibus orare debent, quia eleæmosynas & oblationes recipiunt. Sunt etiam super populum Dei constituti, & vitæ stipendia eis dantur, vt in ieiunio, fletu, & planctu sicut olim Sacerdotes & leuitæ plorabant peccata populi, quæ comedunt, deplorent. (Ioel. 1.) & vt more bonorum pastorum, vigilias noctis super gregem suū custodiant, & in orationibus vigilent. Et quanto Sacerdotes digniores sunt, tāto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur. 1. qu. 1. ipsi sacerdotes.

Item non solum sacerdotes, sed & omnes clerici, maximè beneficiati, ex præcepto Ecclesiæ, & ratione iustitiæ tenentur ad horas. Vnde & clericus beneficiatus, etiam in minoribus ordinibus constitutus, quantumcumq; simplex beneficium habet, tenetur ad horas duplici ratione. Primo, ratione præcepti de cælebr. Miss. dolentes. de cler. coniug. quod a te. Secundo, ratione iustitiæ; quia idcirco a laicis dati sunt redditus, vt ipsi dicendo officium vices eorum suppleant, alios faciunt proximo iniuriam, cui pro temporibus non refundunt spiritualia cum tamen beneficium datur propter officiū vt patet in cap. qui per ambitionem. de nupt. lib. 6. Ratio hæc est secūdum Hostien. quia sicut vir tenetur vxori necessaria ministrare, & sic etiā vxor viro, licet debitum reddere non posset. 3. qu. 7. quod proposuisti: sic & talis clericus, licet a sponsa sua, idest, Ecclesia, spirituale debitum sustentationis non perciperet, tenetur eam adhuc inofficiare. Et dicat cum Apost. Scio saturari, & abundare, & penuriā

pati:

pati: omnia possum in eo, qui me confortat. Sed heu sunt nonnulli, qui non ex charitate orant pro alijs, nec pro se nec mouentur ex præcepto Ecclesiæ, nec iustitia ad reddendum spiritualia pro temporalibus, quæ percipiunt, cũ tamen teneãtur sub pœna peccati mortalis. Et sunt aliqui reputantes se nimis nobiles ad spiritualia exercenda, videlicet, vt ministrent eis sacramenta, & vt cæteri chorum visitent, & diuinas laudes decantent, atque in suo ordine ministrent; Erubescunt Christo seruire, & salutem horum quorum peccata comederunt procurare. Non attendentes hanc summam ingenuitatem, Christi esse militem. Nec enim est excellentius ministerium, quam diuina ministrare sacramenta, cunctorũ criminum expiatiua: sed tu reputas (quisquis es) te nobilem, quia amas canes, illum vero ignobilem, quia nihil de canibus curat, sed studet amare Deum suum: tu vero seruus peccati. Nota, olim dicebantur nobiles quasi non vtiles: nunc autem nostris temporibus dicuntur nobiles, quasi in vitijs notabiles. Boni verò dicuntur milites & ministri Ecclesię, & per consequens Angeli vocantur. Malac. 2. Quia Angelus Domini exercituum est: immo Dij vocantur. Exod. 24. vbi Dominus præcepit dicens: Dijs non detrahes, id est, Sacerdotibus, qui propter excellentiàm ordinis & officij dignitatem, Deorum nomine nuncupantur. Et qui erubescit huiusmodi officia exercere, & Christus erubescet eos præsentare cum electis patri suo cælesti: vt patet Luc. 9. Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua.

De illis autem, quæ plura habent beneficia, audi Diu. Bernard. Omnis redditus beneficiorum pro nomine Christi sunt, eoquod Christus prætioso suo sanguine huiusmodi promeruit ideo de illo clerici, Sacerdotes, non debent thesaurizare, nec consanguineos ditare, nec in delicijs & voluptatibus bona consumere: sed moderatè ex illis redditibus debent viuere, & superfluum piè in manus pauperum & Christi fidelium elargiri, ac magistros pauperes iuuare, ad sanctæ Matris Ecclesiæ decorem & fidei catholicę defensionem. Nam quicquid prę-ter necessitatis victum, & simplicem vestitum retines, tuum non est, sed rapina & sacrilegium est. Hæc ille.

Si dicas, nobilis sum, aut doctor, & cætera. Et sic ad honorem meum multis indigeo, idem Diu. Bernard. Respon. dic. Si gloriosus coram hominibus esse velis accipe de patrimonio tuo, quia de eleemosynis hoc non licet: & statim subdit: De Altari tibi viuere conceditur, non autem luxuriari, aut superbire, aut pompas exercere. Ecce ad, quæ obligantur beneficiati, & specialiter Sacerdotes, scilicet, ad recitandum officium, ad eleemosynas elargiendas, & ad curandas animas verbo & exemplo: licet multi hoc non agant; cõtra quos inuehitur Greg. homil. 15. dicens: Ecce totus mundus plenus est sacerdotibus: sed tamen in messe raro reperitur operator: quia officium quidem sacerdotale sumimus, sed officium sacerdotis, heu, nõ implemus: fructus quidem sanctę matris Ecclesię in stipẽdio quotidiano percipimus, & tamen pro eadem Ecclesia in prædicatione minimè laboramus: pensemus cuius damnationis sit sine labore percipere mercedem laboris. Vix pro culpa sua aperta quippiam reprehendimus, & adhuc, (quod est grauius) si persona fuerit in mundo alicuius potẽtiæ, eius fortassis errata laudantur, ne si aduersemur per iracundiam, munus, aut gratiam subtrahat, quod prius impendebat.

Considerent etiam sacerdotes ad quem gradum Christus eos vocauerit, & qualiter eos dignificauit, ac honorauit, vt sacerdotaliter viuant. Nam primo dignificauit eos super omnes

Reges & Principes. Ierem. 1. Ecce cõstitui te su per gentes & regna. Et hæc, in isto patet, quia dignitas sacerdotalis habet consecrare Reges: sed omnes Reges, & Princeps non possunt facere vnum sacerdotem. Sacerdotes autem, vt breuiter dicam, exaltauit Deus super omnes creaturas. Vnde quidam Doctor ait: Si conditione estis homines: dignitate estis super omnes homines. Nam sacerdos est altior Regibus, sanctior Angelis, & creator sui creatoris. Secundo, honorauit eos in temporalibus dando eis illa, quæ ei seruiunt, scilicet, decimas, oblationes, testamenta, primitias, pro sustentatione corporis, vt quietius Deo seruiant in spiritualibus.

Tertiò, honorauit eos per iuris immunitatem, conferendo eis sic, quod nullus Princeps terrenus super eos iurisdictionem habeat; oppositum faciés est ipso facto excommunicatus. Vnde Dominus per Zachar. testatur: cap. 2. Qui tangit vos, quasi tangit pupillam oculi mei. Et Psalm. 104. Nolite tangere Christos meos. Et Dominus ad Moysem & Aaron, ait: Benedicam benedicentibus vobis. Quarto, honorauit in hoc, quod commisit eis animas fidelium, id est, sanctam Ecclesiam Catholicam, scilicet, omnes credentes: de quo Chrysost. ait: Cælo & Angelis & omni creatura honorabilior est Ecclesia: Christus eam etiam ampliùs dilexit, quam seipsum. Vnde de cælo venit ad terram, & pro ea mortem sustinuit amaram ideo dat ei corpus suum in cibum, & sanguinem in potum. Et de ipsis sacerdotibus dixit, Vos estis lux mundi: nam sicut mundus nihil esset sine luce: sic Ecclesia nihil esset sine sacerdotibus. Quinto, honorauit eos in hoc, quia vult vt strictè obediatur eis loco sui ab omnibus hominibus. Luc. 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Vnde Leuit. 17. dicitur: Qui superbierit, nolens obedire sacerdotibus impia morte moriatur, vt patet de Dathan & Abyron, qui rebelles fuerunt Moysi & Aaron.

Sexto, honorauit eos dando illis potestatem ligandi, & soluendi omnes homines ab eorum pœnis & vinculo mortis. Matth. 18. Quodcumque ligaueris, & cæt. Vnde Episcopus ait in ordinatione; Accipite, &c. Septimo, honorauit eos, quia vocantur Angeli in scripturis, vt alibi ostensum est: vnde Greg. ait: Omnes, qui sacerdotum censentur nomine, Angeli vocantur, quia habent similitudinem Angelorum. Primo, quia sicut Angelorũ est ministrare Deo & hominibus: sic (inquit) sacerdotes habent ministrare Deo die noctéque in septem horis canonicis, & hominibus, cum septem Sacramentis. Secundo, quia Angelus est vita purus, sic quilibet sacerdos tenetur esse castus, & angelicam ducere vitam. Vnde in Daniel. habetur: Abstinétia à nuptijs est Angelorum abstinentia & vita. Tertio, Angeli habent informare & admonere homines per bonam inspirationem, sic & sacerdos per verbũ Dei. Quarto, Angeli habent Deum laudare: Psalm. 148. Laudate Dominum omnes Angeli eius: sic sacerdotes quotidie habent & tenentur laudare Deum in diuino officio.

Octauo, honorauit in hoc sacerdotem, quia est aliqualiter similis Virg. Mariæ. Primo, sicut Beata Virgo Maria quinque verbis concepit. Luc. 1. Fiat, mihi, secundum, verbum, tuum: sic sacerdos per quinque verba, Christi corpus conficit. Secundo, sicut Virgo post partum portauit in manibus Christũ, sic sacerdos facit eleuando corpus post cõsecrationem coram populo, & cum portat etiam ad infirmos. Tertio, sicut Beata Virgo prius fuit sanctificata antequam conciperet Christum: sic sacerdos in suscipiendo ordinem: quia sine ordine non consecraret.

Nono, honorat eos super Angelos, quia Angeli non possunt facere Missã, nec consecrare. Vnde sacerdos minimus

mus potest in terris, quod non potest maximus Angelus in cęlis, nec Virgo Maria, immo & tibi sacerdoti Christus Deus tuus ad tuam consecrationem obediens est, mox sub speciebus panis & vini præsens est. Propter quas dignitates potest Deus dicere sacerdotibus illud Isa. 5. Quid vltra debui facere, & non feci? q.d. ò sacerdotes, ego omnem charitatem vobis ostendi, & dedi meipsum vobis consecrandum, tractandum, & sumendum, & omnem potestatem meam super omnes homines, vt quæcunque solueritis, vel ligaueritis, vt sit solutus, vel ligatus coram me in cęlis. Videte ergo quomodo ambuletis, & quomodo cælebretis. Nam dicit August. Mallem sustinere pęnam Cayphæ, Hærodis, & Pilati, quam pęnam sacerdotis, indignè cęlebrantis.

De Collegijs Clericorum. Cap. 38.

SEd quoniam supra fecimus mentionem de collegijs, ideo nonnulla dicenda sunt de illis. Collegia autem credo illa duntaxat (inquit Glos. in cap. vnico. ne sede vacante aliquid innouetur lib. 5.) in qua sunt duo, vel plures tanquam facientes vnum corpus, consueuerit côuentus, capitulum, vel collegium vocari: & sic nihil faciet ibi pluralitas personarum vel paucitas, dum tamen sint duo vel tres; sed ipsa realitas, scilicet, quod ibi conuersentur, vt vnum corpus facientes insimul. Vbi enim sunt duo vel tres vnus potest dici præpositus. Hoc autem nomē prępositus generale nomen est ad omnes (inquit Glos. de verbor. significat. libr. 5. capitul. 9. §. quamuis,) qui præsunt: vsus tamen obtinuit eos præpositos vocari, qui quandam curam prioratus gerunt super alios. Notat insuper, quod vsus loquendi considerari debet. Si autem is qui præpositus extitit durus erit suis subditis, a statione sua est expellendus: vt patet lib. 5. cap. vnic. de pęnis.

In monasterijs autem regularium licet superiores omnes dici possint præpositi, tamen multi alio nuncupantur nomine: veluti Abbas, prior, Guardianus, &c. Clerici vero Regulares vocāt superiores suos, præpositos. Omnes vero alij Religiosi dicūtur fratres propter illam communem viuendi regulam inter se: (& propter hanc rationem clerici regulares possent dici fratres:) desumpto nomine ab Apostolis, qui in primitiua Ecclesia dicebantur fratres propter eandem rationem. Vnde dicitur Act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis oīa communia: cæterū postea crescēte Ecclesia, & frigescente charitate desijt iste modus viuendi, & solum apud regulares professos hoc nomen remansit: alij vero Christiani sunt appellati: Vnicus & simpliciter vestitus, qui fratribus vel monachis imponitur, voluntariam obedientiam, paupertatem, & humilitatem insinuat, quę monachum faciunt, & non solus habitus exterior. Qui etiam fratres in monasterijs simul cohabitāt: quæ monasteria semel Deo dicata cænacula sæcularium non possunt fieri. 12. qu. 1. Quidam monachi. In quibus etiam monasterijs non possunt ingredi mulieres; ex Concil. Turon. 2. Cant. 2. Hodie ipso facto sunt excommunicati tam ingredientes quā ingredi facientes: & per bullam Pij V. non possunt ad dignitates promoueri. Item ex Concil. Agaten. Cantic. 19. Monasteria puellarum non debent esse propè virorum monasteria: aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutionis hominum. Et habetur etiā 18. q. 2. Monasteria puellarum. Item in Nicen. Synod. 2. Quam Græci septimam appellant, cęlebrata anno Domini. 781. Canti. 21. præcipitur ne fiant duplicia monasteria: quoniam hoc fit multis scandalum & offensio. Duplicia monasteria vocant illa in qua viri & mulieres habitāt. Si autem vbi

sunt

sunt viri & pueri illa dicantur duplicia monasteria, alibi dicetur.

De Nonnullis Casibus ad officij recitationem pertinentes. Cap. 39.

PRimo quęritur an omnes clerici in sacris constituti, tam beneficiati quam non beneficiati, ad horas canonicas teneantur? Respon. secundum Io. And. in cap. 1. de cæleb. Miss. & glos. ibidem, quod sic. Idem notat Archidiac. 91. distinct. Eleuterius. vbi ipse dat huius dicti rationem, dicens; quia ordini sacro officium est annexũ. Item, secundum Nauarr. cap. 25. numero 97. Monachus & monacha, quę deputata est ad chorum, omittens officium, aut aliquam partem notabilẽ, peccat mortaliter. Item, notabiliter male eas recitãt sine proposito iterum recitandi, absque iusta causa, aut absque attentione necessaria. Nauar. ibidem. Item, ad officium tenẽtur etiam conuersi religionum, si vero nesciunt legere, tenentur ad orationes Dominicas secundum constitutiones suas. Tabiæ. verb. horæ canonicæ. §. 6.

Secundò, quæritur quid si aliquis puer maior septennio ex dispensatione obtinet beneficium non curatum, & nescit horas legere? Respon. Potest Episcopus dispensare cum eo ex causa necessaria, vel vtili, vel aliquas alias orationes loco horarum vt dicat. Ita Stanislaus de scabinis. Ratio inquit, huius est, quia ex quo dispensat Episcopus in principali, scilicet, in beneficio, dispensare potest in accessorio, scilicet, in officio.

Tertio, quęritur quid si clericus beneficiatus nescit horas legere? Resp. non excusatur, quia debet scire legere: alias priuatur beneficio: cum tales habere debeant competentem scientiam, vt dicitur in cap. cum in cunctis. de elect. vbi Hugo a sancto Victore ait: accipe beneficium, redde seruitiũ, & fugies supplicium. Competens autem scientia secundum Archid. 38. distin. illiteratos; est vt sciat Canones pęnitentiales, psalterium, humilias, & huiusmodi 23. dist. ca. qui Episcopus. Clericus tamen cantans cum alijs psalterium & non intelligens, quæ cantantur non peccat mortaliter dummodo cor suum ad Deum habeat, secundum Innoc.

Quarto, quæritur quid si, quis est infirmus. Respon. secundum Innoc. de cælebr. Miss. cap. 1. Si est talis infirmitas, quæ impedit a dicendo vel audiendo horas: excusatur infirmus: nec tenetur postea aliquid dicere nec pro isto pænitere: quia necessitas legẽ non habet. de obseru. ieiunij. consilium. Secus est secundum Hostien. si est aliqua infirmitas, quæ solum impediret dicere, sed non audire: tunc Sacerdos debet aliquem alium coram se legentem audire, si eum habere potest: vel si est infirmitas leuis. Nauarr. ibidem num. 100.

Quinto, quæritur quid de illo, qui amisit in via Breuiarium? Resp. quod si casu hoc accidit potest excusari, pro illa vice ab horis: sed nihilominus dicat illa, quæ scit memoriter, puta nationes, vel pater noster, ne vacet oratio; ratio huius est quare isti non imputantur, quia per eos non stat: ergo sibi non debet imputari ex regula iuris lib. 6. quod per me. Idem etiam ait Nauar. loco citato. num. 101.

Sextò, quæritur, an tot quis peccata committit mortalia, quot horas huius diei omisit vel neglexit? Respon. Quod licet officium totum vnius diei sit quoddam totum integratũ ex suis partibus, & vno præcepto præcipiatur, & per consequens transgrediens omnes horas simul vna die non peccet nisi vno peccato mortali; tamen si quis negligit vnam horam puta primam, vel Tertiam, & cęt. Et alias complet, peccat mortaliter: sed non ita grauiter sicut omittens, vel negligens omnes horas; vnde vnum peccatum mortale

est

est grauius alio. Grafius lib.2.decisio. aurea.c.51.nu.14.

Septimo, quæritur quid de illo, qui non interfuit principio horæ alicuius, vt quia neglexit, sed non malitiose; quia fortè pulsum vel campanam tam cito non audiuit, vt sic induatur: nunquid debet principium repetere? Respon. quod non a capite incipere oportet, nisi magnam partem omitteret; quia tunc deberet repetendo adimplere, secundum Innoc. & similiter dico de fine horæ; si aliquis ex necessitate exit chorum: tunc enim residuum supletur per alios; quia omnes sunt vnũ corpus in domino. de constit cum omnes. Cogitent tamen clerici omnes, & prçcipuè beneficiati si non recitant horas ad quas tenentur, quas non tenentur, minimè recitabũt. Vę tamen illis, qui tantum ea ad, quæ obligantur ratione fructus quos percipiunt; cum maior pars (vt puto) cedat in refrigerium & meritum eorum, qui sua Ecclesiæ bona reliquerunt.

Octauo, quæritur an si omissus vel neglectus est vnus psalmus, debeat fieri repetitio in choro? Respon. secundum Innoc. quod non est tanta ommissio psalmi vnius quod deberet repeti, si scandalum in populo non immineret.

Nono, quæritur an degradatus, ordine suspensus, excommunicatus & quilibet criminosus teneatur ad horas canonicas? Respon. quod sic; quia nõ debet esse melioris conditionis malus quam bonus. Si obligatur bonus; ergo multo magis malus. Vnde licet isti amiserunt honorem; non tamen onus; alias ex malitia commodum reportarent. Talis tamen in horis non debet dicere, Dominus vobiscum. Nauar.c.7.num.191. Et Siluest. ver. Hora.q.3. Graf.ibid.cap.50. num. 19.

Decimo, quæritur vtrum, quis possit recitare horas cum Breuiario cuiuscumque diœcesis? Respon. Nauar. n. 107. loco citato. quod non satisfacit; nisi esset ordinatus ad titulum patrimonij, & careret beneficio; citans Director. lib.1.cap.8.

Vndecimo, quæritur vtrum sit mortale non dicere horas canonicas horis debitis sine rationabili causa? Respon. Angel. ver. Hora canonica, num. 22. quod non, nisi quis faceret in contemptum Dei vel Ecclesiæ. Hic notatione dignum secundum Glos. in cap. 1. de cælebr. Miss. quod omnes horæ mane dici possunt excepto Completorio. Itẽ clericus cui beneficiumnon sufficit, ex artificio potest victum quærere; quod etiam patet. 91. distinct. Clericus victus absque officij sui detrimento. & 21. q.1. cap.1. Et de his clericis loquitur textus quod possunt dicere omnes horas mane; & ea consilium vt simul dicat omnes horas, ne superuenientibus occupationibus aliquam horam dimittat; quod intelligitur, de clericis pauperibus quos ad opus rurale oportet exire; vt in litera patet, alias suo loco & tempore dicendæ sunt singulæ horæ. Hodie tamen sacrum Concil. Trid. rectè prouidit, quia ex illius prçcepto non ordinantur clerici nisi habeãt vnde possint viuere; vel ex patrimento, vel ex beneficio, religiosis pro festis exceptis, qui ad titulum paupertatis ordinantur.

De modo recitandi horas canonicas. Cap. 40.

DOmine doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos. Et ait illis; cum oratis dicite, Pater noster, & cæt. Luc. 11. & Matt.6. Discipuli Christi cupientes orãdi modum, interrogarunt Christum de modo; ex hoc loco accepit Ecclesia quod ante omnes horas præmittit orationem dominicam (ut supra probauimus) una cum salutatione Angelica, quia sine Mariæ suffragio uidetur nobis nõ posse aliquid a domino impetrare. Præter hunc modum orandi a Domino institutum,

tutum, est & alius modus ab Ecclesia ordinatus, scilicet, recitatio horarum canonicarum, qui modus debet esse conformis secundum dispositionem; & formam Ecclesiæ cathedralis, nisi adsit aliquod priuilegium, vt habent, Cartusiani Benedictini, Dominicani, Carmelitæ, & nonnulli alij religiosi.

Horæ canonicæ dicendæ sunt vna cum Missa conuentuali in cathedralibus & collegiatis Ecclesijs, si fieri potest congrue, & adsint ministri: iuxta illud Psal. 21. In Ecclesijs benedicite Deo Domino. Nihilominus, quia curati multoties soli sunt, & occupantur circa confessiones, & communiones, & circa aliorum Sacramentorum ministrationem, ideo sufficit eos orare priuate in Ecclesijs, vel domibus, dum tamen sit in loco honesto & quieto, nō in lecto iacentes, nec vt faciunt nonnulli per plateam, vel vias, aut per domum sonorosè clamitantes vt more Pharisæorum orare videantur: Alij sunt, qui ante fores stantes, vel in cæmeterijs circundātes salutatens simul personas, ita vt dicant: Quomodo dilexi legem tuam Domine; doue andate compare: tota die meditatio mea est: come state? Isti tales potius errare quam orare videntur; nam Horæ magna cum reuerentia & attentione recitandæ sunt. (Non desunt tamen aliqui dicentes posse fieri interruptionem ex necessitate non solum in quocumque psalmo, sed etiam in quocumque versiculo. Et ratio illorū est, quia in quolibet versu adest perfectus sensus, & integra sententia.) Sed quænam reuerentia est talibus in locis cum tantis strepitibus? de quibus ait Isidor. de sūmo bono: Quid prodest strepitus labiorum vbi cor est mutum? Et quod deterius est, nonnulli purgando ventrem: quod nefas, quantum pudoris habeat & culpæ, attendere & cogitare potest vnusquisque sensatus; vbi etiam Deus magis irritatur quam placatur. Verumtamen quod dictum est de attentatione interpretationem recipit mitiorem; nam dicit Diu. Thom. 2. 2. quæ. I. quod licet in orationibus priuatis debeat esse magna deuotio & attentio orantis (quando sentitur abesse deuotio dimittenda est) non tamē sic erit in horis canonicis, in quibus non requiritur deuotio ex necessitate debiti, vel præcepti Ecclesiastici, sed ex consilio. Vnde siue sit deuotus, siue non, nihilominus sunt horæ recitandæ a Sacerdotibus, alioquin expectando deuotionem, quæ non est in potestate nostra, raro, aut nunquam oraremus; intentio tamen omnino requiritur vel actualis vel habitualis, vt videlicet intendat Deum orare pro salute propria, & aliorum: & per hoc patet etiam quod Sacerdos orans in peccato mortali quamuis frustratur deuotione & gratia Dei, tamen ipse horas dicere tenetur; qui licet non exaudiatur pro se, tamen ex quo orat in persona totius Ecclesiæ pro alijs exauditur. Vnde in hoc casu comparatur candelæ accensæ, quæ seipsum consumit & alijs lucet; & lixiuio quod alios mundat, & in se sordidatur.

Quæritur vtrū horæ canonicę sint legendæ alta voce vt ab alijs audiātur, vel potius submissa voce, ut a solo audiantur? Respon. secundum Io. And. in Glo. magna. Quod licet Deus agnoscat cordis deuotionem: non tamen frustra vox adiungitur. Vnde dicunt Theologi quod oratio, quæ fit per ministros Ecclesiæ, idest, presbyteros qualis est in horis canonicis, ideo fit vocaliter & expresse, quia talis orat in persona totius Ecclesiæ ac populi; vnde vt populo innotescat quod pro eo orat Sacerdos merito hoc expresse vocaliter fit. Ratio tamen non est sic de illa, quæ priuate fit pro alio. De necessitate nihilominus adiungitur vox. Primo; ad excitandum interiorem deuotionem. Verbis enim & signis nosmetipsos interius excitamus ad sanctū desiderium augendum: ait Augu. ad

Probām.

Probam. Secundò ad redditionem debiti: vt scilicet Deo seruiat orans secũdum se totum in corde & corpore. de consec. distin. 5. nunquid. Tertio, ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione. Vnde Psal. 15. Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, & cæt.

Insuper quęritur an Acolythi teneãtur dicere septem psalmos pænitentiales? Respon. Secundum Paul. Aluar. Ratisponen. Episcopum in tractatu de hæresi, quod sic: cuius ratio præcipua inter cæteras est; quia ex quo dicuntur clerici a cleros quod est sors, quia in sortem, & partem Domini sunt vocati; rationabile videtur vt recitent aliquid ratione sui officij. Hoc tamen dependet a consuetudine, an singulis diebus, an tantum festiuis dicere debeant. Est tamen cõsonum rationi quod, qui non student in scholis aut studijs, ut singulis diebus orent septem psalmos recitando; iuxta illud Ambrosij; quia semper pecco, debeo semper habere medicinam. de consec. dist. 2. in fine. vide Nauar. ibid. num. 108.

Tertio, quæritur an omnes Sacerdotes teneantur ad vigilias mortuorum? Respon. Secundum Glos. quod curati tenentur ad uigilias mortuorum ordinarias iuxta consuetudinem Ecclesiæ cathedralis. Vbi est consuetudo quod prælati dicant uigilias singulis diebus Quadragesimæ, in Aduentu, & in uigilijs Apostolorum debent etiam & ipsi curati dicere vbicunq; sint, siue circa Ecclesias proprias, siue in studijs. Verumtamen ad extraordinarias, secundum ipsum non tenentur curati in studijs existentes, aut alij beneficiati. Extraordinariè dicuntur illę, quæ specialiter pro anima cuiuslibet defuncti recitantur; ad quas dicendas solum illi adstringuntur, qui circa Ecclesias sunt præsentes. Similiter, qui in illis sunt in anniuersarijs defunctorum.

Quarto, quæritur vtrum aliquis dicendo horas de sanctis, uel de martyribus quando essent dicendæ de feria, peccet mortaliter? Respondetur, licet secundum Guil. non refert per quos psalmos laudetur Deus; tamen determinatio Ecclesiæ maioris est sequẽda. Nam secundum consuetudinem Ecclesiæ maioris iustum est ut vnusquisque inde sumat regulas magisterij, unde honoris consecrationem accepit. 12. dist. de his. (exceptis monasterijs in quibus cælebrantur officia secundum regulam B. Benedicti. Hugo & Glos. ibidem.) & B. Bernardus ait: *Spiritus sanctus illas horas gratas non recipit, quando aliud quam debes, neglecto eo quod debes obtuleris*. Vnde istud vitium reprobatur expressè de cõsec. dist. 5. in die. vbi dicit Greg. 7. quod illi, qui in diebus quotidianis tres tãtũmodo legunt lectionis, non ex regula sanctorum patrũ, sed ex fastidio & negligẽtia probãtur hæc facere. Hæc ibi.

Quinto, quæritur an peccent, qui omittũt suffragia sanctorũ? Resp. affirmatiuè; si hoc faciũt cõtra cõsuetudinẽ Ecclesiæ cathedralis, vt sup. dictũ est, qa cõtẽptores laudabilis cõsuetudinis sicut & legis puniuntur. dis. 11. in his.

Sexto, quid dicendum de illo, qui prius recitauit Completorium, quam Vesperas, an teneatur redicere vero modo: Respond. Secundum Paulum vbi supra, quod non tenetur. Sed cautè supplebit Vesperas quas incautè omisit: & pænitebit de negligentia.

Septimo quæritur an dicere, Pater noster ante horam & post sit præceptum? Resp. Aug. ver. Hora canonica. §. 9. quod sic. Et hãbetur de consec. dis. 5. id semper. Item, hoc expressè pręcipitur in Concil. Gerunden. de consec. dist. 5. semper. vbi sic dicitur. Illud, sẽper placuit obseruari, vt omnibus diebus post matutinas, & Vesperas, oratio Dominica a Sacerdote proferatur. Ante vero horas dicere, Pater noster, licet nõ appareat præceptum scriptum, apparet tamẽ licitum, dignum, & iustũ. Nam prius inuocandus est omnium

rerum pater: quo prætermisso, nullum ritè bonum fundatur exordium. Rationabile autem est, vt prius oratio illa præcedat, quam author salutis dictauit & instituit, quam recitentur illę quas sancti patres postea dictauerunt. Item, expedit prius petere ea, quę magis sunt necessaria, & vtilia ad salutē: quam, quæ sunt minus necessaria. Magis autem sunt necessaria, quę ponuntur in Dominica oratione; & vtilia, quam ea, quæ ponuntur in alijs: cum illi summa totius salutis, & perfectionis consistat. Petimus enim ibi sanctificari nomen Dei in nobis: & aduenire regnum cælorum, quod primo esse quærendum Saluator noster docuit. Matt. 6. Item, consilium est, vt illa oratio præmittatur, quæ disponit hominem, & aptum reddidit humiliãdo ad effectum orationis consequendum: huius modi autem est oratio Dominica, in qua petimus dimitti nobis debita nostra, & a malo liberari, quibus nondum expeditis, orationis effectus frustraretur. Nisi enim prius nobis debita dimitterentur, & a malo culpæ liberaremur: nullatenus impetraremus: cũ dicatur Ioã. 9. Deus peccatores non exaudit. Adiungitur, Aue Maria, quia dignum est vt illam salutemus in principio nostri operis, per quam salus nostra exordium sumpsit. Dicit enim Bernard. Deus nihil nos vult habere salutis, quod per manus Mariæ non transiret.

Tandem, quia (vt visum est in superioribus) hæc omittere, & illa non facere peccamus, videndum est etiam quomodo peccamus, & in medium afferre quædam generalia de peccato, vt non ignoremus quid, & quomodo sit agendum circa actus proprios.

De peccato in communi; Et quomodo peccamus. Cap. 41.

AD euitandum peccatum oportet nõ ignorare qualiter homo peccare potest, & de peccato in communi aliquid dicere. Ideó primo nota quod ex parte obiecti tripliciter quis peccare potest. Nam homo dicitur peccare in Deum: in proximum: & in seipsum. In Deum quis peccat cũ de Deo quis malè sentit, vt hæreticus. Vel, quæ Dei sunt vsurpare præsumit indignè participando sacramentis. Vel, quando nomen Dei peierando, vel blasphemando contemnit.

In proximum peccat cum eum iniuste lædit: vel offendendo personam, vel famam denigrando, vel substantiam diripiendo.

In seipsum peccat cum sibi soli nocet & non alteri, vt in peccato Gulæ, vel molliciei, vel accidiæ, vel superbiæ, inanis gloriæ, & huiusmodi. Hãc distinctionem ponit Isidor. libro de summo bono. Secundo nota quod peccatum aliud est originale, & aliud actuale. Et hoc diuiditur in mortale & veniale.

Est autem peccatum originale (prę ter ea, quę supra dicta sunt) secundum Thom. 1. 2. q. 82. Quidam habitus innatus, per vitiatam originem: seu quędam inordinata dispositio naturę, quę habet rationem culpæ inquantum procedit a primo parente. Et habet talis habitus aliquid priuationis, & aliquid positionis, sicut ægritudo. Formaliter enim est defectus seu priuatio originalis iustitiæ. Dicitur autem originalis iustitia illa rectitudo in qua fuit creatus primus homo: ex qua rectitudine mẽs & ratio subdita erat Deo, & vires inferiores, rationi: & corpus subditum erat spiritui.

Istud peccatum originale est vnum in essentia, sed multiplex in effectu. Propter quod dicitur Psal. 50. Ecce. n. in iniquitatibus conceptus sum, in plurali in iniquitatibus ait: propter causas prædictas, eoquod in ipso peccato originali virtualiter præexistunt omnia peccata actualia, sicuti in quodam principio. Participatur autem æquali-

qualiter ab omnibus. Et quāuis vnus sit pronior quam alter ad concupiscendum, vel irascendum & huiusmodi, hoc non procedit ex ratione peccati originalis, cum æqualiter in omnibus soluatur & tollatur originalis iustitia, quia & æqualiter in omnibus partibus inferioribus animæ sibi relinquantur: sed accidit hoc ex diuersa dispositione potentiarum. Nam aliquæ vires animæ sunt fortiores in vno quam in alio propter diuersas corporis complexiones, soluto autem vinculo originalis iustitiæ vnaquæq; vis tendit in suū proprium motum, & tanto vehementius quanto fuerit fortior. Et quia omnes homines excepto Christo solum descendunt ab Adam per virtutem actiuam in generationem originaliter ab Adam deriuatam, quod est secundū rationem seminalem ab eo descendere: ideo firmiter est tenendum vt dicit Tho. 1. 2. q. 81. quod secundum fidem catholicam omnes homines præter solum Christum ex Adam deriuati peccatum originale ex eo contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum.

Tollitur autem peccatum originale nunc in nouo testamento per Baptismum actu, vel proposito sumptum, & non per alium modum, nisi per martyrium. In veteri autem testamēto per fidem parentum, quantum ad non habentes vsum rationis, idest, per actum fidei relatum ad salutē pueri per modum orationis, quam fidem protestabantur oriūdi ex Abraham in circumcisione marium, quæ omnino erat necessaria. Alij uero aliarum nationum & omnes uniuersaliter ante circumcisionem datam Abrahæ eam protestabantur in uirtute sacrificiorum. Adulti uero purgabantur per fidem propriam, ab originali. Fæminæ Iudæorū ante vsum rationis non per circumcisionem: sed per fidem parentum purgabantur. Et debet intelligi quod uirtute sacrificiorum dicebantur purgari ab originali ante Circumcisionem datam sicut & mares Iudæorum in uirtute circumcisionis, ut ait Greg. in moral. & habetur de consec. dist. 4. quod apud nos. Et licet transeat ipsum peccatum originale & tollatur per Baptismum reatus, quia euadit obligationē pænæ æternæ, remanet tamen in baptizato ipsa habitualis concupiscētia, idest, inclinatio ad malum, & ordinatio uirium inferiorum.

Secundum genus peccati est actuale, quod, ut diximus, diuiditur in mortale & ueniale. Peccatum mortale dicitur, ex eo quod priuet animam uita spirituali. de pænit. dist. 1. porro illi. §. resuscitatus. effectus peccati mortiferi est multiplex. Nam bonum naturæ corrumpit. Maculam animæ inducit. Et reatum pænæ includit. Hoc peccatum dimittitur per contritionem, confessionemque sacramentalem, & satisfactionem. Quod quidem peccatū mortale non potest eijci sine gratia, nā per nos non possumus superare unam minimam tentationem, nec eijcere unum peccatum iuxta id. Io. 15. sine me nihil potestis facere. Et ratio est; quia cum peccatum mortale sit defectus quasi infinitus, seu iniuria, quia est cōtra Deum bonum infinitum; & homo sit uirtutis finitæ; non potest finitum attingere ad infinitum, nisi adiūctum infinito, & hæc est gratia Christi, quæ est quasi infiniti ualoris. Vnde ad Ro. 3. dicitur: Iustificati gratis per gratiam ipsius, & cæt. idest, iusti facti expulsis peccatis. Pro quolibet autem peccato mortali duplex debetur pæna, nempè æterna, seu infernalis, & temporalis. de pænit. si peccatum Dauid.

Veniale autem peccatum dicitur a uenia; quia quis non meretur pænam æternam propter peccatum ueniale. Dimittuntur autem peccata uenialia secundum Raymundū octo modis. Primo, per dignam communionem. de consec. dist. 2. cum omne crimen, &c.

&c. si quotiescumque. Et ut quidam aiunt, per extremam vnctionem, extr. de sac. vnct. cap. vnico. 2. per aquæ benedictę aspersionem. de consec. distin. 3. aquam sale. 3. per eleemosynarum largitionem. de pænit. dist. 1. Quamobrem, &c. medicina. & distin. 3. Sanè. Addunt quidam iniuriarum dimissione, quæ est eleemosyna spiritualis, de qua Luc. 6. Dimittite & dimittetur vobis. 4. per orationem, & præcipuè dominicam. de pænit. dist. 3. ca. de quotidianis. 5. per confessionem generalem multo magis per confessionem sacramentalem. de pænit. dist. 3. ibidem. 6. per Episcopalem benedictionem, & secundum quosdam etiam Sacerdotalem. 1. q. 1. multi. 7. per deuotam pectoris tonsionem. de pænit. dist. 1. tres sunt actiones. Vltimo, per cordis contritionem. Vnde vers.

Confiteor, tundo, conspergor, conteror, oro, (pono.
Signor, edo, dono, per hæc venialia

Nota quoque quod peccatum omne tribus modis impletur, nempè, suggestione, delectatione, & consensu. Suggestio quippe fit per diabolum: delectatio per carnem, in consensu perfectio. Et cum animus consentit, tunc est peccatum, si aduertat se Deum offendere aiunt quidam. Demum nota quod peccatum comparatur salici propter infructuositatem. 1. q. 1. Si fuerit Et organum, orationi propter dulcedinem. 45. distin. cum beatus. Quilibet ergo sensus suos comprimat vt rationi obediant. Audiantur autem Ethnici. Docet enim philosophus ad Nicomachum lib. 3. illas hominis partes, quæ ratione carent oportere accerrimè castigari: & ita ait: quod idcirco mali homines dicuntur discoli, idest, non castigati, qui negligentes fuerunt in illis partibus corporis castigandis, quę spiritui repugnant. Si terra non irrigetur ita arescet vt nihil in ea oriatur, idem erit in carne nostra. Plato lib. de legibus & Republ. dicit: quod illas hominis partes, quæ ratione carent, vt sunt appetitus sensitiui, & sensualitas debemus arefacere, & reddere sicut terram aridam: fiet (inquit) vt quemadmodum herbæ, quæ non irrigantur paulatim arescunt, sic hæ partes arēscāt. Et affirmat quod partes illas, quę ad mentem pertinent, oportet irrigari, vt frequenti diuinarum rerum contēplatione vires accipiant sicut herbæ aqua pulchræ & virides efficiuntur. Ecce, quid docent Gentiles & Idolatræ. Hi sunt inimici, qui nos perdunt ad gehennam: & ibi erit maior pæna hominum damnatorum quam dęmonum. Ex his solues quæstionem a nemine adhuc agitatam, cur tangere genitalia delectationis causa est mortale, & non ita est, si quis tāgat barbam suam aut genas proprias. Ratio est, propterea quod illud est brutale & cōtra rationem hoc autem est naturale. Bruta enim & tangunt, & lambunt cotam omnibus genitalia, quia ducuntur tantum sensu, nec continere se valent; hoc autem de homine dicere nequimus, cum sit rationis capax.

Quod autem erit maior pæna hominum perditorum quam dæmonum, probatur triplici ratione. Primo, ratione ingratitudinis, quia Christus mortuus est pro hominibus, & non pro dęmonibus. Vnde cum sit maior ingratitudo in homine quam in dæmone, sequitur quod maior pæna debetur ei. Secundo probatur ratione auersionis quia dæmon pro vna tantum auersione æternaliter est punitus: de qua surgere non valet; homo autem millies in die a Deo se auertit, quia tot mala facit. Tertiò ratione compositionis; quia dæmon non habet corpus: solum cruciatur in vna parte: homo componitur ex anima & corpore, qui in vtraque cruciatur. Ergo, &c.

De cautelis seruandis in recitationem diuini officij. Cap. 42.

QVia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mini.

mihi. Ioel. 4. Primo ergo cauere debet Sacerdos, vel prælatus; ex hac sententia ne sit ignarus & præcipuè circa officium suum. Huic enim conuenit illud, medicè cura teipsum. Luc. 4. Rectè enim prelato ignoranti dicitur, vt prius in se sufficiētiam & artem curandi spiritualium morborum habeat quam emplastrum sanādi vulneribus adhibeat. Nam (vt ait Greg. in registro) verecundum est, & dicere pudet, quod Sacerdotes ducatum arripiunt, qui exordium religiosæ vitæ non nouerunt, in quibusdam catholicis mini sterijs, ignorantia toleranda foret, eo quod in plerisque melius est, ne fare, quam curare: & in quibusdam secundum Augu. de verbis Domini, Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia: in Ecclesiasticis tamen ministerijs ordinandis disponendisque om nino damnabilis est. De quibus est illud verbum Apost. 1. Cor. 14. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Ordinis namque ignorantia, quo videlicet ordine quicquam agendum est in Eccle sia, conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. Etenim statutis facere iniuriam, vel contraire, non est intelligere, sed errare, vt ait Ambro. super Psal. 118. Hinc est quod Dominus requirit seruum prudentem quem constituat super familiam suā. Mat. 24. Prudentiam dixero, vt sciat, quo ordine, quo sensu, quo fine, qui quam gerendum sit. Alioquin si cæcus cæco ducatum prestet nonne ambo in foueam cadunt? Mat. 15. Sicut. n. non potest cæcus cæcum ducere; sic nec indiscretus prælatus, subditū indiscretū po test per viam salutis ducere. Ideo, si quis nescit cantare, vel recitare officiū quomodo alios docebit cantare & psallere in Ecclesia? Hoc enim est proprium sacerdotum omnium scire & intelligere, quæ fiunt in Ecclesia.

Amplius, debet conari primo & principaliter (vt tactum est supra) persoluens horas esse in statu gratiæ, vt magis sit Deo gratum sacrificium laudis: quoniam (vt ait Salom.) non est speciosa laus in ore peccatoris. Vnde Ormisda Papa ait: emendationem esse conuenit populo quem necesse est orare pro populo dist. 61. in Sacerdotibus. Et Greg. Quomodo orationis Clipeo populum tenetur, qui iaculis hostium sese feriendum exponit. 1. q. 1. fertur.

Secundo, caueat, ne legat transcurrendo, siue Syncopando vt faciunt nō nulli, qui dum dicunt, Confitebor tibi Domine in toto corde meo, extranea, & profana, & cogitant, & intermiscent; aut veniunt tarde ad chorū; ante finem officij sine causa exeundo; aues aut canes ad venandum in chorum ducendo: (vt ego vidi nonnullis in locis;) hoc enim est grauiter errare, non orare.

Tertio, caueat vt cantans horas canonicas, ne lasciuos & dissolutos cantus ibi personet. Cōtra quos est Apost. Ephes. 5. Cantantes & psallentes in cordibus uestris Domino. Vbi ait Hieronym. & ponitur 29. dist. ca. cantantes. Audiant hæc adolescentuli; audiant, hi quibus in Ecclesia est psallendi officium; Deo non voce, sed corde cantandum: nec in tragediarum modum guttur, & fauces medicamine liniendæ sunt, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica. Et Grego. dat huius rationem dicens. 99. dist. in sancta vbi dicitur: Plerumque fit in sacro ministerio dum blanda vox queritur, congrua uita negligatur. Et cantor minister Deum motibus stimulat cum populum uocibus delectat. Hoc etiam prohibetur de cælebr. Miss. in clem. ubi a cantilenis prohibet abstinere. Et per extrau. Ioā. 22. quæ incipit: Dicta sanctorum patrum: prohibet etiam Triplas; dicens: Dicta sanctorum patrum decreuit authoritas in qua reprobat cantum cantilenarū: in triplis & motectis uulgaribus, idest, in lingua materna. Extra solemnia

Missa-

Missarum, & horarum canonicarum. De motectis vulgaribus obseruatur. Sed de triplis & proportionibus, & sesquialteris cantantur etiam in capella sanctissimi Apostolici.

Quarto, caueat ne incongrue verba tam in horis quam in alijs diuinis officijs, siue cantando siue dicendo submisse proferat: hoc multum scandalizat audientes. Vnde Cassiodor. super illud Psal. 46. psallite sapienter: dicit: Nemo sapienter facit quod non intelligit; Signum autem non intelligentiæ est incongruitas. Adde tu: quod signum etiam indeuotionis est incompositio corporis nostri. Nam vt est compositio nostri corporis, ita est compositio mentis nostræ in Deum. Considera modo tu quomodo te habes cum corpore, nempe sedendo, oscitando, ridendo, & huiusmodi.

Amplius, stando aptius recitatur officium: nam legitur in vita Beati Frãcisci, quod stando recitabat officium, etiam si in itinere & pluuia cadente reperiretur. Dicebat enim si nos cũ volumus corpus reficere (quod tandem corrumpetur, & a vermibus consumabitur) requiem & quietem quærimus: quantomagis standum est, & cum maxima tranquillitate & quiete debet anima sumere cibum vitæ, vt est orare & psallere Domino?

Item Diu. Bernard. super Cant. Ser. 7. de modo psallendi sic ait: Cibus in ore, psalmus in corde sapit: parum prodest sola voce cantare, sine cordis intẽtione. Deus enim cui non absconditur quicquid illicitum perpetratur: non quærit vocem delectantem: sed cordis puritatem. Psallentibus dignanter admisceri Angeli solent ea propter attendite Angelos cum statis ad orandũ & psallendum: & state cum reuerẽtia & disciplina: nimirum missi in ministeriũ propter nos: qui hereditatem capimus salutis; deuotionem nostram ferunt in superna: referuntque gratiam. Vsurpemus officium: quorum sortimur consortium: laudem cum cæli cantoribus in commune dicentes; vt pote, ciues sanctorũ & domestici Dei. Hoc enim bonum est: cum propter releuandus vitæ præsentis labores; qui vtique tolerabiliores nobis fiunt exultantibus in laudem Dei; tum quia nihil tã propriè quendam terris repræsentat cęlestis habitationis statum; sicut alacritas laudantium Deum. O si quis haberet oculos apertos; videret qua cura; quoue tripudio intersunt cantantibus; adsunt orantibus, insunt meditantibus; s. persunt quiescentibus; ordinãtibus; & procurantibus præsunt. Agnoscunt nimirum supernæ potestates conciues suos: & pro his, qui hæreditatem capiunt salutis; solicitè congaudent; confortant; instruunt: protegunt: prouidentesq; omnibus omnia in omnibus. Vnde uos moneo dilectissimi; viriliter semper ac strenuè; diuinis interesse laudibus; strenuè quidem & sicut reuerẽter, ita & alacriter Domino assistatis; non pigri; non somnolenti: non oscitantes: nõ parcentes vocibus: (ego adderem huic loco & cum reuerentia Bernardi, concordes, .s. voce & prolatione vnitona, siue vnisona: quia, qui dissonat ĩ choro ante Christi tribunal, & ante eius præsentiam, etiam extra chorum vtique dissonabit, non concordando cum alijs in moribus suis;) non procidentes verba dimidia; non integra transilientes, (idest, vltra saltando) non fractis, & remissis vocibus: muliebre quidam balbum de nare sonãtes: sed virili vt dignum est sonitu & affectu, voce sancti spiritus depromentes: pure vero, vt nil aliud dum psallitur, quam quod psallitis cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes uanas & ociosas: vitandæ sunt & illæ: illa duntaxat hora, & illo loco quas officiales clerici pro communi necessitate; quasi necessario frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profecto recipere, tunc consulerim: quę fortè paulo ante a claustro sedẽtes

in

in codicibus legeratis salubria sunt: sed minimè illo salubriter inter psallēdum reuoluatis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit quicquid aliud quam debes: neglecto eo quod debes obtuleris. Idem de oratione. In cunctis actibus nostris multa est opus animi vigilantia: sed præcipuè in oratione: licet enim semper videamur a Deo: sed in oratione etiam præsentamus & ostendimus nos quasi facie ad faciem cum Deo loquētes. Porro quāuis vbique sit Deus, in cælo tamen orandus est; ibique orationis tempore cogitandus. Sic igitur oret, qui orat; sic semetipsum consideret & attendat, tanquam prçsentatum Domino maiestatis, &c. hæc omnia D. Bernardus.

Adest etiam decretum siue constitutio saluberrima Concilij Basiliensis; quomodo officium diuinum in Ecclesia sit cælebrandum, sic dicens; Si quis principem sæculi rogaturus, habitu honesto; gestu decenti; prolatione nō præcipiti, sed distincta, attenta quoq; mente, seipsum, ac verba sua studet componere; quanto diligentius in hoc sacro loco, omnipotentem oraturus Deum, hæc omnino facere curabit? statuit igitur hæc sancta Synodus vt in cunctis cathedralibus & collegiatis Ecclesijs, horis debitis, signis congrua pulsatione prçmissis, laudes diuinç per singulas horas non cursim ac festinanter; sed asiatim, & tractim, & cum pausa decenti; præsertim in medio cuiuslibet versiculi psalmorum, debitam faciendo inter solemne & feriale officiū differentiam, ab omnibus persoluātur. Horas canonicas dicturi; cum tunica talari, ac superpelliceis mundis vltra medias tibias longis vel cappis iuxta temporum & regionum diuersitatem Ecclesias ingrediantur; non capucia sed almucias vel bireta tenentes in capite. Qui cum in choro fuerint; grauitatem seruent; quam & locus, & officium exigunt; & non insimul aut cum alijs confabulantes seu loquentes aut literas, aut scripturas alias legentes, & cum psallendi gratia ibidem conueniant muta & clausa labia tenere non debent. Sed omnes præsertim, qui maiori fungūtur honore in psalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur; Gloria patri & filio, &c. omnes consurgant. Cum nominatur gloriosum illud nomen Iesus; in quo omne genuflectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum; omnes caput inclinent. Nemo ibidem dum horæ in communi publicè cantantur; legat, vel dicat priuatim officium. Nam non solum obsequium quo obnoxius est, vel in choro subtrahit; sed alios psallentes perturbat. Super his debitè obseruandis, alijsque ad diuini officij persecutionem, ac chori disciplinam spectantibus; Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter inuigilet hinc inde; ne quid inordinatè fiat, circumspiciens. Horum autem transgressores, illius honore, in qua circa prædicta excesserit, vel alia maiori, prout grauitas exigit, plectatur pæna. Hçc ille.

Quintò, caueat clericus orans ne in horis resumat vnum & idem verbum pluries; quia dicitur Eccl. 7. Ne iteres verbum in oratione tua. Contra quod faciunt, qui dicunt, pater noster, pluries; quæ iteratio procedit ex inaduertentia, ex indeuotione, & mentis distractione, & hi potius irritant Deum quam orant. Nam vt ait Seneca, perturbat mentem auditoris quod sæpe dicitur, scilicet, vna & eadem voce; immo quodammodo Deus in hoc blasphematur dū per hoc videtur semel dictum non audire, vel intelligere nisi sæpius ei resumatur; cum tamen dicatur Mat. 6. scit enim pater vester cælestis quibus indigetis. Videat quilibet clericus, vel laicus, vt in oratione stet, vel sedeat quietus, aut flectat deuotus manus leuando, pectus tundendo, suspirando, & sursum aspiciendo. Isti enim sunt septem modi orandi approbati

probati in scripturis sanctis.

De primo dicitur in Psal. 121. Stantes erant pedes nostri. Et Mar. 9. Cum stabitis ad orandum dimittite, &c. sic Martha stetit, & ait; Domine non est tibi curæ. Luc. 10. De secundo dicitur. Mat. 26. Sedete hic, & sequitur, & orate, ne intretis in tentationem. De tertio, dicitur; quod leprosus genuflexit, & impetrauit curationem. Mar. 1. De quarto, dicitur Psal. 140. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Et Exod. 17. vbi Moyses eleuatis manibus orauit. De quinto dicitur Luc. 18. De publicano quod percutiebat pectus suum, dicens; Deus propitius esto mihi peccatori. De sexto, suspiratione, dicitur. Io. 11. quod Christus infremuit spiritu & turbauit seipsum volens Lazarum resuscitare. De septimo, scilicet, sursum aspiciendo, dicitur Ioann. ibidem, quod Christus suspiciēs in cælum dicit; pater gratias tibi ago quoniam exaudisti me: sic & vos exaudiet Deus si ita, & cum istis circumstantijs orabitis.

Demum cogitent & recogitent obligati recitare horas canonicas visionem illam relatam a Diuo Antonino. 2. p. tit. 9. cap. 13. §. 3. de quodam patre sancto, cui videnti in choro dęmonem multa imponentem sacco, & interrogato quid imponeret respondisse, Syllabas, & verba, quæ hi vel illi omittunt, vel deglutiunt inter dentes, uel uersus incipiunt antequam ij, cum quibus recitant absoluant, uel male uersus pronunciant, vt illos eius rei accusaret in iudicio.

Hæc sunt, quæ uoluimus in hac prima parte de diuinis officijs: nunc autem ad officium magis in particulari, & primo, ad expositionem totius psalterij, deinde Missalis Romani, eo ordine quo dispositi sunt, una cum suo rationali procedendū est. Prouinciam equidem tam amplam, ac sic susceptā, & excogitatam, ego neque uide, neq; quod a nemine ita fuerit explicata, ne utiquam sensi. Sed quoniam mihi occultum non est illud Ouidianum dictum lib. 3. de Ponto

Scripta placent a morte quidem quia lædere viuos
Liuor & inuiso carpere dente solet.

Ideo singulis inuidis unico Martialis uersiculo lib. 3. & respondebibus, & illorum ora obmutescere faciemus.

Carpere vel noli nostra, uel ede tua.

Primo ergo (huic operi finem faciendo) ad totius psalterij dilucidationem secundum ordinem Romanum accedamus.

FINIS.

Digitized by Google